de la Comp.a de Jesus de granada Lib.
R-8717

CONFESSIO

# AVGVSTINIANA

## IN LIBROS QVATVOR

DISTRIBVTA, ET CERTIS CAPITIBVS LOCORVM THEOLOGICORVM QVI ſunt hodie ſcitu digniſſimi, comprehenſa: ex omnibus B. Aurelij Auguſtini libris in vnum opus bona fide ac ſtudio ſingulari redacta, per D. Hieronymũ Torrenſem, Societatis Ieſu Theologum, & Academiæ Dilinganæ Profeſſorem.

*Habes hîc Chriſtiane Lector eius fidei, doctrinæ ac religionis confeſſionem, quam Catholici ſupra mille & ducentos annos, id eſt, inde ab ætate D. Auguſtini vbique gentium ſequuntur, vnum idémque cum Auguſtino ſentientes & profitentes.*

Index triplex eſt, primus capitum & propoſitionum: alter rerum & ſententiarum illuſtrium: tertius ſacrarum Scripturarum, quibus ad Catholicę doctrinæ confirmationem, pręſertim aduerſus noſtri temporis hęreſes, in his libris Auguſtinus vtitur.



PARISIIS,
Apud Nicolaum Cheſneau, via Iacobæa, ſub ſcuto Frobeniano & Quercu viridi.
1569.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante
Tabla
Número

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 11
Numero: 371

De la Compa de Jesus de granada Lib.
B-8717

CONFESSIO

# AVGVSTINIANA

## IN LIBROS QVATVOR

DISTRIBVTA, ET CERTIS CAPITIBVS LOCORVM THEOLOGICORVM QVI ſunt hodie ſcitu digniſſimi, comprehenſa: ex omnibus B. Aurelij Auguſtini libris in vnum opus bona fide ac ſtudio ſingulari redacta, per D. Hieronymũ Torrenſem, Societatis Ieſu Theologum, & Academiæ Dilinganæ Profeſſorem.

*Habes hic Chriſtiane Lector eius fidei, doctrinæ ac religionis confeßionem, quam Catholici ſupra mille & ducentos annos, id eſt, inde ab ætate D. Auguſtini vbique gentium ſequuntur, vnum idémque cum Auguſtino ſentientes & profitentes.*

Index triplex eſt, primus capitum & propoſitionum: alter rerum & ſententiarum illuſtrium: tertius ſacrarum Scripturarum, quibus ad Catholicę doctrinæ confirmationem, pręſertim aduerſus noſtri temporis hęreſes, in his libris Auguſtinus vtitur.



PARISIIS,
Apud Nicolaum Cheſneau, via Iacobæa, ſub ſcuto Frobeniano & Quercu viridi.
1569.

i118205 36

ENCOMIVM

# PRÆSTANTISSIMI ECCLESIÆ DOCTORIS D. AVRELII

Auguſtini à B. Proſpero Aquitanico contra ſui temporis Hæreticos, ante mille annos decantatum.

Libro περὶ ἀχαρίστων.

*Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia, cornu*
*Vberiore rigans, noſtro lumen dedit æuo,*
*Accenſum vero de lumine: nam cibus illi,*
*Et vita, & requies, Deus eſt: omníſque voluptas*
*Vnus amor Chriſti eſt, vnus Chriſti eſt honor illi:*
*Et dum nulla ſibi tribuit bona, fit Deus illi*
*Omnia: & in ſancto regnat ſapientia templo.*
*Iſtius ergo inter cunctos, qui de grege ſancto*
*Inſanas pepulere feras, induſtria maior:*
*Maius opus, totum præſtantius imbuit orbem.*
*Nam quocunque gradum conuertit callidus hoſtis,*
*Quáque per ambages anceps iter egit opertas,*
*Huius ab occurſu eſt præuentus, mille viarum*
*Inſidiis aditum non repperientibus vllum.*
*Cúmque foris rabies auidorum excluſa luporum*
*Frenderet, ínq; omnes mendacia verteret artes,*
*Ne mentes vllarum ouium corrumpere poſſet,*
*Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,*
*Iſtius ore viri fecit Deus: iſtius ore*
*Flumina librorum mundum effluxere per omnem,*
*Quæ mites humiléſque bibunt, campíſque animorum*
*Certant vitalis doctrinæ immittere riuos.*

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVſtriſſimo Principi, Domino Othoni Truchſes de Vvaldburg, S. R. E. Epiſcopo Cardinali Albanenſi & Auguſtano, Præpoſito ac Domino Elvvangenſi, Germaniæ Protectori, Hieronymus Torrẽſis Societatis Ieſu Theologus, gratiam & pacem à Deo Opt. Max. precatur.

*CVM multos poſt Apoſtolorum tempora tum Græca, tum Latina Eccleſia clariſſimos viros habuerit, ampliſſime Cardinalis, qui pro temporum ratione religionem noſtrã & conſeruauerint vigilãter & ſtrenuè defenderint: nemo tamen eorum (vt arbitror) maioribus, quàm Aurelius Auguſtinus naturæ Deique donis inſtructus, ad res Eccleſiæ iuuandas plus ſtudij diligentiæq́ contulit. Fuit enim in eo, quod vix paucis contingit, acutiſſimum ingeniũ, acerrimum iudicium, fidelis admodum memoria, veritatis inueniendæ ardens ſtudium, ſedulitas nullis parcens laboribus, ſingularis quædam manſuetudo, lenitas, modeſtia: denique quicquid præclari natura hominibus ingenerare ſolet, hoc ferè totum in eo ipſo inuenire poſſumus, & admirari debemus. Qui poſtquã ratione vti cœpiſſet, hos ingenuos naturæ igniculos (vt ſic dicã)*

variis exercitationibus accendit, & ſtudio ſingulari perfecit. Supererant adhuc eo tempore in Africa plures impiæ ſuperſtitionis idolorúmque cultores, Manichæorum ſectam ex profeſſo multi ſequebantur, quorũ nonnulli doctrinæ nomine clari, & eloquẽtiæ præſidiis freti, nõ paucos in eandẽ errorum ſuorum foueam, velut cæci duces, inducebant. Præterea tum hæreſis vel factio Donatiſtarum longè latéque propagabatur, quibus poſtea Pelagiani diuinæ gratiæ inimici ſucceſſerũt. Cæterùm Auguſtinus Manichæorum peſtilẽtem doctrinam, in qua non paucos annos, anteq̃ Chriſtianus eſſet, verſatus fuerat, cùm publicè diſputando, tùm ſcribendo ita coarguit, vt vana ipſorũ commenta non modò contuderit fortiter, ſed vt nullus ante illum alius, cum gloria expugnauerit. Nec diſsimili virtute & fœlicitate contra reliquos, quos dixi, ſectarios pugnando tantum profecit, vt non Africæ modò, ſed pluribus etiam aliis prouinciis, quæ horrendis errorum tenebris implicabantur, veritatis clariſsimæ lumen prætulerit atque monſtrarit. Neque verò ſat illi fuit, hæreticorũ falſas opiniones, earúmque origines & impiæ doctrinæ firmamenta intelligere, diſcutere, improbare: quin etiã ſectariorum ingenia, mores, fraudes & conditiones omnes maximè perſpectas habere & aliis prodere ſolebat. Certè ſi ex aliorum Patrum libris, qui multi & præclari exſtant, facere coniecturã licet, eorum nullus (quod bona illorũ pace dixerim) cum tot támque variis hæreticorum mõſtris decertauit: nullus eo in genere copioſior, nullus vtilior, nullus doctior, nullus maiore dexteritate hoſtiles tractauit animos: nullus oratione mores ſectariorũ elegantius depinxit expreſsítque. Fuit quidem ille, dum viueret de ſuis Africanis multis de cauſis optimè meritus, vt res ip-



ſa teſtatur: verùm idem de nobis déque omni poſteritate, quandiu ipſius exſtabunt libri, bene merẽdi nullum faciet finem. Sed quid plura? Poſt Chriſtum natum in Catholica religione vno eodémque tẽpore magis varias & exitioſas numeróque plures hæreſes erupiſſe, quàm noſtro infœliciſsimo tempore, nunquã audiuimus aut legimus: quæ tamen omnes, ni planè fallar, vnius Auguſtini verbis confutari & proteri vel maximè poſſunt.

Iam verò Auguſtini opera pleráque ſunt non tantùm πολεμικά, in quibus ex profeſſo cum hæreticis vel aliis Eccleſiæ hoſtibus certat, verùm etiam διδακτικά, in quibus abſque huiuſmodi cum aduerſariis concertatione, placidum illud doctrinæ genus proponit & explicat. Non dicam de variis eius epiſtolis & concionibus ad populum ſæpe habitis, & quæ præterea è diuinis literis in aliorũ gratiam diſſeruit. Certè ex illis omnibus, quæ tũ dixit, tum ſcripſit Auguſtinus, prolixa & vaſta illa tãti doctoris, quæ nunc exſtant & indies auctiora in lucem eduntur; volumina prodierunt. In his verò ſi quicquã aliud, tum illud ſanè fusè admodũ docet & inculcat, quo pacto aduerſus hæreſum nunc vigẽtium luem, qua nihil peſtilentius, Catholicum pectus probè munitum & inſtructum eſſe oporteat.

Cæterùm fit interim, quod nemo negabit, vt quæ ſapientiſsimus & ſanctiſsimus Epiſcopus hic ſuo tempori conuenienter & accõmodatè ſcripſit, ea nunc à noſtris quidem hominibus non æquè commodè accipiantur, neque facilè petantur ex prægrandibus & difficilibus illis voluminibus, quæ Auguſtini nomine commendantur. Hæc plerique vel non emunt, vel empta non legunt, vel lecta certè minus intelligunt,

vel in his demum cui errori quidque aduerſetur, minus diligenter obſeruant. Quocirca operæprecium nos facturos exiſtimauimus, ſi ex omnibus Auguſtini ſcriptis in ordinem redigeremus locos, qui ad cõtrouerſias, hoc tempore inter Catholicos & ſectarios exortas, maximè pertinent. Eos ergò primùm in certa quædam capita, deinde verò prout eiuſdem cõtrouerſiæ plures vel pauciores erant partes, in propoſitiones, vel ſi dicere malis, pronunciata Catholica (titulos & articulos nonnunquam nominamus) addita ſingulorũ ex Auguſtino probatione, diſtinximus. Adſcripſimus ſubinde ſcholia quædam breuiora, quibus admonitus Lector, qui nam errores Auguſtini oratione redarguantur, ac noſtra etiam ætate damnãdi ſint, facilius animaduertat. Ea verò nonnunquam longiuſcula poſuimus, nimirũ vbi vel rei obſcuritas, vel Auguſtini oratio paulò preſsior, vel certè aduerſariorũ impudentia, clariorem explicationis lucem non tam admittere, quàm poſtulare viſa eſt. Speramus fore, vt laboris huius noſtri, qui non exiguus in teſtimoniis, tum colligendis, tum in ordinem redigendis fuit, neque nos, neque lectores bonos pœniteat. Neque mirabimur tamen, ſi malam nobis referant gratiam, qui aliena etiam benefacta (vt quotidiè cernimus) calũniari quàm æmulari malunt. Certè qui ſectis non ita pridem ortis ſeſe addixerunt, tantam Chriſtianæ veritatis lucem, quãtam hic Auguſtinus adfert, aſpicere poſſent, niſi errorum præſtigiis faſcinati, mentis oculos amiſiſſent. Nũc autem, vt vereor planè, tenebris ſuis inhærentes, & ad maledicentiæ ſolita præſidia confugientes, non ſolùm nobis, quorum ſe hoſtes maximè profitentur, fidem nullam dabunt, ſed ne ipſius quidem Auguſtini auctoritati, quem alioquin prædicant & meritò



venerantur, cedendum ſibi & parcendum exiſtimabunt. Qui, mirum dictu, quàm ſint moroſi, irritabiles, faſtuoſi, acerbi, & cauillis calumniiſque omnis generis inſtructi: iuuat eos nouas leui de cauſa lites ſerere, ſeditiones grauéſque diſſenſiones concitare, animos omnium à veritate & pietate, ad errorem & licentiam traducere. Quæ vt ne ſine cauſa à nobis dicta eſſe videantur, libet vnum atque alterum è multis quæ nuper hoc in genere ſumus experti, commemorare.

Confinxit quidam, cuius iam nomini parcimus, & libro edito confirmauit, Zuinglianiſmo & Caluiniſmo nos fauere & patrocinari: nec aliam eius rei poteſt reddere rationem, niſi quòd nouam æquè ac impiam de Vbiquitate opinionem reſpuimus, & Maieſtatem Chriſti Domini ad Patris dexteram in ſupremo cælo collocati, cum veteri & Catholica Eccleſia ſecus intelligimus, quàm Lutherus & Brentius, vnà cum paucis aliis non ita pridem natis Theologis, interpretantur. Igitur quia nouitium hoc dogma refutamus et refutandum oſtendimus, quod neque ſacris in literis traditur, neque Patres annunciauerunt, neque recepit vnquã, ſed potius reiecit Eccleſia, digni ſumus ſcilicet qui in Sacramentariorũ claſsẽ coniiciamur. Simile commẽtum eſt, ac proinde nulla confutatione dignum, negari à noſtris Chriſtum eſſe mediatorem: atque id tamẽ iſti non ſolùm pro concione populo dictitare, ſed ſcriptis etiam editis aſſeuerare non verentur. Dicam & aliud: Cùm anno ſuperiore in Academia Dilingana priorem Apoſtoli ad Timotheum epiſtolam expoſuiſſem, viſum fuit quædam ex his quæ tractata fuerant, præſertim ad controuerſias huius temporis pertinentia, in Theſes quaſdam redigere, & diſputandi

gratia, vt fit, publicè proponere. Nihil ſanè minus eo tempore cogitabam, quàm aduerſarios hoc noto & probato exercitationis genere laceſſere: quod ſi cogitaſſem, non breues eas Theſes, ſed iuſtum edidiſſem fortaſſe librum, qui eis plus etiam negocij exhibuiſſet. Nunc ex inſperato Tubingæ Theologi duo Lutherani, niſi fortè titulus mentiatur, librum integrum compoſuerunt & in lucem ediderunt, in quo paucas aſſertiones noſtras prolixè admodum, & inuidioſè non tàm refellunt, quàm exagitant, calumniantur, inuertunt, & ſæpe in ſenſus alios à ſe malignè confictos, apertè detorquent. Nã videtur ſanè horum propoſitum non fuiſſe Theſes noſtras refellere, ſed arrepta potius ex Theſibus occaſione, virus omne acerbitatis ſuæ, quod diu collectum & animis incluſum ferre nequibant, in omnes Eccleſiæ ordines euomere. Quibus quidem aduerſariis vt reſpondendum non eſſe credam ad ſingula, multis nec leuibus cauſis adducor. Primùm enim ſapienter monuit Ariſtoteles, non eſſe curandum, quid quiſque dicat: ſed quid ille, qui auctoritate valeat, vel ratione aliqua ducatur, adferat, conſiderari oportere. Cernebat vir ille ſolerter, nullum futurum controuerſiarum modum, ſi omnia diſputanda & excutienda forent, quæ vani, leues & inſulſi homines temerè propoſuiſſent, aut licenter effutiuiſſent. Neque aliter quàm Ariſtoteles, nos ille ſapiens docet, cuius verba diuinis ſunt inſerta libris, cùm inquit: Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Et rurſus: Cum iracundo non facies rixam, & cum audace non eas in deſertum. Deinde cùm iſti ea ferè doceãt & ſcribant, quæ iam olim Patrum veterum conſenſione vel legitimorum Conciliorum auctoritate dam



nata & exploſa ſunt, quid attinet, obſecro, audiendo vel reſpondendo ad nouas & infinitas penè contentiones rixáſque prouocare & irritare crabrones? Nunquid nobis fidem habebunt, qui Eccleſiam pro nobis apertè pronunciantem audire detrectant? Tum quid opus eſt noſtris telis hoſtes petere atque configere, qui pugnis inteſtinis mutuiſque vulneribus ſe ipſi conficiunt? Nec enim eſt obſcurus, qui eos tantopere agitat, & in multis ſectis diſſectos iam tenet, ſpiritus vertiginis atque diſſenſionis. Iam verò nulla inſtitui poteſt diſputatio, vbi nulla principia certa, nulli fines quos tranſire non liceat, conſtituti, nulla firma veri falſique regula, ad quam diſputantium iudicia dirigantur propoſita: vbi nullus demum iudex, cuius iudicium ratum habeatur, poteſt reperiri. Sunt etenim apud hos nulla principia, niſi qualia Protagoræ fuiſſe legimus, vt id quod cuique videretur, verum eſſet: regula cernitur nulla, præter plumbeam illam et Lesbiã, quæ ad omnem figuram ſolet inflecti. Prudenter ſcilicet iudicẽ populũ eligunt ſtatuúntque ſibi, qui, vt quidam ait, multorum eſt capitũ beſtia, vt cordatiorũ & legitimorum in Eccleſia iudicum, qui ſemper hactenus obtinuerunt, fugiant auctoritatẽ. Accedit, quòd obiecta nobis argumenta vulgóque trita illa, ſi ritè perpendas, nulla egeant confutatione, ne actum (vt aiunt) agere videamur. Nam Catholici Theologi, quam iſti Catholicam doctrinam in noſtris Theſibus reprehendunt, iamdiu antè grauiter, eruditè piéque defenderunt, multiſque ſæpe libris confirmarunt. Qui vt nihil etiam ſcripſiſſent hactenus, vnus nobis supereſt Auguſtinus veritatis teſtis, & præco irrefutabilis, quem aduerſariis omnibus iure noſtro proponere & opponere poſſumus, vt hic multorum inſtar non ſolùm

gratia, vt fit, publicè proponere. Nihil ſanè minus eo tempore cogitabam, quàm aduerſarios hoc noto & probato exercitationis genere laceſſere: quod ſi cogitaſſem, non breues eas Theſes, ſed iuſtum edidiſſem fortaſſe librum, qui eis plus etiam negocij exhibuiſſet. Nunc ex inſperato Tubingæ Theologi duo Lutherani, niſi fortè titulus mentiatur, librum integrum compoſuerunt & in lucem ediderunt, in quo paucas aſſertiones noſtras prolixè admodum, & inuidiosè non tàm refellunt, quàm exagitant, calumniantur, inuertunt, & ſæpe in ſenſus alios à ſe malignè confictos, apertè detorquent. Nã videtur ſanè horum propoſitum non fuiſſe Theſes noſtras refellere, ſed arrepta potius ex Theſibus occaſione, virus omne acerbitatis ſuæ, quod diu collectum & animis incluſum ferre nequibant, in omnes Eccleſiæ ordines euomere. Quibus quidem aduerſariis vt reſpondendum non eſſe credam ad ſingula, multis nec leuibus cauſis adducor. Primùm enim ſapienter monuit Ariſtoteles, non eſſe curandum, quid quiſque dicat: ſed quid ille, qui auctoritate valeat, vel ratione aliqua ducatur, adferat, conſiderari oportere. Cernebat vir ille ſolerter, nullum futurum controuerſiarum modum, ſi omnia diſputanda & excutienda forent, quæ vani, leues & inſulſi homines temerè propoſuiſſent, aut licenter effutiuiſſent. Neque aliter quàm Ariſtoteles, nos ille ſapiens docet, cuius verba diuinis ſunt inſerta libris, cùm inquit: Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Et rurſus: Cum iracundo non facies rixam, & cum audace non eas in deſertum. Deinde cùm iſti ea ferè doceãt & ſcribant, quæ iam olim Patrum veterum conſenſione vel legitimorum Conciliorum auctoritate dam-



nata & exploſa ſunt, quid attinet, obſecro, audiendo vel reſpondendo ad nouas & infinitas penè contentiones rixáſque prouocare & irritare crabrones? Nunquid nobis fidem habebunt, qui Eccleſiam pro nobis apertè pronunciantem audire detrectant? Tum quid opus eſt noſtris telis hoſtes petere atque configere, qui pugnis inteſtinis mutuiſque vulneribus ſe ipſi conficiunt? Nec enim eſt obſcurus, qui eos tantopere agitat, & in multis ſectis diſſectos iam tenet, ſpiritus vertiginis atque diſſenſionis. Iam verò nulla inſtitui poteſt diſputatio, vbi nulla principia certa, nulli fines quos tranſire non liceat, conſtituti, nulla firma veri falſique regula, ad quam diſputantium iudicia dirigantur propoſita: vbi nullus demum iudex, cuius iudicium ratum habeatur, poteſt reperiri. Sunt etenim apud hos nulla principia, niſi qualia Protagoræ fuiſſe legimus, vt id quod cuique videretur, verum eſſet: regula cernitur nulla, præter plumbeam illam et Lesbiã, quæ ad omnem figuram ſolet inflecti. Prudenter ſcilicet iudicẽ populũ eligunt ſtatuúntque ſibi, qui, vt quidam ait, multorum eſt capitũ beſtia, vt cordatiorũ & legitimorum in Eccleſia iudicum, qui ſemper hactenus obtinuerunt, fugiant auctoritatẽ. Accedit, quòd obiecta nobis argumenta vulgóque trita illa, ſi ritè perpendas, nulla egeant confutatione, ne actum (vt aiunt) agere videamur. Nam Catholici Theologi, quam iſti Catholicam doctrinam in noſtris Theſibus reprehendunt, iamdiu antè grauiter, eruditè piéque defenderunt, multíſque ſæpe libris confirmarunt. Qui vt nihil etiam ſcripſiſſent hactenus, vnus nobis ſupereſt Auguſtinus veritatis teſtis, & præco irrefutabilis, quem aduerſariis omnibus iure noſtro proponere & opponere poſſumus, vt hic multorum inſtar non ſolùm

noſtram, ſed etiam totius Eccleſiæ Catholicæ communem cauſam ſuſtineat atque propugnet. Hunc ipſi quidem non modò inter Patres habent ac prædicant, ſed ſuum etiam doctorem appellant: cuius tamen, vt vereor, nec lucem intueri, nec auctoritatem ſuſtinere, nec ingenij virtutíſque magnitudinem capere poßint. Ac v ſemel hunc locum abſoluamus, nihil in rem præſentem & aduerſus Momos iſtos aptius, quàm quod ab eodem Auguſtino ſcriptum eſt ad Marcellinum, adferri poſſe arbitramur. Quis deceptandi finis erit & loquendi modus, inquit, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus? Nam qui vel non poſſunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri ſunt aduerſitate mentis, vt etiam ſi intellexerint, non obediant, reſpondent vt ſcriptum eſt, & loquuntur iniquitatem atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixâ fronte ſtatuerunt non curare quid dicant, dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant, quàm ſit infinitum & ærumnoſum & infructuoſum vides. Hæc Auguſtinus.

Verùm vt eò tandem, vnde ſumus digreßi, nos recipiamus, quicquid hoc eſt operis, quod ab æquis cenſoribus æſtimari, quàm à nobis commendari præſtat, nō poterat illud quidem vlli maiori iure, quàm Celſitudini tuæ Cardinalis ampliſsime iuxtà & Patrone benigniſsime, nuncupari. Nimirum Auguſtinianam pietatem tu in eo non ſegniter æmularis, quòd Epiſcopus Catholicus Religionem Catholicam ſtudioſè colas, & ardenti ſtudio defendas: quòd illius nomine varios labores & grauia ſuſtineas pericula, ſæpéque ſuſtinueris: quòd ſectariorum odium, minas, vim, tela & iniurias, religionis gratia minimè reformides: quòd pios itidem



homines ac doctos, qua ſumma polles humanitate, clementia & liberalitate, proſequi & ornare ſtudioſè contendas. Deinde ſi quis eſt, aut erit aliquando, laborum ſtudiorúmque noſtrorum fructus, hunc vniuerſum tu iure tuo Mecœnas tibi vendices licet, nóſque illum tibi ferre acceptum decet. Quid enim habet aut poteſt hæc Academia, quòd ſecundùm Deum à te non pendeat, per te non conſiſtat, tua non ope, ſapientia virtutéque nitatur? Hoc noſtrum, imò tuum eſt Gymnaſium, quod tu inter Germanos Epiſcopos huius quidem ætatis primus à primis fundamentis excitaſti & conſtituiſti, nec ſecus ac fidelis aquila quæ ſuū fœtum accuratè fouet, pace bellóque cōſeruaſti. Iure gaudet Sueuia, tibíque Antiſtiti gratulatur, quòd tua opera hoc bonarum artium & Philoſophiæ cùm humanæ, tū diuinæ habeat emporiū. Agnoſcit parens Sueuia ſuam Dilingam, obſcurum quidem & incultum prius oppidum: nunc verò ſelectam Muſarum ſedem veræq́ pietatis & doctrinæ ſalutaris domicilium admiratur. Laudent alij, vt ſanè poſſunt, generis antiquam in te nobilitatem, claráque ſtemmata Heroum VValdburgenſium & Truchſiorū prædicent. Illa multò ſunt pulchriora veréque tua, ingenita quædam in omnes comitas atque māſuetudo, rara vitæ morúmque integritas, in rebus aduerſis explorata fortitudo, moderata in ſecundis animi ſubmißio, conſtans Catholicæ religionis defenſio, demum in ſummis honoribus & honeſtiſsimis pro Eccleſia Imperióque ſuſceptis functionibus, excelſi animi generoſitas cum pietate & ſapientia ſingulari coniuncta. Admonebat hic locus, vt amplitudini tuæ ſtudia noſtra et vniuerſum hoc Gymnaſium commendarem: verùm hac ſolicitudine nos liberat perpetua humanitas mul-

*tiſque argumentis perſpecta pietas tua, cuius cogitationes et curæ in id vnū intentæ ſunt, vt quā ſcholam præclarè fundaſti, & fundatam in grauibus Eccleſiæ tempeſtatibus ſartam tectámque conſeruaſti, ſuis eam præſidiis & ornamentis excultam reddas, & ad immortalem tui nominis ſplendorem abſolutam relinquas poſteritati. Quocirca Deum Opt. Max. precor, vt quas ipſe in mentem tuam cogitationes pias immiſit, & tu heroico animo incluſas tenes, eodem adſpirante reipſa declares atque perficias. Is ipſe pro ſumma benignitate ſua, pietatis tuæ conatus proſperet, eúmque ſucceſſum donet, vt auctoritate ſapientiáque tua Eccleſiæ Chriſti ſponſæ ritè conſulatur, quæ in hac fœda tempeſtate longè latéque graſſante, nobis tantum non extrema minatur. Tuere pro dignitate tua locū, quem ad Petri nauem in his fluctibus gubernandam honeſtiſsimum accepiſti. Gregi tuo Paſtor aduigila: ruentis Imperij cauſam ſuſtenta Princeps: Clero demum & populo Epiſcopum præſta, qualem Auguſtinus olim præſtitit, ſummi & immortalis boni amore flagrans, iuuandæ Eccleſiæ perpetuo ſtudio vacans, & diuinis magis quàm humanis rebus intentus. Princeps paſtorum Chriſtus diu te nobis incolumem ſeruet, ac de vtraque Repub. bene merentem, in perpetuum beet Illuſtriſsime Cardinalis. Dilingæ.*

# DE HVIVS OPERIS EDITIONE ET FRVCTV AD Lectorem candidum Præfatio.

OPORTVNVM nobis hoc loco, tibique Chriſtiane Lector non incommodum viſum eſt, primùm nos conſilij noſtri, quod in hoc opere conficiēdo & edendo ſecuti ſumus, breuem reddere rationē: deinde verò ad ea reſpondere, quæ aduerſariis vel calumniādi locum reliquiſſe, vel quod etiam grauius eſt, de facti noſtri fide dubitandi occaſionem præbuiſſe videri poſsint. Certè ad hoc opus ſucciſiuis horis, quando per occupationes licebat, colligendum & edendum, nos excitarunt Eccleſiæ hoſtium fraudulentiſſima ſtudia, qui communibus locis nō ita pridem ex libris Patrum, maximè verò Auguſtini conſarcinatis, & in compendia vel epitomas nullo ordine redactis, magnum & apertum lectori periculum accerſunt. Etenim cùm hoc in primis agant, huc ſpectent vnicè, vt errores, hæreſes, falſáſque de rebus fidei opiniones, quas aut ipſi quotidie nouas gignunt, aut ab aliis acceptas, non ſecus atque proprios ſuos fœtus manibus pedibúſque defendunt, interpoſita ſanctiſsimorum, quos citant, Patrum auctoritate, incautis lectoribus veteratoriè probent atque commendent: verba & ſententias Patrum vel peruerſè interpretantur, vel nō integrè ſed mutilatè citant, vel quod maioris etiā impudentiæ eſt, apertiſsimè deprauant: cætera quæ ita ſignificanter poſita ſunt, vt nullius planè neque malignam interpretationem, neque mutilatam citationem, neque apertam deprauationem perpeti poſsint, conſilio, vt ipſis quidē videtur, minimè malo prætermittunt. Quod quid aliud obſecro eſt, quàm veritatis lucem hominum mentibus

eripere, ac falſitatis caliginem & tenebras minus acutis offundere? imò verò, quid niſi fortiſſimos Eccleſiæ propugnatores & Doctores, nefarios facere proditores: & quod iſti ſuis artibus atque fallaciis omnique calliditate conſequi non poſſunt, hoc demum per Eccleſiæ Patres Eccleſiæ filiis perſuadere velle? Vt igitur & ſanctorum Patrum honori, & bonorum lectorũ commodo pariter atque ſaluti conſuleremus: aduerſariorũ quoque inanes conatus reprimeremus, viſum nobis fuit, ex Auguſtini magnis illis voluminibus locos, quã nos quidem hactenus editos vidimus, illuſtriores, nec ordine minus perſpicuo diſpoſitos, & meliore fide tranſcriptos, in lucem dare: vt vel hinc nõ obſcurè cõſtet, quæ fuerit olim de rebus noſtro tempore controuerſis Auguſtini, imò verò totius veteris Eccleſiæ, cuius ille quaſi primaria quædam columna fuit, ſententia.

Deinde verò ad hoc opus aggrediendum nos excitauit non hæreticorum modò, ſed etiam Catholicorũ exemplum. Extant enim complures veræ fidei Confeſſiones, ſeu Chriſtianæ inſtitutiones in Synodis memoria noſtra editæ, Polonica, Moguntina, Colonienſis, Treuirenſis, Senonenſis, Strigonienſis: quæ vt paſſim circumferuntur, ita non ſine magna Catholicorum laude orthodoxæ fidei puritatem, aduerſus Eccleſiæ hoſtes tuentur atque conſeruant. Sed & qui Catholici nõ ſunt, verùm ab Eccleſia Catholica ſe palàm ſegregauerunt, iactant è contrario & quàm maxima poſſunt cõtentione vrgent Confeſſiones ſuas, Tigurinam, Auguſtanam, Saxonicam, Vuirtembergenſem, & quæ huius generis plures reperiuntur. Neque enim vlla vnquam ætas in edendis huiuſmodi Confeſſionibus fœcundior, in ſpargendis procliuior, in recipiendis auidior, in defendendis pertinacior, in variandis fuit leuior atque inconſtantior. Verùm hæ præterquam quòd multis ſibi inuicem modis aduerſantur, & à veteris Eccleſiæ doctrina, traditione, diſciplina, Sacramentis, cæremoniis, conſuetudinibus longè latéque diſcedunt, adeò nullam planè ſalutaris doctrinæ veritatem, fideique conſenſionem pariunt, vt omnium ferè ordinum, ætatum, ac ſtatuum animi, id quod res ipſa cla-



mat, magis magiſque indies inde diſtrahantur. Complures certè nouarum Confeſſionũ, quæ ſubinde prodeunt pertæſi, ſi per magiſtratus modò liceret, veterem potius, quàm vllam nouæ religionis ſpeciem auidè cõplecterentur: maximè cùm animaduertunt variæ doctrinæ ſegetem, velut infœlix lolium, ſe ſponte protrudens, vbertim nimium prouenire, neque vllum nouas Confeſſiones cudendi atque recudendi fieri modum: quin potius, quod ſapientes meritò dolent, eaſdem magiſtratuum politicorum auctoritate firmari, & ad populũ referri iudicem, tum vel inuitis tam imperioſè obtrudi vt pro diuinis etiã legibus vulgo cõmẽdẽtur.

Ergo operæ precium exiſtimauimus, huiuſmodi inter alias Confeſſionem extare, cuius auctor non leuis eſſet atque ſectarius, ſed grauis, & vt D. Bernardi verbis vtar, hæreticorum fortiſsimus malleus: cuiuſque doctrina, non vnius Principis vel prouinciæ auctoritate, ſed plurimarum nationum & ingentium populorũ, adeóque totius Eccleſiæ Catholicæ ſuffragiis, legibus, moribúſque niteretur: quæ denique non triginta vel quadraginta duntaxat abhinc annis auctoritatem aliquam obtinuiſſet, ſed inde ante annos mille terrarum orbi propoſita, recepta pariter atque cõprobata fuiſſet, tot ſeculis aduerſus hæreticorum fraudulentã audaciã firma atque inconcuſſa perduraſſet. Quis autem ſapiẽs atque cordatus vir, ſi vllum fidei & religionis aſſertorẽ ac vindicem probat, non D. Aurelium Auguſtinum, amet, colat, atque commendet quàm maximè? deinde ſi vllam omninò Confeſſionem ſibi amplectendam cenſet, non Auguſtinianam cæteris anteponat? Habet auctorem longè grauiſsimum cum nemine nouatorũ, propter eius in omni laudum genere excellentiã comparandum: habet ſynceræ veritatis, Catholicæque doctrinæ teſtem, omni exceptione maiorem, & qui nõ de ſua tantùm, ſed & de communi antiquorum Patrum, & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſtanti atque ſtabili Confeſſione, nos bona fide reddat certiores. Habet non modò virum ſanctum, verũ etiam Eccleſiæ Theologũ atque Doctorẽ: qui ab odio & amore partium penitus alienus benè præclaréque apud oẽs, ſuo merito audit,

colitur atque celebratur. Habet Eccleſiæ diuinitus datum paſtorem & Epiſcopum, in quo iure miretur tota poſteritas ingenii acrimoniam, doctrinæ ſoliditatem, ſacræ ſcripturæ peritiam, in diſſerendo ſubtilitatem, in aſſerendo conſtantiam, in iudicando ſapientiam, in viuendo ſanctimoniam, in agendo fidem & induſtriam ſingularem. Habet ſynceriſſimum Euangelii præconẽ, verbi diuini ſolidiſsimum interpretem, veritatis & gratiæ fideliſsimum aſſertorem, Apoſtolicæ vitæ ſimul & doctrinæ diligentiſsimum cuſtodem, mirandæ in ſcribendo & docendo induſtriæ, paritérque ſingularis modeſtiæ virum, támque veritatis amantem, vt ſiquæ minus commodè dicta ſuis ipſe ſcriptis admiſcuit, ea publicè duobus libris editis non ſit veritus retractare. Viuat igitur & vigeat, ſi vllus hodie cum ſua confeſsione vigere poteſt, vigeat, inquam, apud omnes qui rectè ſapiunt, ſuæque ſaluti benè conſultum volunt, D. AVRELIVS AVGVSTINVS: vigeat Auguſtiniana verè aurea atque auguſta Confeſsio.

Accedit autem ad hæc omnia, quod ipſum non mediocriter ad conficiendam Auguſtinianam nos impellere atque inflãmare potuit, quod ſectarij cùm honoré nullũ, aut certè perexiguũ Patribus deferant, eoſdémque vno nomine oẽs nihil niſi homines fallacéſq; ſæpe hoïes videri velint, vnũ ferè ſemper Auguſtinũ excipiũt, & honorãt maximè: hunc tanq̃ piæ doctrinæ fidelem magiſtrum colunt, obſeruántque: eundem Apoſtolo Paulo vel proximum faciunt, & nunq̃ non ſuis partibus conantur adiungere. Vbi de iuſtificatione diſputatio incidit, nullum quàm Auguſtinum in ſuæ partis patrocinium frequentius adducũt. Similiter vbi de Euchariſtia & ſacroſancto Chriſti corpore à Sacramẽtariis quæſtio mouetur, Auguſtinus primus ſemper atque vltimus in ore eſt, quaſi is ad iam olim damnatam Berengarianã hæreſin furioſiſsimè reſtaurandam, aliquam audaciſsimis hominibus anſam præbeat. Eò igitur magis optabamus, diſcuſsis falſitatis tenebris, lucẽ veritatis oſtendi, & tam vanam de Auguſtino gloriandi occaſionem Eccleſiæ hoſtibus eripi: fideliſsimúmque Chriſtianæ veritatis patronum, ab erroris & impietatis nota,



nota, quam homines mente perditi inurere illi ſtudent, vindicari.

Reliquum eſt iam iis vt reſpondeamus, qui noſtrum inſtitutum idcirco fortaſſè reprehendent, quòd nõ omnia prorſus ex propriis & communi calculo approbatis Auguſtini operibus adferamus: ſed interdum etiam ex aliis, quæ tametſi Auguſtino paſſim inſcribantur, alterius tamen ea auctoris eſſe, opinio probabilis eſſe poteſt. Nos ergo vt neque omnia, quæ in decem Tomis, Auguſtini nomine, hodie circumferũtur, eius germana & γνήσια opera eſſe affirmamus: ita neque illis omnino cenſoribus acquieſcimus vel aſſentimur: qui leuibus perſuaſi coniecturis, atque cenſoriæ grauitatis obliti, de rebus dubiis vel etiam ignotis leuiſsimè pronunciant: ſibique in cenſendis veterum libris tantum ſuperciliũ aſſumunt, arrogant, & vſurpant, vt quod olim in Homeri verſibus factitatũ ab Ariſtarcho ſcribit Cicero, palato ſuo ſingula metientes, eum librum Auguſtini eſſe affirment, quem quoquo modo probẽt, eum abiudicent, quem quoquo modo improbẽt. Eſto non ſint Auguſtini libri omnes qui Auguſtini nomen habent inſcriptum: at certè quidem, æqualium D. Auguſtini pleraque ſunt: doctorum iuxta atque piorũ hominum planè omnia, & qui multorum etiam iudicio comprobati, vt plurimum antiquæ religionis teſtes nobis atque nuncii eſſe poſſunt. Scio aduerſarios huiuſmodi auctoritate librorũ, quibus tamen quàm parciſſimè, & non niſi magna cautela vtimur, illibenter vrgeri, propterea quod aliis etiam auctoribus, vtpote, ſi de ſermonibus vel homiliis quæſtio eſt, Maximo Taurinenſi, Ambroſio vel Cypriano: ſi de tractatibus atque integris libris, Proſpero, Fulgentio, Gennadio, nõnulla etiã Anſelmo, & fortaſsè Auguſtino Anglorũ Apoſtolo aſcribãtur. Quid verò, ſi eorũ quæ in hac Auguſtiniana citantur pauca quædam, propterea quòd incertos auctores habent ad ſectariorum redarguẽdas opiniones non plurimum conferant? certè non deerunt pii ſimul & docti viri, qui libros illos, quicquid demum alii diſcordi opinione de illis ſentiant Auguſtinianos eſſe ſinant & iudicent: eorundémque lectione non

modò non delectentur, verùm etiam adiuuentur, Poteram dicere, id quod aduerſarij nobis vitio vertunt, ab ipſis multò etiam audacius & inconſultius perpetrari, & iam antea ſæpe perpetratum fuiſſe, dum in Confeſſionibus ſuis paſſim, in epitome Geneuæ nuper edita, iis ipſis in libris, in quibus alios ſimilem ob cauſam quaſi reos peragunt, ex diuerſis tractatibus, de quibus an Auguſtini ſint dubitari meritò poteſt, multa teſtimonia ſunt mutuati. Sed aduerſarios omitto, factum ipſum intueor.

Extra controuerſiam illud in primis eſt, Auguſtini libros atque opera eſſe, quæ ipſe ſibi in Retractationibus aſcribit, atque agnoſcit pro ſuis. Sed neque idcirco negari poteſt, ab Auguſtino plura eſſe conſcripta, quã ipſe retractando nominatim recenſeat: ex quibus communi omnium planè ſententia Auguſtini habentur: liber de prædeſtinatione ſanctorum, & qui eidem coniungitur de bono perſeuerantiæ: Item de perfectione iuſtitiæ contra Cœleſtium, quorum omnium meminit B. Proſper, in fine de libero arbitrio contra Collatorem: poſterioris etiam Fulgentius lib. 1. ad Monimum, quæſt. 1. Præterea liber quæſtionum Euangelicarũ ſuper Matthæum, contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum libri quatuor, atteſtante id Poſſidonio in vita Auguſtini cap. 17. Ad hæc liber contra Fulgentiũ Donatiſtam, & qui inſcribitur Speculum ſcripturarum: Ad Pinianum item Albinianum & Melanianum contra quæſtiones Pelagii, & qui hodie non extat, ad Aurelium de geſtis Paleſtinis liber vnus. Ad extremum epiſtolæ & homiliæ. Cui rei præterquàm quòd Eraſmus, quamuis rigidus cenſor in cæteris aſtipulatur: Victor quoque Vuandalicæ hiſtoriæ lib. primo, Poſſidonius in Indiculo, atque adeò Auguſtinus ipſe in Epilogo ſuarum retractationum, abundè teſtimonio eſt. Scribit enim in hæc verba. Hæc opera nonaginta quatuor in libris ducentis triginta duobus me dictaſſe recolui, quando hæc retractaui, vtrum aliquos adhuc eſſem dictaturus ignorans, atque ipſam eorum retractationem in libris duobus edidi vrgentibus fratribus antequam epiſtolas ac ſermones ad populũ, alios dictatos, alios à me dictos, retractare cœpiſſem. Hæc ille. Epiſtolarum aũt ac ſermonum nomine magnos ſæpe tractatus atque libros in Auguſtini quoque ſcriptis ſignificari vſque adeò in confeſſo eſt, vt Eraſmus hoc vno fretus, multa ex epiſtolarum & ſermonum magnis illis voluminibus, contra veterum exemplarium fidem, ſeparatim inter maiores tractatus collocarit, & contrà qui ſeparatim tanquam tractatus quidam editi fuerant ab Auguſtino, ea fraude quam poſtea dicemus epiſtolis atque ſermonibus accumularit. Atque hinc eſt quod Poſſidonius quoque Auguſtini coætaneus & familiaris, Indiculũ ſuum concludit in hæc verba: Memoratus ſanctus Auguſtinus Epiſcopus ſpiritu diuino actus, in ſancta Eccleſia Catholica ad inſtructionem animarum fecit libros, tractatus, epiſtolas numero mille triginta, exceptis iis qui numerari non poſſunt, quia nec numerum deſignauit ipſorũ. Sed & Gennadius: Auguſtinus Afer Hipponenſis oppidi Epiſcopus, vir eruditione diuina & humana orbi clarus, fide integer & vita purus, ſcripſit quanta nec inueniri poſſunt. Quis ergo glorietur omnia ſe illius habere: aut quis tanto ſtudio legat, quanto ille ſcripſit? Hæc Gennadius.

Sed dicet aliquis, ſi libros, tractatus, epiſtolas, numero mille compoſuit Auguſtinus, imò, vt intelligamus mille pro incerto numero poſitum, quanta nec inueniri poſſunt: ſi præterea nec ipſe in Retractationibus incertus quid poſtea ſcripturus eſſet, quid in Epiſtolarum atque ſermonum numero reconditũ haberet, omnia recenſuit: quibus tandem veſtigiis atque coniecturis, ad aliquam non improbabilem de libris Auguſtini cenſuram perueniemus? Certè quæ à Poſſidonio Auguſtini nomine in Indiculo numerantur, cùm & Auguſtinus ipſe lib. 2. Retract. cap. 41. eiuſdem Indiculi fecerit mentionem, quin ſint illius omnia nemini relinquitur dubitandi locus: Sed & ſi quæ alia conſimilia, à B. Proſpero, Fulgentio, Beda: inde verò & à Gratiano, Lombardo, Lanfranco, aliiſque ſui temporis eruditiſſimis iuxtà atque pientiſſimis viris iam olim tributa ſunt, ea certè pondus aliquod apud nos habere & poſſunt & debent, præſertim verò vbi doctrinæ cum

aliis Auguſtini libris conformitas magna eſt: ſententiarum quoque dictioniſque figura,rerum ordo, argumentandi ſubtilitas, peritia ſcripturarum, & hiſtoricæ narrationes,non planiſſimè diſcordant:quæ tamen poſteriora,vbi ſola deſiderari poſſunt, incertam ſanè & infirmam non rarò probationem adferunt, cùm conſtet multa ſæpè intercedere, quæ tum in ſcribentium ætate,tum argumentorum & perſonarum,cum quibus agitur,diuerſitate poſita,ſtylum etſi exercitatiſsimi in ſcribendo viri,ſæpè commutent.

Supereſt,vt illis reſpondeamus, qui ad Eraſmi cenſuram,tanquam certam omnia regulam exigunt, & idcirco in quibuſdam, inſcriptis Auguſtini nomine libris, recipiendis ſeſe exhibent moroſiores. A quibus nos primùm rogamus ac petimus, Quis Eraſmum veterum Patrum iudicé cenſorémque in tam ſublimi cathedra collocarit,vt is de Patrum ſcriptis pro ſuo quidem arbitrio, & nonnunq̃ ſine candore poſsit liberè pronunciare atque conſtituere? Nos quidem Eraſmo & ingenii & humaniorum literarum laudem non exiguam tribuimus:non vulgarem inſuper illi linguarum peritiam, variam lectionem & eloquentiam concedimus:quem etiã credimus,ſi ſeſe in humanioribus ſtudiis continuiſſet,maiorem multò de rep.laudem referre potuiſſe,quàm retulit. Verùm enimuerò neſcio qua temeritate ne dicam an gloriæ cupiditate factum eſt,vt idem extra fines ſuos egreſſus, ſæpenumero laberetur, dum neque Philoſophiæ, neque Theologiæ peritiſsimus, in ſacris literis & Patrum ſcriptis confidentius agit,ac minorem adhibet animi ſubmiſsionem, quàm res diuinæ & Eccleſiæ iura ferant. Notatur igitur à doctis & in multis non leuiter hallucinatus fuiſſe deprehenditur. Vt enim Alberti Pii, Natalis Bedæ, Titelmanni, Sepuluedæ, aliorúmque ſimilium de ſcriptis Eraſmicis cenſuras prætereamus, exiit non ita pridem Marianus Victorius, qui commentariis editis in tres priores Hieronymi tomos, ſexcentos & eò amplius errores, quos Eraſmus iiſdem illis ſiue interpretandis, ſiue peſsimè emendandis infarciuerat, doctiſsimè redarguit. Veniam ad Auguſtinum, & indicabo breuiter errores eos, quos legendis Auguſtini libris, nobis aliud agentibus animaduertere contigit, idque non cauſa vel obſcurandi,vel traducendi nomen Eraſmianum, ſed vt falſa ex eorum animis euellatur opinio, qui cenſuras Eraſmicas oraculi inſtar habent, neque vltra quid in diiudicandis Auguſtini libris requirendum putant.

Tomo primo, extat libellus qui inſcribitur regula D. Auguſtini,cui talem præfixit cenſuram Eraſmus, vt non modò regulam,tanquam ab Auguſtino viris non editam,ſit calumniatus, ſed etiam negauerit Auguſtinum monachum, & iam olim monachos Auguſtino ſuperſtite votis obſtringi ſolitos fuiſſe. Aduerſus quam fallacem, imperitam, vanam cenſuram, præterquam quòd doctiſsimus Theologus Pariſienſis Ricardus Cenomanus, antidotum in editione Pariſienſi dedit, nos quoque in hac noſtra Auguſtiniana,ſuo loco non pauca in medium adferemus.

Tomo ſecundo,Epiſtolam 38.ad Lætum,atque item 45.ad Armentarium, Eraſmus non Auguſtino, ſed Paulino potius attribuit: contrà, Poſsidonius in Indiculo vtranque non Paulino adiudicat, ſed Auguſtino: cũ quo & Beda concordat in 1. Tim.5.& 2. Cor.5. Harum epiſtolarum prior, fluctuantem monachum hortatur, vt in ſancto propoſito fortiter perſeueret: poſterior coniugatos virum & fœminam, ad eandem monaſticam perfectionem, & caſtitatis obſeruationẽ, quam ex communi conſenſu Deo vouerant, ſimiliter prouocat,& quàm vehementiſsimè impellit.

Tomo tertio,librum qui inſcribitur, Sententiæ decerptæ ex Auguſtino, non exiſtimat Eraſmus ex vnius Auguſtini, ſed aliorum quoque libris per ſtudioſum aliquem eſſe collectum. Liber per B. Proſperũ Aquitanicum collectus eſt, & quidem ſi illi ipſi Proſpero credimus, ex Auguſtino,neque modò collectus, verùm etiam eodem planè ſententiarum ordine,elegantiſsimo carmine redditus.

Tomo quarto,liber de bono viduitatis,ad Iulianam ſcriptus,vt Auguſtini eſſe dicatur,non placet Eraſmo, ſed Iuliano eum aſcribit. Cui cenſuræ Poſsidonius

in Indiculo reclamat, quem ſuo more ſequitur Beda in 1.Cor.7.Phil.4.& 1.Timoth. 5. Sed & ipſe libri auctor Auguſtinum eſſe ſe apertiſsimè declarat. Siquidem cap. 15. tractatum de ſancta virginitate, & libros contra Fauſtum Manichæum, à ſe compoſitos aſſerit & affirmat. Reprehendit Eraſmus inſcriptionem libri: Auguſtinus Epiſcopus ſeruus Chriſti ſeruorúmque Chriſti, religioſæ famulæ Dei Iulianæ in Domino Dominorum ſalutem: ſed idem ipſe non recordatur, Aug.epiſt.121.eodem planè titulo, nullo penitus verbo, præterquam Iulianæ, in nomen alterius mulieris Probæ, commutato, vſum fuiſſe, neque ideò tamen illam epiſtolam aut à ſe aut ab alio quoquam fuiſſe reprehenſam.

Iam verò quid attinebat, librum 83.quęſtionum, toti notiſsimum vetuſtati, ſuſpectum noua reddere cenſura? Hunc ſuum eſſe partum lib.1.retract.cap.26. Auguſtinus agnoſcit, & Poſsidonius eius libri quæſtiones omnes ſigillatim in ſuo recenſet Indiculo. Abiudicat Eraſmus & lib.de Trinitate & vnitate Dei, quaſi qui vix benè Latinus illi videatur: & tamen hic liber mutato titulo, & duobus tantùm ademptis prioribus capitibus, idem prorſus cum illo eſt, qui Tomo ſexto contra ſermonem Arrianorum inſcribitur: retractatúrque ab Aug.retract. lib.2. cap. 52. Vt omittam quòd eundem ipſum librum & Lanfrancus lib. de corpore & ſanguine Domini, & ante Lanfrancum Beda 1.Cor.1.citarit nomine Auguſtini.

Tomo ſexto, liber ſiue tractatus de quinque hæreſibus, an ſit Auguſtini, Eraſmus dubitat, Poſsidonius nō dubitat, vt taceam quòd etiam Beda eo, vt Auguſtini libro vtitur in cap.1.ad Romanos. Simili errore, tractatum de eo quod dictum eſt à Deo ad Moyſen: Ego ſum qui ſum: inter ſermones Auguſtini habendum negat, cùm Poſsidonius contrarium affirmet.

Tomo nono, tres omnium vtiliſsimos tractatus, è Catalogo librorum Auguſtini tollendos Eraſmus iudicat: vnum de pœnitentiæ medicina: alterum de vtilitate pœnitētiæ: tertiū de vtilitate ieiunii. Atqui tractatus de pœnitētię medicina, cū homilia quinquageſimæ atque item alter de vtilitate pœnitentiæ, cum homilia eiuſdem Aug.27. ad verbum penè, nulla mutata ſententia, eadem ſunt: Homiliarum autem librum, qui habetur Tomo decimo, neque Eraſmus Auguſtini eſſe negat, & per ſingulas partes cùm à Poſſidonio, tum à veteribus plæriſque citatur. Tractatus eius, qui eſt de vtilitate ieiunij, etiam ſeparatim Poſſidonius in Indiculo meminit.

Tomo decimo, non iam imprudenter, vt in cæteris, ſed maliciosè monachorum odio factum videri poteſt: quòd tractatus duos de communi vita & moribus clericorum, & eos quidem vtiliſſimos, vt qui originem & inſtituta monaſticæ vitæ fideliſſimè docent, proprio loco motos atque inter eos ſermones, qui ad fratres in eremo inſcribuntur, non ſine fraude coniectos, tātùm non nigro θ tanquam incendij reos, vnà cum pleriſque illorum ignominiosè prænotarit: cùm tamen nec ipſe eos ab Auguſtino cōpoſitos neget, nec Poſſidonius in Indiculo, niſi Aug.eos ſermones eſſe clamitet: Quæ ſi non eſſent, adhuc tamen ſufficeret, eoſdem ad verbum, integros omninò, Auguſtini nomine allegari in Concilio Aquiſgranenſi, cap.112. & 113. quod celebratum eſt ſub Ludouico primo, anno 816. Complures alios & Poſſidonius in Indiculo, & alij veterum frequentiſſimè citant, quos tamen Eraſmus, nullo prorſus conſilio, ſed peruerſa quadam libidine abiudicat: vt eſt tractatus de Epicureis, de caritate, de patientia, de continentia: ex quorum poſtremo duo integra capita D. Eugyppius Tom.2. citat. Cæteras omnes Eraſmi cenſuras, quibus ille Auguſtini tractatus, ſermones præſertim, vel licenter tranſpoſuit, vel malignè ſuppreſſit, vel nigro θ notatos, tāquam adulterinos haberi voluit, per ocium excutere, & ad viuum, vt aiunt, reſecare, maioris eſt ſanè operis, quàm quod præfatione vna atque item altera expediri poſſit. Ego quod ad inſtituti mei rationem attinet, arbitror lectori æquo & candido, factum eſſe à me ſatis, nempe vt intelligat: quanto melius & ſuo nomini, & ſtudioſorum vtilitati Eraſmus cōſulturus fuiſſet, ſi ſuo ſe pede metiens, fidelem imitatorem & diſcipulū potius, quàm præcipitem correctorē,

& tam audacem veterum Theologorum iudicem præſtare voluiſſet.

Cæterùm vt ad Auguſtinianam noſtram redeamus, candidum Lectorem hortamur, vt libros Auguſtini, veluti fontes omni tempore ſaluberrimos petat: tum Auguſtinianum ſpiritum non modò frequenti lectione, ſed & pia meditatione, & religioſa vitæ exercitatione, imbibat, nutriat, oſtendat, tueatur atque confirmet: ex Auguſtini libris veræ fidei atque Catholicæ doctrinæ confeſſionem hauriat, atque Apoſtolici præcepti memor, certet bonum certamen fidei, & confiteatur bonam confeſſionem, quam & indeclinabilem teneat. Nam quod ſuo iam tum ſeculo ſcripſit Hilarius, ad noſtrum vel maximè pertinet: Periculoſum, inquit, admodum atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt: dum aut fides ita ſcribuntur, vt volumus, aut, ita vt volumus, intelliguntur. Vale.

# RATIO SECVNDÆ EDITIONIS AD EVNDEM Lectorem.

*SVPERIORI anno cùm eſſemus Dilingæ, exijt à nobis Auguſtiniana, quam ſucciſiuis horis raptim collectam nō dubitabamus theologiæ ſtudioſis gratam pariter atque vtilem futurā: Eam non poſt multos menſes diſtractis exemplaribus, admoniti à viris doctis & pijs, cùm iam pluſculum otij ad eam rem nacti fuiſſemus, denuò ſumpſimus in manus. Pronuntiata quæ erant, aliquanto, ni fallor, commodiori ordine diſtinximus, & pleraque alia inſuper addidimus noua: in iis ſi quis erat locus, ad controuerſias pertinens, obſcurior in Auguſtino, ſcholiis, prout res poſtulare videbatur, interdum breuiori, interdum verò prolixiori illuſtrauimus. Integra quoque capita adiecimus ad ſingulos libros, de officio Magiſtratus aduerſus hæreticos, de fide & operibus, de baptiſmo paruulorum, de Antichriſto extremíque mundi temporibus. Præterea ex his quæ prius edita fuerant, multa quoq; attentius conſiderauimus, contraximus, confirmauimus, declarauimus. Acceßit index ſcripturarum: vtilis imprimis aduerſus eos qui ſcripturarum, vt ſibi videtur, auctoritate ſubnixi, Auguſtini doctrinam tanquam humanam audent ex alto contemnere: non intelligentes ex omni antiquitate eſſe neminem, qui ſcripturis magis inſtructus atque ornatus incedat quàm Auguſtinus. Quid quod pronuntiatorū verba, maximè quæ in ſecundo & tertio libro erant, vbi Auguſtini ſententiæ id patiebantur, multorum conſilio & auctoritate adducti, transformauimus in verba Concilij Tridētini: non quòd ea quæ prius fuerant à ſenſu & conſenſu Catholicæ Eccleſiæ eſſent aliena, ſed vt maior præſentis Eccleſiæ Catholicæ, quæ per os œcumenici Concilij loquitur, conformitas cum antiquitate appareret, lucidiúſque aduerſariorum, qui in controuerſia quæ eſt de iuſtificatione, Auguſtinum ſibi fauere iactitant, impudētia inclareſceret. Nota ſunt Philippi Melanchthonis verba. In hac Schola Vvitenbergenſi præcipuè grata Auguſtini mētionem eſſe decet, in qua Auguſtinus quaſi*

In declamatione de S. Auguſtino.

*renatus eſt: & eius doctrina, quæ iacuit obruta denſiſſimis tenebris, nõ ſolùm reſtituta eſt, ſed etiã lumen accepit: quæ cùm ſit neceſſaria Eccleſiæ, meritò Auguſtinum amare debemus, qui cœleſtem illũ theſaurum præcipue conſeruauit. Et paulò infrà: Ornatus eſt Auguſtinus miraculis quibuſdam, expulit dæmones, & quoſdã ægrotos ſanauit. Sed hæc ſunt longè præſtantiora miracula. Succeſſus in gubernatione, & hæc iudicij rectitudo & fidei conſtantia, quòd vidit Pauli ſententiã de lege, de peccato, de iuſtitia fidei. Tanta fuerat caligo, vt nec ſermonis genus in ſacris literis intelligeretur. Hæc ipſa vocabula quæ ſunt præcipua in Eccleſia, quas res propriè ſignificarẽt ignorabãtur: Lex, Euãgelium, peccatum, gratia, fides, litera, ſpiritus. Hæ tantæ tenebræ depulſæ ſunt, Auguſtini opera, qui quidẽ illas tantas res perſpicere & iudicare nõ potuiſſet, niſi exercitia peculiaria ſpiritus deguſtaſſet. Cùm autẽ maximè opus ſit Eccleſiæ, vera illorum locorũ explicatione, decet nos omnes agnoſcere Dei beneficiũ, cuius donũ erat, doctrinæ renouatio. Debetur & ipſi Auguſtino gratia, qui literis mandauit verã interpretationẽ, vt poſteritatẽ admoneret. Hucuſq; Philippus. Amplius*

Lib.3. inſti. cap.3.

*etiã Caluinus Auguſtino tribuit, qui cenſet ab eodem omnem antiquitatis de iuſtificatione doctrinã, compendioſius traditam. Neque opus eſt (inquit) inueſtigãdo laborare, quid veteres ſenſerint, quãdo vnus Auguſtinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter magnaq; cum diligentia omniũ ſententias collegit. Ex illo igitur ſumãt lectores ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi voluerint. Hæc Caluinus, ipſe ſuo ſe iugulãs gladio. Auguſtini nãque, vt in cõtrouerſiis cæteris, ita de hominis iuſtificatione, doctrina nõ eſt alia, atq; à Tridẽtino Concilio tradita, iã inde à tẽporibus Apoſtolorũ, ac deinceps Auguſtini, toto orbe cõſtantiſſimè docetur atq; in Eccleſia Chriſti defenditur. Deſiderabãt à nobis viri docti & pij, vt ex aliorũ quoq; antiquiſſimorũ Patrum Ambroſij, Hieronymi, Gregorij immẽſis voluminibus, vel ad marginẽ ſaltem cõſenſum adnotaremus, quod nõ erat futurũ ita difficile, ſed quia Hieronymianã magna iam ex parte collectã nouimus atque propediẽ in lucem ſimiliter exiturã ſperamus: exiſtimamus multò id eſſe cõducibilius, ſingulorũ patrum ſingulas cõfeſſiones per otium cudi, atque mendaciſſimis noſtri tẽporis hæreticorum confeſſionibus opponi. Vale lector & quicquid eſt noui operis, quod ſine ingenti labore confici non potuit, æqui bonique conſule.*

# TESTIMONIA VETERVM

## *PATRVM, DE PRAESTANTISſimo Eccleſiæ Doctore B. Aurelio Auguſtino, eiúſque grauiſſimis & laudatiſſimis monumentis.*

### *HIERONYMVS.*

Claruit Anno 422.

DOmino ſancto ac beatiſſimo Papæ Auguſtino, Hieronymus. Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus ſum, & habitantem in te dilexi Dominum Saluatorem, ſed nunc, ſi fieri poteſt, cumulo aliquid addimus: & plena complemus, vt abſque tui nominis mentione ne vnam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perſtitiſti, maluiſtíque, quantum in te fuit, ſolus liberari de Sodomis, quàm cum pereuntibus cõmorari. Scit quid dicã prudẽtia tua. Macte virtute in orbe celebraris, Catholici te conditorẽ antiquæ rurſum fidei venerãtur atque ſuſpiciũt: & quod ſignũ maioris gloriæ eſt, omnes hęretici deteſtãtur: & me pari perſequũtur odio, vt quos gladiis nequeũt, voto interficiãt. Incolumẽ & mei memorẽ te Chriſti Domini clemẽtia tueatur, Domine venerãde & beatiſs. Papa. *Eſt epiſt. Hieronymi ad Auguſtinum, quæ in Tom. 2. operum eiuſdem Aug. eſt 25.*

### PAVLINVS EPISCOPVS NOLANVS.

Vixit Anno 420.

O vere ſal terræ, quo præcordia noſtra ne poſſint ſeculi vaneſcere errore cõdiuntur. O lucerna dignè ſupra candelabrũ Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis vrbibus de ſeptiformi * ligno paſtũ oleo lętitiæ lumen effundẽs, denſas licet hæreticorũ caligines diſcutis, & lucem veritatis à cõfuſione tenebrarũ ſplendore clarifici ſermonis enubilas &c. Os enim tuũ fiſtulam aquæ viuæ & venã fontis æterni meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ ſaliẽtis in vitã æternam Chriſtus effectus eſt, cuius deſiderio ſitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis inebriari terra mea cõcupiuit. *Ex epiſtola Paulini ad Aug. quæ in Tom. 2. operum eiuſdem Aug. eſt 31.*

* *aliàs* lino.

## SEVERVS SVLPITIVS

*Claruit Anno 420.* O verè artificioſa apis Dei, conſtruēs fauos diuini nectaris plenos, manantes miſericordiam & veritatem, per quos diſcurrens deliciatur anima mea, & vitali paſtu quicquid in ſe minus inuenit, aut imbecillum ſentit, reſarcire & ſuffulcire molitur. *Ex Epiſtola Seueri ad Auguſtinum, quæ eſt in Tom. 2. operum eiuſdem Auguſt. 37.*

## CAELESTINVS PONTIFEX.

*Claruit Anno 433.* Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. *In Epiſtola ad quoſdam Galliarum Epiſcopos: habetur Tom 1. Conciliorum.*

## PROSPER EPISCOPVS Reginenſis.

*Claruit Anno 460.* S. Auguſtinus Epiſcopus acer ingenio, ſuauis eloquio, ſecularis literaturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus, in quotidianis diſputationibus clarus, in omni ſua actione compoſitus, in expoſitione ſua fidei noſtræ Catholicus, in quæſtionibus abſoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circumſpectus, & in explicandis ſcripturis Canonicis cautus. *Lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 31.* Auguſtinus præcipua in hoc tempore portio Domini ſacerdotum. *Epiſtola de gratia & libero arb. ad Ruffinum.*

## POSSIDONIVS EPISCOPVS Calamenſis.

*Claruit tempore Auguſtini, quo & familiariter vſus eſt annis fermè quadraginta* Tanta autem ab eodē dictata & edita ſunt, tātáque in Eccleſia diſputata, excepta atq; emendata, vel aduerſus diuerſos hæreticos cōſcripta, vel ex Canonicis libris expoſita ad ædificationem ſanctorum Eccleſiæ filiorum, vt ea vix quiſquam ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat. *In vita D. Auguſtini, quam habes in Tom. 1. operum eiuſdem cap. 7.*

## HILARIVS EPISCOPVS Arelaten.

Doctor excellentiſſimus Auguſtinus, defenſor fidei noſtræ, in Diuina meditatione ſemper aſſiduus, metu mortis intrepidus, deſtruxit ſacrilegos, atque ſuperauit hæreticos. *In Epiſtola quadam ad Amatum diaconum.* *Claruit Anno 440.*

## GREGORIVS MAGNVS.

Si delicioſo cupitis pabulo ſaginari, B. Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius, noſtrum furfurem non quæratis. *Ex Regiſtro, lib. 8. Epiſt. 37.* *Claruit Anno 591.*

## VICTOR EPISCOPVS.

Qua tempeſtate Hippone Regium obſeſſa fuit ciuitas, quam omni laude dignus B. Auguſtinus librorum multorum confector Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod vbertim per omnes campos Eccleſiæ decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen, atque dulcedo ſuauitatis propinata, in amaritudinem abſinthij verſa eſt: vt Dauidicum præconium conueniret: * Dum cōſiſteret peccator aduerſum me, obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Vſque ad illud tempus, ducentos iam triginta & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus Epiſtolis, vel expoſitione totius Pſalterij & Euangeliorū atque Tractatibus popularibus, quas Græci homilias vocant, quorum numerum comprehendere ſatis impoſſibile eſt. *Lib. 1. perſecutionis VVandalicæ.* *Claruit (vt creditur) Anno 540.*

** Pſalm. 38.*

## CASSIODORVS SENATOR.

Eſt enim literarum omnium egregius Magiſter: & (quod in vbertate rarum eſt) cautiſſimus diſputator. Decurrit quippe tanquam fons puriſſimus, nulla fece pollutus: ſed in integritate fidei perſeuerans, neſcit hæreticis locum dare, vnde ſeſe poſſint aliqua colluctatione defendere. Totus Catholicus, totus Orthodoxus inuenitur: & in Eccleſia Domini ſuauiſſimo nitore re- *Claruit Anno 575.*

ſplendens : ſuperni luminis claritate radiat. *In Prologo ſuper Pſalterium.*

*Claruit Anno 734.*

## VENERABILIS BEDA.

Beatus Auguſtinus Hipponēſis Epiſcopus, & omniū Doctor eximius Eccleſiarum, ne ciuitatis ſuæ ruinam videret, tertio obſidionis eius menſe migrauit ad Dominum, quinto Cal. Septēb. cùm vixiſſet annis ſeptuaginta ſex : in clericatu autem vel Epiſcopatu annos fermè quadraginta compleſſet. *Lib. de ſex ætatibus mundi.*

*Claruit Anno 880.*

## REMIGIVS ANTISIODOrenſis.

Sicut ſol in lumine excedit omnes planetas, ita Auguſtinus omnes exceſſit in exponēdo ſacras ſcripturas. *In comment. ſuper 2. ad Corinth.*

*Claruit Anno 1140.*

## BERNARDVS ABBAS Clareuallenſis.

*Claruit Anno 1120.*

Auguſtinus eſt validiſſimus malleus hæreticorum. *Ser. 80. ſuper Cantica.*

## RVPERTVS ABBAS Tuitienſis,

In Auguſtino ſpiritus manifeſtè operatus eſt, quod ſe dignum fuit ad laudem ſuam, ad Eccleſiæ ſuæ defenſionem, Catholicæ fidei perpetuámque munitionem. Iſte eſt Auguſtinus, columna & firmamentum veritatis, & verè columnà nobis, in qua thronum ſuum poſuit ſapientia Dei. *Lib. 7. de operibus Spiritus ſancti, cap. 19.*

## SACROSANCTA SYNODVS œcumenica Florentina.

Auguſtinum illuſtriſſimum Latinorum doctorum Quinta Synodus conſecrauit. *Habetur in Seſſ. 7.*

# INDEX QVATVOR LIBRORVM AVGVSTINIANAE CONFESSIONIS, & quæ in his ordine tractantur, capitum & ſub capitibus Propoſitionū ſiue Titulorum.

⁂

## *LIBRI PRIMI, QVI IN* XIII. CAPITA EST *diſtributus.*

### *Caput primum, de Deo, ſequentes Propoſitiones complectens.*


1. Deum eſſe ne Paganis quidem fuiſſe incognitū. fol. 1
2. Quid ſit De', ineffabile nobis eſſe, & incōprehēſibile. ib.
3. Quis homini de Deo ſenſus habendus ſit. 2
4. Deum omnipotentem eſſe. 4
5. Dei prouidentia omnia regi. 5
6. Deum eſſe vbique. 6
7. Deum ſummum eſſe bonū, in quo vita beata cōſiſtat. 7


### *Caput ſecundum de Trinitate & vnitate Dei.*


1. In diuinis eſſe Trinitatē perſonarū, & vnitatē eſſētiæ. 8
2. In diuinis quāuis plures perſonæ diſtinctæ ſint, nō tamē plures Deos, ſed vnum eſſe Deum. 9
3. In Deo eſſe tres perſonas ſeu hypoſtaſes, & vnam numero eſſentiam. 10
4. Simplicē eſſe in perſonarū Trinitate Deitatis eſſētiā. 11
5. Subſtātialia nomina in diuinis ſingulari numero de tribus coniunctim perſonis eſſe intelligenda. Ibid.
6. Latriā æqualiter deberi & Patri, & Filio, & Sp. ſancto. 13
7. Quomodo ſoluendi cauilli hæreticorum, qui plures eſſentias in Diuinis inuehunt. 14
8. In Trinitate non eſſe diuerſitatem gradus aut operationis, ad extra, vt Scholaſtici vocant. 16

9. Hæreticos eſſe, qui Filium aut Spiritũ ſanctum creaturã, aut minorem Patre, aut diuerſæ ab eo eſſentiæ ponunt. 17.

*Caput tertium, de Deo Patre.*

1. Ipſum eſſe Patrem qui Filius, hæreſim fuiſſe Noëtianorum & Sabellianorum. 17
2. Patrem non eſſe maiorem Filio ſecundùm diuinitatem. 18.
3. Quod ab æterno Pater genuit Filium. 19
4. Iniuriam eos inferre Patri, qui conſubſtantialem negant Filium. 20
5. Quomodo ſoluendi cauilli hæreticorum, qui Filium à Patre ab æterno genitum negant. 22
6. Non ſolam perſonam Patris, ſed totam Trinitatem vnicum & verum & ſolum Deum eſſe & nominari. 22

*Caput quartum, de Chriſto vero Deo & Homine.*

1. Chriſtum eundem verum eſſe Deum Patri coæternum, & verum hominem in tempore. 24
2. Chriſtum verum Deum nihil læſa diuinitate, integram ſuſcepiſſe naturam humanam. ibid.
3. Humanitatem & Diuinitatem in vnã conueniſſe Chriſti perſonam. 25
4. Naturam humanam in perſona Chriſti, nullo modo cum eius diuinitate fuiſſe confuſam. 26
5. Recenſentur hæreſes, quæ Chriſti diuinitati aduerſantur. 27
6. Commemorantur hæreſes, quæ cum vera Chriſti humanitate pugnant. 28
7. Chriſto Deo & homine Mediatore opus fuiſſe. ibidem
8. Sine Chriſto mediatore neminem ſaluari. 29
9. Chriſtum interpellationis ratione mediatorem etiam, ſeu aduocatum appellari. 30
10. Humanitas in Chriſto qua ratione adoranda. 31
11. Chriſtum paſſum fuiſſe ſecundùm humanam naturam, non ſecundùm Diuinam. 32
12. Chriſtum ſecundùm animam verè deſcendiſſe ad inferos. 33





13. Animã Chriſti apud inferos nullos dolores paſſã fuiſſe. 34
14. Chriſtum ſecundùm diuinam naturam eſſe vbique, non tamen ſecundùm humanam. ibidem

*Caput quintum, de Spiritu ſancto.*

1. Spiritum ſanctum eſſe Deum. 36
2. Spiritũ ſanctum a Patre Filióque ab æterno procedere, ídque tanquam ab vno principio. 37
3. Vitandæ hæreſes de Spiritu ſancto. 38
4. Spiritum ſanctum eſſe fontem gratiarum. 29
5. Spiritum ſanctũ interpellare pro nobis, quomodo ſit accipiendum. 40

*Caput ſextum, de Eccleſia.*

1. Eccleſiam vnam, ſanctam & Catholicam eſſe. 41
2. Catholicã appellari Eccleſiã, quòd toto orbe diffuſa ſit. 43
3. Eccleſiam Catholicam viſibilem eſſe, & ciuitatem ſupra montem poſitam. 44
4. Obſeruationem præceptorum, Scripturas, Fidem, aut Sacraměta nõ eſſe ſufficiětia ſigna ad dignoſcẽdã Eccl. 46
5. Eccleſiæ Cathol. multis locis ſacrã atteſtari ſcripturã. 47
6. Eccleſiam ex bonis tantùm conſtare, Donatiſtarum & Pelagianorum hæreſin fuiſſe. 50
7. Eccleſiam ex bonis maliſque hominibus conſtare. 51
8. Eccleſiã propter malos nõ deſerendã, nec diuidẽdã eſſe. 52
9. Nullam eſſe ſalutis ſpem extra Catholicam Eccleſiam. 53
10. Non eſſe in Catholica Eccleſia hæreticos, etſi fidem de Chriſto rectam, & Sacramenta habere videantur. 55
11. Eccleſiam rectè definire etiam ἄγραφα, nec non Scripturæ canonem ipſum conſtituere. Ibidem
12. Eccleſiam non errare neque ſuos in errorem inducere. 56
13. Eccleſiã promiſſis Chriſti ſtabilitam deficere nõ poſſe. 57
14. Eccleſiæ ſpirituales claues datas eſſe. 58
15. Eccleſiæ ſuum conſtare ius, vt hæreticos auxilio brachij ſecularis, redire cogat ad fidem. ibidem
16. Penes Eccleſiã ſpirituale poteſtatẽ excõmunicãdi eſſe. 60
17. Hæreſes velut ſarmenta inutilia, ab Eccleſia reſcindi. 61

*Caput ſeptimum, de Sripturis ſacris.*

1. Scripturæ canonem Eccleſiæ Catholicæ auctoritate conſtitutum atque confirmatum eſſe. 61

2. Scripturæ nomine non tantùm noui, verùm etiam veteris Teſtamenti libros pari auctoritate contineri. 62
3. Quis librorum Canonicorum catalogus. 63
4. Scripturæ ſacræ quanta ſit auctoritas. 64
5. Scripturas ſacras obſcuras eſſe. ibidem
6. Ex peruerſa Scripturarum intelligentia hæreſes gigni. 65
7. Litera Iudæos, Hæreticos, & carnales homines occidit, qui non ſpiritui, ſed literæ ſono adhærent. 66
8. In rebus fidei & morum, ſacram ſcripturam ad proprios hominum ſenſus torquendam non eſſe. ibidem
9. Multos eſſe poſſe & eos veros ſcripturæ ſenſus, & quid hîc prudenti viro ſit faciendum. 67
10. Sacram ſcripturam iuxta eum ſenſum interpretandam eſſe, quem in communi doctorum conſenſu tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia. 68
11. Ex obſcuris & dubiis ſcripturæ locis non eſſe contra ea quæ in eadem ſcriptura aperta ſunt argumentandũ. 69
12. Linguarũ peritiam, artium & philoſophiæ cognitionem, vtilem eſſe ad ſcripturarum cùm intelligentiam, tùm tractationem. 70

*Caput octauum, de ſacris traditionibus.*

1. Traditiones Apoſtolorum & Eccleſiæ, præſertim continua ad nos vſque ſucceſſione deriuatas, diligenter cognoſcendas & retinendas eſſe. 73
2. Euangeliſtas in ſcribendo Euangelio, magna parte traditionem ſecutos. ibidem
3. Ex traditione haberi hanc eſſe ſcripturam canonicam, illam verò non. 74
4. Multa quæ ab ipſis Apoſtolis, quaſi per manus tradita ad nos vſque peruenerunt, licet in ſacris literis expreſsè ſcripta non ſint, Chriſtianis eſſe credenda. 75
5. In Eccleſia præter ſcripturas ſacras, eſſe conſuetudines & canones pergrauis auctoritatis. 77
6. Multa ab Apoſtolis facta, multa etiam Chriſtiano eſſe ſeruanda, quæ tamen ſcripta non ſunt. 78.
7. Traditiones & conſuetudines particulares, quæ neque cum fide neque cum bonis moribus pugnant, piè in Eccleſiis retineri & obſeruari. 79

*Caput nonum, de Petro Apoſtolo, de Romano Pontifice & Apoſtolica Sede.*

1. Petrum primum fuiſſe, & caput Apoſtolorum. 80
2. Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ. 81
3. Petrum Romæ Epiſcopalem cathedram tenuiſſe, Simonem Magum ſuperaſſe, ibidémque martyrio coronatum eſſe. 83
4. A Petri temporibus continuatam Romanorum Pontificum ſucceſſionem, certiſſimum eſſe ſignum veræ atque Catholicæ Eccleſiæ. 84
5. Penes Romanam ſedem eſſe primatum, ſummam auctoritatem & vniuerſalem curã totius Eccleſiæ. 85
6. Romanum Pontificem iam olim ante tempora Auguſtini in cauſis Epiſcoporum, iudicio præſediſſe. 86
7. A Romana ſede de doctrina Catholica iudicium ferri, hæreſes damnari. 88
8. Romano Pontifici Auguſtinum ſua ſcripta ſubieciſſe, eiúſque mandatis obtemperaſſe. 90

*Caput decimum, de ſacris Conciliis.*

1. Quæſtiones obſcuras & arduas in Eccleſia, Conciliorum generalium definitione terminari. 90
2. Conciliorum plenariorum magnam auctoritatem eſſe, quibus & prouincialia cedant & doctores etiam, ſi qui ab illis diſcrepent. 91
3. Ad communes prouinciæ vel regionis cauſas tractandas, Cõcilia à Metropolitano vel primate cõuocãda eſſe. 92
4. Definitioni Concilij legitimi acquieſcendum eſſe. 93
5. Patres qui erant in Cõciliis, geſta ſua & decreta cum Romano Pontifice communicaſſe, eiúſque auctoritate confirmari voluiſſe. 93
6. Hæreticorum mores circa Concilia. 94
7. Hæretici nolentes acquieſcere Conciliis quomodo tractandi. 95

*Caput vndecimum, de Auctoritate Patrum Doctorúmque Eccleſiæ.*

1. Neminem Patrum habere parem cum ſcripturi auctoritatem. 96
2. Grauem eſſe ſanctorum Eccleſiæ Doctorum auctoritatem qua & hæreſes proterantur. 97
3. Ab Eccleſiæ doctoribus petendam eſſe ſcriptura interpretationem. 102

4. Antiquos Patres incorruptos eſſe iudices in controuerſiis poſterorum. ibidem
5. Chriſtiani eſſe populi, ſanctorum Patrum ſequi auctoritatem. 103
6. Auguſtinum in exponendis ſcripturis, iuxta communem Patrum interpretationem, ſuā correxiſſe ſententiā. 104
7. Ad fidem & religionem Patrum hæreticos, vt ſanentur redire oportere. 105
8. Sententiam vnius aut paucorum doctorum, communi Eccleſiæ ſententiæ non derogare. 106
9. Patres in quibuſdam obſcuris cōtrouerſiis, ſalua fidei compage, ante definitionem Eccleſiæ diſcordaſſe. 107
10. Ante exortas hæreſes, quædam à ſanctis Doctoribus minus diſtinctè fuiſſe dicta, quòd putarēt ſe Catholicè intelligi. ibidem

*Caput duodecimum, de Hæreticis.*

1. Qui ſunt hæretici nuncupandi. 108
2. Quid inter hæreticos, ſchiſmaticos & malos Catholicos interſit. ibidem
3. Hæreticorum & hæreſum quæ cauſa. 109
4. Qui ſint hæreticorum mores. 110
5. Hæreticos in ſectas ſolere eſſe diſſectos. 111
6. Hæreſes nō niſi propter aliquod bonū à Deo permitti. 112
7. Ab hæreticis ſcripturam ſacram peruerti & ad ſenſum falſum torqueri. 114
8. Hæreticos etſi doctrinam veram promittant, tamen reſiſtere veritati. ibidem
9. Hæreticorum fraudes & verſutiæ pulchris ſimilitudinibus expreſſæ. 115
10. Hæreticos Antichriſtos eſſe. 116
11. Mortem hæreticis inflictam nō eſſe martyrium. ibidem
12. Hæreticos niſi ad Eccleſiam Catholicā redeant, ſaluos eſſe non poſſe, quamuis perſecutionem, aut etiam mortē pro Chriſto pati videantur. 119

*Caput decimum tertium, de officio & auctoritate Magiſtratus, aduerſus hæreticos.*

1. Regibus & Imperatoribus Eccleſiam diuinitus datam in tutelam contra hæreticorum inſultus. 120



2. Reges atque Imperatores habere ius hæreticos coërcendi & corrigendi. 121
3. Leges ab Imperatoribus editas aduerſus hæreticos ab Auguſtino probari. 122
4. Hæreticos ab Imperatoribus priuari poſſe bonis, præſertim quæ Eccleſiarum nomine poſſident. 123
5. Vtile fuiſſe hæreticis, Imperatorum legibus ab erroribus abſtrahi, atque ad Eccleſiam Catholicam pœnarum terroribus reuocari. 125
6. Non debere Magiſtratus liberam relinquere plebi religionem. 127
7. Imperatores in hæreticis damnandis Apoſtolicæ ſedis iudicium eſſe ſecutos. 128

## LIBER SECVNDVS, NOVEM CAPITA COMPLECTENS.

*Caput primum, de peccato originali.*

1. Primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſanctitatem & iuſtitiam in qua conſtitutus erat amiſiſſe. 132
2. Primum hominem Adam incurriſſe per offenſam præuaricationis iram & indignationem Dei, atque adeò mortem ipſam quam illi Deus fuerat comminatus. 133
3. Primum hominem Adam cum morte captiuitatem ſub diaboli poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, præuaricando meruiſſe. 135
4. Adæ præuaricationem non ſibi ſoli, ſed eius propagini nocuiſſe. ibidem
5. Acceptam à Deo ſanctitatem, iuſtitiam & innocentiam, quam perdidit Adam nō ſibi ſoli, ſed etiam nobis perdidiſſe. 136
6. Adam per inobedientiam inquinatū, eodem inobedientiæ peccato, non ſolùm mortem & pœnam corporis, ſed & peccatū in omne genus humanū trāsfudiſſe. 138
7. Peccatum originale ab Adamo in omnes homines transfuſum, verè peccatum & mortem animæ eſſe. 140
8. Peccatum originale, quantum ad actum commiſſionis

pertinet, vnũ atque idem eſſe omniũ, Adæ ſcilicet tranſgreſſionem. 141
9. Adæ peccatum, propagatione, non imitatione transfuſum eſſe. 143
10. Propagatos ex ſemine Adam, iniuſtitiam quæ ineſt vnicuique propria, ea propagatione contrahere. 144
11. Quomodo intelligendũ ſit illud Apoſtoli ad Romanos 5. Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. 145
12. Peccatum originis ex voluntario actu Adæ conſecutum, iuſtè filijs eius imputari. 146
13. Adæ peccatũ per humanæ naturæ vires, vel remedium aliud, tolli nõ poſſe, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. 148
14. Concupiſcentiam pœnam eſſe & effectum peccati originalis. 149

*Caput ſecundum, de concupiſcentia in renatis.*

1. In renatis manere concupiſcentiam, quam peccati fomitem theologi appellant. 150
2. Concupiſcentiã in renatis, malum quidem, nõ tamen verè & propriè peccatum eſſe. 151
3. Concupiſcentiam in renatis peccatum ab Apoſtolo, Ro. 7. appellari, quoniam ex peccato facta ſit, & ad peccatum inclinet. 152
4. Concupiſcentiam quæ Paulo dicitur malum inhabitans, lex membrorum vel carnis, lex peccati vel peccatum, regeneratos reos non facere. Ibidem
5. Concupiſcentiam in renatis, non conſentientibus & viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus non nocere. 154
6. Carnis concupiſcentiam, mortem aliáſque pœnas in baptizatis ad agonem eſſe relictas. 155

*Caput tertium, de gratia & libero arbitrio.*

1 Liberum arbitrium non eſſe rem de ſolo titulo, aut titulum ſine re. 157
2 Liberum arbitrium, quantumuis per præuaricationẽ Adæ viribus attenuatum, & inclinatum, non tamen penitus amiſſum eſſe aut extinctum. 158



3. In poteſtate hominis eſſe facere vias ſuas malas. 161
4. Liberum hominis arbitrium non ſubeſſe fato. 162
5. Liberum arbitrium non velut inanime quoddam nihil omnino agere, aut merè paſsiuè ſe habere, ſed adiuuanti Deo cooperari. 163
6. Cum libertate arbitrii nec pugnare Dei præſcientiam, nec prædeſtinationem. 164
7. Liberum arbitrium quid in Adamo ante peccatum potuerit. 166
8. Liberum arbitrium ad perſiſtendum in bono, etiam in natura integra gratia indiguiſſe. Ibidem.
9. Deum non operari mala opera, ita vt bona: verùm illa permiſsiuè tantùm, hæc propriè & per ſe. 167
10. Per liberum arbitrium ſine gratia Dei præcepta impleri non poſſe. 168
11. Non omnia opera, quæ ante iuſtificationem ab infidelibus vel aliis peccatoribus fiunt, verè eſſe peccata, aut odium Dei promereri. 170
12. Per liberum arbitrium ſine gratia, hominem nullo modo poſſe, coram Deo iuſtam vitam inchoare aut perficere. 171
13. Gratiæ nomine non tantùm externum Dei fauorem, ſed etiam donum animæ, quo intrinſecus exornetur, intelligi. 173
14. Gratiam Dei aliam præuenientem, aliam adiuuantem eſſe. 174
15. Liberum arbitrium neque à præueniente, neque ab adiuuante gratia deſtrui. 175
16. Liberum arbitrium à gratia ſanari, iuuari & perfici. 176
17. Liberum arbitrium, præueniente gratia, excitari atque præparari, ſubſequenti verò vt & perficere bonum, & in eo perſeuerare poſſit, corroborari. 177

*Caput quartum, de fide & operibus.*

1. Quid ſit Fides. 178
2. Quæ ſit materia ſeu obiectum fidei. 179
3. In myſteriis diuinis fidem antecedere, rationem ſubſequi debere. 180
4. Fidem rectam ad ſalutem neceſſariam eſſe. 181

5. Fidem rectam, non eſſe aliam atque Catholicam fidem. 182
6. Fidei qualecunque nomẽ extra Eccleſiam eſſe poſſe, charitatem non poſſe. Ibidem
7. Fidem donum eſſe Dei. 183
8. Fidem non ita eſſe donum Dei, vt propter voluntatis motum, non ſit pariter & liberi arbitrii. 184
9. Quomodo Fides, Spes, Charitas, inter ſe cohæreant & affectæ ſint. 185
10. Fidem charitate perfici atque vtilem reddi. 186
11. A iuſtitia fidei, opera antecedentia ipſam fidem, non autem ſubſequentia, in epiſtola ad Romanos excludi. 187.
12. Per fidem non abrogari legem, ſed firmari. 188
13. Quomodo intelligendum ſit illud Abacuc 2. Iuſtus ex fide viuit. 189
14. Eandem fidem eſſe antiquorum patrum, ante aduentum Chriſti, & noſtram. 190

*Caput quintum, de Iuſtificatione.*

1. Hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia coram Deo iuſtificari non poſſe. 191
2. Gratis iuſtificari hominem: neque quicquam eorũ quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fidem, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promereri. 192
3. Sine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione hominem non poſſe credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur. 193
4. Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatũ, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti cooperari poſſe, quo ſe ad obtinendam iuſtificationis gratiam diſponat ac præparet. 195
5. Liberum arbitrium poſſe etiam diſſentire, atque vocanti ad iuſtitiam Deo non obedire. 196
6. Fidem eſſe initium, radicem & veluti fundamentum omnis iuſtificationis, atque adeò bonorum omnium ſequentium iuſtificationem. 198
7. Fidem qua iuſtificamur, eſſe fidem in vnum mediatorem Chriſtum, ſine qua nec antiqui iuſti in veteri Teſtamento, iuſtificari potuerunt. Ibidem
8. Sola fide impium non iuſtificari. 200
9. Timorem diuinæ iuſtitiæ non eſſe malum, neque facere peccatores deteriores. 201
10. Gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam, de peccatis dolendo confugimus, aut à peccato abſtinemus, prodeſſe ad iuſtificationem. 202
11. Quo ſenſu Apoſtolus dicat iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. 204
12. Non iuſtificari hominem ſola remiſſione peccatorum, ſed etiam gratiæ & ſpiritualium donorum ſuſceptione. 205
13. Iuſtificari hominem iuſtitia Dei, non qua ipſe Deus iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, & qua ab eo donati renaſcimur & renouamur ſpiritu mentis noſtræ. 206
14. Gratiam qua iuſtificamur, non eſſe fauorem Dei tantùm, ſed donum, quod per Spiritum ſanctum diffunditur atque inhæret in cordibus noſtris. 207
15. In iuſtificatione prorſus auferri peccata mortalia, nec ita manere vt qui iuſtificatur, partim iuſtus ſit, partim iniuſtus. 208
16. Iuſtificationis gratiam aliis maiorem, aliis minorem dari iuxta menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & diuerſam ſuſcipientium diſpoſitionem. 209
17. Iuſtificatos cùm plenam & abſolutam iuſtitiam conſecuti non ſint, renouari poſt acceptam iuſtitiam de die in diem. Ibidem
18. Propter vetuſtatem Adæ iuſtificatos dici, filios huius ſeculi, animales, carnales, venundatos ſub peccato, & malos: non tamen filios Diaboli vel iniuſtos eſſe. 211
19. Iuſtificato non eſſe neceſſarium vt credat certitudine fidei (cui non poteſt ſubeſſe falſum) & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. 212
20. Hominem renatum & iuſtificatum, de arcano diuinæ prædeſtinationis vſque adeo præſumere non debere, vt

certò ſtatuat ſe ex numero prædeſtinatorum eſſe. 213
21. Perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum, neminem abſoluta & infallibili certitudine, niſi ex ſpeciali reuelatione poſſe cognoſcere. 214
22. Iuſtificationis gratiam non ſolis prædeſtinatis ad vitam, ſed vocatis quoque aliis contingere. 215
23. Iuſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare non poſſe. 216
24. Hominem ſemel iuſtificatum, poſſe iterum peccare & gratiam amittere. 217

*Caput ſextum, de lapſis & eorum reparatione.*

1. Quid ſit peccatum. 218
2. Peccatum eſſe voluntarium, nec vlla vi aut neceſſitate hominem ad illud cogi. 219
3. Peccatorum alia mortalia, alia venialia. 221
4. Non modò infidelitate, ſed quocunque alio mortali peccato, etiamſi fidem quis retineat, ius vitæ æternæ amitti. 223
5. Varia peccatorum eſſe genera, & multiplex inter eadem ipſa diſcrimen. 225
6. Lapſos poſt Baptiſmum poſſe per Dei gratiam reſurgere, & amiſſam iuſtitiam per Sacramentum pœnitentiæ recuperare. 226
7. Iuſtificatum abſque ſpeciali priuilegio Dei, peccata omnia, præſertim venialia, in tota vita vitare non poſſe. 228
8. Oratione, ieiunio, & eleemoſyna, quæ à fidelibus fiunt, expiari quotidiana delicta. 229
9. Non eſſe niſi in Eccleſia Catholica remiſſionem peccatorum. 231
10. Quomodo peccata in Spiritum ſanctum, in Eccleſia nō dimittantur. 232

*Caput ſeptimum, de diſcrimine legis veteris & Euangelij.*

1. Legem veterem eandem cum veteri Teſtamento eſſe. 233.
2. Euangelii nomine non eſſe nudam promiſſionem vitæ æternæ intelligendam. Ibidem
3. Euangeliū eſſe legem nouā & Teſtamentum nouum. 234
4. Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum, non tantùm vt redemptorem, ſed etiam vt legis, & quidem perfectioris, latorem. 235
5. Vetus & nouum Teſtamentum ſibi inuicem reſpondere. 237
6. Inter literam Legis & Euangelii gratiam quid interſit. 238
7. In vtroque pariter Teſtamento, & amandam proponi Dei bonitatem, & timendam ſeueritatem. 240
8. Præcepta morum Teſtamenti veteris abrogata non eſſe. 241.
9. Quo ſenſu Chriſtiani dicantur mortui legi, vel non eſſe ſub lege. 242
10. Vtriuſque pariter Teſtamenti finē eſſe charitatem. 243
11. Euangelica gratia, quæ eſt charitas diffuſa in cordibus noſtris, legem impleri. 245
12. Quomodo intelligendum illud ſit Apoſtoli: Plenitudo autem legis charitas. 246
13. Veterem legem eandem fieri cum noua, ſi charitate debita impleatur. 248
14. Euangelicam gratiam & in veteris Teſtamenti patribus fuiſſe. 24[illegible]

*Caput octauum, de mandatorum Dei obſeruatione, & bonorum operum ad ſalutem neceſsitate.*

1. Dei præcepta, homini iuſtificato & ſub gratia conſtituto, non eſſe ad obſeruandum impoſsibilia. 250
2. Multa in nouo Teſtamento præter fidem eſſe præcepta: non autem libera omnia. 252
3. Libertatem Chriſtianam in eo eſſe, vt à vitiorum ſeruitute, non autem ab humanarum legum obedientia, vel à mandatorum Dei obſeruatione, liberemur. 254
4. Fidem ſine operibus homini ad ſalutem eſſe ſatis, Eunomianorum & aliorum errorem fuiſſe. 256
5. Fide per charitatem operante, ſiue formata, vt vocant, nos filios eſſe Dei: fidem verò charitate deſtitutam nulli ad ſalutem prodeſſe. 257
6. Decem præcepta ad Chriſtianos etiam pertinere. 258

7. Magnum eſſe inter præcepta & conſilia euangelica diſcrimen, quòd illa ſint ad ſalutem obſeruatu neceſſaria, hæc verò perfectioni peculiariter deſtinata. 260.
8. Iuſtum neque ſemper neque in omni opere peccare. 261.
9. Iuſtitiam hominis Chriſtiani in bonorum operum, quæ ex fide fiunt, exercitatione conſiſtere. 263.

*Caput nonum, de fructu ſeu effectu iuſtificationis, déque bonorum operum meritis.*

1. Hominis iuſtificati bona opera non ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita. 263
2. Dei gratiam eſſe principium rationémque meriti noſtri. 264.
3. Iuſtum pro operibus bonis, quæ per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum, ab eo fiunt, verè mereri, & legitimè ſperare vitam ęternam. 265
5. Quomodo illud Apoſtoli ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna, conſtet cum verbis eiuſdem ad Rom. 2. Reddet Deus vnicuique ſecundùm opera eius, & aliis ſimilibus. 267
6. Iuſtificatum minimè peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur. 268
7. Vt in hac vita diuerſa ſunt hominum merita, ita poſt hãc vitam præmia quoque non æqualia omnibus tribui, ſed propriam meritorum cuiuſque rationem haberi. 269.
8. Merita vnius alteri prodeſſe. 271

# LIBER TERTIVS, DVODECIM CAPITA COMPREHENdens, in quibus de Sacramentis tractatur.

*Caput primum, de Sacramentis generatim.*

1. Sacramenta non eſſe tantùm externas notas Chriſtianæ



profeſſionis, ſed ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ, quæ per eadem ſacramenta confertur. 273
2. Sacramenta nouæ legis à Chriſto Domino eſſe inſtituta. 274
3. Sacramenta nouæ legis ad ſalutem homini neceſſaria eſſe. ibidem.
4. Sacramenta nouæ legis excellentiora, & virtute maiora eſſe Sacramentis veteris legis. 275
5. Præter Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe etiam alia in noua lege Sacramenta. ibidem
6. Sacramenta etſi ponentibus obicem, gratiam non conferant, vera nihilominus eſſe & ſancta. 276
7. Sacramenta nouæ legis ex Chriſti ſanguine ſeu meritis vim habere. Ibidem.
8. Aliud eſſe Sacramentum, aliud virtutem Sacramenti. 277
9. Apud hæreticos vel ſchiſmaticos Sacramenta eſſe, non tamen ſanctificare. 278
10. In quibuſdam Sacramẽtis imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile: vnde ea iterari non poſſunt. 279
11. Miniſtrum in peccato mortali licet exiſtentem, conferre vera & ſuſcipientibus vtilia Sacramenta. ibidem
12. Quare expediat, vt Sacramentorum miniſter, ab omni crimine remotus ſit & alienus. 281
13. Sacramenta ſigno crucis perfici. ibidem.

*Caput ſecundum, de ſacramento Baptiſmi.*

1. Baptiſmum verè & propriè Sacramentum eſſe. 282
2. Per Baptiſmum tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, non autem radi tantùm vel imputari. ibidem
3. Poſt Baptiſmum carnis concupiſcentiam, vt & alias corruptæ naturæ pœnas ad memoriam propitiati peccati, & humanam ſuperbiam comprimendam manere. 283.
4. In Baptiſmo Spiritum ſanctum conferri. 284
5. Baptiſmum non eſſe liberum, ſed neceſſarium ad ſalu-

tem. 285
6. Baptiſmi Sacramentum non niſi in forma Eccleſiæ, verbiſque euangelicis ritè conferri. 286
7. Baptizatum poſſe amittere gratiam peccando, ſi velit. 287.
8. Per Baptiſmum non ſolius fidei, ſed legis Chriſti ſeruandæ nos debitores fieri. ibidem
9. Verum Baptiſmũ etiam apud hæreticos inueniri. 288
10. Baptiſmum verum & ritè collatum illi iterandum non eſſe, qui apud infideles fidem Chriſti abnegarit, cùm ad pœnitentiam reuertitur. 290
11. In Baptiſmo characterem imprimi, ideóque non poſſe eum iterari. ibidem
12. Anabaptiſmum Nouatianis, Arrianis, & Donatiſtis, in vſu fuiſſe. 291
13. Baptiſmum extra Eccleſiam, inutilem eſſe ad conſequẽdam gratiam Spiritus ſancti. 292
14. Baptiſmum Ioannis non habuiſſe eandem vim & efficaciam cum Baptiſmo Chriſti ad peccatorum remiſſionem. 293
15. Baptiſmum Ioannis, Baptiſmo Chriſti promulgato, finem habuiſſe. 294

*Caput tertium, de paruulis & Baptiſmo paruulorum.*

1. Paruulos in remiſsionem peccatorum ex Apoſtolorum traditione veraciter baptizari. 294
2. Paruulos ex Adam trahere originale peccatum. 295
3. Paruulos ab originali peccato, non niſi per lauacrum regenerationis expiari. 296
4. Paruulos regenerationis lauacro nondum expiatos, vitam æternam conſequi non poſſe. 297
5. Æquè paruulis atque adultis per Baptiſmi ſacramentum gratiam Chriſti conferri. 298
6. Paruulos baptizatos nihil ab ingreſſu cœlorum remorari. ibidem
7. Paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos eſſe. 299



8. Paruulos, baptizatis parentibus ortos, nihilominus Baptiſmo ad ſalutem indigere. 300
9. Paruulos nondum actu proprio credentes, in ſola fide Eccleſiæ rectiſſimè baptizari. 302
10. Paruulos etſi actum credendi non habent, inter fideles tamen eſſe computandos. 303

*Caput quartum, de Cæremoniis & iis rebus, quæ circa Baptiſmum geruntur.*

1. Ante Baptiſmum præcedere Catechiſmum debere, niſi aliquid ſit impedimenti. 304
2. Forma breuis adultos catechizandi. 305
3. Aquam Baptiſmi ſigno crucis conſecrari ſolitã. 306
4. Exorciſmum & exſufflationem, baptizandis ex conſenſu Eccleſiæ & Apoſtolica traditione adhiberi. ibidem
5. In Baptiſmo viſibili vnguento ſeu chriſmate fideles inungi moris eſſe. 307
6. Alias etiam cæremonias fuiſſe in vſu circa baptizandos, Auguſtini ætate. 308
7. Baptizandos abrenunciare Satanæ atque pompis eius. ibidem
8. Trinam merſionem in Baptiſmo fuiſſe in vſu Auguſtini tempore. 309

*Caput quintum, de ſacramento Confirmationis.*

1. Confirmationem baptizatorum, eſſe verum Sacramentũ & proprium. 310
2. Crucis ſignum in Confirmationis ſacramento frontibus fidelium imprimi. ibidem
3. Confirmationis materiam Chriſma eſſe, idque non niſi ab Epiſcopo conſecrari. 311
4. In ſacramento Confirmationis, quod manuum impoſitio nominatur, gratiam conferri. ibidem
5. Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum ſolum Epiſcopum eſſe. 312

*Caput ſextum, de ſacramento Euchariſtiæ.*

1. In ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, verum contineri corpus & ſanguinē Domini noſtri Ieſu Chriſti. 312
2. In Euchariſtiæ admirabili Sacramento, non in vſu tantùm dum ſumitur, verùm etiam & ante & poſt ſumptionem, verum corpus & verum ſanguinem Chriſti eſſe. 315
3. Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, à ſumentibus, vel ſacramentaliter tantùm, vel ſimul etiam ſpiritualiter mādūcari. 316
4. Quomodo intelligendum ſit illud, Caro non prodeſt quicquam &c. Ioan. 6. 317
5. In Euchariſtiæ ſacratiſſimo Sacramento, Chriſtum vnigenitum Dei filium cultu latriæ, etiam externo eſſe adorandum. 319
6. In ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem non remanere. 324
7. Sacroſancta Euchariſtiæ myſteria Auguſtini tempore propter ſummam eorum profunditatem, gentilibus & catechumenis expoſita temerè non fuiſſe. 325
8. Vtilem ac ſalutarem eſſe fidelibus frequentem ſacroſancti corporis Chriſti communionem. 326
9. Ante Euchariſtiæ ſumptionem, confeſſionem peccatorum, ſi conſcientia mortalis peccati grauat, præmittēdam, mentémque diligenter eò eſſe præparandā. 327
10. Continentiam à propriis etiam vxoribus, acceſſuris ad ſacram Euchariſtiæ ſynaxim, iam olim in vſu fuiſſe. 328.
11. Fructum Sacramenti Euchariſtiæ in ſola haberi Catholica Eccleſia, eundémque non eſſe poſitum in ſola peccatorum remiſſione. 329
12. Impios etiam, ſicut Iudam, accipere corpus Chriſti. 330
13. Datam à Chriſto Domino Euchariſtiam in Emaus, eandémque ſub altera interdum ſpecie Auguſtini tempore ſumptam eſſe. 331.

*Caput ſeptimum, de ſacrificio Miſſæ.*

1. Errare negantes viſibile Sacrificium Deo offerendum eſſe. 332

2. In



2. In Miſſa offerri Deo verum & propriū Sacrificium. 333
3. Sanctam Euchariſtiam Auguſtini ſententia, oblationem, Sacrificium, victimam, atque hoſtiam eſſe. 334
4. Offerri corpus & ſanguinem Chriſti, nō eſſe idem quod nobis Chriſtum ad manducandum dari. 335
5. Sacrificium Miſſæ à Melchiſedech ſignificatum, & à Malachia prædictum fuiſſe. 336
6. Sacrificium Miſſæ à Chriſto Domino inſtitutum eſſe. 337
7. Sacrificium Miſſæ verè propitiatoriū eſſe, ciúſque oblatione peccatorum veniam impetrari. 339
8. Sacrificium Miſſæ ſacrificiis veteris legis ſucceſsiſſe, ac bonorum omnium, quæ per illa ſignificabantur, veluti conſummationem ac perfectionem eſſe. ibidem
9. Miſſæ ſacrificium rectè in memoriam & honorem Sanctorum celebrari, etſi illud Deo tātummodo, non ſanctis offeratur. 340
10. Pro mortuis Miſſæ Sacrificium ritè offerri. 341
11. Sacrificio Miſſæ, quod priuatim etiā celebrabatur, dæmones Auguſtini tempore fuiſſe fugatos. ibidem.

*Caput octauum, de ceremoniis & aliis ad Miſſam pertinentibus.*

1. Ritum & ordinem certum in offerendo ſumendóque Euchariſtiæ Sacramento ab Apoſtolo Paulo conſtitutum fuiſſe. 342
2. Vino in calice offerendo, ex Apoſtolica traditione, aquam eſſe miſcendam. 343
3. Vaſa ſacra in vſu fuiſſe Auguſtini tēpore, ad diuina myſteria peragenda. ibidem
4. Surſum corda, & Gratias agamus Domino Deo noſtro, in Miſſa olim etiam recitata fuiſſe. 344
5. Quædam etiam alia ad Canonem vel reliquas ſacrificij partes pertinentia, ſimiliter recitata fuiſſe. ibidem
6. Preces vel orationes aut Miſſas non recitandas, niſi probatæ fuerint. 345
7. Sacrificium Miſſæ à ieiunis offerendum eſſe. ibidem
8. Ad altare Dei, cùm ab omni populo, tùm à ſacerdotibus, pro viuis ſupplicare, moris olim fuiſſe. ibidem.

*Caput nonum, de Sacramento Pœnitentiæ.*

1. Pœnitentiæ virtutem quæ in fide fundatur, vt in omnibus peccatoribus: ita in adultis ante Baptiſmum ad conſequendam iuſtitiam requiri. 346
2. Baptizatos in Chriſto, non poſſe in peccata relabi, falſum & hæreticum eſſe dogma. 347
3. Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata relabuntur, Pœnitentiæ Sacramentum supereſſe, quo veniam peccatorum conſequentes, Deo reconcilientur. 348
4. Chriſtiani hominis pœnitentiam, qua poſt Baptiſmũ remiſſio peccatorum impetratur, multò eſſe aliã ab ea, quæ in adultis baptizandis requiritur. 349
5. Pœnitentiam extra vnitatem Eccleſiæ inutilem eſſe. 350
6. Contritione, quæ verus & vtilis eſt de peccatis dolor, ad ſalutarem Pœnitentiam opus eſſe, eáque ad percipiendam gratiam nos præparari. 351
7. Sacramentalem Pœnitentiam atque confeſſionem iure diuino inſtitutam & ad ſalutem neceſſariam eſſe. 352
8. Peccata omnia mortalia, quorum memoria habetur, cum circunſtantiis neceſſariis, confitenda eſſe Sacerdoti. 354
9. Sacerdoti poteſtatem abſoluendi à Chriſto Domino eſſe tributam. 355
10. Abſolutionem Sacerdotis actum iudicialem eſſe. 356
11. Ad veram Pœnitentiam ſpectare, non ſolùm nouam vitam, ſed & pro peccatis præteritis ſatisfactionem. ibidem.
12. Pœnitentiam publicam eis imponi ſolitam, quorum publica crimina fuiſſent, aliis verò ſecretam. 358
13. Satisfactionem à Sacerdote præſcribi. 359
14. Pœnitentibus ſimul cum culpa non totam pœnam ſemper remitti. ibidem
15. Pœnitentiam differendam non eſſe. 360.

*Caput decimum, de ſacramento Extremæ vnctionis.*

1. Ex auctoritate Iacobi Apoſtoli & veteris Eccleſiæ, Sacramentum hoc approbandum & retinendum eſſe. 361



*Caput vndecimum, de ſacramento Ordinis.*

1. Ordinem ſiue ſacram ordinationem, Sacramentum eſſe, nec poſſe in aliquo iterari. 362
2. In Eccleſia Catholica hierarchiam eſſe diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Preſbyteris aliiſque miniſtris, & quales in eorundem ordinatione cærimoniæ. 363
3. Per ſacram ordinationem dari Spiritũ ſanctum, ac proinde non fruſtrà ab Epiſcopis dici: Accipe Spiritum ſanctum. 364
4. In nouo Teſtamento Sacerdotes eſſe, qui non Baptiſmo aut ſanctitate, ſed ordinatione fiant. 365
5. Epiſcoporum atque preſbyterorum officium eſſe, Sacramenta & Dei verbum adminiſtrare. 366
6. Epiſcopis atque Sacerdotibus etiam diſcolis, propter Sacramenti ſanctitatem, obedientiam & honorem deberi. ibidem
7. Epiſcopos Presbyteris ſuperiores eſſe. 367
8. Quædam Epiſcopis reſeruari, & ab ipſis Presbyteros iuriſdictionem in pœnitentes accipere. 369
9. Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, plebi præeſſe. ibidem
10. Epiſcopis poteſtatem coërcendi conuenire. ibidem
11. Ad Epiſcoporum cognitionem quõdam ſecularia quoque negotia à fidelibus fuiſſe relata. 370
12. Eccleſiaſticas & Eccleſiaſticorum cauſas, ad Eccleſiaſtica Epiſcoporum tribunalia eſſe referenda. 371
13. Epiſcopum ab Epiſcopis iiſque haud minus tribus ordinari. 372
14. Epiſcoporum & Presbyterorum electionem, ex acclamationibus laicorum haberi ſolitam, Eccleſiæ multis modis incommodam & turbarum plenam fuiſſe. 373
15. Quæ ſint ſacrorum ordinum impedimenta. 374

*Caput duodecimum, de ſacramento Matrimonij.*

1. Matrimonium ſeu nuptias damnandas non eſſe. 376
2. Neque ſecundas nuptias poſſe damnari. 377
3. Non licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores. ibi.
4. Matrimonium verè & propriè Sacramentum eſſe, ſoláque morte diſſolui. 378
5. Matrimonium eſſe ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. 380
6. Coniugatos ex mutuo conſenſu laudabiliter vouere caſtitatem, atque in reliquum vitę tempus à matrimoniali copula ſe continere. 381
7. Si ſeparantur coniuges propter fornicationem, neutri licere, etiam innocenti, quàm diu alter ſit ſuperſtes, alteri matrimonio copulari. 382
8. Quomodo intelligendum ſit illud Matth. 5. & 19. quicũque dimiſerit vxorem ſuam. 384
9. Diuortium quo ſolueretur matrimonij vinculum, ne Iudæis quidem, Auguſtini ſententia, videri conceſſum. 386
10. Extra matrimonium quamcunque viri & mulieris commixtionem eſſe peccatum. ibidem
11. Vagum concubitum deteſtandum eſſe. 388
12. Abſque carnali copula verum matrimonium conſtare poſſe. ibidem
13. Certos conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui impediant matrimonium, rectè ab Eccleſia conſtitutos eſſe. 389
14. In matrimonij vſu ſpectandum eſſe finem propagandæ prolis. 390

## LIBER QVARTVS, IN DECEM CAPITA DISTRIBVTVS.

### *Caput primum, de Purgatorio.*

1. Animas poſteaquàm è corpore migrarint, per particulare iudicium ad varia loca deſtinari. 392
2. Animas poſt hanc vitam neque in periculo peccãdi verſari, neque amplius mereri. 393
3. Animas in Domino morientium, ſaluas fore, certum eſſe. 394
4. Purgatorium ignem vel temporarias pœnas multis poſt mortem ſupereſſe. ibidem
5. Ex illis verbis Matth. 12. Qui dixerit verbũ in Spiritum ſanctum non remittetur ei neque in hoc ſeculo neque in futuro: colligere Auguſtinum, peccata quædam poſt mortem remitti poſſe. 396
6. Quomodo intelligendum illud Apoſtoli 1. Cor. 3. Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit. ibidem
7. Neque decedentes hinc cum peccato mortali, expiandos igne purgatorio, quãuis etiam fidem vſque ad mortem retinuerint, ſed ad Gehennam damnandos eſſe: nec rurſum, qui nihil ſordium poſt Baptiſmum contraxerint. 397
8. Igne purgatorio venialia tantùm peccata, & reliquias lethalium purgari. 399
9. Orare & offerre oblationem pro defunctis, morem eſſe Catholicæ Eccleſiæ. 400
10. Iuuari defunctorum animas Miſſarum ſacrificiis, orationibus, eleemoſynis, aliíſque pietatis operibus, quæ à viuentibus pro eis fiunt. ibidem
11. Defunctorum commemorationem ad altare fieri ſolitam. 402
12. Defunctos meritis & interceſſione ſanctorũ iuuari, præſertim in quorum baſilica ſepulti ſunt. ibidem
13. Obiecta quædam contra Purgatorium, quomodo diluat Auguſtinus. 403
14. Animæ quomodo ſciant quæ apud nos gerantur. 404
15. In generali iudicio, præter eos qui damnãdi ſunt ad Gehennam, & eos qui omnino purgati iam antè fuerint, futuros alios qui per ignem purgatorium tũc ſalui futuri ſint. ibidem

### *Caput ſecundum, de Sanctis & eorum prærogatiua.*

1. Animas ſanctorum, etiam nũc, ante extremi iudicij diem regnare cum Chriſto. 405
2. Preces noſtras à Sanctis in Chriſto quieſcentibus intelligi. 410
3. Angelos preces noſtras offerre Deo, hominibúſque variis

in rebus adeſſe & opitulari. 412
4. Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre. 413
5. Sanctos honorandos,& ſuo modo adorãdos eſſe, nec ob id Chriſtianos idololatras appellandos. 414
6. Sanctos ſuppliciter inuocare, & ad eorum orationes, opem, auxiliúmque confugere, etiam ſingulis Chriſtianis bonum eſſe atque vtile. 415
6. Sanctos aliter adorari & inuocari quàm Deum, cui ſoli latria ſacrificiúmque debetur. 417
7. Quare Angelus Apocalyp. 19. 22. Paulus & Barnabas Act.14. adorari ſe prohibuerint. 418
8. Idololatras & hæreticos iam olim Chriſtianis obiecisse, quod martyres tanquam Deos colerent,atque eorundem martyrum reliquias diſperdere curaſſe. ibidem
9. Sanctorum natalitia, diéſque feſtos Auguſtini tempore in ſolenni vſu fuiſſe. 419
10. Baſilicas, Sanctorum nomine, Deo dicatas fuiſſe. ibidē
11. Nomina martyrum ad altare recitari morem olim fuiſſe. 420
12. Sanctos opem ferre ſuum auxilium implorantibus, quãuis modus incertus nobis ſit. 421
13. Sanctorum Martyrum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti,& per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur, à fidelibus meritò veneranda eſſe. 423
14. Miracula quare per ſanctos fiant. 430
15. Reliquias ſacras ſub altari poni, fuiſſe morem, & quare. 431

*Caput tertium, de ieiunio Chriſtiano.*

1. Ieiunium non eſſe idem cum temperantia, quæ ſemper neceſſaria eſt. 432
2. Chriſtianis olim familiaria ieiunia fuiſſe. 433
3. Ieiunium in ſacris literis eſſe præceptum. 434
4. Ieiunãdum eſſe Chriſtiano qui grauiore tentatione pulſatur. ibidem
5. Ieiunantem de ſe pœnas ſumere & Deum placare. ibidē
6. Hæreticos eſſe qui negant ſtatam ieiuniorum obſeruationem. 435



7. Qales ſint ieiunij effectus. 436
8. Quomodo ſit ieiuniũ inſtituẽdum vt fructuoſius fiat. 437
9. Ieiunandũ eſſe iis diebus, quibus ieiunat in qua verſamur vel commoramur Eccleſia. 438
10. De ieiunio quartæ & ſextæ feriæ atque Sabbati. 439
11. Die Dominico nõ ieiunari, niſi fortè vltra hebdomadam continenter protraheretur ieiunium. ibidem

*Caput quartum, de Quadrageſimali ieiunio.*

1. Quadrageſimam à Chriſto cõſecratã & pręceptã eſſe. 440
2. Quadrageſimam ante Paſcha ſeruandam eſſe. 441
3. Quomodo obſeruanda ſit Quadrageſima. 442
4. De myſteriis ieiunij Quadrageſimalis. 443
5. Per obſeruationem Quadrageſimalis ieiunij bonos à malis diſcerni. 444

*Caput quintum, de cibrum delectu.*

1. Ieiunium & à quibuſdam cibis abſtinentiam damnare, Iouiniani hæreſim fuiſſe. 444
2. Delectum ciborum olim Catholicis in vſu fuiſſe. ibidem
3. Alio fine Chriſtianos à quibuſam eſcis laudabiliter, Manichæos autem ſceleratè abſtinere. 445
4. Etſi omnis creatura bona ſit, tamen propter obediẽtiam, vel aliorum infimitatem, à carnibus vel aliis cibis Chriſtiano abſtinendum eſſe. 446
5. Ab idolothytis etiam quandoque abſtinendum eſſe Chriſtiano, quanuis ex ſua natura bona ſint. ibidem
6. Quomodo intelligendũ illud, Omnia munda mũdis. 447
7. Obiectiones contra ieiunium & delectum ciborum, quo modo diluat Auguſtinus. 448
8. Manichæos olim idem Catholicis obiecisse, quod nunc à recentioribus hæreticis obiicitur,& quid eis Auguſtinus reſponderit. 450

*Caput ſextum, de cœlibatu.*

1. Bonam eſſe caſtitatem coniugum, meliorem viduarum, optimam verò virginum. 451
2. Virginitati Deo ſacratæ æquare nuptias, hæreſim fuiſſe Iouiniani. 453
3. Caſtitatem donum eſſe Dei, quod tamen rectè petenti nunquam denegetur. ibidem

4. Continentiam rectè promitti ac voueri Deo, illúdque votum fideliter ſeruandum eſſe. 455

5. Caſtitatem Deo vouere, conſilij atque ſupererogationis eſſe opus. 457

6. Caſtitatis Deo per votum conſecratæ ſingularẽ eſſe prærogatiuam. 458

7. Votum virginitatis à Deipara virgine factum eſſe. 459

8. Cœlibatus & caſtitatis ſeruandæ atque vouendæ, Auguſtinum ſedulum eſſe ſuaſorem. ibidem

9. Voto caſtitatis obſtrictos, ſi nubant damnationem mereri, etiam Apoſtoli ſententia. 460

10. Ab Apoſtolo non fuiſſe datam nubendi facultatem, 1. Timot. 5. viduis illis, quæ iam caſtitatẽ Deo vouiſſent. 461

11. Hæreticis in Catholicos retorquentibus illud Apoſtoli, 1. Tim. 4. In nouiſſimus temporibus diſcedent quidam à fide &c. quomodo Auguſtinus reſponderit. 463

12. Obiecta contra continentiam quomodo refellat Auguſtinus. 464

*Caput ſeptimum de cœlibatu Eccleſiaſticorum.*

2. Clericos præſertim Diaconos, Sacerdotes & Epiſcopos Auguſtini ſeculo cœlibes extitiſſe. 466

2. Qua de cauſa Epiſcopos & reliquos Presbyteros atq; Diaconos cœlibes eſſe deceat. 468

3. Illud 1. Cor. 9. Nunquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli &c. non eſſe de vxore intelligẽdum, atque Apoſtolum Paulum continentiæ perfectioris fuiſſe cultorem. 469

*Caput Octauum, de Monachorum inſtituto.*

1. De nomine & origine Monachorum. 470

2. Monachorum inſtitutum exemplo & traditione Apoſtolorum confirmari. 471

3. Apoſtolos paupertatem ex voto ſeruaſſe. ibidem

4. Donatiſtas & Circumcelliones hæreticos Monachis obtrectaſſe. 472

5. Anachoretas, Monachos, & Moniales, non ſine magno numero, tempore Auguſtini, caſtè ſanctéque vixiſſe. ib.

6. Auguſtinum fuiſſe Monachũ & Monachorum inſtitutorem. 474

7. Monachos Auguſtini tempore nõ ſui iuris, ſed votis obſtrictos fuiſſe. 475

8. Facultates ſuas relinquere propter Chriſtũ, conſilij eſſe Euangelici, & meriti ſingularis. 477

9. Placere Deo obedientiam, quæ prælatis propter Deum exhibetur. 478

10. Monachos ex antiqua traditione tonderi. ibidem

11. Qui coniugati erãt Monachos nonnunquam factos fuiſſe. 479

12. Propter carnalem erga parentes affectum, vota religionis deſerenda non eſſe. ibidem

13. Monachos apoſtatas, quia retro reſpexerunt, in aperto æternæ ſalutis diſcrimine verſari. 482

14. Monachos apoſtatas ad clericatum aut præfecturam admittendos non eſſe. 483

15. Propter nonnullos improbos, non eſſe omnes Monachos infamandos. 484

*Caput nonum, de diuerſis cærimoniis antiquiſſimiſque nonnullis Eccleſiæ conſuetudinibus.*

1. Cærimonias & ſigna externa ad pietatem vtilia eſſe. 485

2. Hymnos & cantica Eccleſiaſtica ab Auguſtino defendi & commendari. 486

3. Tunſionem pectoris, cõuerſionem ad orientem, & genuflexionem Chriſtianis olim orantibus non ſine cauſa in vſu fuiſſe. 488

4. Quanta ſit ſigni Crucis dignitas, & quanta virtus. 489

5. Crucis ſigno etiam Auguſtini tempore, frontes Chriſtianorum atque Catechumenorum ſignari ſolitas eſſe. 491

6. Benedictionem Epiſcopalem vel Sacerdotalem in Eccleſia frequentem fuiſſe & ſolennem. 492

7. Officium ſepeliendi defunctorum corpora, & pro eis orandi pium & laudandum eſſe. ibidem

8. Catechumenis & ſacramentum Pœnitentiæ aut Confirmationis accipientibus, impoſitionem manuum adhiberi ſolitam. 493

9. Templa & altaria olim à Chriſtianis conſecrari atque inungi ſolita. ibidem

10. Sacra templa non eſſe violanda: fuiſſe inſuper iam olim loca ſancta deuotis peregrinationibus Chriſtianorum frequentata. 494

11. Diaconos vti dalmatica & alba. 495
12. Sanctimonialium, virginum & viduarum cõſecrationem & profeſſionem Patribus in vſu fuiſſe, eaſdémque veſtibus ſuæ profeſſioni accommodatis indui ſolitas ibi.
13. Quare quibuſdã dieb9 lugeat Eccleſia & aliis lætetur. 496
14. Diem Dominicum à Chriſtianis honorandum & celebrandum eſſe. 497
15. Solennium feſtorum ſtata tempora etiam olim fuiſſe. 498
16. Dies feſti quomodo agendi & celebrandi ſunt. ibidem
17. Diebus variis varia legi in tẽplis, ex ſcripturis & martyrũ paſſionibus excerpta. 499
18. Statis temporibus orare, moris olim fuiſſe. ibidem
19. Quomodo illud Apoſtoli ad Galat. 4. Dies obſeruatis & menſes, accipiendum ſit. 500

*Caput decimum, de Antichriſti extremíque iudicij temporibus, ac deinceps futuro hominum tam electorum quàm reproborum ſtatu.*

1. Antichriſtum filium illum perditionis vnum aliquem particularem hominem futurum. 501
2. Quomodo intelligendus ſit ille Apoſtoli locus 2. Theſſ. 2. Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati &c. 503
3. Antichriſti perſecutionem, non vna aliqua in regione, ſed vniuerſo orbe futuram. 505
4. Antichriſtum non plus triennio & ſex menſibus eſſe regnaturum. 506
5. Antichriſti tempore nõ defecturam Eccleſiã Chriſti. 507
6. Enoch & Eliam vſque hodie in viuis manere, eoſdémque Antichriſti tempore mundo prædicaturos. 508
7. Ante extremum iudicij diem Euangelium in vniuerſo orbe eſſe prædicandum. 510
8. Chriſtum in humana atque viſibili forma venturũ ad iudicandum humanum genus. 512
9. Apoſtolos Apoſtolicæque perfectionis ſectatores, Chriſto aſſeſſuros in iudicio, atque vnà cum illo mundũ iudicaturos. 513
10. In extremo iudicio, vnumquenque fidelium recepturum ſecundùm opera quæ geſſit in corpore, ſiue bona ſiue mala. 515



11. Corpora damnatorum, igne corporeo, doloris pleno atque inextinguibili, æternùm eſſe cremanda. 517
12. Corpora electorũ accepta iam immortalitate, poſt ſupremi iudicis ſententiã, in locis cæleſtibus eſſe conſtituenda. 519
13. Summam & vltimam beatitudinem electorum in contẽplatione, ſeu fruitione diuinæ eſſentiæ cõſiſtere. 522

*Parænesis Auguſtiniana, Epilogi vicem obtinens, & ad errantes in fide omnes pertinens, vt ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem ſe recipiant & adiungant.* 524.

FINIS.

DIVVS AVRELIVS AVGVSTINVS

Natione Afer, patria Thagaſtenſis.
Natus Parentibus Patritio & Monica.
Baptizatus anno ætatis XXX.
Fũctiones Eccleſiaſticas obiit annis XL.
Presbyter & Epiſcopus Hipponenſis in Africa.
Mortuus anno Chriſti CCCCXXX.
Vixit annos ſeptuaginta ſex.
FILIVS lachrymarum,
Reformator Africæ,
Miraculorum patrator,
Eccleſiæ Doctor,
Monaſtices vitæ cultor,
Lumen Theologorum,
Epiſcoporum exemplar,
Hæreticorum profligator.

# IN COMMENDATIONEM VERÆ FIDEI ET CATHOLICÆ confeſsionis, quæ ſequentibus libris traditur, Præfatio ex verbis Auguſtini contexta, vnà cũ triplicis Symboli approbatione.

*Fides initiũ religionis.*

CATHOLICÆ diſciplinę maieſtate inſtitutum eſt, vt accedentibus ad religionem, fides perſuadeatur ante omnia. *Tom.6.de vtilit.credendi,cap.13.*

*Fides intelligentia prior.*

Arcana (*namque*) & ſecreta regni Dei prius quærunt credentes, quo faciant intelligentes. Fides enim gradus eſt intelligendi, intellectus autẽ meritum fidei. Apertè hoc Propheta dicit omnibus præproperè & præpoſterè intelligentiam requirentibus, & fidẽ intelligentibus. Ait enim: * Niſi credideritis, nõ intelligetis. *Tom.10.lib. Quinquaginta Homil.homilia 32.*

** Eſai.7.*

** Heb.11.*

*Fidei vtilitas atque neceſsitas.*

Apoſtolica dicit auctoritas, * quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Fides namque eſt bonorum omnium fundamentum, Fides eſt humanæ ſalutis initiũ. Sine hac fide nemo ad filiorũ Dei numerũ poteſt peruenire: quia ſine ipſa nec in hoc ſæculo quiſquam iuſtificationis gratiam conſequitur, nec in futuro vitam poſsidebit æternam. Et ſi quis hîc non ambulauerit per fidẽ, non perueniet ad ſpeciẽ. Sine fine omnis labor hominis vacuus eſt. Tale quippe eſt, vt ſine vera fide quiſque velit Deo per contemptum ſæculi placere: quale ſi quiſquam tendens ad patriam, in qua ſe ſcit beatè eſſe victurũ, relinquat itineris rectitudinẽ, & improuidus ſectetur errorem: quò non ad beatam ciuitatem perueniat, ſed in pręcipitium cadat, vbi non gaudium peruenienti detur, ſed cadenti interitus inferatur. *Tom.3.de fide ad Petrum, in initio.*

*Sine fide vacuus omnis labor, etiam eius qui ſeculum contemnit.*

*Ante omnia, recta & immaculata fides neceſſaria eſt.*

Fidem ante omnia fratres mei rectam & immaculatam habere contendite, & ſecundum Apoſtolicæ inſti-



tutionis normam, Symbolum à ſanctis Patribus cõſtitutum memoriter tenete, & religioſè viuẽtes obſeruare ſtudete, hæreticorũ dogmata peſtifera fugite &c. vt nihil aliud quàm quod Catholica fides laudat, amat, prædicat, in mente, ſiue in profeſsione, ſeu moribus teneatis. *Tom.10.de tempore, ſerm.53.*

*Catholicæ fidei præſtantia, virtus & efficacia.*

Nullæ ſunt maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla mundi huius maior ſubſtantia, quàm eſt Catholica fides. Quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmẽtat, martyres coronat, virgines, viduas & coniugatas caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat, regnis cœleſtibus præparat, in æterna hæreditate cũ angelis ſanctis cõmunicat. *Tom.10.de verbis Apoſt.ſer.1.*

** Rom.10.*

*Ad hominis ſalutem fidei externa etiam cõfeſſione eſt opus.*

Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ. Ait enim Apoſtolus: * Corde creditur ad iuſtitiã, ore autẽ confeſsio fit ad ſalutẽ: Oportet nos eſſe & iuſtitiæ memores & ſalutis. Quandoquidẽ in ſempiterna iuſtitia regnaturi, à præſenti ſæculo maligno ſalui fieri nõ poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorũ nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus. Quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorũ poſsit in nobis aliqua ex parte violari, pia cautáque vigilantia conprouidendum eſt. *Tom 3.de fide & Symbolo, cap.1.*

*Fides aduerſus hæreticorum fraudes ſedulò conſeruanda.*

*Quantũ boni Catholica fides contineat ac præſtet.*

Apud Catholicam fidem dilectiſsimi noueritis tantũm eſſe veram fidem, germanam pacem, perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt. Si quis ab ea diſceſſerit, atque in hæreticorum errorem ſe tradiderit, vt fugitiuus ſeruus iudicabitur. *Tom. 6. aduerſus Iudæos, Paganos, & Arrianos, cap.20.*

*Vera fides in diſciplina Catholica, non apud ſectarios inuenitur.*

Aderit Deus qui oſtendat vobis, neque apud Manichæos (*ſeu quoslibet ſectarios*) eſſe Chriſtianam fidem, quæ ad ſummum apicem ſapientiæ veritatiſque perducit, qua perfrui, nihil eſt aliud niſi beatè viuere: neque eſſe vſpiam, niſi in Catholica diſciplina. *Tom.1.de morib. Eccleſiæ Catholicæ, lib.1.cap.18.*

*Nemo Chriſtum ſequitur ſine ve-*

Non enim Chriſtum ſequitur, qui non ſecundũ verã fidem & Catholicam diſciplinam Chriſtianus vocatur. *Tom.4.de ſerm.Domini in monte, lib.1.cap.9.*

*ra fide & Catholica diſclina.*

*Ad Eccleſiã exhortatio Auguſtini humilis & pia, ne locũ det ſectariis.*

*Auguſtinus à ſectariis ferè perditus.*

** Gen.3.*

*Veritatẽ ſola habet Eccleſia, incorrupta virgo & fœcunda mater.*

** Gal.1.*

** Coloſ.2.*

** Pſalm.30*

*Contemnendi Eccleſiæ aduerſarij.*

Te ergo vera ſponſa veri Chriſti Eccleſia Catholica, alloquar & ego te pro modulo meo, qualiſcunque filius & ſeruus tuus, poſitus in te diſpenſare cibaria cõſeruis meis. Caue ſemper, vt caues, Manichæorum (& *hæreticorum omniũ*) impiam vanitatem, iam tuorũ periculo expertam & liberatione cõiunctam. Ille me quõdam de gremio tuo excuſſerat: expertus fugi, quod experiri non debui. Sed tibi profecerint etiam pericula mea, cui nunc ſeruit liberatio mea. Quia niſi mihi verus & verax ſpõſus tuus, de cuius latere facta es, in vero ſanguine ſuo remiſſionẽ peccatorum poſuiſſet: abſorbuiſſet me vorago fallaciæ, & terram factum ſerpens *irreparabiliter deuoraſſet. Noli decipi nomine veritatis, hanc ſola tu habes & in lacte tuo & in pane tuo: in hac autem tantùm nomen eius eſt, ipſa non eſt. Et in tuis quidem grandibus ſecura es. Sed appello interim paruulos tuos fratres, filios, dominos meos, quos vel tanquàm oua ſollicitis alis foues, vel tanquã infantes lacte nutris, ſine corruptione fœcunda virgo mater. Hos in te appello teneros fœtus tuos, ne garrula curioſitate ſeducantur abs te: ſed potius anathematizent * ſi quis eis Euangelizauerit præter id quod acceperint in te. Nec enim relinquant verum veracémque Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri * ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: & magnam multitudinem dulcedinis eius * quam abſcondit metuentibus ſe, perfecit autem ſperantibus in ſe. Ibi verò quomodo poſſunt eſſe verba veracis, in prædicatore Chriſti fallacis? Contemne inſultationes eorum, quia bene tibi es conſcia promiſſionẽ vitæ æternæ te adamaſſe in muneribus ſponſi tui, id eſt, ipſum ſponſum tuum: quia ipſe eſt vita æterna. *Tom.6.cont. Fauſtum Manich.lib.15.cap.3.*

*Laudabiles mores ſine recta & Catholica fide neminem ſaluant.*

Homo ducens vitam ſine homicidio, ſine furto, ſine falſo teſtimonio, ſine appetitu rei vllius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, caſtus vſque ad continentiam ab omni concubitu, etiã coniugali, eleemoſynarum largiſſimus, iniuriarum patientiſſimus, qui non ſolùm non auferat aliena, ſed nec ſua repoſcat ablata, vel etiam venditis omnibus ſuis erogatiſque in pauperes, nihil ſuum poſſideat, cum ſuis tamen iſtis velut laudabilibus moribus, ſi non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, de hac vita damnandus abſcedit. *Tom.7.cont.duas Epiſt. Pelag.lib.3.cap.5 Idem ferme legitur lib.4.de Baptiſ.cont. Donatiſt.cap.18.*

*Quid ſit proprium Catholicorũ circa fidei doctrinam.*

Boni autem Catholici ſunt, qui & fidem integrã ſequuntur & mores bonos. Quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt, ſi quid quærendum habent, vt abſit concertatio periculoſa vel quærenti, vel ei cum quo quæritur, vel eis qui diſſerentes audiunt. Ita autem docent, ſi quid docẽdum habent, vt vſitata & confirmata ſecuriſsimè & fidentiſsimè & leniſsimè vt poſſunt inſinuent. Inuſitata verò, etiamſi veritatis manifeſtatione liquidiſsima perceperunt, quærendi potius, quàm percipiendi aut affirmãdi modo, propter audiẽtis infirmitatem. *Tom.4.quæſt.ex Matthæo,cap.11.*

*Triplex fidei Symbolum ab Auguſtino probari.*

*Symbolum Apoſtolicum regula fidei.*

SAncti Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolicum, duodecim ſententiis comprehenſam, Symbolum vocauerunt: per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticam conuincerent prauitatem. Symbolum ergo tali ratione inſtitutum maiores noſtri dixerunt. Tradunt enim, quòd poſt Aſcenſionem Domini, & ſaluatoris noſtri ad Patrem cùm per aduentum Spiritus ſancti diſcipuli eius inflammati linguis omniũ loquerentur ad ſingulas quaſque nationes, vt Dei verbũ prædicarent, ituri ac diſceſſuri ab inuicem, normam prius ſibi futuræ prædicationis in commune ſtatuerunt, ne localiter ab inuicem diſcedentes, diuerſum vel diſſonũ prædicarent his qui ad fidem Chriſti inuitabuntur.

*Symboli auctores Apoſtoli.*

Omnes igitur in vno poſiti & Spiritu ſancto repleti, breue ſuæ prædicationis iudicium conferendo in vnũ, quod ſentiebat vnuſquiſque computabat, atque hanc ita credentibus dandam eſſe regulam inſtituerunt. *Tom.10.de temp.ſerm.181.*

*Symbolum Apoſtolicum.*

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrũ, qui cõceptus eſt

de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritū ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remiſsionem peccatorū, Carnis reſurrectionem, Vitam æternam. *Explicatur Tom.3. lib. de fide & Symbolo. Item Tom.9. de Symbolo ad Catechum. libris quatuor. Præterea Tom.10. de tēpore, ſer.115.*

### *Symbolum Athanaſij.*

*Ex Symbolo Athanaſij integrum verſiculum ſub nomine Patris Athanaſij Alexandrini Epiſcopi, citat Auguſtinus. Tom.8. in Pſal.120. Alterū ſimiliter verſiculū, ſed tacito Athanaſij nomine. Tom.10. de temp. ſerm.195.*

### *Symbolum Nicænum.*

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentē, omnium viſibilium & inuiſibilium conditorem. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei, natum de Patre vnigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia Patris, Deū de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum nō factum, vnius ſubſtātiæ cū Patre, quod Græci dicunt ὁμόουσιον, per quem omnia facta ſunt, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die. Aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritū ſanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, & priuſquam naſceretur non erat, & quia ex nullis exiſtētibus factus eſt, vel ex alia ſubſtantia, vel natura, dicentes mutabilem & cōuertibilem filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia. *Tom.1. Conciliorum, Concil. Carthaginenſi.6. Can.10. Huic Concilio Auguſtinus Numidiæ Legatus interfuit.*

CONFES-



# CONFESSIONIS AVGVSTINIANÆ LIBER PRIMVS, TREDECIM CAPITA COMPLECTENS.

## CAPVT I. DE DEO.

### *1. Deum eſſe, ne Paganis quidem fuiſſe incognitum.*

QVOD Deus dicitur, vniuerſæ creaturæ & omnibus gētibus, antequam in Chriſtum crederent, non omni modo eſſe potuit hoc nomen ignotum. Hæc eſt enim vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali, iam ratione vtenti, non omnino ac penitus poſſit abſcōdi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimiùm deprauata eſt, vniuerſum genus humanum Deum mūdi huius fatetur auctorem. In hoc ergo quod fecit hunc mundum, cœlo, terráque conſpicuum, & antequam imbuerentur in fide Chriſti, notus omnibus gētibus Deus. In hoc autem quod non eſt in iniuriis ſuis, & cum Diis falſis colendus, notus * in Iudæa Deus. In hoc verò quòd Pater eſt huius Chriſti, per quem tollit peccata mundi, * hoc nomen eius prius occultum omnibus, nunc manifeſtauit eis, quos * dedit ei Pater ipſe de mundo. *Tom.9. ſuper Ioan. Tract.* 106.

*Deus creaturæ ratione vtenti planè ignotus eſſe non poteſt.*

*Deus ſingulariter notus in Iudæa.*

* *Pſal.* 75.
* *Ioan.* 1.
* *Ioan.* 17.

Dixit imprudens in corde ſuo, non eſt Deus. *) Nec ipſi enim ſacrilegi & deteſtandi quidam Philoſophi,

* *Pſal.* 13.

qui peruerſa & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere, non eſt Deus. Ideò ergo dixit, in corde ſuo, quia hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in affectionibus ſuis.*) Id eſt, dum amant hoc ſeculum, non amant Deum. Ipſæ ſunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & ſic excæcant, vt poſſit etiam dicere imprudẽs in corde ſuo, non eſt Deus. Sicut enim non probauerunt Deum habere in notitia, dedit* illos Deus in reprobum ſenſum. *Tom. 8. in Pſalm. 13.*

*Nemo voce negare audet Deum eſſe.*
** Ibidem.*
** Rom. 1.*

Quod notum eſt* Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius ac diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cognoſcentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentiũ. Vide quemadmodum non eos dixerit veritatis ignaros, ſed quod veritatem in iniquitate detinuerint, quia occurrebat animo, vt quæreretur vnde illis eſſe potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat. Neque hoc tacuit vnde habere potuerint. Per viſibilia namque creaturæ perueniſſe eos dixit ad intelligentiam inuiſibilis creatoris. Quoniam reuera ſicut magna ingenia quærere perſtiterunt, ſic inuenire potuerunt. *Tom. 3. de Spiritu & litera cap. 12. Lege & Tom. 10. de verbis Domini, ſerm. 55.*

** Rom. 1.*

## II. *Quid ſit Deus, ineffabile nobis eſſe & incomprehenſible.*

*7. de Trinit. cap. 4.*
*Non parum eſt noſſe quid nõ ſit Deus.*

EXcedit ſupereminentia Deitatis, non ſolùm vſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem. Veriùs enim cogitatur Deus quàm dicitur, & veriùs eſt quàm cogitatur. Non parua autem notitiæ pars eſt, ſi antequam ſcire



poſſumus quid ſit Deus, poſſimus ſcire quid non ſit. *Tom. 3. in ſententiis Proſperi ex Auguſtino collectis, ſent. 61.*

Non eſt ſimilis tibi in Diis Domine.*) Quantum autem ſit diſsimilis Deus, non dixit, quia dici non poteſt. Intendat charitas veſtra, Deus ineffabilis eſt. Faciliùs dicimus quid non ſit, quàm quid ſit. Terram cogitas, non eſt hoc Deus: mare cogitas, non eſt hoc Deus: Omnia quæ ſunt in terra, homines & animalia, non eſt hoc Deus. Omnia quæ ſunt in mari, quæ volant per aërem, non eſt hoc Deus. Quicquid lucet in cœlo, ſtellæ, Sol, & Luna, non eſt hoc Deus. Ipſum cœlum non eſt Deus. Angelos cogita, Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, & Sedes, Dominationes, non eſt hoc Deus. Et quid eſt hoc? Solùm potui dicere, quid non ſit. Quæris quid ſit? Quod * oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit? *Tom. 8. ſuper Pſalm. 85.*

** Pſal. 85.*
*Quantum Deus ſit creaturæ diſſimilis, dici non poteſt.*
*Facilius ex creaturis diſcitur, quid nõ ſit Deus, quã quid ſit.*
*Iſai. 64.*
*1. Cor. 2.*

Si ergo non poteſtis comprehendere quid ſit Deus, vel hoc comprehendite quid non ſit Deus: multùm profeceritis, ſi non aliud quàm eſt de Deo ſenſeritis: nondum potes peruenire ad quid ſit, perueni ad quid non ſit. Non eſt Deus corpus, non terra, non cœlum, non Luna, non Sol, non ſtellæ, non corporalia iſta. Si enim non cœleſtia, quanto minùs terrena? Tolle omne corpus. Adhuc audi aliud: Non eſt Deus mutabilis ſpiritus. Nam fateor, & fatendum eſt, quia Euãgelium loquitur: * Deus ſpiritus eſt. Sed tranſi omnem mutabilem ſpiritum, tranſi ſpiritum, qui modò ſcit, modò neſcit, modò meminit, modò obliuiſcitur, vult quod nolebat, non vult quod volebat, ſiue patiatur iam iſtas mutabilitates, ſiue pati poſſit. Tranſi omnia, non inuenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid, quod aliter nunc eſt, aliter paulò ante fuerit. Nam vbi inuenis aliter, & aliter, facta eſt ibi quædam mors. Mors enim eſt, non eſſe quod fuit. *Tom. 9. in Euang. Ioan. tract. 23.*

*Non valens intelligere, quid Deus ſit, intelligat quid non ſit.*
** Ioan. 4.*
*Deus omnis mutationis expers.*
*Quomodo inueſtigandum quid ſit deus.*

Intelligamus Deum ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum,

ſine intelligentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia facientem, nihílque patientem. Quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondum poteſt omnino inuenire quid ſit, piè tamen cauet, quantum poteſt, aliquid de eo ſentire quod non ſit. *Tom.5. de Trinit. lib.3. cap* 1.

Tene inconcuſſa fide Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe Trinitatem, & tamen vnum Deum: non quòd ſit eorum communis quaſi quarta diuinitas, ſed quòd ſit ipſa ineffabilis & inſeparabilis Trinitas. Patrémque ſolùm genuiſſe Filium, Filiúmque ſolum genitum à Patre, Spiritum verò ſanctum & Patris & Filij eſſe Spiritum. Et quicquid tibi, cum iſta cogitas, corporeæ ſimilitudinis occurrerit, abige, abnue, nega, reſpue, abiice, fuge. Non enim parua eſt inchoatio cognitionis Dei, ſi antequam poſſimus noſſe quid ſit, incipiamus iam noſſe quid non ſit. *Tom. 2. epiſt. 222. ad Conſentium, vltra medium.*

## *III. Quis homini de Deo ſenſus habendus ſit.*

Omnis quæ nos circunſtat, ad quā nos etiam pertinemus, vniuerſa ipſa rerum natura proclamat, habere ſe præſtantiſſimum conditorem, qui nobis mētem rationémque naturalem dedit, qua viuentia non viuentibus: ſenſu prædita, non ſentientibus: intelligentia, non intelligentibus: immortalia, mortalibus: impotentibus, potentia: iniuſtis, iuſta: ſpecioſa, deformibus: bona, malis: incorruptibilia, corruptibilibus: immutabilia, mutabilibus: inuiſibilia, viſibilibus: incorporalia, corporalibus: beata, miſeris præferenda, videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creatorem ſine dubitatione præponimus, oportet vt eum & ſummè viuere, & cuncta ſentire atque intelligere & mori, corrūpi, mutaríque non poſſe, nec corpus eſſe, ſed Spiritum omnium potentiſſimum, iuſtiſſimum, ſpecioſiſſimum, optimum, beatiſſimúmque fateamur. *Tom.3. libr.15. de Trinit. cap. 4.*

*Attributa Dei multa & præſtantiſſima ex creaturis collecta.*



Quid es ergo Deus meus? quid rogo niſi Dominus Deus? Quis enim * Dominus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum? ſumme, optime, potentiſſime, omnipotentiſsime, miſericordiſſime & iuſtiſsime, ſecretiſsime & præſentiſsime, pulcherrime & fortiſsime, ſtabilis & incomprehenſibilis, immutabilis mutans omnia, nūquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos & neſciunt. Semper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, portans & implens, & protegens, creans & nutriens, & perficiens, quærens cum nihil deſit tibi, amas nec æſtuas, zelas & ſecurus es, pœnitet te & non doles, iraſceris & tranquillus es, opera mutas nec mutas conſilium, recipis quod inuenis, & nunquam amiſiſti. Nunquam inops, & gaudes lucris. Nunquam auarus, & vſuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas, & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid dicimus Deus meus, vita mea, dulcedo mea ſancta, aut quid dicit aliquis, cum de te dicit? *Tom.1. lib.1. confeſſionum, cap.4.*

** Pſalm.17.*

*Deū quomodo deſcribat Auguſtinus.*

*Diuinæ prouidentiæ opera erga hominem.*

Domine amo te. Percuſſiſti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicūt vt te amem, nec ceſſant dicere omnibus vt ſint inexcuſabiles. Altiùs autem tu miſereberis, cui * miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris. Alioquin cœlum & terra ſurdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? non ſpeciem corporis nec decus temporis, nec candorem lucis ecce iſtis amicum oculis, non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum, non florum & vnguentorum & aromatum ſuaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo cum amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quēdam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum, lucem, vocem, odorem, cibū, amplexum interioris hominis mei: vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & vbi ſonat, quod non rapit tempus, & vbi olet quod non ſpargit flatus, & vbi ſapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non

*Omnis creatura nos ad Dei prouocat amorem.*

** Rom. 9.*

*Perfectiones rerū omnium præſtātiſſimè ſunt in Deo.*

diuellit ſatietas. Hoc eſt quod amo, cum Deum meum amo. Et quid eſt hoc? Interrogaui terram, & dixit, Non ſum, & quæcunque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare & abyſſos, & reptilia animarum viuarum, & reſponderũt: Non ſum Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuerſus aer cum incolis ſuis: Fallitur Anaximenes, non ſum Deus tuus. Interrogaui Cœlum, Solem, Lunã, Stellas, neque nos ſumus Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus his quæ circunſtant fores carnis meæ: Dicite mihi de Deo meo, quod vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid, & exclamauerunt voce magna: * Ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & reſponſio eorũ, ſpecies eorum. Et direxi me ad me, & dixi mihi: Tu quis es? Et reſpondi, homo. Et ecce corpus & anima in me mihi præſto ſunt, vnum exterius & alterum interius. Quid horum eſt, vnde quærere debui Deum meum, quem iam quæſiueram per corpus à terra vſque ad cœlum, quouſq; potui mittere nuncios, radios oculorum meorum? Sed melius quod interius eſt: quippe renunciabant omnes nuncij corporales præſidenti & iudicanti de ſingulis reſponſionibus cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt dicentium: Non ſumus Deus, * ſed ipſe fecit nos: homo interior cognouit hæc per exterioris miniſterium, ego interior cognoui hæc, ego ego animus per ſenſus corporis mei. *Ibidem libr. 10. cap. 6.*

*Quomodo p creaturas ad Dei cognitionem aſcendatur.*

** Pſalm. 99.*

*Melius per animum noſtrum quàm per res corporeas cognoſcitur Deus.*

** Pſal. 99.*

Quid eſt, inquam, omnipotens Deus? Quid niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, vltra omnia, extra omnia, præter omnia? Omnem enim creaturam ſuam excedit, omnem facturam præterit, vniuerſa præcellit. Si enim quæras magnitudinem, maior eſt, ſi pulchritudinem, pulchrior, ſi dulcedinem, dulcior, ſi ſplendorem, fulgidior, ſi iuſtitiã iuſtior, ſi fortitudinem fortior, ſi pietatem clementior. Nulla enim ratio patitur vt vel factura factori ſuo æquetur, vel opus artifici comparetur: ſicut legitur in propheta: * Qui fecit fortia, fortior eſt, & qui fecit pulchra, pulchrior illis eſt. *Tom. 10 de verb. Apoſt. ſerm 1.*

*Nulla ratio patitur vt factura factori ſuo æquetur, vel comparetur.*

** Sap. 13.*

Deus ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo



nihil, vltra quem nihil, infra quem nihil. Deus ſub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus * à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deus cuius nos fides excitat, Spes erigit, Charitas iungit. Deus qui petere * iubes, & inuenire facis, & pulſantibus aperis. Deus à quo auerti cadere eſt, in quem conuerti reſurgere, in quo manere cõſiſtere. Deus quem nemo amittit niſi deceptus, nemo quærit niſi admonitus, nemo inuenit niſi purus aut purgatus. Deus quem neſcire mori eſt, quem noſſe viuere eſt, quem ſpernere perire eſt, cui ſeruire regnare eſt. *Tom. 9. de ſpeculo, cap. 33. In eundem ſenſum quàm plurima leges Tom. 1. ſoliloq. lib. 1. cap. 1. & Tom. 10. ſoliloq. cap. 32.*

** Rom. 11.*

** Matth. 7.*

## *IIII. Deum Omnipotentem eſſe.*

IN clariſſima luce ſapientiæ videbitur (*poſt hanc vitã*) quod nunc piorum fides habet, antequam manifeſta cognitione videatur, quàm certa & immutabilis & efficaciſſima ſit voluntas Dei, quàm multa poſſit, & nõ velit, nihil autem velit quod non poſſit, quamque ſit verum quod in Pſalmo canitur: * Deus autem noſter in cælo ſurſum, in cælo & in terra, omnia quæcunque voluit fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit & non fecit: & quod eſt indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit. Non ergo fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. *Tom. 3. Enchirid. cap. 95.*

*Deus poteſt quicquid vult, nõ vult autem quicquid poteſt.*

** Pſal. 113.*

*Nihil fit, quod Deus nõ faciat, vel fieri ſinat.*

Omnipotens eſt ad facienda maiora & minora. Omnipotens eſt ad cæleſtia & terreſtria. Omnipotens eſt ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens eſt ad facienda ſpiritalia & corporalia. Omnipotens eſt ad facienda viſibilia & inuiſibilia, magnus in magnis, nec paruus in minimis. Poſtremò omnipotens eſt ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Nam ego dico, quanta non poſſit. Non poteſt mori, non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli. Tanta non poteſt, quæ ſi poſſet, non eſſet omnipotens. *Tom. X. de temp. ſerm. CXIX.*

*In Deũ nullus cadere poteſt defectus.*

** 2. Tim. 2.* — *Omnipotẽtia Dei eſt, non poſſe falli aut peccare.* — ** Pſal. 145.* — ** Gen. 1.*

Deus omnipotens eſt, & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mẽtiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, * negare ſeipſum non poteſt. Quàm multa non poteſt, & omnipotens eſt. Et ideò omnipotens eſt, quia iſta non poteſt: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi iniquè agere, non eſſet omnipotens: quia ſi hoc in eo eſſet, nõ fuiſſet dignus, qui eſſet omnipotens. Prorſus omnipotens pater noſter peccare non poteſt. Facit quicquid vult, ipſa eſt omnipotentia, facit quicquid bene vult, quicquid iuſtè vult: quicquid autem malè fit, non vult. Nemo reſiſtit omnipotenti, vt non quod vult faciat. Ipſe* fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, inuiſibilia & viſibilia. Inuiſibilia ſicut ſunt in cælis, ſedes, dominationes, principatus, poteſtates, archãgeli, angeli, ſi bene vixerimus, ciues noſtri. Fecit in cælo viſibilia, Solem, Lunam, ſtellas. Suis animalibus terreſtribus ornauit terram, impleuit aërem volatilibus, terram ambulantibus & ſerpentibus, mare natantibus, omnia impleuit ſuis creaturis propriis: fecit * & hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. *Tom. 9. de Symb. ad Cat. lib. 1. cap. 1. Lege & lib. 2. cap. 3.*

Omnipotentem autem Deum non ita dicimus, ac ſi eum etiam mori poſſe credamus: & quia hoc non poteſt, ideò non ſit dicendus omnipotens. Ille planè omnipotens verè ſolus dicitur, quia verè eſt, & à quo ſolo eſt, quicquid aliquo modo eſt, vel ſpiritale, vel corporale: quia vniuerſa creatura ſua vtitur, vt ei placet. Placet autem illi ſecundum veram incommutabilémque iuſtitiam, quod ipſi ſibi eſt, omnia mutabilia, cùm ipſe ſit incommutabilis, commutare pro meritis ſiue naturarum ſiue factorum. *Tom. 6. contra Fauſt. Manich. lib. 26. cap. 5.*

*Diſputãtes contra Dei omnipotẽtiã, cõtra animas ſuas argumẽtantur.* — *Facilius negatur Chriſtus, quàm Dei omnipotentia.*

Qui fideliter diſputant, ſcire volunt diligentiùs, quid reſpondeant infidelibus: qui autem infideliter diſputant, argumentantur contra animas ſuas diſputantes contra potentiam omnipotentis, dicentes: Vnde fieri poteſt, vt mortuus reſurgat? Dico ego: Deus eſt qui facit, & tu dicis, fieri non poteſt. Non dico: Da mihi Chriſtianum, da mihi Iudæum: ſed, da mihi paganum



multorum idolorũ cultorem, Dæmonum ſeruum, qui non dicat, Deum eſſe omnipotentem, negare Chriſtum poteſt, negare omnipotentem Deũ non poteſt. Quem tu ergo credis, quaſi pagano loquor, quem tu credis Deum omnipotentem, ipſum ego dico mortuorũ ſuſcitatorem. Si dixeris: Non poteſt fieri, derogas omnipotenti. Si autem credis illum omnipotentẽ, me quare reſpuis iſta dicentem? *Tom. 10. de temp. ſerm. 139. Lege etiam de ciuit. Dei lib. 5. cap. 5. & lib. 22. cap. 25. Item contra Felicem Manichæum lib. 2. cap. 18.*

## *V. Dei prouidentia omnia regi.*

SIcut Deus vbique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cælum & terram, præſente potentia, non abſente natura. Sic itaque adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam proprios exercere, & agere motus ſinat. *Tom. 5. de ciuit. Dei lib. 7. cap. 30.*

*Nihil fit, quod Deus non velit, aut fieri pmittat.*

Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omniũ corporalium, ſpiritualiúmque motionum. Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & intelligibili ſummi Imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam vniuerſáque Republica. *Tom. 3. lib. ſent. ſent. 58.*

*Redarguũtur qui præcipuas tãtùm mũdi partes prouidentia diuina gubernari putant.* — ** Pſal. 148.*

Nec audiendi ſunt, qui putauerunt, ſublimes quidem mũdi partes, id eſt, à confinio corpulentioris aëris huius & ſuprà, diuina prouidentia gubernari: hanc autem imam partem terrenam & humidam aëriſque huius vicinioris, qui terrarum & aquarum exhalationibus humeſcit, in quo venti nubéſque conſurgunt, caſibus potius & fortuitis motibus agitari. Contra hos loquitur Pſalmus, qui cum explicaſſet laudem cæleſtium, ſe etiã ad iſta inferiora conuertit dicens: * Laudate Dominũ de terra, dracones & omnes abyſſi, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis, quæ faciunt verbum eius. Nihil enim tam videtur caſibus volui, quàm omnes iſtæ procelloſæ ac turbulentæ qualitates, quibus cæli

huius inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum eſt, facies variatur & vertitur. Sed cum addidit: * Quæ faciunt verbum eius: ſatis oſtendit, earum quoque rerum ordinem diuino ſubditum imperio, latere nos potius, quàm vniuerſitatis deeſſe naturæ. Quod autem ore ſuo Saluator dicit: * vnum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate, & * quod fænum agri poſt paululum mittendum in clibanum, ipſe tamen veſtiat: nónne confirmat non ſolùm totam iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputari, verùm etiam viliſſimas eius abiectiſſimáſque particulas diuina prouidentia regi? *Tom. 3. de Geneſ. ad literam, lib. 5. cap. 21. Idem docet de Agone Chriſtiano cap. 8.*

** Ibidem.* ** Matt. 10.* ** Luc. 12.* ** Matth. 6.*

*Viliſſimas & abiectiſſimas etiam mūdi partes Dei prouidētiæ ſubiectas eſſe, Scripturis probat.*

In ipſum mundum, velut in quandam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollitur, atque in ipſo quoque gemina operatio prouidentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei adminiſtrationem, quæ etiam lignis & herbis dat incrementum, voluntaria verò per angelorum opera & hominum. Secundùm illam primam cæleſtia ſuperiùs ordinari, inferiúſque terreſtria, luminaria ſyderáque fulgere, diei noctiſque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aërem altius ſuperfundi, arbuſta & animalia concipi & naſci, creſcere & ſeneſcere, occidere, & quicquid aliud in rebus interiore naturalíque motu geritur. In hac autem altera ſigna dari, doceri & diſcere, agros coli, ſocietates adminiſtrari, artes exerceri, & quæque alia, ſiue in ſuperna ſocietate aguntur, ſiue in hac terrena atque mortali: ita vt bonis conſulatur, & per neſcientes malos: inque ipſo homine eandem geminam prouidentiæ vigere potentiam. *Ibidem lib. 8. cap. 9.*

*Duplici diuinæ prouidentiæ operatione mūdus adminiſtratur.*

*Non tātùm cauſæ naturales & earū effectus, ſed etiam liberæ voluntates Dei prouidentia reguntur.*

Mouet itaque occulta potentia vniuerſam creaturam ſuam, eóq; motu illa verſata dum angeli iuſſa perficiūt, dū circumeunt ſydera, dum alternant venti, dū abyſſus aquarū lapſibus, & diuerſis etiā per aerē cōglobationibus agitatur, dū vireta pullulant, ſuáque ſemina euoluunt, dum animalia gignunt, varióque appetitu proprias vi-

*Deus prouido motu vniuerſam creaturā mouet.*



tas agunt, dum iniqui iuſtos exercere permittuntur, explicat ſæcula, quæ illi cum primùm condita ſunt, tanquam implicita indiderat: quæ tamen in ſuos curſus non explicarentur, ſi ea ille qui condidit, prouido motu adminiſtrare ceſſaret. *Tom. 3. de Geneſ. ad literam lib. 5. cap. 20. Plura Tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 11. Item libr. 7. cap. 29. Et libr. 10. cap. 14. Et libr. 22. cap. 24.*

Sed iis tamen qui putant iniuſtum Deum, cùm iuſtos in doloribus & laboribus vident: aut certè ſi non audent iniuſtum Deum dicere, vel res humanas non curare arbitrantur, vel ſemel ſtatuiſſe neceſſitates fatorū, contra quas nec ipſe aliquid facit, ne ordinem rerum à ſe diſpoſitum inconſtantia turbare credatur: aut aliquid aliud opinantur, quòd Deus in aliquo inualidus, non poſſit à iuſtis iſta mala prohibere: dicendum eſt, nullam fuiſſe futuram iuſtitiā in hominibus, ſi res humanas non curat Deus: quia omnis iſta hominum iuſtitia, quam & tenere animus humanus rectè faciendo poteſt, & peccādo amittere, non imprimeretur animæ, niſi eſſet aliqua incommutabilis iuſtitia, quæ integra inueniretur à iuſtis, cum ad eam conuerterentur: integra relinqueretur à peccantibus, cum ab eius lumine auerterentur. Quæ iuſtitia incommutabilis vtique Dei eſt, nec eam porrigeret ad illuſtrandos ad ſe conuerſos, ſi res humanas non curaret. Si verò propterea grauia perpeti iuſtos non ſineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet venire, nec ipſe iuſtus eſſet: non quia diſpoſitionem ſuam ſeruare non vult, ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, vt immeritis pœnis iuſti affligantur. In aliquo autem Deum eſſe inualidum ad repellenda mala, quæ iuſti patiūtur, quiſquis opinatur, ideò deſipit, quia non intelligit, ſicut nefas eſt, iniuſtum Deum dicere, ita nefas eſſe, omnipotentem negare. *Tom. 4. libr. 83. quæſtionum, quæſtion. 72. vide quæ in eadem quæſtione ſequuntur.*

*Neceſſitas fati reprehenditur.*

*Nulla in hominibus eſſet iuſtitia, ſi Deus res humanas non curaret.*

## *VI. Deum eſſe vbique.*

NVſquam abſens eſt, qui cœlum & terram implet, nec ſpaciis includitur paruis, magníſque diffundi-

*Deus vbique totus.*

tur, ſed vbique totus eſt, & nullo continetur loco. *Tom. 2. Epiſt. 112. ad Paulinam cap. 12.*

** Hier. 23.*

Non enim quia dicimus Deum & in cælo eſſe & in terra, ipſe quippe ait per prophetam: *cælum & terram ego impleo, aliam partem dicturi ſumus cum in cælo habere, & in terra aliam, ſed totus in cælo eſt, totus in terra: non alternis tẽporibus, ſed vtrunque ſimul, quod nulla natura corporalis poteſt. *Tom. 5. de Ciui. Dei lib. 22. cap. 29.*

*Deus non occupat locum mole corporis, ſed maieſtate vbique præſtò eſt.*

Quærunt (*Manichæi*) quomodo Sathanas cũ Deo loqui potuerit: non intuentes (non enim poſſunt ſuperſtitione & contentione cæcati) Dominum non loci ſpacium mole corporis occupare, & ſic alibi eſſe, alibi non eſſe, vel certè hîc habere partem aliam, & alibi aliam: ſed maieſtate vbique præſtò eſſe, non per partes diuiſum, ſed vbique perfectum. *Tom. 4. de ſer. Domini in monte lib. 2. petitione 5.*

** Hierc. 23. * Sap 8. *Sap. 1. Pſal. 138. Amos. 9.*

*Deus ſubſtãtialiter vbique diffuſus.*

Eſt ergo Deus per cuncta diffuſus: ipſe quippe ait per Prophetam: *Cælum & terram ego impleo. Et quod paulò ante poſui de ſapientia eius: Attingit * à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Itémque ſcriptum eſt: * Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, eíque dicitur in quodam Pſalmo: Quò ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si aſcendero in cælum, tu ibi es: ſi deſcẽdero ad Infernum, ades: quia ſubſtantialiter Deus vbique diffuſus. Sed ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, vt non ſit qualitas mundi, ſed ſubſtantia creatrix mundi, ſine labore regens, & ſine onere cõtinens mundum. Non tamen per ſpacia locorum, quaſi mole diffuſa, ita vt in dimidio mundi corpore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus: ſed in ſolo cælo totus, & in ſola terra totus, & in cælo & in terra totus ſolus, & nullo contentus loco, ſed in ſeipſo vbique totus. *Tom. 2. Epiſt. 57. ad Dardanum, in ſolut. quæſt 1.*



*Similitudine ſpongiæ & maris adumbratur vbiquitas Dei.*

Conſtituebam in conſpectu Spiritus mei vniuerſam creaturam, quicquid in ea cernere poſſumus, ſicuti eſt terra & mare, & aër, & ſydera, & arbores, & animalia mortalia, & quicquid in ea non videmus, ſicut firmamentum cæli, inſuper & omnes angelos, & cuncta ſpiritualia eius: ſed etiam ipſa quaſi corpora eſſent, locis & locis ordinauit imaginatio mea: & feci vnam maſſam grandem diſtinctam generibus corporum creaturam tuam, ſiue quæ vera corpora erant, ſiue quæ ipſe pro ſpiritibus finxeram: & eam feci grandem, non quantum erat, quod ſcire non poteram, ſed quantum libuit vndique verſum ſanè finitam: Te autem Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantem, ſed vſquequaque infinitum: tanquam ſi mare eſſet vbique, & vndique per immenſa ſpacia infinitum ſolum mare, & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen, plena eſſet vndique ſpongia illa ex omni ſua parte ex immenſo mari: ſic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebã. Ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus, & ecce quomodo ambit atque implet ea. *Tom. 1. Confeſſ. lib. 7. cap. 5. Hæc atque ſimilia in Auguſtino intellige ſecundum ſuperiora. Lege To. 6. contra Epiſt. Manichæi cap. 19. & ſequentibus. Item contra Fauſtum Manich. lib. 6.*

### *VII. Deum ſummum eſſe bonum, in quo vita beata conſiſtat.*

*Summum bonum, & bonorum omnium finis Deus.*

IN Deo ſummum hominis bonum conſtitutum eſt, non quo alia bona non ſint, ſed ſummum id dicitur, quo cuncta referuntur. Eo enim fruendo quiſque beatus eſt, propter quod cætera vult habere, cùm illud iam non propter aliud ſed propter ſeipſum diligatur. Et ideò finis ibi dicitur, quia iam quò excurrat, & quò referatur non inueniretur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi ſecuritas, ibi tranquilliſſimum gaudium optimæ voluntatis. *Tom. 2. Epiſt. 56 ad Dioſcorum, circa medium.*

*Bonorũ ſumma Deus nobis eſt.*

Eò eſt omnino tẽdẽdũ, ad id omnia cõſilia noſtra referẽda. Bonorũ ſumma Deus nobis eſt, Deus eſt nobis ſummũ bonũ. Neque infrà remanendũ nobis eſt, neque vltrà quærendũ. Alterum enim periculoſum, alterũ nullum eſt. *Tom. 1. de moribus Eccleſ. Cathol. lib. 1. ca. 8.*

Nam quid erit aliud optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſſimum? Id autem eſt ſolus Deus, cui hærere certè nõ valemus, niſi dilectione. *Ibid. cap. 14. vide & alia eiuſdem libri.*

Summum bonum quo ſuperius non eſt, Deus eſt: ac per hoc incommutabile bonum eſt, & ideò verè æternum, & verè immortale. Cætera omnia bona non niſi ab illo ſunt, ſed non de illo. De illo enim quod eſt, hoc eſt quod ipſe eſt: ab illo autem quæ facta ſunt, nõ ſunt quod ipſe. Ac per hoc ſi ſolus ipſe incommutabilis, omnia quæ fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia ſunt. *Tom. 6. de natura boni contra Manichæ. cap.* 1.

*Omnia bona ſunt à Deo, ſed nõ omnia de Deo.*

Bonum tuum quære ô anima. Eſt enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent quoddam bonum ſuũ integritatis ſuæ, & perfectionis naturæ ſuę. Intereſt quid cuique rei imperfectæ neceſſariũ ſit, vt perficiatur: quære tuum bonum. Nemo * bonus niſi vnus Deus. Summum bonum hoc eſt tuum bonũ. Quid deeſt, cui ſummum bonum bonum eſt? *Tom* 8. *in Pſal.* 101.

* *Luc.* 18.

*Summum bonum animæ bonum.*

Bona eſt terra altitudine montium, & temperamento collium, & planicie camporum, & bonum prædium, amœnum ac fertile, & bona domus paribus membris diſpoſita, & ampla, & lucida, & bona animalia, animantia corpora, & bonus aër, modeſtus & ſalubris, & bonus cibus, ſuauis atque aptus valetudini, & bona valetudo ſine doloribus & laſſitudine, & bona facies hominis dimenſa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata, & bonus animus amici, conſenſionis dulcedine & amoris fide, & bonus vir iuſtus, & bonæ diuitiæ, quia facilè expediunt, & bonum cælum cum Sole & Luna & ſtellis ſuis, & boni Angeli, ſancta obedientia, & bona locutio ſuauiter docens, & congruenter mouens audientem. Et bonum carmen canorum numeris, & ſententiis graue. Quid plura & plura? Bonum hoc & bonũ illud. Tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum ſi potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoraui, vel quæ alia cernuntur ſiue cogitantur, diceremus aliud alio melius cùm verè iudicamus, niſi eſſet nobis impreſſa notio ipſius boni, ſecundum quod & probaremus aliquid, & aliud alii præponeremus. Sic amandus Deus, non hoc & illud bonum, ſed ipſum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui ſu-

*Quælibet res creatæ eſt bonũ aliquod, at Deus abſolutum bonum.*

*Impreſſa nobis notio ſummi boni.*



peruolitet iudicando, ſed cui hæreat amando. Et quid hoc niſi Deus? *Tom.* 3. *de Trinitate lib.* 8. *ca.* 3.

Si enim homo ita creatus eſt, vt per id quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id eſt, vnum, verum, optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus vſus expedit: ipſe quæratur, vbi nobis omnia ſunt ſecura: ipſe cernatur, vbi nobis certa ſunt omnia: ipſe diligatur, vbi nobis recta ſunt omnia. *Tom. V. lib.* 8. *de ciuitate Dei. cap.* 4.

## CAPVT SECVNDVM DE TRINITATE ET vnitate Dei.

### *I. In Diuinis eſſe Trinitatem perſonarum, & vnitatem eſſentiæ.*

CRedimus & tenemus, & fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbũ, hoc eſt ſapientiã, per quam facta ſunt omnia, vnigenitum Filium, vnus vnum, æternus coæternũ, ſummè bonus, æqualiter bonum, & quod Spiritus ſanctus ſimul & Patris & Filij ſit Spiritus, & ipſe conſubſtantialis, & coæternus ambobus. Atq; hoc totum & Trinitas ſit propter proprietatem perſonarum, & vnus Deus propter inſeparabilem diuinitatem, ſicut vnus omnipotens propter inſeparabilem omnipotentiam: ita tamen, vt etiam cum de ſingulis quæritur, vnuſquiſque eorum & Deus & omnipotens eſſe reſpondeatur: cùm verò de omnibus ſimul, non tres Dii vel tres omnipotentes, ſed vnus Deus omnipotens: tanta ibi eſt in tribus inſeparabilis vnitas, quæ ſic ſe voluit prædicari. *Tom.* 5. *lib.* 11. *de Ciuit. Dei cap.* 24.

*Spiritus ſanctus Patris & Filij eſt Spiritus, ambobus cõſubſtantialis.*

Vnde etiam in Fide Catholica contra venena quorundam hæreticorũ ſic ædificamus, vt dicamus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnius ſubſtantiæ eſſe. Quid eſt vnius ſubſtantiæ? verbi gratia: Si aurum eſt Pater, aurum & Filius: aurum & Spiritus ſanctus.

*Quicquid eſt Pater in eo quod Deꝰ eſt, hoc eſt & Filius, hoc eſt Spiritus ſanctus.*

Quicquid eſt Pater, quod Deus eſt, hoc eſt Filius, hoc Spiritus ſanctus. Cùm autem Pater eſt, non illud eſt, quod illud eſt. Pater enim non ad ſe, ſed ad Filium dicitur. Ad ſe autem Deus dicitur. Itaque eò quod Deus eſt, hoc ipſo ſubſtantia eſt. Et quia eiuſdem ſubſtantiæ Filius, proculdubio & Filius Deus. At verò quod Pater eſt, quia non ſubſtantiæ nomen eſt, ſed refertur ad Filium, non ſic dicimus Filium Patrem eſſe, quomodo dicimus Filium Deum eſſe. Quæris quid ſit Pater? Reſpondetur, Deus. Quæris quid ſit Filius? Reſpondetur, Deus. De ſolo Patre interrogatus, Deum reſponde: de ſolo Filio interrogatus, Deum reſponde: de vtroque interrogatus, non Deos, ſed Deum reſponde. Nõ ſicut in hominibus: quæris quid ſit Pater Abraham? reſpondetur homo, ſubſtãtia eius reſpõdetur. Quæris quid ſit Filius eius Iſaac? reſpondetur homo: eiuſdem ſubſtantiæ Abraham & Iſaac. Quæris quid ſit Abraham & Iſaac? Non reſpondetur homo, ſed homines. Non ſic in diuinis: tanta enim ibi eſt ſubſtantiæ ſocietas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem nõ admittat. ***Tom. 8. in Pſal. 68. concione prima.***

*Quamuis in rebus creatis quod dicitur abſolutè de ſingulis in numero ſingulari, de pluribus ſimilibus poſſit numero multitudinis enunciari, non tamen in diuinis propter eſſentiam, quæ nullam admittit pluralitatem.*

*Per quid diuinæ perſonæ diſtinguantur.*

Credimus vnum eſſe Deum Patrem & Filiũ & Spiritum ſanctum: Patrem, eò quòd Filium habeat. Filiũ, eò quòd Patrem habeat. Spiritum ſanctum, eò quòd ſit ex Patre & Filio procedens, Patri & Filio coæternus. Pater ergò principiũ Deitatis, qui ſicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater, à quo filius natus, à quo Spiritus ſanctus non natus, quia non eſt Filius, neque ingenitus, quia non eſt Pater, neque factus, quia non eſt ex nihilo, ſed ex Deo Patre & Deo Filio, Deus procedens. Pater æternus, eò quòd æternũ habeat Filium, cuius æternus ſit Pater. Filius æternus, eò quòd ſit Patri coæternus. Spiritus ſanctus æternus, eò quòd ſit Patri & Filio coæternus. Non confuſa in vna perſona Trinitas, vt Sabellius dicit, neque ſepara-

*Spiritus ſanctus à Patre & Filio nõ natus, nec factus, ſed Deus procedens.*





ta, aut diuiſa in natura Diuinitas, vt Arrius blaſphemat, ſed alter in perſona Pater, alter in perſona Filius, alter in perſona Spiritus ſanctus. Vnus natura in ſancta Trinitate Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. ***Tom. 3. de Eccleſiaſt. dogmatibus. cap. 1.***

In Trinitate ergo quæ Deus eſt, & Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus ſanctus Deus eſt, & ſimul hi tres vnus Deus: nec huius Trinitatis tertia pars eſt vnꝰ, nec maior pars duo, quàm vnus eſt ibi: nec maius aliquid ſunt omnes quàm ſinguli, quia ſpiritalis hæc, nõ corporalis eſt magnitudo. Qui poteſt capere capiat: qui autem non poteſt, credat & oret, vt quod credit, intelligat. ***Tom. 6. contra Maxim. Arrian. Epiſcop. lib. 3. cap. 10.***

*II. In Diuinis quanuis plures perſonæ diſtinctæ ſint, non tamen plures Deos, ſed vnum eſſe Deum.*

Catholica Fides credit Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum, vnius ſubſtantiæ Trinitatem, inſeparabiliter, æqualiter, non commixtione confuſam, non diſtinctione ſeparatam. ***Tom. 6. de eo quod dictum eſt: Ego ſum qui ſum.***

*Summa Catholicæ Confeſſionis de Trinitate. De cõſe. diſt. 3. cap. omnes quos.*

Omnes (*enim*) quos legere potui qui ante me ſcripſerunt, de Trinitate quæ eſt Deus, diuinorum librorũ veterum & nouorum Catholici tractatores, hoc intenderunt ſecundum Scripturas docere, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnius eiuſdémque ſubſtantiæ, inſeparabili æqualitate diuinam inſinuent vnitatem. Ideóque non ſint tres Dij, ſed vnus Deus: quanuis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit qui Pater eſt: Filiúſque à Patre ſit genitus, & ideò non ſit Pater, qui Filius eſt: Spiritúſque ſanctus nec Pater ſit nec Filius, ſed tantùm Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem. ***Tom. 3. de Trinitat. lib. 1. cap. 4.***

Principaliter atque indubitanter toto corde retine, Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum ſanctum Deum, id eſt, ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, vnum eſſe naturalem Deum, de quo in Deuteronomio dicitur: * Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus

** Deut. 6.*

** Matth.4.*

eſt.Et *, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Veruntamen quia iſtum vnum Deum, qui ſolus eſt verus naturaliter Deus, nõ Patrem ſolum, neque Filium ſolum, neque ſolum Spiritum ſanctum, ſed ſimul Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum diximus eſſe, cauendum eſt, ne ſicut Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum Deum eſſe, quantum ad naturalem attinet vnitatem, veraciter dicimus: ſic eum qui Pater eſt, eundem vel Filium, vel Spiritum ſanctum, aut eum qui Filius eſt, ſiue Patrem, ſiue Spiritum ſanctum, aut eum qui Spiritus ſanctus propriè in confeſſione huius Trinitatis dicitur, vel Patrem vel Filium perſonaliter dicere ſiue credere, quod omnino nefas eſt, audeamus. Fides enim quã ſancti Patriarchæ atque Prophetæ ante incarnationem Filij Dei diuinitus acceperunt, quam etiam ſancti Apoſtoli ab ipſo Domino in carne poſito audierunt, & Spiritus ſancti magiſterio inſtructi, non ſolùm ſermone prædicauerunt, verùm etiam ad inſtructionem ſaluberrimam poſterorũ ſcriptis ſuis inditam reliquerunt, vnum Deum prædicat Trinitatem, id eſt, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Sed Trinitas vera nõ eſſet, ſi vna eadémque perſona diceretur Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Si enim ſicut eſt Patris & Filij & Spiritus ſancti vna ſubſtantia, ſic eſſet vna perſona, nihil omnino eſſet, in quo veraciter Trinitas diceretur. Rurſus quidem Trinitas eſſet vera, ſed vnus Deus Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater & Filius & Spiritus ſanctus, perſonarũ ſunt ab inuicem proprietate diſtincti, ſic fuiſſent naturarum quoque diuerſitate diſcreti. Sed quia in illo vno vero Deo Trinitate, non ſolùm quod vnus Deus eſt, ſed etiam quod Trinitas eſt, naturaliter verũ eſt: propterea ipſe verus in perſonis Trinitas eſt, & in vna natura vnus eſt. *Tom.3.de Fide ad Petrum cap.1. Lege quæ ibidem ſequuntur.*

*Niſi eſſent in diuinis tres perſonæ, nõ eſſet Trinitas: & niſi eſſet eſſentiæ vnitas, non eſſet vnus Deus.*

*Damnantur tres Deos cõſtituentes.*

MALEDICTVS qui indiuiſam Deitatem Patris, & Filii & Spiritus ſancti non confitetur. Maledictus qui propria nomina perſonarum, tres Deos, aut tres Dominos, aut tres Spiritus confitetur. *Tom. 10. Serm. 6. de Tempore.*



### *III. In Deo eſſe tres perſonas ſeu hypoſtaſes, & vnam numero eſſentiam.*

CREDIMVS in Deũ Patrẽ omnipotentẽ, cunctorũ viſibiliũ & inuiſibiliũ cõditorẽ. Credimus & in Dominum Ieſum Chriſtum, per quem creata ſunt omnia, verũ Deũ vnigenitũ, verũ Dei Filiũ, nõ factum aut adoptiuũ, ſed genitũ, vnius cum Patre ſubſtantiæ, quod Græci dicũt homouſion, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, vt nec tẽpore, nec gradu, nec poteſtate eſſe poſſit inferior. Tantúmque eſſe cõfitemur illũ, qui eſt genitus, quantus eſt ille qui genuit. Nõ aũt quia dicimus genitũ à Patre Filiũ, diuinæ & ineffabili generationi aliquod tẽpus aſcribimus, ſed nec Patrẽ dicimus aliquãdo cœpiſſe, nec Filiũ. Non enim poſſumus aliter cõfiteri æternũ Patrem, niſi confiteamur etiã & Filium coæternum. Ex Filio Pater dicitur, & qui ſemper Pater fuit, ſemper Filiũ habuit. Credimus & in Spiritum ſanctũ, Deũ verũ ex Patre procedentẽ, æqualẽ per omnia Patri & Filio, natura, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia. Nec eſt prorſus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius ſuperiúſque dici poſſit. Ideò tota Deitas ſua perfectione æqualis eſt, vt exceptis vocabulis, quæ proprietatem perſonarũ indicant, quicquid de vna perſona dicitur, de tribus digniſſimè poſſit intelligi. Atque vt cõfutantes Arriũ, vnã eandémque dicimus Trinitatis ſubſtãtiã eſſe, & vnũ in tribus perſonis fatemur Deũ, ita impietatẽ Sabellii declinãtes, tres perſonas expreſſas ſui proprietate diſtinguimus, nõ ipſum ſibi Patrẽ, ipſum Filiũ, ipſum Spiritũ ſanctũ eſſe dicẽtes, ſed aliã Patris, aliã Filii, aliam Spiritus ſancti eſſe perſonã. Nõ enim noĩa tãtũmodò, ſed etiã nominũ proprietates.i.perſonas cõfitemur. *Tom.10.de Temp.ſer.191. Eſt hic ſermo & apud Hier.To.4.in expo.Sym.ad Damaſum.*

*Facit hoc cõtra noſtri tẽporis Trinitarios.*

*Generatio Filij nullum habuit initiũ temporis, ſed eſt æterna.*

*Subſtantia ſiue eſſentia diuina tanta in qualibet quanta eſt in tota Trinitate.*

Hæc Trinitas eſt vnius eiuſdémque naturæ atq; ſubſtãtiæ, non minor in ſingulis, q̃ in omnibus, nec maior in omnibus quàm in ſingulis, ſed tanta in ſolo Patre, vel in ſolo Filio, quanta in Patre ſimul & Filio, & tanta in ſolo Spiritu ſancto, quanta ſimul in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto. Neque enim Pater vt haberet Filium de ſeipſo, minuit ſeipſum, ſed ita genuit

de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe,& eſſet in Filio tantus, quantus & ſolus. Similiter & Spiritus ſanctus integer de integro, nõ præcedit, vnde procedit, ſed tantus cum illo, quantus ex illo, nec minuit eum procedẽdo, nec auget hærendo. Et hæc omnia nec confusè vnum ſunt, nec diſtinctè tria ſunt, ſed cùm ſint vnum, tria ſunt:& cùm ſint tria, vnum ſunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium ſuorum donauit, vt eſſent * cor vnum, quantò magis conſeruat in ſeipſo, vt ſint hæc tria & ſingula Deus,& ſimul omnia non tres Dii, ſed vnus Deus. Hic eſt vnus Dominus Deus noſter, cui vniuerſa pietate ſeruitur, cui ſoli latria debetur. *Tom.2. Epiſt. 66.ad Maximum.*

** Act.24.*

*Vnaquæque perſona eſt Deus, tres autem ſimul nõ tres Dij, ſed vnus Deus.*

*Contra Sabellianos & Seruetianos.*

Nec eos audiamus, qui dicunt Patrem tantummodò eſſe, nec habere Filium, nec eſſe cum eo Spiritum ſanctum: ſed ipſum Patrem aliquando appellari Filium, aliquando Spiritũ ſanctum. Neſciunt enim principiũ, ex quo ſunt omnia:& imaginem eius, per quam formantur omnia:& ſanctitatem eius, in qua ordinantur omnia. *Tom.3.de agone Chriſtiano cap.14.*

*Contra Trinitarios.*

Nec eos audiamus, qui indignantur & ſtomachantur, quia non tres Deos colendos dicimus. Neſciunt enim quòd ſit vna eadémque ſubſtãtia, & phantaſmatibus ſuis illuduntur: quia ſolent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcunque corpora tria, locis ſuis eſſe ſeparata. Sic putant intelligendam ſubſtantiã Dei, & multum errant: quoniam ſuperbi ſunt, & non poſſunt diſcere, quia nolunt credere. *Ibid.cap.15.*

*Contra Arrianos & Eunomianos.*

Nec eos audiamus, qui Patrem ſolum verum Deum & ſempiternum eſſe dicunt: Filium autem non de ipſo genitum, ſed ab ipſo factum de nihilo,& fuiſſe tempus quando non erat, ſed tamen primum locum tenere in omni creatura: & Spiritum ſanctum minoris maieſtatis eſſe, quàm Filium,& ipſum factum eſſe poſt Filium: & horum trium diuerſas eſſe ſubſtantias, tanquam aurum & argentum & æramentum. Neſciunt enim quid loquantur,& de his rebus, quas per oculos carneos videre conſueuerunt, vanas imagines ad diſputationes ſuas transferunt. *Ibid.cap.16.*

*Damnantur his Anathematiſmis Trinitarij & Seruetiani.*

Si quis non dixerit, Patris & Filii & Spiritus ſancti vnam diuinitatem, parem maieſtatem, potentiam, vnã gloriam, dominationem, vnum regnum, atque vnam voluntatem, anathema ſit. Si quis tres perſonas non dixerit veras, Patris & Filii & Spiritus ſancti, æquales, ſemper viuentes, omnia continentes, viſibilia & inuiſibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia quæ ſaluanda ſunt, ſaluantes, anathema ſit. *Tom.10.de Tempore Sermone 129.*



## *IIII. Simplicem eſſe in perſonarum Trinitate Deitatis eſſentiam.*

*Deus non triplex eſt, quãuis Trinitas dicatur.*

NEc quoniam Trinitas eſt, ideóque triplex putandus eſt. Alioquin minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius. Quanquam non inueniatur, quomodo dici poſſit, aut Pater ſolus, aut Filius ſolus, cùm ſemper atque inſeparabiliter & ille cum Filio ſit,& ille cum Patre: non vt ambo ſint Pater, aut ambo Filius, ſed quia ſemper in inuicem, neuter ſolus. *Tom.3.de Trinit.lib.6.cap.7.*

*In diuinis tantum eſt vna perſona, quantũ duæ, & quantum tres ſimul.*

In ſumma Trinitate tantum eſt vna (*perſona*) quantum tres ſimul, nec plus aliquid ſunt duæ, quàm vna: & in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis,& ſingula in omnibus, & omnia in omnibus,& vnum omnia. *Ibid.cap.10. Lege lib.15.cap.7. & 22.*

*Natura trinitatis ſimplex.*

TRINITAS vnus eſt Deus: nec ideò non ſimplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam Dei bonam ſimplicem dicimus, quia Pater in ea eſt ſolus, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus ſanctus. Non enim ſola eſt iſta nominis Trinitas ſine ſubſiſtentia perſonarum, ſicut Sabelliani hæretici putauerunt. Sed ideò ſimplex dicitur, quoniam quod habet, hoc eſt: excepto quòd relatiuè quæque perſona ad alteram dicitur. Nam vtique Pater habet Filium, nec tamen ipſe eſt Filius. Et filius habet Patrem, nec tamen ipſe eſt Pater. In quo ergo ad ſeipſum dicit, non ad alterum hoc eſt quod habet, ſicut ad ſeipſum dicitur viuens, habendo vtique vitam,& eadem vita ipſe eſt. Propter hoc itaque natura dicitur ſimplex. *Tom.5.de ciuit.dei lib.11.cap. 10.*

EST ibi (*in Trinitate*) aliquid ineffabile, quod ver-

bis explicari non poſſit: vt & numerus ſit, & numerus non ſit. Videte enim ſi non quaſi apparet numerus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero. Quia tres ſunt, tanquam eſt numerus: ſi quæris qui tres? non eſt numerus. Vbi cogitare cœperis, incipis numerare: vbi numeraueris, quid numeraueris non potes reſpondere. Pater, Pater eſt: Filius, Filius eſt: Spiritus ſanctus, Spiritus ſanctus eſt. Quid ſunt iſti tres, Pater & Filius & Spiritus ſanctus? Non tres Dii? Non. Non tres omnipotentes? Non. Non tres mundi creatores? Non. Ergo omnipotens Pater? Omnipotens planè. Ergo & Filius non omnipotens? Et Filius omnipotens planè. Ergo Spiritus ſanctus nō omnipotens? Et ipſe omnipotens. Tres ergo omnipotentes? Non, ſed vnus omnipotens. Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt, non quod ad ſe ſunt. *Tom. 9. in Euang. Ioannis tract. 39.*

*In Deo quomodo numerus ſit, & quomodo non ſit.*

### *V. Subſtantialia nomina in Diuinis ſingulari numero de tribus coniunctim perſonis eſſe intelligenda.*

SI propterea dicimus tres perſonas, (*in Diuinis*) quia cōmune eſt eis id quod perſona eſt, alioquin nullo modo poſſunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres Filii, quia non commune eſt eis id quod eſt Filius: cur non etiam tres Deos dicimus? Certè enim quia Pater perſona, & Filius perſona, & Spiritus ſanctus perſona, ideo tres perſonæ. Quia ergo Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, cur non tres Dii? Aut quoniā propter ineffabilē cōiunctionē hæc tria ſimul vnus Deus, cur nō etiā vna perſona, vt ita nō poſſimus dicere tres perſonas, quamuis ſingulam quámque appellemus perſonam, quemadmodū nō poſſumus dicere tres Deos, quāuis quémque ſingulū appellemus Deū, ſiue patrem, ſiue Filium, ſiue Spiritum ſanctū: An quia Scriptura nō dicit tres Deos? Sed nec tres perſonas alicubi ſcripturam commemorare inuenimus? An quia nec tres, nec vnam perſonam Scriptura dicit hæc tria? legimus enim perſonam Domini, non perſonam Dominum: propterea licuit loquendi & diſputandi

*In Diuinis quare tres perſonæ, non autem tres Dij.*



neceſſitate, tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit. Si autem diceremus tres Deos, contradiceret Scriptura dicens: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Cur ergo & tres eſſentias non licet dicere, quod ſimiliter Scriptura, ſicut non dicit, ita nec contradicit? Nam eſſentia ſi ſpeciale nomen eſt commune tribus, cur non dicantur tres eſſentiæ, ſicut Abraham, Iſaac, & Iacob, tres homines, quia homo ſpeciale nomen eſt commune omnibus hominibus. Si autem ſpeciale nomen non eſt eſſentia, ſed generale, quia homo, & pecus, & arbor, & ſydus & angelus dicuntur eſſentia, cur non dicuntur iſtæ tres eſſentiæ, ſicut tres equi dicuntur tria animalia, & tres lauri dicuntur tres arbores, & tres lapides tria corpora? Aut ſi propter vnitatem Trinitatis non dicuntur tres eſſentiæ, ſed vna eſſentia, cur non propter eandem vnitatem non dicuntur tres ſubſtantiæ vel tres perſonæ, ſed vna ſubſtantia & vna perſona? Quàm enim eſt illis commune nomen eſſentiæ, ita vt ſingulus quiſque dicatur eſſentia, tam illis commune eſt, vel ſubſtantiæ, vel perſonæ vocabulum. Quod enim de perſonis ſecundum noſtram, hoc de ſubſtantiis ſecundum Græcorum conſuetudinem * ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres ſubſtantias vnam eſſentiam, quemadmodum nos dicimus tres perſonas, vnam eſſentiam vel ſubſtantiam. Quid igitur reſtat, niſi vt fateamur loquendi neceſſitate partita hæc vocabula, cùm opus eſſet copioſa diſputatione aduerſum inſidias vel errores hæreticorum? Cùm enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet, de Domino Deo creatore ſuo, ſiue per piam fidem, ſiue per qualēcunq; intelligentiam, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate vlla diuerſitas. Rurſus non eſſe tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæreſim lapſus eſt. Certiſſimè quippe & de Scripturis cognoſcitur, quod piè credendum eſt, & aſpectus mentis indubitata perceptione perſtringitur, & Patrem eſſe & Filium, & Spiritum ſanctum, nec

*In Diuinis dicimus tres pſonas, quãuis Scriptura id nō dicat.*

** Deut. 6.*

*Ponens tres Deos, cōtradicit Scripturæ.*

*Sabellius negans eſſe tria quædam in Deo, in hæreſim lapſus eſt.*

eundem Filium eſſe qui Pater eſt, nec Spiritum ſanctū eundem eſſe vel Patrem vel Filium. Quæſiuit quid tria diceret. Et dixit ſubſtantias ſiue perſonas, quibus nominibus non diuerſitatem intelligi voluit, ſed ſingularitatem: vt non ſolùm ibi vnitas intelligatur, ex eo quod dicitur vna eſſentia, ſed & Trinitas, ex eo quod dicuntur tres ſubſtantiæ vel perſonæ. *Tom.3. de Trinit. libr.7. cap. 4.*

* *Monendus hîc Lector homonymam vocem eſſe ſubſtantiam. Nonnunquam enim Auguſtino idem eſt, quod* ὑπόςασις, *ſiue perſona, vt cùm hîc ait: in diuinis eſſe tres ſubſtantias: nonnunquam verò idem quod* ὀσία *vel eſſentia, vt quando dicit, in perſonis diuinis eſſe vnam ſubſtantiam. Vide Tom.3. lib.3. de Trinit. cap.11. & lib.5. cap.8. & lib.7. cap.4.5. & alibi.*

INTERROGATIO: Vtrum ſolus Pater, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus ſanctus per ſe plenus Deus, & perfectus dici debeat? RESPON. Vtique Pater per ſe eſt plenus Deus, ſimiliter & Filius plenus Deus, & Spiritus ſanctus plenus Deus creditur. INTER. Si vnaquæque perſona per ſe plenus Deus dici poteſt, quare non tres Deos dicimus Patrem & Flium & Spiritum ſanctum? RESPON. Quia vna ſubſtantia eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & non tres ſubſtantiæ. Proinde vnitas ſubſtantiæ tres Deos prohibet dicere vel credere. INTERROGATIO: Dum tres perſonas dicimus, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, quare non tres Deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas eſt? RESPON. Quia Deus & omnipotens & magnus, & bonus & æternus ſubſtantialia nomina ſunt, & ad ſe dicuntur: ideò non licet ea plurali numero dicere, ſed ſingulari: & omne nomen quod ſubſtantiam Dei, vel eſſentiam ſignificat, ſemper ſingulari numero proferendum eſt. Pater autem & Filius & Spiritus ſanctus relatiua ſunt nomina, & ideò tres perſonæ rectè dicuntur. *Tom.3. de inquiſitione, vel in quæſtiunculis de Trinitate.*

*Abſoluta nomina, quæ ſcilicet ad eſſentiā diuinam pertinent, vel eā conſequuntur, ita dicūtur de ſingulis perſonis in numero ſingulari, vt de omnibus ſimul in numero plurali eſ-*



*ferri nequeāt*

PATER, inquam, Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus: non tres Dij, ſed vnus eſt Deus, vt Moyſes dicit: * Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, vnus eſt Deus: ac per hoc ſicut dicimus, non tres Deos, non tres eſſentias, ita nec tres ſapientias, nec tres ſpiritus. Nam interrogati de ſingulis perſonis, ſi ſit Pater ſapientia, vel Filius, vel Spiritus ſanctus, reſpondemus, Pater eſt Sapientia, Filius eſt Sapientia, Spiritus ſanctus eſt Sapientia: non tres ſapientiæ, nec tres ſpiritus, ſed vna ſapientia, & vnus ſpiritus, ſicut vna ſubſtantia, & vna eſſentia: quia hoc illi Patri eſt eſſe, quod Filio Sapientiæ, & Spiritui ſancto eſt eſſe. Et cùm æquales ſint, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, Filius tamen dicit: * *Pater maior me eſt.* Et *, *Non veni voluntatem meam facere, ſed voluntatem eius, qui me miſit.* Et, * *Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat à me Calix iſte.* Et, * *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit.* Iſta omia & alia, quæ dicit Filius, ſecundùm formam * ſerui, quam aſſumpſit, intelligenda & dicta ſunt. *Tom.4. de Trinit. & Vnita. Dei, cap. 2.*

* *Deut. 6.*

*In diuinis nō ſunt tres eſſentiæ.*

*Quæ dicantur de Filio ſecundū formam ſerui.*

* *Ioan. 14.* * *Ioan. 6.* * *Matt. 26.* *Ioan. 7.* * *Philip. 2.*

Quomodo Diuinitas à ſemetipſa diſcernitur, cùm lucis ſplendor aut ſolis calor nullatenus ſeparetur? Ecce enim ſicut vidimus, in Sole tria ſunt, & ſeparari omnino non poſſunt. Quæ autem tria ſunt videamus, curſus, ſplendor, & calor. Videmus enim Solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Diuide ergò, ſi potes, Arriane, Solem, & tum demum diuide Trinitatem. Sed fortaſſis de ſole diſcernendo difficilis eſt ratio, quia in cælo eſt: & à nobis longè poſitus eſt. Ecce aliud proponimus elementum, quod minus eſt, & in terra nobiſcum eſt, ignem dico qui in manibus noſtris habetur, & tamen non diuiditur. Et ignis enim tria habet, & diuidi non poteſt, hoc eſt motum, lucem, & feruorem. Si igitur nefande hæretice diuidere non potes creatum Solem & ignem, quomodo potes diuidere Deum omnium creatorem? *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm.1. Lege & Tom.6. contra Maximinum Arrian. Epiſcop. lib.1. ſtatim poſt initia.*

*Vnitas eſſentiæ, & diſtinctio perſonarū exemplis s declaratur.*

### *VI. Latriam æqualiter deberi & Patri, & Filio, & ſpiritui ſancto.*

*De Trinitate quomodo docendum.*

** Deut.6. Matth. 4.*

PRæcipimus & rogamus, vt eos quod didiciſti, docere non differas, vnum ſcilicet Deum eſſe ſolum, cui ſeruitus illa debetur, quæ Latria græco vocabulo nuncupatur. Ipſum enim verbum eſt in Lege, vbi ſcriptum eſt: * *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: quem ſi Deum Patrem tantummodo dixerimus, reſpondebitur nobis, Ergo Latria Filio non debetur: quod nefas eſt dicere. Si autem debetur, quomodo ergo vni tantùm debetur Deo, ſi & Patri & Filio debetur? niſi quia vnus, cui per latriam ſeruire iuſſi ſumus, ita dicitur ſolus, vt & Pater intelligatur & Filius, imò verò etiam Spiritus ſanctus. De illo quippè dicit Apoſtolus: * *Neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt in vobis Spiritus ſancti, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis magno pretio: glorificate Deum, & portate in corpore veſtro.* Quem Deum niſi Spiritum ſanctum, cuius corpora noſtra dixerat eſſe templum? Debetur ergo Latria Spiritui ſancto. Nam ſi templum ei facere, ſicut Salomon fecit de lignis * & lapidibus, iuberemur, vtique faciendo templum, latriam exhibere conuinceremur. Quantò magis latriam debemus, cui non templum facimus, ſed ſumus? At per hoc ſi Patri, & Filio, & Spiritui ſancto latria debetur & exhibetur à nobis, de qua dictum eſt: * *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, procul dubio Dominus Deus noſter, cui ſoli per latriam ſeruire debemus, non eſt Pater ſolus, nec Filius ſolus, nec ſolus Spiritus ſanctus, ſed ipſa Trinitas vnus Deus ſolus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus: non vt Pater ſit ipſe qui Filius, vel Spiritus ſanctus ipſe ſit aut Pater aut Filius, cùm ſit in illa Trinitate Pater Filij ſolius, & Filius Patris ſolius, Spiritus autem ſanctus & Patris & Filij ſit Spiritus: ſed propter vnam eandémque naturam, atque inſeparabilem vitam, ipſa Trinitas, quantũ ab homine poteſt, fide præcedẽte intelligitur vnus Dominus Deus noſter, de quo dictum eſt: * Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, & quem prædicat Apoſto-

** 1.Cor.6.*

*Latriã Spiritui ſancto deberi.*

**3.Reg.6.7*

** Deut.6. Math.4.*

*Dominus Deus cui ſoli latria debetur, eſt tota Trinitas vnus Deus ſolus.*

** Deut.6. Matth.4.*



lus, ait enim: * Quoniam ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula ſeculorum Amen. *Tom.2.Epiſt.66.ad Maximum Medicum.*

** Rom. 11.*

VNVS eſt Deus Pater & Filius & Spiritus ſanctus, hoc eſt ipſa Trinitas: vnus eſt Deus, de quo dictum eſt, quia nullus Deus, niſi vnus, & qui dixit: * Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Cui vni & ſoli Deo ſeruire nos ſine ſcrupulo agnoſcimus, quãdo audimus aut legimus: * Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Ne fortè propter hæc verba Chriſto, cuius membra ſumus, vel Spiritui ſancto, cuius * templũ ſumus, ſeruire nolimus, ſi quod dictum eſt: Domino Deo tuo ſoli ſeruies: ſic acceperimus, tanquam de ſolo Patre, & non de ipſa Trinitate ſit dictum. *Tom. 6. contra Maximinum Arrianum Epiſ. lib.3. cap. 10. Plura ibid. cap.3. & 13. Et lib.1. contra eundem, Diſp.1. reſp.11.*

** Deut. 6.*

** Deut.6. Matth. 4.*

** 1. Cor.6.*

### *VII. Quomodo ſoluendi cauilli hæreticorum, qui plures eſſentias in Diuinis inuehunt.*

INter multa quæ Arriani aduerſus Catholicam fidem ſolent diſputare, hoc ſibi maximè callidiſſimum machinamentum proponere videntur, cùm dicunt: Quicquid de Deo dicitur vel intelligitur, non ſecundum accidens, ſed ſecundum ſubſtantiam dicitur. Quapropter ingenitum eſſe, Patri ſecundum ſubſtantiam eſt, & genitum eſſe, Filio ſecundum ſubſtantiam eſt. Diuerſum eſt autem ingenitum eſſe, & genitum eſſe, diuerſa eſt ergo ſubſtantia Patris & Filij. Quibus reſpondemus: Si quicquid de Deo dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur, ergo quod dictum eſt: * *Ego & Pater vnum ſumus*, ſecundum ſubſtantiam dictũ eſt. Vna eſt igitur ſubſtantia Patris & Filij. Aut ſi hoc non ſecundum ſubſtantiam dictum eſt, dicitur ergo aliquid de Deo, non ſecundum ſubſtantiam, & ideò iam non cogimur ſecundum ſubſtantiam intelligere ingenitum & genitum. Item dictum eſt de Filio: * Non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo: quærimus ſecundum quid æqualis? Si enim non ſecundum ſubſtãtiam dicitur æqualis, admittunt vt dicatur aliquid de Deo

*Cauillus Arrianorum.*

** Ioan.10.*

** Philip. 2.*

non ſecundum ſubſtantiam. Admittant ergo non ſecundum ſubſtãtiam dici, ingenitum & genitum. Quod ſi propterea non admittunt, quia omnia de Deo ſecundum ſubſtantiam dici volunt, ſecundũ ſubſtantiam Filius æqualis eſt Patri. *Et poſteà in ſequentibus*: In Deo autem nihil quidem ſecundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt, nec tamen omne quod dicitur, ſecundum ſubſtãtiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, ſicut Pater, ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non eſt accidẽs: quia & ille ſemper Pater, & ille ſemper Filius: & nõ ita ſemper, quaſi ex quo natus eſt Filius, vt ex eo, quod nunquam deſinat eſſe filius, Pater non deſinat eſſe Pater: ſed ex eo, quod ſemper natus eſt Filius, nec cœpit vnquam eſſe Filius. Quod ſi aliquãdo eſſe cœpiſſet, aut aliquando eſſe deſineret Filius, ſecundum accidens diceretur. Si verò quod dicitur Pater, ad ſeipſum diceretur, non ad Filium: & quod dicitur Filius, ad ſeipſum diceretur, non ad Patrem: ſecundum ſubſtantiam diceretur & ille Pater, & ille Filius. Sed quia & Pater non dicitur Pater, niſi ex eo, quod eſt ei Filius, & Filius non dicitur, niſi ex eo, quod habet Patrem, non ſecundum ſubſtantiam hæc dicuntur: quia non quiſque eorum ad ſeipſum, ſed ad inuicem, atque ad alterutrum iſta dicũtur: neque ſecundum accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum atque incommutabile eſt eis. Quamobrem quãuis diuerſum ſit, Patrẽ eſſe & Filium eſſe, non eſt tamen diuerſa ſubſtantia, quia hæc non ſecundum ſubſtantiã dicuntur, ſed ſecundũ relatiuum, quod tamen relatiuum non eſt accidens, quia non eſt mutabile. *Tom 3. de Trinitate. lib. 5. cap. 3. & 5.*

*De Deo nihil ſecũdum accidens dicitur.*

*Quicquid de Deo dicitur, aut ſecundũ ſubſtãtiam, ſiue eſſentiã effertur, aut ſecundum relationẽ, quæ tamen nõ eſt accidẽs, cùm ſit mutationis expers, et per ſe ſubſiſtat.*

Dicunt (*Arriani*) ſi aliquid ad ſeipſum dicitur Pater quod ad ſeipſum dici non poteſt Filius, & quicquid ad ſeipſum dicitur, ſecundum ſubſtantiam dicitur, & ad ſeipſum dicitur ingenitus, quod dici non poteſt Filius, Ergo ſecundum ſubſtantiam dicitur ingenitus, quod Filius quia dici non poteſt, non eſt eiuſdem ſubſtantiæ. Cui verſutiæ reſpondetur ita, vt ipſi cogantur dicere ſecundum quid ſit æqualis Patri Filius, vtrum ſecundum id, quod ad ſe dicitur, an ſecundum id, quod ad Patrem dicitur. Non enim ſecundum id, quod ad Patrem dici-

*Quo cauillo probauerint Arriani, in Diuinis, Patris & Filij eſſentiam eſſe diuerſam.*



tur, quoniam ad Patrem Filius dicitur, ille autem non Filius, ſed Pater eſt. Quia non ſic ad ſe dicuntur Pater & Filius, quomodo amici aut vicini: relatiuè quippè amicus dicitur ad amicum: & ſi æqualiter ſe diligunt, eadem in vtroque amicitia eſt. Et relatiuè vicinus dicitur ad vicinum, & quia æqualiter ſibi vicini ſunt, quantum enim iſte illi, tantum & ille huic vicinatur, eadem in vtroque vicinitas. Quia verò Filius nõ ad Filiũ relatiuè dicitur, ſed ad Patrẽ nõ ſecũdũ hoc ꝙ ad Patrẽ dicitur, æqualis eſt Filius Patri, reſtat vt ſecundũ id æqualis ſit, quod ad ſe dicitur. Quicquid autẽ ad ſe dicitur, ſecũdũ ſubſtantiã dicitur: Reſtat ergo vt ſecundũ ſubſtantiã ſit æqualis. Eadem eſt igitur vtriuſque ſubſtantia. Cùm verò ingenitus dicitur Pater, non quid ſit, ſed quid non ſit, dicitur. Cùm autem relatiuum negatur, non ſecundum ſubſtantiam negatur, quia ipſum relatiuum non ſecundum ſubſtantiam dicitur. Hoc exemplis planum faciendum eſt. Ac primùm videndum eſt, hoc ſignificari cùm dicitur genitus, quod ſignificatur, cùm dicitur Filius. Ideo enim Filius, quia genitus: & quia Filius, vtique genitus. Quòd ergo dicitur ingenitus, hoc oſtenditur, quòd non ſit Filius: ſed genitus & ingenitus commodè dicuntur: Filius autem latinè dicitur, ſed infilius vt dicatur, non admittit loquendi conſuetudo. Nihil tamen intellectui demitur, ſi dicatur non Filius: quemadmodum etiam ſi dicatur non genitus, pro eo quod dicitur ingenitus, nihil aliud dicitur. Sic enim & vicinus & amicus relatiuè dicuntur, nec tamen poteſt inuicinus dici, quomodo dicitur inimicus. Quãobrem non eſt in rebus conſiderandum, quid vel ſinat vel non ſinat dici vſus ſermonis noſtri, ſed quis rerum ipſarum intellectus eluceat. Nõ ergò iam dicamus ingenitum, quamuis dici latinè poſſit, ſed pro eo dicamus non genitum, quod tantum valet. Non ergo aliud dicimus, quàm non Filium. Negatiua porrò iſta particula non id efficit, vt quod ſine illa relatiuè dicitur eadem præpoſita ſubſtantialiter dicatur: ſed id tantum negatur, quod ſine illa aiebatur, ſicut in cæteris prædicamentis: velut cùm dicimus, homo eſt, ſubſtantiam deſignamus. Qui ergo dicit, non homo eſt, non aliud

*Negatio addita non variat prædicamentum, ſed tantum id negat, quod ſi-*

genus prædicamenti enunciat,ſed tantùm illud negat. *Ibidem,cap. 6.& 7.*

Ita quamuis diuerſum ſit genitus & ingenitus,non indicat diuerſam ſubſtantiam:quia ſicut Filius ad Patrem & non Filius ad non Patrem refertur:ita genitus ad genitorem,& non genitus ad non genitorem referatur neceſſe eſt. Quapropter illud præcipuè teneamus: quicquid ad ſe dicitur præſtantiſſima illa diuina ſublimitas, ſubſtantialiter dici:quod autem ad aliquid,non ſubſtantialiter,ſed relatiuè:tantámque vim eſſe eiuſdem ſubſtãtiæ in Patre & Filio & Spiritu ſancto,vt quicquid de ſingulis ad ſeipſos dicitur, non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipiatur. Quemadmodum enim Pater Deus eſt,& Filius Deus eſt,& Spiritus ſanctus Deus eſt, quod ſecundum ſubſtantiam dici nemo dubitat,non tamen tres Deos, ſed vnum Deum dicimus eãdem ipſam præſtãtiſſimam Trinitatem:Ita magnus Pater,magnus Filius,magnus Spiritus ſanctus,non tamen tres magni, ſed vnus magnus.Non enim de Patre ſolo,ſicut illi peruerſè ſentiunt, ſed de Patre & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: * *Tu es Deus ſolus magnus*: & bonus Pater, bonus Filius, bonus & Spiritus ſanctus, nec tres boni, ſed vnus eſt bonus,de quo dictum eſt:* *Nemo bonus,niſi ſolus Deus.* Etenim Dominus Ieſus,ne ab illo,qui dixerat,magiſter bone,tanquam hominem compellans,ſecundùm hominem tantummodo intelligeretur, ideò non ait:Nemo bonus,niſi ſolus Pater,ſed nemo bonus, niſi ſolus Deus:In Patris enim nomine, ipſe per ſe Pater pronunciatur, in Dei verò & ipſe & Filius & Spiritus ſanctus,quia Trinitas vnus Deus. *Et paulò pòſt.* Quicquid ergo ad ſeipſum dicitur Deus,& de ſingulis perſonis ſingulariter dicitur,id eſt,de Patre,& Filio, & Spiritu ſancto & ſimul de ipſa Trinitate non pluraliter, ſed ſingulariter dicitur. Quoniam quippè non aliud eſt Deo eſſe,& aliud magnum eſſe,ſed hoc idem illi eſt eſſe,quod magnum eſſe:Propterea ſicut nõ dicimus tres eſſentias,ſic non dicimus tres magnitudines, ſed vnam eſſentiam,& vnam magnitudinem.Eſſentiam dico,quæ ὀσία græcè dicitur, quam vſitatiùs ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hyſpoſtaſim, ſed neſcio

** Pſal 85. Illud Pſal. 85. Tu es Deus ſolus magnus:intelligitur de tota Trinitate.*

**Luc.18. Matth. 19. Illud etiam Matth. 19. Nemo bonus niſi ſolus Deus de tota Trinitate accipiendum eſt.*

*Subſtantiæ nomen variè ſumitur.*



quid volũt intereſſe,inter Vſiam & Hypoſtaſim: ita vt plerique noſtrûm,qui hæc græco tractant eloquio dicere conſueuerint μίαν ὀσίαν, τρεῖς ὑποςάσεις quod eſt latinè vnam eſſentiam, tres ſubſtantias. Sed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit,vt hoc intelligatur cùm dicimus eſſentiã, quod intelligitur cùm dicimus ſubſtantiam:non audemus dicere vnam eſſentiam tres ſubſtantias,ſed vnam eſſentiam vel ſubſtantiam, tres autem perſonas,quemadmodum multi latini iſta tractantes & digni authoritate dixerunt, cùm alium modum aptiorem non inuenirent,quo enũciarent verbis,quod ſine verbis intelligebant. *Ibidem,cap.7.8.& 9.*

*Nomen Subſtantiæ pro eſſentia ſumitur.*

### *VIII.In Trinitate non eſſe diuerſitatem gradus aut operationis ad extra, vt Scholaſtici vocant.*

Singulorum opera dicuntur,quæ ad vnamquanque manifeſtantur pertinere perſonam:ſicut natus ex virgine,non niſi Filius:& vox de nube:* *Tu es Filius meus dilectus*,ad ſoli[9] perſonã pertinet Patris:& in ſpecie corporali columbæ ſolus apparuit Spiritus ſanctus:tamen & illam carnem ſolius Filii, & illam vocem ſolius Patris,& illã ſpeciem columbæ ſolius Spiritus ſancti vniuerſa Trinitas operata eſt,non quòd inualidus ſit vnuſquiſque eorum ſine aliis quod operatur implere,ſed nõ poteſt operatio eſſe diuiſa,vbi non ſolùm æqualis eſſet, verùm etiam indiſcreta natura:ita vt cùm tres ſint, ac eorum ſingulus quiſque Deus ſit, tres tamen Dii non ſint.Nam & Pater Deus eſt,& Filius Deus eſt, Spiritus ſanctus Deus eſt:nec Filius idem eſt,qui eſt Pater: nec idem Spiritus ſanctus,qui aut Pater, aut Filius:ſed Pater ſemper Pater, & Filius ſemper Filius: & amborum Spiritus nunquam cuiquam eorum aut Pater aut Filius, ſed ſemper vtriuſque Spiritus: vniuerſa tamen Trinitas vnus eſt Deus. *Tom.4. de Trinitate & vnitate Dei cap.9*

*Incarnatio nẽ ſolius Filij,tota ſimul Trinitas operata eſt.*

**Matt.3. Mar.1. Luc.3. Ioan.1.*

*Non poteſt operatio eſſe diuiſa, vbi indiſcreta eſt natura.*

Eadem ſunt opera Patris & Filii, quia nullum eſt opus Filii,quod nõ per eum Pater facit, nec vllũ Patris,

*Eadẽ opera Patris, & Filij,& Spiritus ſancti.*

quod non per Filium ſimul facientem facit. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadē Filius facit. Nec vtique Pater & Filius operantur ſine Spiritu ſancto: neque enim ad faciendum, amborum operibus vllo modo amborum ſeparabitur ſpiritus. *Ibidem, cap.* 8. *Vide & cap.* 12.

Videte ergò & attendite, quid velim dicere, & ſi fortè nō poſſim. Catholica fides hoc habet, firmata ſpiritu Domini in ſanctis eius, contra omnem hæreticam prauitatem, quia Patris & Filii opera inſeparabilia ſunt. *Et interpoſitis paucis.* Dicam quid ſit, opera inſeparabilia ſunt. Non dicitur Catholica fides, quia fecit Deus Pater aliquid, & fecit Filius aliquid aliud, ſed quod fecit Pater, hoc & Filius fecit, hoc & Spiritus ſanctus fecit. *Tom.* 9. *in Euang. Ioan. Tract.* 20.

Proinde in vnum Deum patrem & Filium & Spiritum ſanctum firma pietate credamus: ita vt nec Filius credatur eſſe, qui Pater eſt: nec Pater, qui Filius eſt: nec Pater nec Filius, qui vtriuſque Spiritus eſt. Nihil putetur in hac Trinitate tēporibus locíſue diſtare, ſed hæc tria æqualia eſſe & coæterna, & omnino eſſe vna natura: non à Patre aliam, & à Filio aliam, & à Spiritu ſancto aliam eſſe conditam creaturam, ſed omnia & ſingula, quæ creata ſunt vel creantur, Trinitate creante ſubſiſtere: nec quenquam liberari à Patre ſine Filio & Spiritu ſancto: aut à Filio ſine Patre & Spiritu ſancto: aut à Spiritu ſancto ſine Patre & Filio: ſed à Patre & Filio & Spiritu ſancto vno, vero, veréque immortali, id eſt, omni modo incōmutabili ſolo Deo. *Et paulò poſt.* Ac per hoc nec vocem Patris, nec animam & carnem Filii, nec columbam Spiritus ſancti eſſe factam, niſi eadem cooperante Trinitate. *Tom.* 2. *Epiſt.* 102. *ad Euodium. Lege plura ibidem.*

*Omnia creata Trinitate creante ſubſiſtere.*

Occurrit autem quæſtio, quam in nomine Domini & eius voluntate ſoluendā ſuſcepimus. Si nihil facit Pater ſine Filio, & nihil Filius ſine Patre, nónne quaſi conſequens erit, vt & Patrem dicamus natum de virgine Maria: Patrem paſſum ſub Pontio Pilato: Patrem reſurrexiſſe, & in cælum aſcēdiſſe? abſit. *Deinde interpoſitis nōnullis, reſpondet ad quæſtionem.* Filius quidem inquam non Pater natus eſt de virgine Maria, ſed ipſam natiuitatem Filii,

*Natiuitatē, Paſſionē, Reſurrectionem Filij etiam Pater operatus eſt.*



Filii, non Patris, de virgine, & Pater & Filius operatus eſt. Non eſt quidem paſſus Pater, ſed Filius, paſſionem tamen Filii, & Pater & Filius operatus eſt. Non reſurrexit Pater, ſed Filius, reſurrectionem tamen Filii, & Pater & Filius operatus eſt. *Lege Tractationem ſcripturarum, qua reſponſionem probat. Tom.* 10. *de verbis Domini. Serm.* 63. *Et eodem Tomo, lib.* 50. *Homiliarum. Homil.* 32. *&* 43. *Item Tom.* 3. *de Trinit. lib.* 1. *cap.* 4.

## *IX. Hæreticos eſſe, qui Filium aut Spiritum ſanctum creaturam, aut minorem Patre, aut diuerſæ ab eo eſſentiæ ponunt.*

IVDÆI dicunt, quomodo vnum colitis Deū, quando & hominem, quem Patres noſtri crucifixerunt, Dominum dicentes, hominibus extorquetis, vt tāquam Filium Dei nobiſcum venerentur & colant? *Tom.* 6. *de quinque hæreſ. cap.* 1.

*Iudæorū error.*

ORIGENIANI alii ſunt, qui & Adamantii trāctatoris illius, qui & mortuorum reſurrectionem negant, Chriſtum autem & Spiritum ſanctum creaturam dicunt. *Tom.* 6. *lib. de Hæreſibus ad Quod vult deū, hæreſi.* 43.

*Origenianorū circa Trinitatem hæreſis.*

FAVSTVS (*Manichæus*) dixit. Nos Patris quidem Dei omnipotentis, & Chriſti Filii eius, & Spiritus ſancti, vnū idémque ſub triplici appellatione colimus numē: ſed Patrem quidem ipſum, lucem incolere credimus ſummam ac principalem, quam Paulus aliâs inacceſſibilem vocat: Filium verò in hac ſecunda ac viſibili luce conſiſtere, qui quoniam ſit & ipſe geminus, vt eum Apoſtolus nouit, Chriſtum dicens * eſſe Dei virtutem, ac Dei ſapientiam, virtutem quidem eius in Sole habitare credimus, ſapientiam verò in Luna: nec non & Spiritus ſancti, qui eſt maieſtas tertia, aëris hunc omnem ambitum, ſedem fatemur ac diuerſorium. *Tom.* 6. *contra Fauſtum Manichæum lib.* 20. *cap.* 2. *contra hunc tam blaſphemum errorem Auguſtinus eodem libro diſputat.*

*Manichæorum blaſphemia.*

* 1. *Cor.* 1.

ARRIANI ab Arrio, in eo ſunt notiſſimi errore, quòd Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, nolunt eſſe vnius eiuſdémque naturæ atque ſubſtantiæ, aut, vt expreſſiùs dicatur, eſſentiæ, quæ οὐσία græcè appellatur: ſed eſſe Filium creaturam, Spiritum verò ſanctum crea-

*Eadem nunc hæreſis Trinitariorum, in hoc quòd Patris et Fi*

turam creaturæ, hoc eſt, ab ipſo Filio creatum volunt. *Tom. 6. lib. de hæreſibus, hæreſi 49.*

*Hoc etiam Trinitarij faciunt.*

Dixerunt (*Arriani*) quia Filius minor eſt quàm Pater, & dixerunt, quia Spiritus ſanctus minor eſt, quàm Filius, & fecerunt gradus, & immiſerunt in Eccleſiam tres Deos. Non enim poſſunt negare, Deum eſſe patrē, nec poſſunt negare, Filium Deum, nec poſſunt negare Spiritum ſanctum Deum. At, ſi Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus, inæquales ſunt, & non ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, nō eſt vnus Deus, ſed tres Dij. *Tom. 8. in Pſalm. 130.*

*Conuenire videntur cum Arrianis Trinitarij, quòd gradus in diuinis conſtituant, & tres Deos cogantur admittere: at in eo, quòd Filium Patri, & Spiritum ſanctū Patri Filióque homouſion (quanuis ſecundum ſpeciem vel logicam quādam vnitatē) admittunt, ab eis videtur diuerſi.*

AETIANI ab Aetio ſunt vocati, iidémque Eunomiani ab Eunomio Aëtij diſcipulo, quo nomine magis innotuerunt: Eunomius quippe in Dialectica præualens, acutiùs & celebriùs defendit hanc hæreſim, diſſimilem per omnia Patri, aſſerens Filium, & Filio Spiritum ſanctum. Fertur etiam vſque adeò fuiſſe bonis moribꝰ inimicus, vt aſſeueraret, quòd nihil cuique obeſſet quorumlibet perpetratio ac perſeuerantia peccatorū, ſi huius quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet. *Tom. 6 lib. de Hæreſibus ad Quod vult deum. Hæreſi. 54.*

*Idem ferè nunc docent Trinitarij.*

Extant ſcripta (*Donati*) vbi apparet, eum etiam non Catholicam de Trinitate habuiſſe ſententiā, ſed quanuis eiuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum ſanctum. *Ibidē, Hæreſi. 69.*

## CAPVT TERTIVM.

### DE DEO PATRE.

*I. Ipſum eſſe Patrem qui Filius, hæreſim fuiſſe Noetianorum & Sabellianorum.*



*Fac contra nos tres Trinitatem.*

NOETIANI à quodā Noëtio, qui dicebat Chriſtum eundem ipſum eſſe Patrem & Spiritum ſanctum. *Tom. 6. de Hæreſibus, Hæreſi 36.*

*Sabellij & Patripaſſianorum hæreſis.*

SABELLIANI, iidem Patripaſſiani, dicunt, vnus eſt Deus Pater & Filius, quoniam qui Pater, ipſe eſt Filius. Nam ſi aliter dixerimus, dicemur multicolæ. *Ibid. de 5. Hæreſibus, cap. 1.*

ASSERVNT (*ijdem Sabelliani*) vnam eſſe perſonam, id eſt, ipſum eſſe Filium, qui Pater eſt, & ipſum Spiritum ſanctum. Sed nos cæcitatem illorum relinquentes, tres perſonas ſecundùm ſcripturas ſanctas intelligamus: id eſt, alium eſſe Patrem qui genuit, alium Filium, qui genitus eſt à Patre, alium Spiritum ſanctū: non aliud, quia ſubſtantia vnum ſunt. Perſonas diſtinguimus, non Deitatem ſeparamus. *Tom. 4. in Dialogo ad Oroſium, Reſpon. ad 1. Quæſt.*

*Similis ferè nunc Seruetianorum hæreſis.*

Quid eſt in fide? Quia Filius de virgine natus eſt, nō Pater. Quid eſt in fide? Quia Filius paſſus eſt ſub Pontio Pilato & mortuus, non Pater. Excidit nobis quoſdam malè intelligentes vocari Patripaſſianos, qui dicūt ipſum Patrem natum ex fœmina, ipſum Patrē paſſum, ipſum eſſe Patrem, qui eſt Filius, duo eſſe nomina, non res duas: & remouit iſtos Eccleſia Catholica à communione ſanctorum, ne aliquem deciperent, vt ſeparati litigarēt. *Tom. 10. de verbis Domini ſuper Iohan. ſerm. 63.*

*Scripturæ verbis redarguuntur Sabelliani & Seruetiani.*

SOLVS * non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater. * *Ioan. 8.* Erubeſce Sabelliane, audis Filium, audis Patrem. Pater Pater eſt: Filius Filius eſt: non dixit: Ego ſum Pater & ego ipſe ſum Filius: ſed ſolus non ſum, inquit. Quare ſolus non es? quia * mecum eſt Pater. Ego ſum, * & qui miſit me Pater: audis, ego ſum, & qui me miſit. Ne perdas perſonam, diſtingue perſonas, diſtingue intelligentiam, * *Ioan. 16.* noli ſeparare perfidia, ne iterum quaſi fugiens Charybdim, in Scyllam incurras: * *Ioan. 8.* vorabat enim te gurges impietatis Sabellianorum, vt diceres ipſum eſſe Patrem, qui eſt Filius, modò didiciſti, ſolus * non ſum, ſed ego, * *Ibidem.* & qui miſit me Pater. Agnoſcis quia Pater Pater eſt, & Filius Filius eſt &c. *Tom. 9. in Euang. Ioannis. Tract. 36.*

*Priſcillianiſ-*

PRISCILLIANVS Sabellianū antiquū dogma

*ſtæ Sabellianorum hæreſim ſectātur.*

reſtituit, vbi ipſe Pater, qui Filius, qui & Spiritus ſanctus perhibetur, hoc ipſe peior, quod etiam de Anima ita ſentit, vt non eā propriā velit habere naturā. *Tom.6. ad Oroſ. contra Priſcillianiſt. cap.4. Lege et Hæreſim 70. ad Quod vult deum.*

### *II. Patrem non eſſe maiorem Filio ſecundùm diuinitatem.*

** Ioan. 14.*

*In diuinis nec perſonarum diuerſitas cum Sabellio, nec eſſentiæ vnitas cum Arrio negari debet. De diſtinctione perſonarum quomodo loquendum.*

** Ioan. 8.*

** Ioan. 10.*

** Ibidem.*

AGnoſcis quia Pater Pater eſt, & Filius Filius eſt. Benè agnoſcis: ſed noli dicere: Pater * maior eſt: Filius minor eſt: noli dicere: Pater aurum eſt, Filius argentum eſt. Vna ſubſtantia eſt, vna diuinitas, vna coæternitas, perfecta æqualitas, diſsimilitudo nulla. Nam ſi tantummodo alterum credideris eſſe Chriſtum, non cum qui Pater eſt, & in aliquo tamen diſtantem ſecundùm naturam eſſe putaueris, à Charybdi quidem euaſiſti, ſed in Scylleis ſcopulis naufragaſti. In medio nauiga, vtrumque periculoſum latus euita. Pater Pater eſt, Filius Filius eſt. Iam dicis: Pater Pater eſt, Filius Filius eſt: benè periculum abſorbentis gurgitis euaſiſti, quid vis ire in alteram partem, vt dicas, aliud eſt Pater, Filius aliud? Alius eſt rectè dicis, aliud non rectè: alius eſt enim Filius, quia non eſt ipſe qui Pater, & alius Pater, quia non eſt ipſe qui Filius: non tamen aliud, ſed hoc ipſum eſt & Pater & Filius. Quid eſt, hoc ipſum eſt? Vnus Deus eſt. Audiſti: * quia non ſum ſolus, ſed ego & qui miſit me Pater: audi quomodo credas Patrem & Filium, audi ipſum Filium: *Ego & Pater vnum ſumus: non dixit: Pater ego ſum: aut ego & Pater vnum eſt: ſed cùm dicit: * *Ego & Pater vnum ſumus*, vtrunque audi, & vnum, & ſumus, & à Charybdi & à Scylla liberaberis. In duobus iſtis verbis, quód dixit vnum, liberat te ab Arrio: quòd dixit ſumus, liberat te à Sabellio. Si vnum, non ergo diuerſum: Si ſumus, ergo & Pater & Filius: Sumus enim non diceret de vno, ſed vnum non diceret de diuerſis, &c. *Tom.9. in Euang. Ioan. Tractatu 36.*

*Contra Arrianos.*

Hac igitur Catholica fide armati atque inſtructi chariſſimi, nefandos Arrianos hæreticos, qui ſe hoc tempore impiè iactitant, & multos Chriſtianos noſtros ſeducendo corrumpunt atque decipiunt, breuiter percontemur, quomodo orant Dominum, qui ſentiunt contra Dominum? Reſpondent nobis dicentes: Oramus Dominum vtique in Trinitate. ſed vt legimus Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum ſanctum inferiorē, quia ipſe Chriſtus dicit: * *Pater maior me eſt.* His reſpondemus: Sic, inquam, oratis & colitis Deum? Sic planè, ſic legimus, ſic colimus, ſic oram9. Ad hos dicimus, Si ergo ita Deum colitis & oratis, hoc non eſt Deum magnum, vnum, colere & rogare, ſed tres Deos facere: & vbi eſt quod in Lege diuina legitur? * Audi Iſraël Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Et iterum alibi ait: * Dominū Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Tom.10. de verbis Apoſtoli. Serm.1.*



** Ioan. 14.*

** Deut. 6.*

** Deut. 6. Matt. 4.*

*Faciant etiam hæc contra Trinitarios, qui dum tribus vnam, non numero, ſed ſpecie communem Deitatem conſtituunt, tres Deos facere coguntur.*

*In Diuinis Filius Patri æqualis æternitate, diuinitate atque opere.*

** Gen. 1.*

** Ioan. 1.*

In Quo autem tu hæretice audes dicere Filium minorem, quem nos confitemur æqualem? In ætate? non ibi ſunt tempora. In Diuinitate? Deus eſt Pater, Deus eſt & Filius. In opere? Omnia per Filiū facta ſunt. Dicit quidem ſcriptura, quòd Deus fecerit mundum, ſicut & in libro Geneſeos: **In principio fecit Deus cælum & terram.* Sed nos audientes Deum Patrem, cognoſcimus Filium & Spiritum ſanctum. Tu forſitan dicis: Deus Pater fecit mundum. Sed audi quid Ioannes Euangeliſta dicat: * In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. *Tom.9. de Symbolo ad Catechum. lib.2. cap.4.*

### *III. Quòd ab æterno Pater genuit Filium.*

FIlius de Patre, Pater non eſt de Filio, ſed Pater Filii Pater eſt, & Filius Patris eſt Filius. Veruntamen Filius de Patre genit9, nō Pater de Filio, & ſemper Filius: ſemper ergo genitus. Quis hoc capiat ſemper genitum? Omnis enim homo cùm audit genitum, occurrit illi: Ergo erat tempus, quādo non erat iſte, qui genitus eſt. Quid ergo dicimus? Non ſic erat tempus ante Filium,

* *Ioan.* 1.

*Filius ante tempora cum Patre.*

quia *omnia * per ipſum facta ſunt.* Quomodo poſſent eſſe tempora ante Filium, per quem facta ſunt tempora? Tolle ergo omnia tempora, ſemper cum Patre Filius. Si ſemper cum Patre Filius, & tamen Filius ſemper genitus,ſemper cũ genitore erat,qui genitus eſt. *Tom.*10. *de verbis Domini,Sermone* 64.

*Filius gignitur à Patre ſine initio.*

Nolite cogitare in hac natiuitate initium temporis, nolite cogitare vllum ſpacium æternitatis, quãdo erat Pater,& non erat Filius, ex quo Pater,ex eo Filius. Et quid eſt,ex quo,vbi non eſt initium? Ergo ſemper Pater ſine initio, ſemper Filius ſine initio. Et quomodo inquies,natus eſt,ſi non habet initium? De æterno coæternus. Nunquam fuit Pater,& non erat Filius,& tamen Filius à Patre eſt genitus. Vnde datur qualiſcunque ſimilitudo? In rebus terrenis ſumus,in creatura viſibili ſumus: det mihi ſimilitudinem terra,non dat:det mihi aliquam ſimilitudinem vndarum elementum, nõ habet vnde: det mihi ſimilitudinem aliquod animal, nec hoc poteſt. Animal quidem generat,& quod generat,& quod generatur,ſed prior eſt Pater, & poſtea naſcitur Filius.Inueniamus coæuam,& credamus coæternam. Si potuerimus inuenire Patrem coæuum Filio ſuo, & Filium coæuum Patri ſuo,credamus Deum Patrem coæuum Filio ſuo, & Filium Deum coæternum Patri ſuo. In terra poſſumus inuenire aliquam coæuam, non poſſumus inuenire aliquam coæternam. Intendamus coæuam,& credamus coæternam. Intentos faciet fortè aliquis, & dicet: Quando poteſt inueniri Pater coæuus Filio ſuo,aut coæuus Filius Patri ſuo? Vt generet Pater,antecedit ætate,vt naſcatur Filius,ſequitur ætate, ſed hic coæuus Pater Filio, vel Filius Patri quomodo poteſt eſſe?Occurrat nobis ignis Pater,ſplẽdor Filius: ecce inuenimus coæuos. Ex quo ignis eſſe cœpit,cõtinuò ſplendorem gignit,nec ignis ante ſplẽdorem,nec ſplendor poſt ignẽ.Et ſi interrogemus,quis quem generat,ignis ſplendorẽ,aut ſplendor ignẽ? continuo vobis occurrit ſenſu naturali prudentia inſita mentibus veſtris, omnes clamatis, ignis ſplendorem, non ſplendor ignem. Ecce Pater incipiens, ecce Filius ſimul, nec antecedens, nec ſequens. Ecce ergo Pater

*Coæternũ eſſe Filiũ Patri, exẽplo ignis & ſplendoris vtcunque docetur.*



incipiens, ecce Filius ſimul incipiens. Si oſtendi vobis Patrem incipientẽ,& Filiũ ſimul incipiẽtẽ,credite Patrem non incipientem,& cum illo Filium, nec ipſum incipientem,illum æternum,illum coæternum.Si proficitis,intelligetis,date operam proficere, naſci habetis,ſed & creſcere debetis, quia nemo incipit à perfecto.Dei Filio licuit naſci perfectũ, quia natus eſt ſine tempore,coæternus Patri antecedens omnia,nõ ætate, ſed æternitate.Iſte ergo natus Patri coæternus, de qua generatione dicit Propheta: *Generationem eius quis enarrabit? *Tom.*11.*de Symbolo ad Catechumenos lib.*1.*cap.*3. * *Iſa.* 53.

SI DAS initium Filio,das initium & Patri. Pater enim à Filio appellatus eſt Pater. Si autem ſemper fuit Pater,ſemper fuit & Filius,& ſi Deus eſt Pater,Deus eſt & Filius: Non enim aliud potuit procedere de Deo, quàm Deus. Et ſi ſempiternus eſt Pater, ſempiternus eſt & Filius, quem non præceſſit ætate nec dignitate, non enim minuit æqualitatem. Apoſtolum audi, quid de Deo Filio dicat:* *Cum in forma Dei eſſet, inquit, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo.* Nam rapuit, quia naturaliter habuit.Omnipotentia itaque Patris in Filio,omnipotẽtia Filii in Patre, quia neque aliquando Pater ſine Filio,neque aliquando Filius ſine Patre. Diuinam illam natiuitatem,qua Filius proceſſit ex Patre, qua natus eſt Deus de Deo, ſine initio, ſine tempore, ſine matre,ſine aliqua fragilitate, ſine vlla ſui diminunutione, non poſſumus explicare: *Natiuitatem autem eius*,ait Propheta, * *quis enarrabit*? Et reuera quis comprehendere vel dicere poteſt, quomodo natus ſit, qui ſemper eſt in Patre, & nunquàm recedit à Patre? Dignè, vt dixi, non poſſumus enarrare, ſed debemus corda noſtra ipſi Filio præparare, vt illuminando,& per fidem gubernando perducat nos ad ſpeciem veritatis ſuæ,ne remaneamus in tenebris infidelitatis noſtræ,ne aliud æſtimando de Filio,quàm quod eſt Pater, ipſe Filius non docendo, ſed increpando nos admoneat, ſicut Philippum, dicens: * *Philippe qui videt me, videt & Patrem.* An non agnoſcis,quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Sicut ergo Deus de Deo natus eſt, & lux de lumine, & dies ex die,ita & omnipotens ex

* *Philip.* 2.

* *Iſa.* 53.

* *Ioan.* 14.

omnipotente. In iſta mortali noſtra generatione qui eſt pater, aliquando nõ fuit, & qui eſt filius, non ſemper eſt filius, quia & ipſe filius cum acceſſu temporis patrẽ amiſerit, coniugẽ acceperit, prolémque ſuſceperit, non erit filius, ſed ipſe vocabitur pater, & quilibet pater, antequam ſuſcipiat filium, non vocabitur pater. Accedit ergo aliquid tempore, quod præcedat tempore. Nõ ergo æſtimemus hoc in illa diuinitatis eſſe ſubſtantia, in illa generatione ſempiterna. Non enim illic deficiendo moritur Pater, vt Filius creſcendo perueniat ad Patris dignitatẽ: aut ſunt ibi tẽpora, quia per ipſum facta ſunt tempora. *Tom.9. de Symb. ad Catechumenos lib.2. cap.3.*

*Pſal.* 109. PATER dicit ad Filium: * *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quid eſt ante Luciferum? Per Luciferum ſignificatur tempora. Ergo ante tempora, ante omne, quod ante dicitur: ante omne, quod non eſt, vel ante omne, quod eſt. Non enim ait Euangelium: In principio fecit Deus verbum: quomodo dixit: * In principio fecit Deus cœlum & terram, aut in principio natum eſt verbũ, aut in principio Deus genuit verbũ. Sed quid ait? Erat, erat, audis erat, crede. *In principio * erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Toties audis, erat, noli quærere tempus, quia ſemper erat. Ille ergo qui ſemper erat, & cum Filio ſemper erat, quia potens eſt Deus ſine tempore generare. Ille dixit ad Filium: * Ex vtero ante Luciferum genui te. *Tom.10. Homil.43. Plura in hunc ſenſum Tom.8. in expoſ. pſalm.109.*

** Geneſ.1.*

** Ioan.1.*

*Deus generat Filium ſine tempore.*

** Pſal.109.*

QVAMOBREM vnigenitus Dei Filius neque factus eſt à Patre, quia ſicut Euangeliſta: * *Omnia per ipſum facta ſunt*: neque ex tempore genitus, quia ſempiternus Deus ſapiens, ſempiternam ſecum habet ſapientiam ſuam. Neque impar eſt Patri, id eſt, in aliquo minor, quia & Apoſtolus dicit: * Qui cũ in forma Dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis Deo. *Tom.3. de Fide & Symbolo. cap.5.*

** Ioan.1.*

*Deus ſapiẽs ſempiternam habuit ſecum ſapientiam.*

** Philip.2.*

*IIII. Iniuriam eos inferre Patri, qui conſubſtantialem negant Filium.*



CONSVBSTANTIALEM itaque ſibi genuit Filium Pater, quia non accepit tanquã creatura indigens, vnde genuiſſet, tota copia, quod ipſe eſt, hoc genuit, perfectũ genuit, quia ſine tempore eſt ipſe qui genuit, & quem genuit. Si homo generat quod eſt, Deus nõ potuit generare quod eſt? Accepit homo ab ipſo Deo, & tamen licet acceperit, hoc generat quod accepit: à nullo accipiens Pater Deus, quod eſt generare non potuit? *Tom.2. in altercatione contra Paſcentium Arrianum.* 178.

*Hoc genuit Pater, quod ipſe eſt.*

CONSIDERA quantum mali ſit, quòd eiuſdem ſubſtantiæ Filiũ negatis, quem genitum cõfitemini ex vtero Patris, iniuriam grauiſsimam faciẽtes Deo, tanq̃ illud quod ipſe non eſſet, ex vtero gignere potuiſſet. Nonne ſentitis vos generationẽ Dei credere vicioſam, prædicare monſtruoſam, qui dicere audetis ex vtero Dei proceſſiſſe diuerſam naturã? Si autẽ hoc ſicut debetis horretis, reſpuitíſque nobiſcũ, iam tandem Conciliũ Nicænum & Homouſion laudate, ac tenete nobiſcum. *Tom.6. contra Maximinum Arrianũ lib.3. cap.18.*

SI ERGO Filius alterius ſubſtantiæ eſt, quàm Pater, monſtrũ generauit Pater. Quãdo enim creatura, .i. mulier parit, quod nõ eſt homo, monſtrũ dicitur. Vt autem non ſit monſtrum, hoc eſt, qui natus eſt, quod eſt ille qui genuit, id eſt, homo & homo, equus & equus, columba & columba, paſſer & paſſer. Creaturis ſuis dedit Deus, creaturis mortalibus terrenis dedit, donauit vt hoc quod ſunt, generent: & putas quia hoc ſibi non potuit ipſe ſeruare, qui eſt ante ſecula, qui non habuit initium tẽporis, vt qui generaret Filiũ non hoc quod ipſe eſt, generaret degenerem? Audi & quanta blaſphemia ſit dicere, vnicum Dei Filium eſſe alterius ſubſtantiæ. Prorſus ſi ita eſt, degener eſt. Si dicas alicui filio hominis degener, quanta iniuria eſt? Et quomodo dicitur filius hominis degener? vtputa pater ipſius fortis eſt, ille timidus & ignauus. Quicunque illũ viderit, & vult corripere, attendens patrẽ ipſius virũ fortẽ, quid ei dicit? Porrò vade degener. Quid eſt degener? Fortis vir fuit pater tuus, & tu timore cõtremiſcis. Ille cui hoc dicitur, vitio degener eſt, natura par eſt. Quid eſt natu-

*Niſi Pater Filium genuiſſet ſibi conſubſtantialem, monſtrũ generaſſet.*

*Blaſphemiũ eſt dicere, vnicum Dei Filium alterius eſſe à Patre ſubſtantiæ.*

ra par eſt?Homo eſt,quod eſt & pater ipſius. Sed ille fortis,ille ignauus:ille audax,ille timidus,tamen homo & homo. Vitio ergò degener eſt,nõ natura. Tu quando dicis vnicũ Filiũ,vnũ Patris Filiũ degenerem eſſe, non aliud dicis,niſi quia nõ hoc eſt quod Pater,& iam non natus degener factus eſt dicis,ſed generatus eſt. Iſtam blaſphemiã quis ferat? Qualibuſcunque oculis ſi iſtam blaſphemiam videre poſſent,fugerẽt eam,& Catholici fierẽt.Sed quid dicã fratres?Non eis iraſcamur, ſed pro eis oremus,vt det Dominus eis intellectum, quia fortè hoc nati ſunt.Quid eſt hoc nati ſunt? Hoc acceperunt à parentibus ſuis, quod tenent. Præponunt genus veritati,fiant quod non ſunt, vt poſſint ſeruare quod ſunt,hoc eſt,fiant Catholici,vt poſſint ſeruare, ꝙ homines ſunt:vt nõ in illis pereat Dei creatura,accedat Dei gratia.Putant enim,quia Patrẽ honorant per cõtumeliam Filij. Quando illi dixeris, blaſphemas.reſpondet, Quare blaſphemo? Quia dicis Filium non hoc eſſe, quod Pater eſt.Et ille mihi, Imò tu blaſphemas.Quare? Quia æquare vis Patri Filium. Æquare volo Patri Filium,nunquid extraneum?Gaudet Pater, quando illi æquo Filium vnicum.Gaudet,quia nõ inuidet.Et Deus quia Filio vnico non inuidet, ideò quòd ipſe eſt, hoc generauit. Tu & Filio facis iniuriam, & ipſi Patri, in cuius honorem vis contumeliam facere Filio. Certè enim ideò dicis,nõ eſſe eiuſdem ſubſtantiæ Filium, ne iniuriam facias Patri ipſius.Ego tibi citò oſtendo,quia iniuriam facis ambobus,Quomodo inquit? Si dicam filio alicuius, degener, non hoc es quod pater: audit illud fili⁹,& iraſcitur,& dicit, Ergo degener natus ſum? Audit illud Pater, & plus iraſcitur. Iratus autem quid dicit?Ergo ego filiũ degenerem generaui? Ergo ſi aliud ſum,aliud generaui,monſtrum generaui.Quid eſt,quia cùm vis vni deferre per alterius iniuriam,ambobus facis iniuriam? Filium offendis, ſed patrem non propiciabis. Cùm de filij contumelia honoras patrem, & filium offendis & patrem.A quo fugis, ad quem confugis? Nunquid iraſcente tibi patre, fugis ad filium? Quid tibi dicit?Ad quem fugis,quem degenerem feciſti? Nunquid offenſo filio curris ad patrem?Dicit tibi,



Ad quem fugis, quem degenerem genuiſſe dixiſti? Sufficiat vobis,hæc tenete,hoc memoriæ commendate,hoc in veſtra fide conſcribite.Hoc autem vt intelligatis,ad Deum Patrem & Filium,qui vnum ſunt, preces effundite. *Tom. 10. de verbis Domini in Euangel. Ioannis, ſermo. 51.*

### *V. Quomodo ſoluendi cauilli hæreticorum, qui filium à Patre ab æterno genitum negant.*

INTELLIGIT prudẽtia tua nõ ab eis rationabiliter dici,à quorũ errore te Dominus liberauit,ideò Dei Patris,& Dei Filii naturã eſſe diuerſam, quia iſte Pater eſt, ille Filius. Et Deũ Patrem non genuiſſe id, quod eſt ipſe,quia non genuit Patrem Filii ſui, quod eſt ad illum ipſe. Quis enim non videat iſta vocabula, non in ſeipſis demõſtrare naturas, ſed alterius ad alterum ſignificare perſonas?Tale eſt etiã illud,quod ſimili loquũtur errore,Ideò Filiũ alterius eſſe naturæ, diuerſæque ſubſtãtiæ,quia Pater Deus non eſt de altero Deo,Filius aũt Deus eſt quidẽ,ſed de Patre Deo:& hic enim nõ indicatur ſubſtãtia,ſed origo,id eſt, non quid ſit,ſed vnde ſit quiſque, vel non ſit. Neque enim Abel & Adam ideò non vnius naturæ atque ſubſtantiæ fuerunt,quia iſte fuit homo de homine illo,ille de nullo. Si ergò vtriuſque natura quæritur,homo Abel, homo Adam.Si autem origo,primus homo ex quo Abel,nullus homo ex quo Adam.Item in Deo Patre & Deo Filio,ſi vtriuſque natura quæratur,vterq; Deus, nec magis magnus alter altero Deus.Si autem origo,Pater eſt Deus,de quo Filius Deus, de quo autem Pater nullus eſt Deus. Fruſtra itaque ad hoc reſpondere conantes dicunt. Sed homo cum paſsione generat, Deus autem ſine paſſione genuit Filium. Hoc enim non ſolùm ipſos nihil,ſed nos adiuuat plurimũ. Nam ſi tẽporalibus & paſſibilibus rebus Deus tribuit,vt quod ſunt hoc generẽt,quantò magis ipſe æternus & impaſſibilis, nõ aliud,quàm eſt ipſe,generauit,vnus vnicũ, ideò noſtra inenarrabili admiratione,quoniã ſine paſſione, & tanta ſecum æqualitate,vt cum nec poteſtate præcederet,

*Vocabula Patris & Filij nõ naturas in ſeipſis, ſed alterius ad alterũ perſonas demonſtrant.*

*Filius Deus de Patre Deo: Deus Pater de nullo alio.*

*Deus Pater non aliud quàm ipſe generau*

nec ætate. *Tom.2.Epi.66.ad Maximum.*

Solent (*autem Arriani*) aduerſum nos huiuſmodi componere venenatum Syllogiſmum, dicentes: Si coæternum Patri creditis Filium, dicite quæſumus, dum eſſet, genitus eſt, an dum non eſſet? Si dum eſſet, duo ergò ingeniti antè fuerunt, & poſtmodum vnus alium generauit: aut ſi vt ratio vera permittit, dum non eſſet, genitus eſt, erit vtique Patre poſterior. Ad quam rem nobis non aliud agendum eſt, niſi vt tam grandi hæreticorum malitiæ exemplis Apoſtolicis reſiſtamus, quibus facilè ſapientia ſecularis eliditur. Dum ergo nobis memorata ſuperius obiecerint, dicimus: Nos ſicut ſolum Patrem ſemper, & ſine initio ingenitum nouimus, ita Filium ſemper, & ſine initio ex Patre genitum confitemur. Nec alia aliqua cauſa eſt, quæ diuiſionem faciat perſonarum, niſi quòd hic ingenitus eſt, & ille genitus, id eſt, hic Pater eſt, & ille Filius: quia Pater ſemper Pater eſt, nunquam Filius: quia vt diximus, non eſt genitus, ſed ipſe genuit. Et Filius ſemper Filius eſt, nunquam Pater, quia non genuit, ſed genitus eſt. *Tom. 10. de verbis Domini, ſerm. 58.*

*Diuiſionem perſonarum Patris & filij facit, quòd hic genitus ſine initio, ille ſine initio ingenitus.*

Acutè ſanè quidam reſpondit hæretico verſutiſſimè interroganti, vtrum Deus Filium volens an nolens genuerit: vt ſi diceret, nolens, abſurdiſſima Dei miſeria ſequeretur: ſi autem volens, continuò quod intendebat, velut inuicta ratione concluderet, non naturæ eſſe filium, ſed voluntatis. At ille vigilantiſſimè viciſſim quæſiuit ab eo, vtrum Deus Pater volens an nolens ſit Deus: vt ſi reſponderet, nolens, ſequeretur illa miſeria, quam de Deo credere magna inſania eſt. Si autem diceret, volens, reſponderet ei, Ergo & ipſe Deus eſt ſua voluntate, non natura. Quid ergo reſtabat, niſi vt obmuteſceret, & ſua interrogatione obligatum inſolubili vinculo ſe videret? *Tom.3.de Trinitate, lib.15.cap.20. Idem repetit Tom.6.contra ſerm. Arrianorum, cap 1.*

*Volens an nolens Pater Filium genuerit.*

### *VI. Non ſolam perſonam Patris, ſed totam Trinitatem vnicum & verum & ſolum Deum eſſe & nominari.*



NOn poteſt cogitare (*animalis homo*) niſi moles & ſpacia, vel minuta vel grandia, volitantibus in animo eius phantaſmatibus, tanquam imaginibus corporum. Ex qua immunditia donec purgetur, credat in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum, ſolum, magnum, omnipotentem, bonum, iuſtum, miſericordem, omnium viſibilium & inuiſibilium conditorem, & quicquid de illo pro humana facultate dignè veréque dici poteſt: Neque cùm audierit Patrem ſolum Deum, ſeparet inde Filium aut Spiritum ſanctum. Cum eo quippe ſolus Deus, cum quo & vnus Deus eſt, quia & Filium cùm audimus ſolum Deum, ſine vlla ſeparatione Patris aut Spiritus ſancti oportet accipere: atque ita dicat vnam eſſentiam, vt non exiſtimet aliud alio vel maius, vel melius, vel ex aliqua parte diuerſum. *Tom 3.de Trinit.lib.7.cap.6.*

*Cùm audis Patrē ſolum Deū, nō inde Filiū ſepares aut Spiritum ſanctum.*

Quod ergo de Deo ſcriptum eſt: * *Qui ſolus habet immortalitatem*, Et, * *Inuiſibili ſoli Deo honor, & gloria* & cætera huiuſmodi, non de Patre tantum accipimus, ſed etiam de Filio, quod ad formam Dei attinet, & de Spiritu ſancto. Pater enim & Filius & Spiritus ſanctus, vnus Deus eſt, & ſolus verus Deus, & ſolus immortalis, ſecundùm incommutabilem omnino ſubſtantiam. *Tom 2. Epiſt. 174. ad Paſcentium Arrianum. Vide & Tom.3 in quæſt. de Trinitate.*

** 1.Tim.6.*
** 1.Tim.1.*
*Inuiſibilis et ſolus potens Deus, tota Trinitas dicitur.*

Conſiderāda eſt illa ſententia, de qua dicitur, Deum verum ſolum, non eſſe Patrem ſolum, ſed Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Si quis enim interroget, Pater ſolus vtrum ſit Deus, quomodo reſpondebitur non eſſe? niſi fortè ita dicamus, eſſe quidem Patrem Deum, ſed non eſſe ſolum Deum, eſſe autem ſolum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritū ſanctum. Sed quid agimus de illo teſtimonio Domini? Patri enim dicebat, & Patrem nominauerat, ad quem loquebatur, cùm ait: * Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcāt te vnum verum Deum. Quod quidem Arriani ſic ſolent accipere, quaſi non ſit Filius verus Deus. Quibus excluſis, videndum eſt, an intelligere cogamur, cùm dictum eſt Patri, vt cognoſcant te vnum verum Deum, tāquam hoc inſinuare voluerit, quia & ſolus Pater Deus verus eſt, ne non

** Ioan. 17.*
*Quomodo pater appelletur vnus verus, deus abſque Filij & Spiritus ſancti iniuria.*

intelligeremus Deum,niſi ipſa tria ſimul,Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Num ergo ex Domini teſtimonio, & Patrem vnum verum Deum dicimus, & Filium vnum verum Deum,& Spiritum ſanctum vnum verum Deum, & ſimul Patrem & Filium & Spiritum ſanctum,id eſt,ſimul ipſam Trinitatem,non tres veros Deos,ſed vnum verum Deum? An quoniam addidit:* *Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* ſubaudiendum eſt,vnum verum Deum? Et ordo verborum eſt, vt te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum,cognoſcant vnum verũ Deum? Cur ergo tacuit de Spiritu ſancto? An quoniam conſequens eſt, vt vbicunque nominatur vnum tanta pace vni adhærens, vt per hanc vtrunque vnum ſit, iam ex hoc intelligatur etiam ipſa pax, quamuis non commemoretur? *Tom.3.de Trinitate, lib.6.cap.9.*

*Ioan 17.

Hinc etiam conſequenter intelligitur, non tantummodo de Patre dixiſſe Apoſtolum Paulum:* Qui ſolus habet immortalitem,ſed de vno & ſolo Deo, quod eſt ipſa Trinitas.Neque enim ipſa vita æterna mortalis eſt ſecundùm aliquam mutabilitatem, ac per hoc Filius Dei quia vita æterna eſt, cum Patre etiam ipſe intelligitur, vbi dictum eſt: * Qui ſolus habet immortalitatem. Eius enim vitæ æternæ & nos participes facti, pro modo noſtro immortales efficimur. Sed aliud eſt ipſa, cuius participes efficimur, vita æterna,aliud nos,qui eius participatione viuemus in æternum. Si enim dixiſſet: * Quem temporibus propriis oſtẽdet Pater beatus & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, nec ſic inde ſeparatum Filium oporteret intelligi. Neque enim quia ipſe Filius alibi loquens voce ſapientiæ (ipſe eſt enim Dei ſapientia) ait:* Gyrum cœli circumiui ſola, ſeparauit à ſe Patrem: quantò magis ergo non eſt neceſſe, vt tantummodo de Patre præter Filium intelligatur, quod dictum eſt:* *Qui ſolus habet immortalitatem*, cùm ita dictum ſit:* *vt ſerues,*inquit,*mandatum ſine macula,irreprehenſibile vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti: quem temporibus proprijs oſtendet beatus,& ſolus potens Rex regum,& Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem, quem nemo hominum*

*1. Tim 6.
*Tota ſanctiſſima Trinitas vnus Deus,qui ſolus immortalitatẽ habet.*
*1.Tim.6.
*Ibidem.
*Eccleſ.24.
*1.Tim.6.
*Ibidem.



*vidit, nec videre poteſt, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* In quibus verbis nec Pater propriè nominatus eſt,nec Filius, nec Spiritus ſanctus,ſed beatus, & ſolus potens Rex regum, & Dominus dominãtium: quod eſt vnus ſolus & verus Deus ipſa Trinitas. *Tom.3.de Trinit. lib.1.cap.6. Vide & Tom.6. contra Maximinum Arrianum, lib.2. cap.4. & Epiſt.174. ad Paſcentium Arrianum.*

## DE CHRISTO VERO DEO ET HOMINE, CAP. IIII.

### I. *Chriſtum eundem verum eſſe Deum Patri coæternum,& verum hominem in tempore.*

CHRISTVS Ieſus Dei Filius eſt, & Deus & homo eſt. Deus ante omnia ſæcula,homo in noſtro ſæculo. Deus,quia Dei verbum, *Deus* enim *erat* * *Verbum:* Homo autem,quia in vnitatem perſonæ acceſſit verbo anima rationalis & caro. Quocirca in quantum Deus eſt, ipſe * & Pater vnum ſunt: in quantum autem homo,Pater * maior eſt illo. Cùm enim eſſet vnicus Dei Filius, non gratia, ſed natura, vt eſſet etiam plenus gratia, factus eſt & hominis Filius, idémque ipſe vtrumque ex vtroque vnus Chriſtus,quia *cùm in forma* * *Dei eſſet,non rapinam arbitratus eſt,* quod natura erat,id eſt, eſſe æqualis Deo. Exinaniuit autem ſe, formam ſerui accipiẽs,non amittens vel minuens formam Dei. Ac per hoc & minor eſt factus, & manſit æqualis, vtrunque vnus, ſicut dictum eſt: ſed aliud propter verbũ,aliud propter hominẽ. Propter enim verbũ æqualis Patri,propter hominẽ minor.Vnus Dei Filius,idémq; hominis Filius: vnus hominis Filius, idemq; Dei Filius:nõ duo Filij Dei,Deus & homo, ſed vnus Dei Filius: Deus ſine initio, homo à certo initio, Dominus noſter Ieſus Chriſtus.*Tom.3. Enchirid cap.35.*

*Ioan.1.
*Verbo in veritatẽ perſonæ acceſſit anima rationalis et caro.*
*Ioan.10.
*Ioan.14.
*Philip.2.

Catholica namque Fides Dominum Ieſum Chriſtum & verum Deum & verũ hominem credit & prædicat. Vtrumque enim ſcriptum eſt,& vtrũque verũ eſt.

Qui Deum tantummodò aſſerit eſſe Chriſtum, & potentiam negat, qua creatus eſt, & medicinam qua ſanatus eſt. Qui hominem tantummodò aſſerit Chriſtum, potentiam negat qua creatus eſt. Vtrunque ergo anima fidelis ac recta ſuſcipe: eſt Deus Chriſtus, eſt & homo Chriſtus: æqualis Deo Chriſtus, æqualis Patri, vnũ cum Patre: æqualis homo Chriſtus virginis Filius, trahens de homine mortalitatem, nõ autem iniquitatem. *Tom.3. in ſententiis B. Proſperi, ſent.344.*

Chriſtus Filius Dei, Deus & homo, ſecundum diuinitatem ante tempora, ſine initio inenarrabiliter à Patre genitus eſt, ſicut Eſaias dicit: * *Generationem eius quis enarrabit?* Nouiſſimo autem tempore ſecundùm humanitatem creatus eſt: Adueniens enim diuinitas in vterum virginis Mariæ, auctoritate illa, qua in paradiſo Adam de limo formauit, carnem ſibi ex ſubſtantia ipſius Mariæ fabricauit, quam pro ſalute noſtra ſuſcipiens, & ſibi coadunans natus eſt Deus & homo. *Tom. 10. De verbis Domini, ſerm. 58.*

** Iſa. 53.*

*Chriſtus carnem ſibi ex ſubſtantia Mariæ fabricauit.*

Quid miraris hæc homo? Deum ſic naſci oportuit, quando eſſe dignatus eſt homo. Talem fecit illam, nẽpe matrem, qui eſt factus ex illa. Antequam fieret enim erat, & quia omnipotens erat, fieri potuit manens quod erat. Fecit ſibi matrem, cum eſſet apud Patrem, & cùm fieret ex matre, manſit in Patre. Quomodo Deus eſſe deſiſteret, cùm homo eſſe cœpit, qui genitrici ſuæ præſtitit, ne deſiſteret virgo eſſe cùm peperit? Proinde cùm Verbum Caro * factum eſt, non Verbum in carnem pereundo ceſſit, ſed Caro Verbo ne ipſa periret acceſſit, vt quemadmodum homo eſt anima & caro, ſic eſſet Chriſtus Deus & homo, idem Deus qui homo, & qui Deus idem homo, non confuſione naturæ, ſed vnitate perſonæ. *Tom.10. de Temp. ſerm.15.*

** Ioan. 1.*

*Idẽ Chriſtus Deus et Homo verus, nõ cõfuſione naturæ, ſed vnitate perſonæ.*

## II. *Chriſtum verum Deum nihil læſa diuinitate, integram ſuſcepiſſe naturam humanam.*

Fidelis, qui in Chriſto veram naturam credit & confitetur humanam, id eſt, noſtram, quanuis ſingulariter ſuſcipiente Deo verbo, in vnicum Filium Dei ſublimatam, ita vt qui ſuſcepit, & quod ſuſcepit, vna eſſet in

Trinitate

*Igitur nomẽ Verbi vnam in Trinitate perſonam ſignificat, id quod quidã hoc tempore negarunt.*



Trinitate perſona. Neque enim homine aſſumpto quaternitas facta eſt, ſed Trinitas manſit, aſſumptione illa ineffabiliter faciente perſonæ vnius in Deo & homine veritatem. Quoniã non Deum tantùm dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi, nec hominem tantùm, ſicut hæretici Photiniani: nec ita hominem, vt aliquid minus habeat, quod ad humanam certum eſt pertinere naturam: ſiue animam, ſiue in ipſa anima mentem rationalem: ſiue carnem non de fœmina ſumptam, ſed factam de verbo in carnem conuerſo atque mutato, quæ omnia falſa & vana hæreticorum Apollinariſtarum, tres partes varias diuerſáſque fecerunt. Sed dicimus Chriſtum Deum verum, natum de Deo Patre ſine vllo initio temporis, eundémque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, nec eius humanitatẽ, qua minor eſt Patre, minuere aliquid eius Diuinitatem, qua æqualis eſt Patri: hoc autem vtrumque vnus eſt Chriſtus. *Tom.7. de bono perſeuerantiæ, cap.24.*

Etenim Dominum verum hominem ſuſcepiſſe credimus, & in ipſo viſibiliter inuiſibilem hominibus apparuiſſe, in ipſo inter homines * conuerſatum fuiſſe, in ipſo ab hominibus humana pertuliſſe, in ipſo homines docuiſſe, à quibus eſſet recedendum, quid eſſet perferendum, quò eſſet tendendum. Totum autem hoc nulla fecit neceſſitate. Vnde ipſe dicit: * Propter hoc me Pater diligit, quia ego pono animam meam, & iterum ſumam illam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Non ergo mali neceſſitate amiſit eam: voluit enim, vt illa quæ in paſſione eius facta ſunt, omnia fierent ad humanam naturam docendam, non ad ſuam tuẽdam. Sicut enim nos, qui ex anima & corpore conſtamus, cùm ſimus inuiſibiles ſecundùm animam, viſibiles autem ſecundũ corpus, omnia quæ viſibiliter ſiue honoris & beneficiorũ accipimus, ſiue cõtumeliæ, vel iniuriæ patimur, ad animam, quæ inuiſibilis eſt, tãquam ad principem neceſſe eſt vt referamus, quia ipſa corpori principatur. Nam & cùm ſimus ſecundùm animam immortales, cùm

** Baruch. 3.*

** Ioan. 10.*

*Quemadmodũ nos mori verè dicimur quãuis ratiõe corporis, non ratiõe anima*

*moriamur ſic Chriſtus verè dicitur paſſus & mortuus, quãuis non ſecũdùm Diuinitatẽ, ſed ſecũdùm humanã naturã, id ſuſtinuerit.*

*† Philip.2.*
** Ioan. 1.*

mortui corpore fuerimus, nos mortui dicimur: ita & Dominus ſecundùm carnem, hoc eſt, formam † ſerui, quam ſuſcipere dignatus eſt, & contumelias paſſus, & vincula, & flagella, & mortuus eſſe manifeſtatur, vt omnia veridicè veritas, & nihil falſò feciſſe credatur: quia poteſtate ac voluntate Verbum* Caro factum eſt, & natus & paſſus, & mortuus, & reſurrexit, nulla ſua neceſſitate, ſed volũtate & poteſtate: cuius nulla pars aliquando deprædata, nulla nunc vſque captiua eſt, non ſolùm diuinæ, ſed nec ipſius mortalis, quam ſuſcepit: ſed nec vnquam capi poterit, niſi ab his, qui ei fide voluerunt mũdo corde coniungi. Non ſicut Deus Manichæi, qui neceſſitatis malo preſſus hodie hîc ex parte, quod negare non poſſunt, in miſeriis & calamitatibus volutatur. *Tom.6.de fide contra Manichæos, cap.26.*

### *III. Humanitatem & Diuinitatem in vnam conueniſſe Chriſti perſonam.*

** Ioan.14.*

*Si duæ ponerẽtur perſonæ Chriſti, quaternitas induceretur.*

AGnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, diuinam ſcilicet, qua æqualis eſt Patri, humana, qua maior* eſt Pater. Vtrumque autem ſimul, non duo, ſed vnus eſt Chriſtus, ne ſit quaternitas, non Trinitas Deus: ſicut enim vnus eſt homo anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo: ac per hoc Chriſtus eſt Deus, anima rationalis & caro. *Tom 9.Tract.78. in Euang.Ioan. Eundem ſenſum habes contra ſerm. Arrianorum, cap.9. Plura Tom.2.Epiſt.3. ad Voluſianum, & 102. ad Euodium.*

*Sicut anima habẽs corpus nõ facit duas perſonas, ſic nec verbum humanã naturam ſuſtẽtans.*

Ipſe eſt Filius hominis, qui & Filius Dei. Hærendo enim ad vnitatem perſonæ Filius hominis Filio Dei, facta eſt vna perſona, eadémque Filius Dei, quæ & Filius hominis. Quid autem propter quid habeat, dignoſcendum eſt. Filius hominis habet animam, habet corpus: Filius Dei, quod eſt verbum Dei, habet hominem tanquam anima corpus. Sicut anima habens corpus non facit duas perſonas, ſed vnum hominem: ſic verbum habens hominem, non facit duas perſonas, ſed vnum Chriſtum. Quid eſt homo? Anima rationalis habens corpus: quid eſt Chriſtus? Verbum Dei habẽs hominem. *Tom.9.Tract.19 in Euang. Ioan.*





*Ex incarnatione Chriſti cognouit homo, quẽ locũ in rebus creatis haberet.*

*Incarnatione Chriſti omnis occaſio malignis ſpiritibus adempta præferendi ſe hominibus.*

*Gratia Dei in nobis ſine vllis præcedẽtibus meritis in homine Chriſto commendatur.*

** Ioan.1.*

Demonſtratum eſt homini, quem locum haberet in rebus, quas condidit Deus, quandoquidem ſic Deo cõiungi potuit humana natura, vt ex duabus ſubſtantiis fieret vna perſona, ac per hoc iam ex tribus, ſcilicet Deo, anima, & carne: vt ſuperbi illi maligni ſpiritus, qui ſe ad decipiendum, quaſi ad adiuuandum medios interponunt, non ideò ſe audeant homini præponere, quia non habent carnem: & maximè, quia & mori in eadem carne dignatus eſt Filius Dei, ne ideò illi tanquam Deos ſe coli perſuadeant, quia videntur eſſe immortales. Deinde vt gratia Dei in nobis ſine vllis præcedentibus meritis in homine Chriſto commendaretur, quia nec ipſe tanta vnitate Deo vero coniunctus vnà cum illo perſona, id eſt, ipſe homo aſſumptus, mox vt homo etiam Deus Filius Dei viueret, vllis eſt præcedentibus meritis aſſecutus. Sed ex quo homo eſſe cœpit, ex illo eſt & Deus. Vnde dictum eſt: * Verbũ Caro factum eſt. *Tom.3.de Trinit.lib.13.cap.17.*

*Chriſtus non duæ perſonæ, ſed tãtũ vna.*

Commendaui charitati veſtræ, vnam perſonam eſſe Chriſtum Deum & hominem, non duas: ne fides noſtra non ſit Trinitas, ſed quaternitas. Chriſtus ergo vnus eſt, verbum, anima & caro vnus Chriſtus. Filius Dei & Filius hominis vnus Chriſtus. Filius Dei ſemper, Filius hominis ex tempore, tamen vnus Chriſtus ſecundùm vnitatem perſonæ. In cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat Filius hominis in cœlo, quẽadmodum Filius Dei erat in terra: Filius Dei in terra in ſuſcepta carne, Filius hominis in cœlo in vnitate perſonæ. *Tom.9.in Euang.Ioan.Tract.27.*

### *IIII. Naturam humanam in perſona Chriſti nullo modo cum eius diuinitate fuiſſe confuſam.*

*Duæ naturæ in vna pſona verbi nõ ſunt confuſæ, ſed*

LIcet vnam perſonam in Chriſto credamus, duas tamen ſubſtantias, id eſt, naturas eſſe fatemur, diuinitatis ſcilicet & humanitatis, aſſumptricis & aſſumptæ, creatricis & creatæ. Quæ tamen ſubſtantiæ non ſunt cõfuſæ, ſed vnitæ atq; in vna eadémq; perſona inſeparabiles, & in ſua ſemper proprietate manẽtes. Qua propter vnicuique ſubſtantię propria vtiq; aptãda ſunt, id eſt infirmitates humanitati quæ creata eſt, ſigna verò

*vnitæ, in ſua tamẽ ſemper proprietate manentes.*

** Matth. 8.* ** Matth. 4.* ** Matth. 14.* ** Ioan. 11.*

vel mirabilia Diuinitati, quæ creauit. In tantum enim duæ naturæ ſibimet vnitæ ſunt atq; coniunctæ, vt idem atque idem Chriſtus Deus & homo, aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando diuinas. Sicut illud eſt, quòd dormit * in naui, & imperat vẽtis & mari: aut quòd * eſurierit, & quòd quinque * millia hominum de quinque panibus, & duobus piſcibus ſaturarit. Poſtremò, quòd moritur, & quòd * Lazarum quatriduanum auctoritate diuina iubeat à mortuis reuocari. *Tom. 10. de verbis Domini in Euang. Ioan. ſerm. 58.*

Non duos Chriſtos, neque duos filios fatemur, ſed Deum & hominem vnum Filium. Quem propterea & vnigenitum dicimus, manentem in duabus ſubſtantiis, ſicut ei naturæ veritas contulit, non confuſis naturis, neque immixtis, ſicut Timothiani volunt, ſed ſocietate vnitis. Deus ergo hominem aſſumpſit, homo in Deum tranſiuit, non naturæ verſibilitate, ſicut Apollinariſtæ dicunt, ſed Dei dignatione: vt nec Deus mutaretur in humanam ſubſtantiam aſſumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum: quia mutatio vel verſibilitas naturæ & diminutionem & abolitionem ſubſtantiæ facit. *Tom. 3. de Eccleſ. dogmat. cap. 2.*

** Gen. 1.* ** Philip. 2.*

Forma * Dei accepit formam * ſerui, vtrumque Deus & vtrumque homo. Sed vtrumque Deus propter accipientem Deum, vtrumque homo propter acceptum hominem. † Neque enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum conuerſum atque mutatum eſt: nec diuinitas quippe in creaturam mutata eſt, vt deſiſteret eſſe diuinitas, nec creatura in Diuinitatem, vt deſiſteret eſſe creatura. *Tom. 3. lib. 1. de Trinitate, cap. 7.*

*† Etſi propter duas naturas in vna verbi perſonã coniunctas, communicatio fit idiomatum, vt quæ Dei ſunt, dicantur de homine, & quæ hominis, de Deo viciſsim enuncientur: tamen nec diuina idiomata conueniunt Chriſto, niſi ſecundum Diuinitatem: nec humana, niſi ſecundum hominis naturam.*

Non ergo in Chriſto ſuſceptam carnem perpetuitate diuinæ generationis extẽdo: nec immenſam Deitatem



corporei ortus ætate concludo: quia idem in Diuinitate auctor eſt rerum, qui in carne redemptor eſt hominum: idem impaſſibilis in ſe, qui paſſus in corpore: dum ſic vtriuſque naturæ proprietatem verè ex vtraque gignenti ſimilis natus expreſſit, vt & veram carnem ſuſcepiſſe eum conſtet ex matre, & indifferentem Deitatem habere conſtet ex Patre. Quibus in vnam perſonam incomprehenſibili Mediatoris diſpenſatione cõiunctis, ſeruauit ſingulis propria, ſed coniunxit propriis aliena. *Tom. 6. contra Felicianum Arrianum, cap. 10.*

*Faciunt hæc cõtra eos, qui Chriſtum ſecundũ humanam etiã naturã vbique eſſe dicunt.*

Illorum execramur ſimiliter blaſphemiam, qui nouo ſenſu aſſerere conantur, à tempore acceptæ carnis, omnia quæ erant Diuinitatis, in hominem demigraſſe, & rurſum quæ humanitatis erant, in Deum eſſe transfuſa: vt quod nulla vnquam hæreſis auſa eſt dicere, vincatur hac confuſione vtraque exinanita eſſe ſubſtantia, & Deitatis ſcilicet & humanitatis, & amiſſo proprio ſtatu, in aliud eſſe mutata: vt qui tam Deum perfectum in Filio, quàm hominem confitemur, nec Deum verè, nec hominem temerè, credamus. Nos autem ita dicimus ſuſceptum à Dei Filio hominem, vt Deus tamen impaſſibilis permaneret. Paſſus eſt etenim Dei Filius non putatiuè, ſed verè omnia quæ Scriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera huiuſmodi: ſed ſecundum illud paſſus eſt, quod pati poterat, non ſecundum illam ſubſtãntiam, quæ aſſumpſit, ſed ſecundum illam, quæ aſſumpta eſt. *Tom. 10. Serm. de Temp. 191.*

*Nec eſt admodũ diſsimile, quod Vbiquetarij dicũt: per vnionem perſonalem cõmunicatam fuiſſe humanæ naturæ omnis Deitatis plenitudinem.*

*Plura Tom. 6. contra Felicianum Arrianum, cap. 11.*

## *V. Recenſentur hæreſes, quæ Chriſti diuinitati aduerſantur.*

*Carpocrates*

CARPOCRATES Ieſum hominem tantummodo, & de vtroque ſexu natum putaſſe perhibetur, ſed accepiſſe talem animam, quæ ſciret ea, quæ ſuperna eſſent, atque nunciaret. *Tom. 6. hæreſi 7. In eadem hæreſi fuit Cerinthus & Ebion. Vide hæreſim 8. & 10.*

*Theodotiani. Sic quidam hoc tẽpore dũ*

THEODOTIANI à Theodotione quodã inſtituti, hominem tantummodo Chriſtum aſſeuerant. Quod dicitur quidẽ Theodotion propterea docuiſſe,

*peccata ſua honeſtare tueriq; voluerũt, hæretici facti ſunt.*

quia in perſecutione lapſus, iſto modo ſe caſus ſui deuitare putabat opprobrium, ſi non Deum negaſſe, ſed hominem videretur. *Ibidem, hæreſi.* 33.

*Pauliani.*

PAVLIANI à Paulo Samoſateno, Chriſtum non ſemper fuiſſe dicunt, ſed eius initium, ex quo de Maria natus eſt aſſeuerant: nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Iſta hæreſis aliquando cuiuſdã Artemonij fuit, ſed cùm defeciſſet, inſtaurata eſt à Paulo, & poſteà ſic à Photino confirmata, vt Photiniani, quàm Pauliani celebrius nuncupentur. *Ibidem, hæreſi* 44.

*Artemonius.*
*Photiniani.*

*Neſtoriani.*

NESTORIANI à Neſtorio Epiſcopo Patriarcha Conſtantinopolitano, qui contra fidem Catholicã dogmatizare auſus eſt, Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum hominem tantùm, nec id quod mediator Dei & hominum factus eſt, in vtero Virginis de Spiritu ſancto fuiſſe conceptum, ſed poſtea Deum homini fuiſſe permixtum, nec Deum hominem paſſum ſepultúmq; dicebat, euacuare contendens omne noſtrum remediũ, quo verbum Dei ſic hominem ſuſcipere dignatum eſt in vtero virginis, vt vna perſona fieret Dei & hominis, propterea ſic ſingulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro peccatis noſtris, cum ea, quæ non rapuerat,* ſolueret, Deus homo à mortuis reſurgens aſcendit in cælum. *Ibidem, hæreſi* 89.

*Neſtorius negans Deum hominẽ paſſumſepultũq; fuiſſe, omne remediũ noſtrum euacuare contendit.*

** Pſal. 68.*

*Ebion.*

Natus eſt Dei Filius ex homine, & non per hominem, id eſt, non ex viri coitu, ſicut Ebion dicit, ſed carnem ex virginis corpore trahẽs, & non de cælo ſecum adferens, ſicut Marcion, Origenes, & Eutyches affirmãt. Neque in Phantaſia, id eſt, abſque carne, ſicut Valentinus aſſerit, id eſt, neque putatiuè imaginatum, ſed corpus verum. Non tantũ carnem ex carne, ſicut Marcianus, ſed verus Deus ex diuinitate, & verus homo ex carne, vnus filius, in diuinitate, verbum Patris, & Deus, in homine anima & caro. Anima non abſque ſenſu & ratione, vt Apollinaris, neque caro abſque anima, vt Eunomius: ſed anima cum ratione ſua, & corpus cum ſenſibus ſuis, per quos ſenſus veros in Paſſione & ante Paſſionem ſuæ carnis dolores ſuſtinuit. Neque ſic eſt natus ex virgine, vt & Diuinitatis initium homo naſcendo acceperit, quaſi antequam naſceretur ex

*Marcianus.*



virgine, Deus non fuerit, ſicut Artemon & Berillus, & Marcellus docuerunt, ſed æternus Deus & homo ex virgine natus eſt. *Tom. 3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap.* 2.

*Artemon.*
*Berillus.*
*Marcellus.*

## *VI. Commemorantur hæreſes, quæ cum vera Chriſti humanitate pugnant.*

*Valentinus.*

CHriſtum autem à Patre miſſum, (*ait Valentinus*) id eſt à profundo ſpiritale vel cæleſte corpus ſecũ attuliſſe, nihílque aſſumpſiſſe de virgine Maria, ſed per illam tanquam per rimam, aut per fiſtulam ſine vlla de illa aſſumpta carne tranſiſſe. *Tom. 6. de hæreſibus, hæreſi* 11.

*Cerdoniani.*

Chriſtúmque ipſum (*aiunt Cerdoniani*) neque natum ex fœmina, neque habuiſſe carnem: nec verè mortuum, vel quicquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem. *Ibidem, hæreſi* 21.

*Apelles.*

Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Chriſto tam falſa ſenſiſſe, vt diceret eum, non quidem carnem duxiſſe de cælo, ſed ex elementis mundi accepiſſe, quæ mundo reddidit, cùm ſine carne reſurgens in cælum aſcendit. *Ibidem hæreſi* 23.

*Manichæi.*

Chriſtum autem fuiſſe affirmant (*Manichæi*) quem dicit noſtra Scriptura ſerpentem, à quo illuminatos eos aſſerunt, vt cogitationis* oculos aperirent, & bonum malúmque dignoſcerent. Eúmque Chriſtum nouiſſimis temporibus veniſſe ad animas, non ad corpora liberanda. Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, vbi nõ ſolum mortem, verùmetiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur. *Ibidem, hære.* 46.

** Gen. 3.*

*Arriani*

In eo autem (*ſermo eſt de Arrianis.*) quòd Chriſtum ſine anima ſolam carnem ſuſcepiſſe arbitrãtur, minùs noti ſunt. *Ibidem, hæreſi* 49.

*Apollinariſtæ.*

APOLLINARISTAS Apollinaris inſtituit, qui de anima Chriſti à Catholica diſſenſerunt, dicentes ſicut Arriani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe. In quæſtione teſtimoniis Euangelicis victi, mentem, qua rationalis eſt anima hominis, non fuiſſe in anima Chriſti, ſed pro hac ipſum verbũ in ea fuiſſe dixerunt. De ipſa verò eius carne ſic à recta fide diſſenſiſſe

perhibentur,vt dicerent,carnem illam & verbum vnius eiuſdémque ſubſtantiæ: contentioſiſſimè aſſeuerantes, verbum * carnem factum; hoc eſt,verbi aliquid in carnem fuiſſe conuerſum atque mutatum,non autem carnem de Mariæ carne ſuſceptam. *Ibidem, hæreſi 55.*

* *Ioan.*1.

A B Apollinariſtis & Eutychiniani ab Eutyche quodam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ presbytero Monacho exorti ſunt, qui cùm videretur refutare Neſtorium, in Appollinarem, Manichæúmque tranſiuit,& humanitatis in Chriſto denegans veritatem, quicquid à verbo noſtræ proprietatis receptũ eſt,diuinæ tatũmodo aſcribit eſſentiæ, vt Sacramentum ſalutis humanæ, quod non niſi in vtraque ſubſtãtia eſt,noſtram in Chriſto naturam negando diſſolueret, ſtulta impietate non inſpiciens vniuerſo corpori auferri,quod capiti defuiſſet. *Ibidem hæreſi 90. in editione Pariſienſi.*

*Non multùm ab Eutychianis differunt,qui hoc tempore vocantur Vbiquetarij:nam diuinæ & humanæ naturæ confundunt proprietates,& ſimilibus vtuntur præſidiis.*

*VII. Chriſto Deo & homine Mediatore opus fuiſſe.*

*Mediator quare nobis neceſſarius. Per fidẽ veniendum ad veritatem.*

DVo illa ſurſum ſunt æternitas & veritas: duo iſta deorſum,quod ortum eſt & fides. Vt ergo ab imis ad ſumma reuocemur,atque id quod ortũ eſt, recipiat æternitatem,per Fidem veniendum eſt ad veritatem. Et quia omnia,quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur,ab æterna iuſtitia temporalis iniquitas nos alienabat. Opus ergo erat media iuſtitia tẽporali,quæ medietas temporalis eſſet de imis mixta & ſummis, atque ita ſe nec abrumpens à ſummis, & contemperans imis, ima redderet ſummis. Ideò Chriſtus Mediator Dei & hominum dictus eſt* inter Deum immortalem,& hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo,manens id quod erat,factus quod non erat. Ipſe eſt nobis fides in rebus ortis, qui eſt veritas in æternis. Hoc magnum & inenarrabile Sacramentum, hoc regnum & ſacerdotium antiquis per prophetiam reuelabatur, poſteris eorum per Euangeliũ prædicatur. *Tom.4. de conſenſu Euangeliſt. lib.1. cap.35.*

* 1. *Tim.* 2.

Si quod multò credibilius & probabilius diſputatur,



omnes homines quandiu mortales ſunt, etiam miſeri ſint,neceſſe eſt:quærendus eſt medius, qui non ſolum homo,verùmetiam Deus ſit:vt homines ex mortali miſeria ad beatam immortalitatem huius medij beata mortalitas interueniendo perducat: quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere mortalem. Mortalis quippè factus eſt, non infirmata verbi diuinitate, ſed carnis infirmitate ſuſcepta: non autem permanſit in ipſa carne mortalis, quam reſuſcitauit à mortuis:quoniam ipſe fructus eſt meditationis eius,vt nec ipſi,propter quos liberandos mediator effectus eſt,in perpetua vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, & beatitudinem permanentem,vt per id quod tranſit,congrueret morituris,et ad id quod permanet,transferret ex mortuis. *Tom.5. lib. 9. de ciuit. Dei, cap.15.*

*Neceſſarius mediator, qui non ſolũ homo, ſed etiam Deus eſſet.*

*In Chriſto mortalitas tranſiens & beatitudo permanens.*

Ego,inquit Dominus,* ero illis in Deum, & ſeruus* meus Dauid princeps in medio eorũ. Quare in medio eorum? Quia verbum * caro factum eſt,& habitauit in nobis. Princeps in medio eorum,inde & mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator. Diuinitas ſine humanitate nõ eſt mediatrix:ſed inter Diuinitatem ſolam & humanitatem ſolam mediatrix eſt humana Diuinitas, & diuina humanitas Chriſti. *Tom.9. Homil. de Ouibus, cap.12.*

* *Ezec.*34. * *Ioan.*1.

*Chriſtus nec vt Deus tantùm, nec vt homo tantũ, ſed vt ſimul Deus et homo, Mediator eſt.*

In Adam inuenientibus mortẽ per hoc prodeſt Chriſtus,quia eſt mediator ad vitam,nõ autem per hoc mediator eſt,quòd æqualis eſt Patri:per hoc enim quãtum Pater,tantum & ipſe diſtat à nobis. Et quomodo erit medietas, vbi eadem ipſa diſtantia eſt? Ideo Apoſtolus non ait:* *Vnus mediator Dei & hominum Chriſtus IESVS*,ſed homo Chriſtus Ieſus. Per hoc ergo mediator,per quod homo, inferior Patre, per quod nobis propinquior, ſuperior nobis, per quod Patri propinquior. Quod apertius ita dicitur,inferior Patre,quia in forma * ſerui: ſuperior nobis, quia ſine labe peccati. *Tom.7. de gratia Chriſti & peccato originali, lib. 2. cap.28.*

*Chriſtus per quid ſit Mediator.*

* 1. *Tim.*2. * *Philip.*2.

*Vide in hanc ſententiam plura Tom 3. in Enchirid. cap.* 107. *& Tom.8. in Pſal.* 133. *Enarrat.* 1.

** 1. Tim. 2.*
** Act. 4.*
*Faciunt hæc cōtra Mahometanos, aliósque mundi ſapientes qui cultum vnius Dei ſufficere ſibi ad ſalutē putāt abſque Chriſto Mediatore.*
*Nemo vnquam ſaluus abſque fide in Chriſtum Mediatorē.*
** Ioan. 3.*
*Spiritus ſanctus diffundēs Charitatem in cordibus hominū non merita ſequitur, ſed merita facit.*

## VIII. *Sine Chriſto Mediatore neminem ſaluari.*

VNus Deus,* & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Quoniam * non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, & in illo definiuit Deus fidem omnibus, ſuſcitans illum à mortuis. Itaque ſine iſta fide, hoc eſt, ſine fide vnius mediatoris Dei & hominū, hominis Chriſti Ieſu, ſine fide, inquam, reſurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, quæ vtique ſine incarnatione eius ac morte non poteſt veraciter credi: ſine Fide ergo incarnationis & mortis & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos iuſtos vt iuſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia iuſtificari, veritas Chriſtiana nō dubitat: ſiue in eis iuſtis, quos ſancta ſcriptura commemorat, ſiue in eis iuſtis, quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, vel ante Diluuiū, vel inde vſque ad datam legem, vel ipſius Legis tempore, non ſolùm in filiis Iſraël, ſicut fuerūt Prophetæ, ſed etiam extra eūdem populum, ſicut fuit Iob. Et ipſorum enim corda eadem mundabantur Mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum ſanctum, qui vbi * vult, ſpirat, non merita ſequens, ſed etiam ipſa merita faciens. *Tom.7. de gratia Chriſti, & peccato orig. contra Pelag. lib. 2. cap.* 24.

**1 Tim. 2.*
*Nec in bona conuerſatione, nec in vnius Dei cultu poteſt eſſe ſalus abſque Mediatore Chriſto.*
** Ioan. 1.*

Et ne quiſquam diceret, poſſe eſſe ſalutis viam in bona conuerſatione, & vnius Dei omnipotentis cultu, ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti: vnus* enim Deus, inquit, & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: vt illud quod dixerat, omnes homines vult ſaluos fieri: nullo alio modo intelligatur præſtari, niſi per Mediatorem, non Deum, quod ſemper verbum erat, ſed hominem Chriſtum Ieſum, cùm verbum* caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Tom. 2. Epiſt. 59. ad Paulinum, quæſt. ſexta.*

** 1. Tim. 2.*
*Sancti antiqui, præſentes & futuri omnes ſalui per fidem in Mediatorem Chriſtum.*

Vnus Mediator* Dei & hominū, homo Chriſtus Ieſus, qui venturus in carne ſic antiquis ſanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, vt vna eadémque fides per ipſum omnes in Dei ciuitatē, in domum Dei, in Dei templum prædeſtinatos perducat ad Deum. *Tom. 5. de Ciuit. Dei lib. 18. ca. 47.*



**1. Cor. 15.*

Si tibi Chriſtiana fides diſplicet, apertius cōfitere: Nā Chriſtianam fidem aliam non potes inuenire. Vnus homo eſt ad mortem, vnus ad vitam. Ille tantùm homo, iſte Deus & homo. Per illum eſt mundus inimicus factus Deo: per iſtum mundus reconciliatus Deo, electus ex mundo. Sicut enim * in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius, qui in cælo eſt. Hæc ſtabilimenta fidei Chriſtianæ qui ſubuertere nititur, ſtantibus eis ipſe ſubuertitur. *Tom.7. contra Iulian. Pelag. lib. 6. cap. 1. circa finem.*

** 1. Tim. 2.*
** 1. Cor. 15.*

Si enim ſalui erunt aliqui ſine Chriſto, & iuſtificantur aliqui ſine Chriſto, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. *Et paulò pòſt*: Non eſt itaque præter vnum * Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat ſaluos fieri nos. Et ideò dictum eſt: * In Chriſto omnes viuificabuntur, quoniam in illo Deus definiuit fidem omnibus, ſuſcitans illum à mortuis. *Ibid. cap. 12. Plura Tom. 7. de pec. merit. & remiſſ. lib. 1. cap. 28. & 29.*

*Chriſtus quatenus ex ſe pro omnibus interpellat, et nullus pro ipſo eatenus vnus & verus Mediator ab Auguſtino dicitur: qua ratione nec Paulus Mediator fuiſſe dicendus eſt.*
** Heb. 9.*

## IX. *Chriſtum interpellationis ratione mediatorem etiam ſeu aduocatum appellari.*

HOmines omnes Chriſtiani inuicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus, verúſque Mediator eſt, cuius typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote veteris Teſtamēti, nullus illic inuenitur oraſſe pro Sacerdote. Paulus autē Apoſtolus quāquam ſub capite præcipuū membrū, ſed tamē quia mēbrū eſt corporis Chriſti, & nouerat nō per figurā in interiora* veli ad ſancta ſanctorū, ſed per expreſſam & firmā veritatē in interiora Cæli ad ſanctitatē nō imaginariā, ſed ęternam pro nobis intraſſe maximum & veriſſimum Sacerdotem Eccleſiæ ſe orationibus fidelium & ipſe cōmēdat. Nec mediatorem ſe facit inter populum & Deū,

ſed rogat vt pro ſe orent inuicē omnia membra corporis Chriſti. *Tom.7 contra Epiſto. Parmeniani lib. ca.8.*

*1. Ion. 2. *Chriſtus aduocatus noſter apud Patrem.*

SI QVIS peccauerit * aduocatū habemus apud Patrem, IESVM Chriſtum iuſtum: Sed dicet aliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epiſcopi vel Præpoſiti non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, & videte, quia & præpoſiti commendant ſe pōpulo: nam Apoſtolus dicit plebi: *Orantes ſimul & pro nobis orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo; Oramus pro vobis fratres, ſed & vos orate pro nobis. Inuicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. *Tom.9. in epiſt. Ioan. Tract. 1.*

*Coloſ 4.

* *Rom.8.* *Martyres etiam interpellant pro nobis: nec tamen Chriſto ſummo interpellatori fit iniuria.*

Dominus noſter Ieſus Chriſtus * adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cùm tranſierit gemitus noſter. Cùm autem tranſierit gemitus noſter, omnes vna voce in vno populo, in vna patria conſolabimur millia * millium coniuncta pſallentibus angelis. &c. *Tom.8. in Pſal.85. ſub finem.*

*Dan.7. * *Rom.8.*

Nam & de ipſo Domino Ieſu Chriſto dictum eſt, * quòd interpellat pro nobis. Nunquid interpellat, & non etiam poſtulat? Imò verò quia poſtulat, pro eo poſitum eſt interpellat. Euidenter quippe alibi de eo dicitur: * Et ſi quis peccauerit, aduocatum habemus ad patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: Ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris. *Tom.2. epiſt.59. ad Paulinum, in ſolutione quintæ Quæſtionis.*

* *1. Ioan. 2.*

*Non poſſum ſatis intelligere, pie Lector, quam iniuriā hæretici ſomnient mediatori Chriſto ex Sanctorum interceſſione fieri: Nos enim Chriſtum vnum & ſolum mediatorem pluribus nominibus dici ac eſſe, conſtanter credimus & confitemur. Eſt in primis natura mediator, quatenus vnus idémque & verus Deus cum Patre, qui offenſus fuerat, & verus homo nobiſcum, qui offenderamus, ſimul exiſtit. Eſt & officio redemptionis mediator, quoniam ſeipſum ad mortem offerens nos æterno Patri ſuo reconciliauit. Eſt denique vnus & ſolus ipſe Mediator, qua ratione ſolus ipſe ſummus eſt interpellator & aduocatus, qui cum pro*



*omnibus interpellet, ipſe nullo eget interpellatore: qui cum tanquam Filius, & per ſemetipſum accedat ad Deū, reliquos omnes qui miniſtri vel ſerui ſunt, non niſi per ſeipſum facit accedere. His ergo tribus modis, quos ex Auguſtino tradidimus, libenter confitemur, vnum Mediatorem Chriſtum eſſe, neque cuiquam, præterquam ei, nomen Mediatoris conuenire. Vnde nomen Mediatoris hiſce modis acceptum, mirum non eſt, ſi lib.2. contra Parme. cap.8. (quē locum fruſtra vrgent aduerſarij) nec Epiſcopis pro plebe Deum deprecantibus, nec Apoſtolo pro Eccleſiis intercedente tribuendum exiſtimauerit Auguſtinus. Sed nunquid quia his modis Mediatorem intellexit, ideo nulla ſuperit eius nominis acceptio, qua reliqui Sancti mediatores dici poßint? Supereſt profectò: Nam alioqui falsò Moyſes Mediatorem ſe inter Deum & plebem nominaſſet: Quod ſapienter cernens Cyrillus, mediationem Moyſis tanquam Miniſtri vel ſerui, mediationē verò Chriſti tanquam Filij eſſe declarat. Hanc nos tenentes viam ſanctos quatenus pro nobis deprecantur & intercedunt, Mediatores nominamus: Nec propterea Mediatorem Chriſtū afficimus iniuria. His conſentiens Bernardus ſanctißimam Dei matrem mediatricem nominat, & cōceptis verbis inuocat. Similiter & Baſilius ad Iulianum Apoſtatam ſcribens, mediatores ſanctos his verbis conſtituit: Sanctam Mariam, quæ ſecundum carnem Chriſtum peperit, ſuſcipio, & ſanctos Apoſtolos, Prophetas, & Martyres, qui pro me ad Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius ſit mihi Deus noſter benignißimus, & remißionem peccatorum mihi gratis largiatur. Verbis verò Apoſtoli: * Vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, facilimum eſt reſpondere: Manifeſtum eſt enim ex his, quæ proximè ſequuntur, ibi de Mediatore illo diſputari, qui ſemetipſum dederit ἀντίλυτρον, hoc eſt, redemptionem vel precium pro omnibus hominibus: quem Mediatorem ſolum eſſe Chriſtum nos quoque profitemur. Potuiſſent etiam aduerſarij, niſi tenebras quærerent, liquidò cognoſcere vel ex eiuſdem capitis initio, poſſe homines alios pro alijs deprecari & intercedere: quare poſſe deprecando & intercedendo alios præter Chriſtum, mediatores eſſe. Hor-*

Cyrill. in Ioan. lib. 3. cap.9.

*Bernar. ſer. de verbis Apoc.12. Signum magnum apparuit in cælo, & alibi.*

*Recitantur verba Baſilij in Synodo Nicæna 2. Act. 4.*

* *1. Tim. 2.*

*In Epi. 59. ad Paulinũ*

*tatur enim Timotheum, vt fieri curet pro omnibus hominibus δεήσεις, προσευχὰς, & ἐντεύξεις, hoc eſt (vt Auguſtinus rectè interpretatur) deprecationes, orationes, & interceſsiones: in quibus manifeſtè ſecum pugnaret Apoſtolus, niſi mediatio vel interceſsio, quæ etiam hominibus tribueretur, à Chriſti mediationibus eſſet diuerſa. Nec refert, viuos illos fuiſſe, quos pro aliis deprecari & intercedere Apoſtolus voluit: Non enim de viuis aut mortuis nunc diſputamus, ſed illud inquirimus, an præter Chriſtum aliquis ſit alius mediator. Si enim ſit, quantumuis viuat, non erit vnus & ſolus Chriſtus mediator. Sed libet tanquam*

*Cyril.lib.12 Theſ.ca.10*

*orationis noſtræ clauſulam, verba Cyrilli recitare, quibus hæc quæ diximus, non mediocriter confirmantur: Mediator, inquit, Dei & hominum, Ieſus Chriſtus eſt, non ſolùm quia reconciliauit homines Deo, verùm etiam quia naturaliter & ſubſtantialiter & Deus & homo in vna hypoſtaſi eſt. Hoc enim modo naturã noſtram ſibi Deus reconciliauit. Nam aliter quomodo vnũ Mediatorem Chriſtum Paulus dixiſſet? Multi enim ſanctorum mediationis miniſterio vſi ſunt, & ipſe Paulus clamat: * Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Moſes quoque Mediator * fuit, miniſtrauit enim Filiis Iſrael legem datam à Deo. Mediator etiam fuit beatus Hieremias, præcipuè quando clamabat ad Deum * Recordare mei ſtantis coram te, ad loquendum pro ipſis bona. Quid multa? Singuli Prophetarum mediatores fuerunt, Apoſtolorũ quoque ſinguli. Quomodo igitur vnicus Mediator Dei & hominum, Chriſtus eſt, niſi noua, inauditáque in aliis mediatio ſua ſit? Hactenus Cyrillus: Cuius & reliquorum ſententiæ, Auguſtinus ex verbis ſuprà citatis conuincitur ſubſcripſiſſe. Verùm id ex lib.4.cap.de ſanctis apertius cõſtabit, vbi Martyres alióſque ſanctos cum Chriſto quieſcentes pro nobis apud Deum intercedere, nobíſque patrocinari, ex Auguſtini ſententia, abundè declaratur.*

* *2.Cor.5.* **Exod.20.* **Hier.18.*

### *X. Humanitas in Chriſto qua ratione adoranda.*

IDEM (*Aëriani*) dicunt, non natura eſſe Dei Filium, ſed creatum. Aduerſus huiuſmodi quæſtiones



ſolitò reſpondendum eſt. Quia ſi natura Deus non eſt Filius, ſed creatura, nec colendus eſt omnino, nec vt Deus adorãdus, dicẽte Apoſtolo: * Et coluerũt, & ſeruierũt creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula: Et ad Galatas: * Sed tunc ignorantes Deũ, his, qui natura nõ ſunt Dij, ſeruiebatis. Sed illi ad hæc replicabũt, & dicent. Quid? quòd carnẽ eius, quam creaturã eſſe nõ negas, ſimul cũ Diuinitate adoras, atque ei nõ minus, quàm Diuinitati deſeruis? Ego dominicã carnẽ, imò perfectã in Chriſto humanitatẽ propterea adoro, quòd à Diuinitate ſuſcepta, atque Deitati vnita eſt, vt nõ aliũ atque aliũ, ſed vnum eundémque Deũ & hominẽ Dei Filiũ cõfitear. Denique ſi hominẽ ſeparaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samoſatenus, illi ego nunq̃ credo, nec ſeruio. Velut ſi quis noſtrũm, aut purpurã aut diadema regale iacẽs inueniat, nũquid ea conabitur adorare? Cùm verò ea rex fuerit indutus, periculũ mortis incurrit, ſi ea ſimul cũ Rege quis adorare cõtẽpſerit: Ita etiam in Chriſto Domino humanitatẽ nõ ſolã aut nudam, ſed Diuinitati ſuæ vnitam vnũ Dei Filiũ, Deũ verũ & hominẽ verũ, qui adorare contempſerit, æternæ mortis pœnam patietur. *Tom.10.de verbis Domini, ſermone.58.*

* *Rom.1.* * *Gal.4.*

*Non defuerunt noſtro tempore, qui negauerint, humanitatẽ in Chriſto adorandam eſſe.*

*Ex his colligitur, humanæ in Chriſto naturæ latriam deberi, vt Diuinitati in eandem perſona vnita eſt.*

Adorate ſcabellũ pedum eius. * Quæro quid ſit ſcabellũ pedũ eius? Et dicit mihi Scriptura: * Terra ſcabellum pedũ meorũ. Fluctuans cõuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellũ pedũ eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne * Mariæ carnẽ accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnẽ nobis mãducandã, ad ſalutẽ dedit: Nemo aũt illã carnẽ manducat, niſi priùs adorauerit. Inuentũ eſt quemadmodũ adoretur tale ſcabellũ pedũ Domini, & nõ ſolùm nõ peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Nũquid aũt caro viuificat? Ipſe Dominus dixit, cùm de ipſa cõmendatione eiuſdẽ terræ loqueretur, * Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. *Tom.8.in Pſal.98.*

* *Pſal.98.* * *Iſa.66.* * *Luc.1.*

*Eſt igitur Chriſti caro in Euchariſtia & adorari debet.*

* *Ioan.6.*

### *XI. Chriſtum paſſum fuiſſe ſecundum humanam naturam, non ſecundum Diuinam.*

* 1.Cor.1.
* Ioan.1.

FIlius vnigenitus Dei, qui eſt * virtus & ſapientia Dei,& verbum * per quod facta ſunt omnia, quia immutari non poteſt omnino, ſuſcepit humanã creaturam,quam lapſam erigere,atque inueteratam renouare dignatus eſt. Nec in ea per paſſionem ipſe in deterius commutatus eſt,ſed eam potius per reſurrectionem in melius commutauit. Nec propterea verbum Patris,id eſt,vnicum Dei Filium, per quem facta ſunt omnia, negandum eſt natum & paſſum eſſe pro nobis. Et Martyres enim paſſos dicimus, & mortuos propter regna cælorum,nec tamẽ in ea paſſione & morte animæ eorum occiſæ ſunt. Dicit enim Dominus: * *Nolite timere eos,qui corpus occidunt, animæ autem nihil poſſunt facere.* Sicut ergo martyres & paſſos & mortuos dicimus in corporibus,quæ portabant, ſine animarum interfectione vel morte: ſic Filium Dei paſſum & mortuum dicimus in homine,quem portabat, ſine Diuinitatis aliqua commutatione vel morte. *Tom.3. de agone Chriſtiano.cap.23.*

*Matth.10.

*Quemadmodum verè dicimus Philoſophũ cæſũ vel mortuũ: ſic etiam Deũ paſſum vel crucifixũ eſſe rectè dicimus.*

Proinde quæ de Filio Dei verba dicuntur, videndũ eſt,ſecũdum quid dicantur. Non enim homine aſſumpto perſonarum numerus auctus eſt,ſed eadem Trinitas manſit. Nam ſicut in homine quolibet præter vnum illũ,qui ſingulariter ſuſceptus eſt,anima & corpus vna perſona eſt:ita in Chriſto verbũ & homo vna perſona eſt. Et ſicut homo, verbi gratia, Philoſophus, non vtique,niſi ſecundum animam dicitur, nec ideò tamen abſurdè,ſed congruentiſſima & vſitatiſſima locutione dicimus Philoſophum cæſum, Philoſophum mortuum,Philoſophum ſepultum, cùm totum ſecundum carnem accidat, non ſecundum illud, quod eſt Philoſophus:ita Chriſtus Deus Dei Filius, Dominus gloriæ,& ſi quid huiuſmodi ſecũdum verbum dicitur, & tamen rectè dicitur Deus crucifixus, cùm hoc eum ſecundum carnem paſſum eſſe, non ſecundum illud, quod Dominus gloriæ eſt, non habeatur incertum. *Tom.2. Epiſt.102.ad Euodium.*

*Hæreſis eorum qui diuinitatem Chriſti in cruce dolorẽ ſenſiſſe dixerunt.*

Eſt Hæreſis,quæ dicit in Chriſto diuinitatem doluiſſe,cùm figeretur caro eius in cruce. *Tom. 6. de Hæreſ. ad Quod vult Deum, Hæreſi.73.*

Paſſus



Paſſus eſt etenim Dei filius non putatiuè, ſed verè omnia,quæ Scriptura teſtatur,id eſt,eſuriem,ſitim, laſſitudinem,dolorem,mortem, & cætera huiuſmodi:ſed ſecundũ illud paſſus eſt,quod pati poterat, non ſecundum illam ſubſtantiam,quæ aſſumpſit, ſed ſecundũ illam,quæ aſſumpta eſt. Ipſe enim Dei Filius ſecundum Deitatẽ ſuam impaſſibilis eſt vt Pater, incorruptilis vt Pater. Et quamuis propriè perſona Filij,id eſt,Dei verbum ſuſceperit paſſibilem hominẽ,tamen eius inhabitatione ſecundũ ſuam ſubſtantiam Deitas verbi nihil paſſa eſt,vt tota Trinitas, quam impaſſibilem eſſe neceſſe eſt. Mortuus ergo eſt Dei Filius eadẽ natura carnis,in qua natus eſt & paſſus,in qua & reſurrexit. Non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtãtia,ſed glorificata in æternũ cũ Deitate manſura. *Tom.10.ſerm.de temp.191. Lege & Tom.6.de actis cum Felice Manichæo. lib.2. cap.9. de Fide contra Manichæos.cap.30.& ſeq.*

*Refelluntur hîc qui Chriſtum etiã ſecundũ diuinitatẽ paſſum eſſe fatentur.*

### *XII. Chriſtum ſecundum animam verè deſcendiſſe ad inferos.*

*Luc. 23.*

*Chriſtus vt homo, eo die quo mortuus eſt, non fuit in cœlo.*

SI ſecundum hominem, quem verbum Deus ſuſcepit,putamus dictum eſſe: * Hodie mecum eris in Paradiſo, non ex his verbis in cælo exiſtimãdus eſt eſſe Paradiſus. Neque enim ipſo die in cælo futurus erat homo Chriſtus Ieſus,ſed in inferno ſecundum animã, in ſepulchro autem ſecundum carnem. Et de carne quidem quòd eo die in ſepulchro ſit poſita, manifeſtiſſimum eſt Euangelium. * Quod verò illa anima in infernum deſcenderit, Apoſtolica doctrina prædicat. Quãdoquidem beatus Petrus ad hanc rem teſtimoniũ de Pſalmis adhibet,vbi de ipſo prædictum eſſe demõſtrat: * *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Illud de anima dictum eſt,quia non ibi eſt derelicta, vnde tam citò remeauit:illud de corpore,quod in ſepulchro cõrumpi celeri reſurrectione nõ potuit. Sed in ſepulchro Paradiſum nullus intelligit. Et ſi quiſquã eſſet ita abſurdus, vt hoc ſapere conaretur, eò quòd illud ſepulchrum in horto erat: certè hinc ab iſta opinione re-

* *Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.*

*Chriſti animã verè ad inferos deſcẽdiſſe, Apoſtolica doctrina prædicat.*

* *Act. 2. Pſal. 15.*

*Chriſtus die qua mortuus eſt, fuit ſecundū humanā animā in inferno, vbi tūc fuit paradiſus, in quo latronem eo die ſecum futurum eſſe promiſerat.*

uocaretur, quod ille cui dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo, non illo die fuit cum Chriſto in illo ſepulchro: nec eius fidei pro magno munere offerretur ſepultura carnis, nihil gaudii vel doloris in morte ſentientis, cùm ille de requie vbi ſenſus eſt cogitaret. Reſtat igitur, vt ſi ſecundum hominem dictum eſt: * Hodie mecū eris in paradiſo, in inferno intelligatur eſſe paradiſus, vbi erat eo die futurus ſecundum humanam animam Chriſtus. *Tom. 2. Epiſt. 57. ad Dardanum, ſolutione primæ Quæſtionis.*

** Luc. 23.*
** Pſal. 15.*
** Act. 2.*

Et Dominum quidem carne mortificatum adueniſſe in infernum ſatis conſtat. Neque enim contradici poteſt vel prophetiæ quæ dixit: * *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Quod, ne aliter quiſquam ſapere auderet, in Actibus Apoſtolorum * idem Petrus exponit: vel eiuſdem Petri illis verbis, quibus eū aſſerit ſoluiſſe inferni dolores, in quibus impoſſibile erat eum teneri. Quis ergo niſi infidelis negauerit, fuiſſe apud inferos Chriſtum? *Tom. 2. Epiſt. 99. ad Euodium.*

*Ergo infidelis eſt, qui negat, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos.*

Profecto igitur in paradiſo atque ſinu Abrahæ, etiā antè iam erat beatificante ſapientia, & apud inferos iudicante potentia. Vbi enim non eſt, nullo loco obſeſſa diuinitas? Veruntamen ſecundum creaturam, quam ex quodam tempore ſuſcipiendo manens Deus, homo factus eſt, hoc eſt, ſecūdū animam eum fuiſſe apud inferos, apertè Scriptura declarat, & per prophetiam præmiſſa, & per Apoſtolicum intellectum ſatis expoſita, qua dictum eſt: * Non derelinques animam meam in inferno &c. *Ibidem.*

*Chriſtum nō ſolum ſecūdū diuinitatem, ſed etiā ſecūdum animā apud inferos fuiſſe, Scriptura teſtatur.*

** Act. 2.*
*Pſal. 15.*

Vultis tamen audire, quid egerit? audite quid fecerit: Nulla neceſſitate, ſed propria voluntate in ligno ſe ſuſpendi permiſit, clauis corpus ſuū perforari nō renuit, animā ponendo mortem ſuſtinuit, carnem * in ſepulchro poſuit, & comitante ſecum anima, ad inferna deſcendit. Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis ſinu, tamen apud inferni clauſtra tenebantur, ad paradiſi amœna ducti ſunt. Quod ante paſſionem dixit, in reſurrectione ſua Dominus impleuit. * *Si exaltatus fuero*, inquit, *à terra, omnia traham ad me.* Omnia etenim traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit vtique electa. Neque enim infideles quoſque, & pro ſuis criminibus æternis ſuppliciis deditos, ad veniā Dominus reſurgendo reparauit, ſed illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit. Vnde rectè etiam per Oſeam dicitur: * *Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne.* Id nanque, quod occidimus, agimus, vt penitus non ſit. Ex eo autē quod mordemus, partem abſtrahimus, partémque relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortē, mors mortis extitit. Quia verò ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit, non occidit funditus, ſed momordit infernum. *Tom. 10. ſerm. 137. de Temp. In die ſancto Paſchæ. Serm. 2. Vide in eandem ſententiam Serm. 181. In Vigilia Pentecoſtes.*

*Verbū comitāte ſecum anima ad inferna deſcēdit.*

** Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Electi in inferno, ſiue in lymbo tenebantur. * Ioan. 12.*

*Chriſtus non oēs, ſed illos tātùm ex inferni clauſtris eripuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit.*

** Oſe. 13.*



## XIII. *Animam Chriſti apud inferos nullos dolores paſſam fuiſſe.*

QVisnam eſt iſte (*dicebant Dæmones de Chriſto ad inferos deſcendente*) terribilis & niueo ſplendore coruſcus? Nunq̄ noſter talē excepit Tartarus, nunq̄ in noſtrā cauernā talē euomuit mūdus. Inuaſor iſte, non debitor, exactor eſt, nō peccator. Iudicē videmus, nō ſupplicem: venit iubere, nō ſuccūbere: eripere, nō manere. Vbi iam ianitores noſtri dormierūt, cùm iſte bellator clauſtra vexabat? Hic ſi reus eſſet, tam potēs non eſſet. Si eū aliqua peccata fuſcarent, nunquā noſtra Tartara ſuo diſſiparet fulgore. Si Deus, vt quid venit? Si homo, quid præſumpſit? Si Deus, quid in ſepulchro facit? Si homo, quare peccatores ſoluit? *Tom. 10. ſerm. 137. de Tempore.*

*Chriſtus deſcēdit ad inferos tanquā exactor & Iudex.*

*Act. 2.*
** Ibidem.*

Quod enim ſcriptū eſt, in morte Chriſti factū * *ſolutis doloribus inferni*, vel ad ipſum poteſt inelligi pertinere, quòd eos hactenus ſoluerit, hoc eſt, irritos fecerit, ne ab eis ipſe teneretur, præſertim quia ſequitur: * In quib⁹ impoſſibile erat, teneri eū. Vel ſi cauſa quæritur, cur voluerit venire in infernū, vbi dolores illi eſſent, quibus teneri omnino nō poterat, quia erat, vt ſcriptū eſt, * inter mortuos liber, in quo Princeps & præpoſitus

*Chriſtus ſoluit dolores inferni, & quia eos ipſe non ſenſit, & quia quoſdā alios ab eiſdē liberauit.*

** Pſal. 87*

mortis non inuenit aliquid, quod ſupplicio deberetur, hoc ſcilicet quod ſcriptum eſt, ſolutis doloribus inferni, non in omnibus, ſed in quibuſdam accipi poteſt, quos ille dignos iſta liberatione iudicabat. *Tom.2.epiſt. 99.circa initium, ad Euodium.*

Quapropter ſi in illũ Abrahæ ſinum Chriſtum mortuum veniſſe ſancta Scriptura dixiſſet, non nominato inferno eiúſque doloribus, miror ſi quiſq̃ ad inferos eum deſcendiſſe aſſerere auderet. Sed quia euidẽtia teſtimonia & infernũ cõmemorant, & dolores, nulla cauſa occurrit, cur illò credatur veniſſe Saluator, niſi vt ab eius doloribus ſaluos faceret. *Ibidem paulò infrà. Idem habet Tom.3.de Geneſi ad literam.lib.1.cap.33.*

*Verè igitur deſcẽdit chriſtus ad inferos, vbi à doloribus quoſdam fecit ſaluos.*

Ad ſummam videamus, in cruce poſitus (*Chriſtus*) quid promiſit? *Hodiè*, inquit, *mecum eris in Paradiſo*. Hodie inquit, non poſt triduum, cùm carnem meam de ſepulchri requie reſuſcitauero, non cùm in me primitias futuræ reſurrectionis oſtẽdero. Cuius putamus hæc vox eſt, Maieſtatis, mentis aut corporis? Corpus aũt in ſepulchro fuiſſe, nullus ignorat: Reſtat vt Diuinitati, vel menti vox iſta cõueniat. Sed dicit aliquis: Deitatis hanc, non animæ Chriſti credimus vocem. Et quid in eo, cui promittebatur accipimus? *Hodiè*, inquit * latroni, *mecum eris in Paradiſo*, cuius corpus ad futuram reſurrectionem mors communis incluſit. Anima igitur eſt, cui Dominus hoc promiſit & præſtitit. Si igitur mortuo corpore ad paradiſum anima mox vocatur, quenq̃ ne adhuc tam impium credimus, qui dicere audeat, quoniam anima Saluatoris noſtri triduo illo corporeæ mortis apud inferos cuſtodiæ mancipetur? Et quis inquis, eſt alius, qui inſtante paſſione Chriſti ingemuit, dicens * Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Triſtis vſque ad mortem, propter affectũ ſuſceptæ carnis: non poſt mortem, cùm beatitudinem ſpondet ſocietas Deitatis. Non initium mœroris iſta, ſed finis eſt. *Tom.6.contra Felicianum.cap.15.*

* *Luc.23.*

* *Ibidem.*

*Non tamen defuerunt noſtra memoria quidam, qui Chriſti animam apud inferos, cruciatus damnatorũ pertuliſſe aſſerent.*

* *Matth.26*

## *XIIII. Chriſtum ſecundum diuinam naturam eſſe vbique, non tamen ſecundum humanam.*



PRoinde quod ad verbum attinet, Creator eſt Chriſtus, *Omnia enim * per ipſum facta ſunt.* Quod verò ad hominem, creatura eſt Chriſtus. Factus enim * eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & in ſimilitudinẽ * hominum factus. Item quia in homine duo ſunt, anima & caro, ſecũdũ * animam triſtis fuit vſque ad mortem, ſecũdũ carnẽ paſſus eſt mortem. Nec tamen cùm Filium Dei Chriſtum dicimus hominẽ ſeparamus, aut cùm eundem Chriſtũ Filiũ hominis dicimus, ſeparamus Deum. Secũdum hominem nanque in terra erat, non in cælo, vbi nunc eſt, quando dicebat: * *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo*: quanuis ſecundum id, quòd Filius Dei erat, eſſet in cœlo: ſecundum id verò, quòd Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondúmque aſcẽdiſſet in cœlum. Similiter cùm ſecundum id, quòd Filius Dei eſt, ſit Dominus gloriæ, ſecundum id autem quòd eſt Filius hominis, crucifixus ſit, ait tamen Apoſtolus: * *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ac per hoc & Filius hominis ſecundum Deum erat in cœlo, & Filius Dei ſecundum hominem crucifigebatur in terra. Sicut ergo potuit rectè dici, Dominus gloriæ crucifixus, cùm ad ſolam carnem illa paſſio pertineret, ita rectè dici potuit: * *Hodiè mecum eris in paradiſo*, cùm iuxta humanam humilitatem, per carnẽ in ſepulchro, per animam in inferno illo die futurus eſſet: iuxta diuinam verò immutabilitatem nũquam de Paradiſo, quia vbique eſt ſemper, receſſiſſet. Noli itaque dubitare, ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde vẽturus eſt, memoritérque recole, & fideliter tene Chriſtianã confeſſionem, quoniã reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet * ad dexterã Patris, nec aliunde, quàm inde venturus eſt, ad viuos mortuóſque iudicandos. Et ſic venturus eſt, illa Angelica voce teſtante, * quemadmodum ire viſus eſt in cœlum. i. in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturã non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendũ eſt enim, ne ita Diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatẽ corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo

* *Ioan.1.*
* *Rom.1.*
* *Philip.2.*
* *Matt.26.*
* *Ioan.3.*

*Hominẽ pro humana natura hîc accipit Auguſtinus.*

* *1.Cor.2.*
* *Luc.23.*
* *Mat.16. 26.*
* *Act.1.*

*Secũdũ humanã naturam non eſt Chriſtus vbique vt quidam hoc tem*

** Act. 17.*

eſt,ita ſit vbique,vt Deus.Nam & de nobis veraciſſima Scriptura dicit:* *Quod in illo viuimus,mouemur & ſumus,* nec tamen ſicut ille,vbique ſumus,ſed aliter homo ille in Deo,quoniã aliter & Deus ille in homine , proprio quodam & ſingulari modo.Vna enim perſona Deus & homo eſt , & vtrunque eſt vnus Chriſtus Ieſus, vbique per id , quod Deus eſt,in cœlo autem per id quod homo.*Tom.2.epiſt.57.ad Dardanũ,quæſt.1.*

** Matt.26.*

*Nomine maieſtatis Diuinitatẽ ab Auguſtino intelligi, docet hic locus, & alius ex cap.15. cõtra Fœlicianum paulò antè citatus.*

** Matt. 28. * Luc.2. * Luc.22. * Ioan.19. * Matt. 27. * Ioã 20.21 * Act.1. * Matt.26.*

Poteſt & ſic intelligi, * *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum , me autem non ſemper habebitis,* * Accipiant & hoc boni,ſed nõ ſint ſolliciti:loquebatur enim de præſentia corporis ſui:nam ſecundũ maieſtatem ſuam, ſecundum prouidentiam,ſecundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum eſt : * *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Secũdum carnem verò,quam verbum aſſumpſit, ſecundum id quòd de virgine * natus eſt, ſecundum id quòd à Iudæis * comprehenſus eſt,quòd ligno * confixus,quòd de cruce depoſitus,quòd linteis inuolutus, quod in ſepulchro * conditus , quòd in reſurrectione * manifeſtatus , non ſemper habebitis me vobiſcum: Quare? Quoniam conuerſatus * eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & eis deducentibus videndo , non ſequendo , aſcendit in cœlum , & non eſt hîc : ibi enim ſedet ad dexteram Patris , & hîc eſt:non enim receſſit præſentia maieſtatis.Aliter:Secũdum præſentiã maieſtatis ſemper habemus Chriſtũ,ſecũdũ pręſentiam carnis,*rectè dictũ eſt diſcipulis,* *me aũt nõ ſemper habebitis.* Habuit enim illũ Eccleſia ſecundũ præſentiã carnis paucis diebus, modò fide tenet,oculis nõ videt.*Tom.9.in euang.Ioan.Tract.50.*

* *Eſt quidem Auguſtini ſententia , Chriſtus vt homo, reipſa præſens in adorãdo Euchariſtiæ Sacramẽto, vt planè docebũt cap.6.& 7.lib.3. non tamẽ eius præſentia ſenſibus vt anteà, quando cũ hominibus humano more verſabatur,ſed mente per fidem illuſtrata percipitur. Tum aliud eſt , Chriſti corpus Dei virtute in pluribus ſimul locis eſſe poſſe, quod nec Auguſtinus negat, & Catholica docet Eccleſia: aliud eſſe vbique, quod hic Auguſtinus conſtantiſſimè reijcit.*



# DE SPIRITV SANCTO.

## CAP. V.

### *I. Spiritum ſanctum eſſe Deum.*

*Spiritus ſanctus vbique præſens & totus.*

SPIRITVS ſanctus Deus eſt, Quare non cõtinetur loco,aut diſtenditur : Neque temporum motionibus ſubiacet , ſed eſt vbique præſens & totus. *Tom.4.lib.65.Quæſt.q.22.*

Non vis eum dicere Deum (*Maximinum Arrianum Epiſcopum alloquitur*) cuius tantam diuinitatem per laudem coactus es confiteri : vt cùm ſit vnus , vbique ſit præſens,& nemini ſanctificando deſit, vbicunque quiſque Chriſtianus eſſe, & Deum orare voluerit , ſimul ſe omnibus exhibendo,ſiue in Oriente,ſiue in Occidente baptizentur in Chriſto: hoc & nos dicimus.Sed quem dicimus talem ac tãtum, abſit à nobis,vt eum negemus Deum. *Tom.6.contra Maximinum Arrianũ Epiſcopum, lib.2. cap* 11.

** Ioan.10. Pſal 81.*

*Spiritus ſanctus Patri et Filio æqualis, cõſubſtantialis, & coæternus.*

** Rom.1. * Gal.5. * Matth.4. * Deut.6. & 10.*

** Rom.1.*

*Spiritus ſancti diuinitas vnde probetur.*

De Spiritu ſancto collecta ſunt teſtimonia , quibus ante nos, qui hæc diſputauerunt, abundantiùs vſi ſunt, quia & ipſe Deus, & non creatura. Quod ſi non creatura , non tantum Deus , nam & homines * dicti ſunt Dij, ſed etiam verus Deus. Ergo Patri & Filio prorſus æqualis,& in Trinitatis vnitate conſubſtantialis & coæternus. Maximè verò illo loco ſatis claret,quòd Spiritus ſanctus non ſit creatura,vbi iubemur non ſeruire *creaturæ, ſed creatori . Non eo modo, quo iubemur per caritatem* ſeruire inuicẽ, quòd eſt græcè δουλεύειν, ſed eo modo,quo tantum*Deo ſeruitur,quòd eſt græcè λατρεύειν. Vnde Idololatræ dicuntur,qui ſimulachris eam ſeruitutem exhibent, quæ debetur Deo. Secundũ hanc enim ſeruitutem dictum eſt:* *Dominum Deũ tuum adorabis , & illi ſoli ſeruies .* Nam & hoc diſtinctius in græca ſcriptura inuenitur, λατρεύσεις enim habet.Porrò ſi tali ſeruitute creaturæ ſeruire prohibemur, quandoquidem dictum eſt: *Dominum Deum tuum adorabis*,& *illi ſoli ſeruies*: vnde & Apoſtolus*deteſtatur eos,qui coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius , quàm creatori: non eſt vtique creatura Spiritus ſanctus, cui ab omni-

bus ſanctis talis ſeruitus exhibetur, dicente Apoſtolo:
*Philip.3.* * *Nos enim ſumus circunciſio ſpiritui Dei ſeruientes*, quod
eſt in græco λατρεύοντες. Plures enim codices etiam La-
tini ſic habent, *qui ſpiritui Dei ſeruimus*, Græci autem
omnes, aut penè omnes. In nonnullis autem exem-
plaribus latinis inuenimus, *non ſpiritui Dei ſeruimus, ſed
ſpiritui Deo ſeruimus*. Sed qui in hoc errant, & authori-
tati grauiori cedere detrectant, nunquid & illud variũ
† *1.Cor.6.* in codicibus reperiunt: † *Neſcitis quia corpora veſtra tẽ-
plum eſt eius, qui in vobis eſt Spiritus ſancti, quem habetis à
Deo?* Quid autem inſanius, magíſque ſacrilegum eſt,
quàm vt quiſquam dicere audeat, membra Chriſti tem-
plum eſſe creaturæ minoris, ſecundum ipſos, quàm
* *Ibidem.* Chriſtus eſt? Alio enim loco dicit: * *Corpora veſtra mẽ-
bra ſunt Chriſti.* Si autem quæ membra ſunt Chriſti,
*Cui dedicatur tẽplum, ei Latria exhibetur.* templum eſt Spiritus ſancti, non eſt creatura Spiritus
ſanctus: quia cui corpus noſtrum templum exhibe-
mus, neceſſe eſt, vt huic eam ſeruitutem debeamus, qua
non niſi Deo ſeruiendum eſt, quæ græcè appellatur
* *1. Cor.6.* λατρεία. Vnde conſequenter dicit: Glorificate * ergo
& portate Deum in corpore veſtro. *Tom.3. de Trinita-
te, lib.1.cap.6.*

*Qui ergo honorem illum, qui ſanctis vt Dei amicis no-
ſtriſque patronis, vel per ipſorum imagines, vel ſine ima-
ginibus defertur, idololatriam vocant, hi nominis Ety-
mologiam aut ignorant, aut animaduertere nolunt.*

Quod ideò Spiritum ſanctum Filio minorem (*Ar-
riani*) conantur oſtendere, quòd iſte ſit illius tanquam
iudicis aduocatus, etiam homines ſanctos eidem mira
* *Matt.19.* cæcitate præponunt, de quibus ait idem Dominus: * *Se-
debitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël.*
Ibi reſpondeant, quid erit Spiritus ſanctus, cum Filio
iudex, an apud homines etiam iudices aduocatus? Ab-
ſit autem iſta à fideli corde væcordia, vt ſit iudicibus
minor aduocatus Spiritus ſanctus, cùm illi vtique vt
iudices ſint, repleantur Spiritu ſancto, ſecundum quem
* *1 Cor.2.* viuentes fiunt ſpiritales. Spiritales * enim omnia di-
iudicant. Quomodo ergo minor eſt iudice, qui iudi-



ces facit, cùm facit, vt membra ſint illius iudicis, &
ſuum templum, dicente Apoſtolo: * Corpora veſtra * *1.Cor.6.*
membra ſunt Chriſti. Eodémq; dicente: † Corpora ve- * *Ibidem.*
ſtra templũ in vobis eſt Spiritus ſancti. Et tamẽ ſi aper-
tiſſimè legerent in ſanctis Scripturis * Salomonem Re- * *3.Reg.5.*
gem lignis & lapidibus iuſſu Dei templum ſtruxiſſe
Spiritui ſancto, Deum eſſe Spiritum ſanctum dubitare *Spiritus ſanctus tẽplum habet. ergo Deus eſt.*
non poſſent, cui tanta religionis ſeruitus, quæ latria di
citur, legitimè exhiberetur in populo Dei, vt illi etiã
templum fabricaretur, cùm Dominus dicat: * Domi-
num Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, quod in * *Deut.6.*
græco eſt λατρεύσεις. Et eum negare audent Deum, qui *Mat.4.*
non ligna & lapides, ſed membra Chriſti habet tem-
plum. *Tom.6. contra ſerm. Arrianorum, cap.20.*

Spiritum ſanctum negare Deum quid eſt, niſi non eſ-
ſe, & nolle eſſe templum eius? Alloquitur nos Apoſto-
lus dicens: * *Obſecro autem vos fratres per miſerationes, vt* * *Rom.12.*
*exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam ſanctam Deo placen-
tem.* Corpora itaque fidelium hoſtia ſunt Deo, membra
Chriſti, templum Spiritus ſancti: & Deus non eſt Spiri-
tus ſanctus? Quis hoc dicit niſi, in quo non habitat?
Quoniam in quo habitat, vtique templum eius eſt.
Denique cùm dixiſſet Apoſtolus: * *Neſcitis quia cor-* * *1.Cor.6.*
*pus veſtrum templum in vobis Spiritus ſancti eſt, quem habe-
tis à Deo, & non eſtis veſtri, empti enim eſtis precio magno:*
continuo ſecutus adiunxit: Glorificate ergo Deum *Spiritus ſancti diuinitas ex Scripturis probatur.*
in corpore veſtro. Vbi dilucidè oſtendit, Deum eſſe
Spiritum ſanctum, glorificandum ſcilicet in corpore
noſtro, tanquam in templo ſuo: Et quòd Ananiæ di-
xit Apoſtolus Petrus: * *Auſus es mentiri Spiritui ſan-* * *Act.5.*
*cto?* Atque oſtendens Deum eſſe Spiritum ſanctum.
*Non es, inquit, hominibus mentitus, ſed Deo. Et paulò pòſt:*
Vbique adeſt Spiritus ſanctus, ad homines in æternam
vitam regenerandos, & non eſt Deus? Imò verò eſt, &
Deus verus eſt, quia Dei veri membra templum eius
eſt, &c. *Tom. 6. contra Maximinum Arrianorum Epiſco-
pum, lib.3.cap.21.*

*Eadem fermè habet Tom. 2. Epiſt.174. ad Paſcen-
tium. Et Tom.3. in Enchirid. cap.56. Tom.4. Dialog.*

*65. Quæſtionum, q.3. Tom.10. de Tempore ſerm.6.*

## *II. Spiritum ſanctum à Patre Filióque ab æterno procedere, ídque tanquam ab vno principio.*

PAter eſt, de quo genitum eſt verbum, & de quo principaliter procedit Spiritus ſanctus, quia & de Filio procedere Spiritus ſanctus reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non iam exiſtenti, & nondum habenti, ſed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus ſanctus ſpiritus eſſet amborum. *Tom.3. de Trinitate, lib.15. cap.17.*

*Spiritus ſanctus cõmune Patris & Filij donum.*

Nunquid ergo poſſumus quærere, vtrum iam proceſſerat de Patre Spiritus ſanctus, quando natus eſt Filius, an nondum proceſſerat, & illo nato de vtroque proceſſit, vbi nulla ſunt tempora: ſicut potuimus quærere, vbi inuenimus tempora, voluntatem prius de humana mente procedere, vt quæratur, quòd inuentum proles vocetur. *Et paulò pòſt*: Non poſſunt prorſus iſta ibi quæri, vbi nihil ex tempore inchoatur, vt conſequenti perficiatur in tempore. Quapropter qui poteſt intelligere, ſine tempore generationem Filij de Patre, intelligat ſine tempore proceſſionem Spiritus ſancti de vtroque. Et qui poteſt intelligere in eo quod ait Filius, † Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſemetipſo: non ſine vita exiſtenti iam Filio vitam Patrem dediſſe, ſed eum ita ſine tempore genuiſſe, vt vita, quã Pater Filio gignendo dedit, coæterna ſit vitæ Patris, qui dedit, intelligat, ſicut habet Pater in ſemetipſo, vt de illo procedat Spiritus ſanctus, ſic dediſſe Filio, vt de illo procedat idem Spiritus ſanctus, & vtrumque ſine tempore: atque id ita dictum Spiritum ſanctum de Patre procedere, vt intelligatur, quòd etiam procedit de Filio, de Patre eſſe & Filio. Si enim quicquid habet, de Patre habet Filius, de Patre habet vtique, vt de illo procedat Spiritus ſanctus. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent prius & poſterius, quia omnino nulla ibi ſunt.

*† Ioan. 5.*

*Sicut Pater habet, vt de ipſo procedat Spiritus ſanctus ſic dedit Filio, vt de illo idẽ Spiritus ſanctus procedat.*



*Tom 3. de Trinit. lib.15. cap.26.*

In illa ſumma Trinitate, quę Deus eſt, interualla temporum nulla ſunt, per quæ poſſit oſtendi, aut ſaltem requiri, vtrum priùs de Patre natus ſit Filius, & poſteà de ambobus proceſſerit Spiritus ſanctus. Quoniam Scriptura ſancta Spiritum eum dicit amborum. Ipſe eſt enim de quo dicit Apoſtolus: † Quoniam autem eſtis Filij Dei, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra. Et ipſe eſt, de quo dicit idem Filius: * *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et multis aliis diuinorum eloquiorum teſtimoniis comprobatur, Patris & Filij eſſe Spiritum, qui propriè dicitur in Trinitate Spiritus ſanctus. De quo item dicit ipſe Filius: * *Quem ego mittam vobis à Patre.* Et alio loco: * *Quem mittet Pater in nomine meo.* De vtroque autem procedere, ſic docetur, quia ipſe Filius ait: * De Patre procedit. Et cùm reſurrexiſſet à mortuis, & apparuiſſet diſcipulis ſuis, inſufflauit, & ait: * Accipite Spiritum ſanctum, vt eum etiam de ſe procedere oſtenderet. *Ibidem.*

*In diuina trinitate nulla ſunt temporum interualla.*

*† Gal. 4.*

** Matth. 10.*

*Spiritus ſanctus in ſcripturis dicitur Spiritus Patris & Filij.*

** Ioan. 15.* ** Ioan. 14.* ** Ioan. 15.* ** Ioan. 20.*

Si ergo & quod datur, principium habet, eum à quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipſo procedit, fatendum eſt Patrem & Filium principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia. Sed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus creator & vnus Dominus, ſic relatiuè ad Spiritum ſanctum vnum principium. Ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnum principium, ſicut vnus creator & vnus Dominus. *Tom.III. de Trinitate, lib.V. cap. XIIII.*

*Pater et Filius vnũ principium ſpiritus ſancti.*

*De Proceſſione Spiritus ſancti ab vtroque lege Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.XIII. cap.XXIIII. Item Tom.IX. in Euang. Ioan. Tract. XCIX. valde prolixè. Tom.VI. contra Maximinum, lib.III. cap. XIIII. Tom. IIII. LXV. Quæſt. quæſt. II. Tom.3. de Fide ad Petrum, cap XI.*

## *III. Vitandæ hæreſes de Spiritu ſancto.*

*Sadducæi Spiritū ſanctū negant.* **Mat.9.12.*

SADDVCÆI Spiritum ſanctum negabant, Phariſæi verò eum eſſe contra Sadducæorum hæreſim defendebant, ſed eſſe in Domino Ieſu Chriſto negabant, quem Dæmones * eiicere in principe Dæmoniorum putabant, cùm eiiceret ille in Spiritu ſancto. Ac per hoc & Iudæi, & quicunque hæretici Spiritum ſanctum confitentur, ſed eum negant eſſe in Chriſti corpore, quod eſt vnica eius Eccleſia, non vtique niſi vna Catholica, Proculdubio ſimiles ſunt Phariſæis, qui tunc etiamſi eſſe Spiritum ſanctum fatebantur, negabant tamen eum eſſe in Chriſto, cuius opera in Dæmonibus eiiciendis Dæmoniorum principi tribuebant. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm.11. circa principium.*

*Hæretici Phariſæis comparãtur.*

*Cataphryges in ſe, non in Apoſtolos Spiritum ſanctum veniſſe aſſerũt.*

CATAPHRYGES aduentum Spiritus ſancti à Domino promiſſum, in ſe potius, quàm in Apoſtolis eius fuiſſe aſſerũt redditum. *Tom.6. de hæreſ. ad Quod vult deum, Hæreſ.26.*

*Arriani.* *Eunomiani.* *Macedoniani.* *Sabelliani.* *Photiniani.*

Omitto quòd quidam hæretici ipſum omnino Spiritum ſanctum, vel non Creatorem, ſed creaturam eſſe contendunt, ſicut Arriani, Eunomiani, Macedoniani: vel eum prorſus ita negant, vt ipſum Deum negent eſſe Trinitatem, ſed tantummodo eſſe Deum Patrem aſſeuerant, & ipſum aliquando vocari Filium, aliquando vocari Spiritum ſanctum, ſicut Sabelliani, quos quidã Patripaſſianos vocant, ideò, quia Patrem perhibẽt paſſum, cuius negant eſſe aliquem Filium, ſine dubio neſum, cuius negant eſſe aliquem Filium, ſine dubio negãt eſſe Spiritum ſanctum. Photiniani quoque Patrem ſolum eſſe Deum, Filium verò non niſi hominem dicunt, negantes omnino tertiam perſonam Spiritum ſanctum. *Ibid. Plura ſuperius, cap. 2. art. 19. et cap 3. art.1.*

*Macedoniani Spiritum ſanctũ creaturã dicunt.*

MACEDONIANI ſunt à Macedonio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt, eò quòd de Spiritu ſancto litigẽt. Nam de Patre & Filio rectè ſentiunt, quòd vnius ſint eiuſdémque ſubſtantiæ vel eſſentiæ, ſed de Spiritu ſancto hoc nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes. Quanuis à nonnullis perhibeantur non Deum, ſed Deitatem Patris & Filii dicere Spiritum ſanctum, & nullam propriam habere ſubſtantiam. *Ibid. Hæreſi.52.*

*Arriani*

Non audent (*Arriani*) idem dicere factum eſſe, quod genitum, & duo iſta diſcernunt, ita vt à Patre Filium genitum dicant, factum verò & à Filio Spiritum ſanctum. Quod in ſcripturis ſanctis nuſquam legunt, cùm Filius ipſe dicat, * quòd Spiritus ſanctus à Patre procedat. *Tom.6. contra ſerm. Arrianorum, cap.21.*

*Spiritum ſanctum à filio factum dicunt.* ** Ioan.15.*



Nec eos audiamus, qui dicunt Spiritum ſanctum, quem in Euangelio * Dominus promiſit Diſcipulis, aut in Paulo Apoſtolo veniſſe, aut in Montano & Priſcilla, ſicut Cathaphryges dicunt, aut in neſcio quo Manete vel Manichæo, ſicut Manichæi dicunt. Tam enim cæci ſunt iſti, vt ſcripturas manifeſtas non intelligant, aut tam negligentes ſalutis ſuæ, vt omnino non legant. Quis enim cùm legerit, non intelligit, vel in Euangelio, quod poſt Domini reſurrectionem ſcriptum eſt, dicente Domino: * Ego mittam promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete hîc in ciuitate, quouſque induamini virtute ab alto? &c. *Tom.3. de Agone Chriſt. cap.28.*

** Ibid.15.* ** Luc.24.*

*De Manichæo & Cataphrygibus idem legitur apud Auguſtinum multis in locis. Appellabat Manichæus Spiritũ ſanctũ ſuum geniũ. Tom.6. de Fide cõtra Manich. cap.24.*

## IIII. Spiritum ſanctum eſſe fontem gratiarum.

*Septem dona Spiritus ſancti.* ** Prou.9.* ** Iſa.11.*

AD Septenariam operationem Spiritus ſancti refertur ſeptenarius numerus * columnarum ſapientiæ * & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris Dei, quibus operationibus domus Filij Dei, hoc eſt, Eccleſia continetur. *Tom.3. in Expoſitione Epiſt. ad Galatas, cap.2.*

Sicut nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio & fortitudine præualet, nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit *Spiritum ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis & timoris Dei*: nec habet quiſquam virtutem veram, caritatem ſynceram, cõtinentiã religioſam, niſi per Spiritum virtutis & charitatis, & continentiæ: Ita ſine Spiritu fidei non eſt rectè quiſpiam crediturus, nec ſine Spiritu orationis ſalubriter oraturus. Nõ quia

** Iſai.11.*

tot ſunt ſpiritus,ſed * omnia hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens propria vnicuique prout vult: quia * Spiritus vbi vult ſpirat. Sed quod fatendum eſt, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuuat vt ſint fideles,inhabitans adiuuat iam fideles. *Tom.2. Epiſt.105. ad Sixtum.*

*1. Cor.12.*

*Ioan.3.*

*Spiritus ſanctus aliter adiuuat nōdum inhabitans, aliter inhabitans.*

Hic Spiritus ſanctus veniens in eos,tale ſignum primitus dedit,vt qui eum acceperant,linguis * omnium gentium loquerentur:quia portendebat Eccleſiam per omnes gentes futuram,nec quēquam accepturum Spiritum ſanctum,niſi qui eius vnitati copularetur. Huius fontis largo atque inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatem ſuam,de qua Propheta prædixit,* *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Ad hunc enim fontem nullus extraneus, quia nullus niſi vita æterna dignus accedit. * Hic eſt proprius Eccleſiæ Chriſti, cui tantò antè prophetatum eſt:*Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius,& nemo alienus cōmunicet tibi. De hac enim Eccleſia,& de iſto fonte dicitur & in Cantico Canticorū: * Hortus concluſus, fons ſignatus,puteus aquæ viuæ. *Tom.6. contra Creſconium Grammaticum, lib.2. cap.14.*

*Act.2.*

*Nullus Spiritum ſanctū per gratiam iuſtificātem accipit, niſi fuerit Eccleſiæ vnitati copulatus*

*Pſal.45.*

*Prouer.5.*

*Cant.4.*

** Spiritus ſanctus diffundens charitatē in cordibus noſtris, eſt proprius Eccleſiæ fons, è quo nullus extra poſitus bibit.*

Trium officiorum formæ doni Spiritus ſancti in Apoſtolis ſunt oſtenſæ:quarum prima hæc eſt,quæ ad ius Eccleſiaſticum pertinet,in Regenerandis: Eccleſiaſtica poteſtas intelligitur eſſe in officiis Epiſcoporum & Sacerdotum,quia omnia in traditione Dominica per Spiritum ſanctum agere debent. Vnde illis dicit Ieſus: * *Quorum tenueritis peccata, tenebuntur: & quorum remiſeritis, remittuntur eis.* Secunda eſt, quæ in Pentecoſte data eſt quę generalis eſt:non ſolùm enim in Apoſtolos, * verumetiam in omnes credentes decidit Spiritus ſanctus. Tertia forma eſt,quæ ſolum Apoſtolis * vel ordinatis in initio conceſſa eſt in ſignis ac virtutibus faciendis,vſque dum fidei ſemina iacerentur ad crementum. Semina enim fidei,ſunt virtutes per Apoſtolos factæ:Ipſi enim Apoſtoli antiſtites poſiti ſunt huiuſmodi veritatis,qui per ſigna*&prodigia rationabilē eſſe fidē noſtrā teſtantur. Igitur Spiritus ſanct⁹ datur omnibus

*Tria officia triplici Spiritus ſancti acceptione in Apoſtolis oſtenſa.*

*Ioan.20.*

*Act.2.*

*Ibidem.*

*Marc.16.*

*2. Cor.12.*



generaliter credentibus, ſed ſi manet in eis: in ſignis verò & prodigiis Filii Dei eſſe probātur. Etiā Spiritus Sanctus non manet quandoque in homine,ſed vocatus aduenit,vt ſuggerat neceſſaria,& recedat. Similiter & in traditione vel ordinatione, deforis gratiam & tuitionem præſtat deuotis fidei, vt commēdatiores habeātur per inſciptionē eius. *To.3. de Trinit. & vnitate Dei, ca.4.*

*Ius igitur in regenerandis hominibus, & poteſtas in retinendis, vel remittendis peccatis, non omnibus credentibus tribuitur. In eo autem quòd adiicitur: Epiſcopos & Sacerdotes omnia per Spiritum ſanctum agere debere, non per gratiam in ipſis habitantem Spiritum ſanctum intelligas, ſed per eos ſiue bonos ſiue malos operantem. Nam alioqui, nec Sacramenta polluì per malos miniſtros, nec poteſtatem Ordinis amitti, propter prauam Sacerdotum vitam liquidò conſtabit ex cap.1. & 9. lib 3.*

Si vultis habere Spiritum ſanctum, intendite fratres mei. Spiritus noſter, quo viuit omnis homo, anima vocatur: ſpiritus noſter, quo viuit ſingulus quiſque homo,anima vocatur:& videtis, quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit,per nares olfacit,per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus ſimul adeſt membris,vt viuant,vitam dat omnibus,officia ſingulis Nō audit oculus,*non videt auris,non videt lingua, nec loquitur auris & oculus, ſed tamen viuit,viuit auris,viuit lingua,officia diuerſa ſunt, vita cōmunis. Sic eſt Eccleſia Dei,in aliis ſanctis facit miracula,in aliis ſanctis loquitur veritatem,in aliis ſanctis cuſtodit virginitatē,in aliis ſanctis cuſtodit pudicitiā cōiugalem, in aliis hoc,in aliis illud:ſinguli propria operātur,ſed pariter viuūt. Quod autem eſt anima corporis hominis, hoc eſt* Spirit⁹ ſāctus corporis Chriſti,quod eſt Eccleſia:hoc agit Spiritus ſanctus in tota Eccleſia ꝙ agit Eccl. in omnib⁹ mēbris vnius corporis. Sed videte quid caueatis,videte quid obſeruetis,videte quid timeatis. Contingit vt in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum,manus,digitus,pes,nū- quid præciſum ſequitur anima? Cùm in corpore eſſet viuebat,præciſum amittit vitā. Sic & homo Chriſtianus

*1. Cor. 12.*

*Quod eſt anima in corpore, hoc Spiritus ſanctus in Eccleſia.*

*Epheſ.1.*

*Cauendum ne præcidamur ab Eccleſia.*

Catholicus eſt, dum in corpore viuit: præciſus, hæreticus factus eſt, membrum amputatum non ſequitur Spiritus. Si ergo vultis viuere de Spiritu ſancto, tenete charitatem, amate veritatem, deſiderate vnitatem, vt perueniatis ad æternitatem. Amen. *Tom. 10. ſerm. de Temp.* 186.

### *V. Spiritum ſanctum interpellare pro nobis, quomodo accipiendum.*

QVid ſit, quòd Spiritus ſanctus pro nobis interpellare dicitur, quod dicit Paulus ad Romanos ſcribens: * Nam quid oremus, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Sipiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: qui autẽ ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus, quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis. Modus iſte locutionis, qui frequenter in ſcripturis ſanctis inuenitur, eſt: ſicut Deus dicit ad Abraham: * Nunc cognoui, quoniam timeas Deum, hoc eſt, cognoſcere te feci: ſicut dicit Apoſtolus: * Nunc cognoſcentes Deum, imò cogniti à Deo. Nempe omnia in præſentia Dei ſunt antequam fiant, præſentia ſunt, futura, quaſi iam facta ſint: quomodo dicit cogniti à Deo, niſi faciente Deo, vt cognoſcamus Deum: Sic & hîc ſcribitur Spiritus ſanctus gemere * pro nobis, id eſt, gementes nos facere, infundendo nobis Charitatem in Deum & proximum, ſicut legitur, Lætus dies, quia lætos homines faciat. *Tom. 4. de Trinitat. & vnitate Dei, cap. 3.*

* *Rom. 8.*
* *Gen. 22.*
* *Gal. 4.*
* *Rom. 8.*
*Caritatẽ infundit Spiritus ſanctus.*

*Locutiones illæ: Spiritus poſtulat pro nobis &c. Nunc cognoui quòd timeas Deum &c aliaque ſimiles, efficientiam vel cauſam ſignificant, quo etiam modo lætus dies dicitur, quia lætos reddat homines.*

QVID ENIM oremus, ait Doctor gentiũ, * *ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quid eſt autem interpellat, niſi interpellare nos facit? Indigentis enim certiſſimum indiciũ eſt interpellare gemitibus. Nullius autẽ rei eſſe indigentem fas eſt credere Spiritum ſanctum. Sed ita dictum eſt interpellat, quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum, ſicut illud in Euangelio: * *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Neque enim & hoc ita

* *Rom. 8.*
* *Matt. 10.*

fit de



fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adiutorium igitur Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt, vt ipſe facere diceretur, quod vt faciamus facit. Nam nõ eſſe intelligẽdum Spiritum noſtrum, de quo dictum eſt: * Interpellat gemitibus inenarrabilibus, ſed Spiritum ſanctum, quo noſtra infirmitas adiuuatur, ſatis ipſe demõſtrat Apoſtolus. Inde enim cœpit * Spiritus, inquit, adiuuat infirmitatem noſtram: deinde ita ſubiunxit: Quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus: & cætera. De hoc quippe ſpiritu apertius alibi dicit: * *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Ecce hîc non dixit, quòd ipſe Spiritus clamat orando, ſed in quo clamamus, Abba Pater. Alio tamen loco ait: * Quoniam Filij Dei eſtis, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater. Non hîc ait: In quo clamamus: ſed ipſum Spiritum ſanctum clamantem dicere maluit, quo efficitur, vt clamemus. *Tom. 2. Epi. 105. ad Sixtum. In eundem ſenſum Tom. 6. contra Maximum, li. 2. cap. 9. Et Tom. 4. Dialog 65. quæſtionum. q. 12.*

*Si hæc hæretici noſtri tẽporis admitterent, nequaquam negarent, in operibus gratiæ arbitrij noſtri libertatẽ.*
* *Rom. 8.*
* *Ibidem.*
* *Gal. 4.*

## DE ECCLESIA.
### CAPVT 6.

### *I. Eccleſiam vnam, ſanctam & Catholicam eſſe.*

QVæſtio inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia, vtrùm apud nos, an apud Donatiſtas. Quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri Catholicam nominarunt, a vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Secundũ totum enim καθ' ὅλον græcè dicitur. Hæc autem Eccleſia corpus Chriſti eſt, * ſicut Apoſtolus dicit, *pro corpore eius, quæ eſt Eccleſia.* Vnde vtique manifeſtum eſt, eum qui non eſt in membris Chriſti, b Chriſtianam ſalutem habere non poſſe *Tom. 7. de vnitat. Eccleſ. contra Petiliani Donatiſtæ Epiſtolam, cap. 2. Et contra lit. Petil. lib. 2. cap. 38. & Tom. 9. in Euang. Ioannis, Tract. 118.*

*a Eccleſia quare Catholica dicatur.*
* *Coloſ. 2.*
*b Qui nõ eſt in Eccleſia, nõ eſt in mẽbris Chriſti, ideóque ſalutem habere*

Dominus noſter Ieſus Chriſtus tanquam totus per-

** Coloſſ. 1. * Luc 2. & 23. * Matth. 6. * Coloſſ. 1. Epheſ. 5.*

** Eccleſia Chriſti, Catholica ſiue vniuerſalis eſt loco & tẽpore.*

** Epheſ. 5. * Coloſ. 1.*

fectus vir* & caput & corpus: caput in illo homine agnoſcimus, qui natus eſt* de Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, ſepultus, reſurrexit, aſcẽdit in cælum, ſedet ad dexteram Patris, inde illum expectamus* iudicem viuorum & mortuorum, hoc eſt caput* Eccleſiæ. Corpus autem huius capitis Eccleſia eſt, non quæ hoc loco eſt, ſed quæ hoc loco & per totum orbem terrarũ, nec illa quæ hoc tempore, ſed ab ipſo Abel vſque ad eos qui naſcituri ſunt vſque in finem & credituri in Chriſtum, totus populus ſanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium, quæ ciuitas corpus eſt* Chriſti, cui caput* eſt Chriſtus. Ibi ſunt & Angeli ciues noſtri, ſed quia nos peregrinamur, laboramus: illi autem in ciuitate expectant aduentum noſtrum. *Tom. 8. Pſal. 90. conc. 2. Eadem fermè habes in Pſal. 56. prope initium.*

** Deut. 12.*

** Matth. 5.*

*Eccleſia locus electus, mõs ſanctificatus, ciuitas ſupra mõtem poſita, radix Catholica, vitis lõgè latéque diffuſa.*

** Eccle. 24. * Luc. 24. * Act. 14.*

*Eccleſia hæreditas Dei, tribus regis Chriſti.*

Attende tibi ne offeras* holocauſtomata in omni loco, quemcũque videris, ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, in hac offeras holocauſtomata, & ibi facies omnia quæcunque præcipiet tibi. Audi quid ſit locus electus, & quæ tribus Domini prædicata, in Pſalmo 131. habes: Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo, quoniã præelegi eam. Itẽ in Pſalmo 121. Stãtes erãt pedes noſtri, in atriis tuis Hieruſalem. Hieruſalẽ quæ ædificatur vt ciuitas: illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſraël. Hîc eſt locus electus, hîc mons ſanctificatus, hæc ciuitas ſupra montem poſita* vt abſcondi non poſſit, hæc radix Catholica, hæc vitis fructifera, longè latéque diffuſa, quæ in Eccleſiaſtico clamat: & dicit: * In Sion fundata ſum, & in Hieruſalem poteſtas mea. Etenim oportuit pati* Chriſtũ, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum, per omnes gẽtes incipientibus ab Hieruſalem. Rectè me argueres (*Alloquitur Fulgentium Donatiſtam*) ſi in hac hæreditate maneres. At cùm in hac Dei Patris hæreditate non maneas, in hac Chriſti regis tribu nõ milites, cur deſertor corripis militem, cur reus increpas innocentem? Et ego tibi dico: Attende tibi ne offeras in omni loco, id eſt, in omni hæreſi, & dicas, & hîc Deus, & ibi Deus eſt: ſed in loco



*In Eccleſia holocauſtomata offerenda & præcepta Dei facienda.*

quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, id eſt, in tribu eius, ibi offeres holocauſtomata tua, & ibi facies omnia quæ præcepta ſunt tibi. *Tom. 6. cont. Fulgentium Donatiſt. cap.* 18.

*Iudicãtibus arbitris, quos nulla impediat gratia, ſatis intelligitur, quænam ſit Eccleſia Catholica.*

Chriſtianorum cùm ſint hæreſes plures, atque omnes ſe Catholicos velint videri, alióſque præter ſe hæreticos nominent, vna eſt Eccleſia, vt omnes concedunt, ſi totum orbem conſideres, refertior multitudine: vt autem qui nouerunt affirmant, etiam veritate ſyncerior cæteris omnibus, ſed de veritate alia quæſtio eſt. Quod autem quærentibus ſatis eſt, vna eſt Catholica, cui hæreſes aliæ diuerſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ propriis vocabulis quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui ſit Catholicũ nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum. *Tom. 6. de vtil. credẽdi ca. 7.*

*Hæretici præciſi ab Eccleſiæ cõpagine, partem tenẽt, totũ amittunt.*

** Pſalm. 56. & 107.*

Qualem veſaniã patiuntur hæretici, quæſo vt attendatis. Illi præciſi à compagine Eccleſiæ Chriſti, & partem tenentes, & totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarũ, quo diffuſa eſt gloria Chriſti. Nos autem Catholici in omni terra ſumus, quia omni terræ communicamus, quacunque gloria Chriſti diffuſa eſt. Videmus enim quod tunc cantatum eſt, modò cõpletum: * *Exaltatus eſt ſuper cælos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria eius.* O hæretica inſania, quod non vides, credis mecum: quod vides, negas. Credis mecum exaltatum Chriſtum ſuper cælos, quod non vidimus: & negas gloriam eius ſuper omnem terram, quod videmus. *Tom. 8. Pſa. 56. in verſic. Et ſuper omnẽ terrã gloria tua.*

*Retinenda ſemper Eccleſiæ Catholicæ cõmunio*

*Etiam ipſi hæretici veram Eccleſiam cogũtur interdũ vocare Catholicam.*

Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt & Catholica nominatur, nõ ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolíntue ipſi quoque hæretici & ſchiſmatũ alũni, quando nõ cũ ſuis, ſed cũ extraneis loquũtur, Catholicã, nihil aliud quàm Catholicã vocãt. Nõ enim poſſunt intelligi, niſi hoc eã nomine diſcernant quo ab vniuerſo orbe nuncupatur. *Tom. 1. de vera relig. cap. 7.*

** Epheſ. 5.*

*Extra Eccleſiam neminẽ*

Eccleſia Catholica ſola corpus* eſt Chriſti, cuius ille caput eſt, ſaluator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus ſanctus, quia ſicut ipſe dicit

*viuificat Spiritus ſanct⁹.* ** Rom.5.* *Nõ eſt particeps diuinæ caritatis qui hoſtis eſt vnitatis.* ** Iudæ. 1.* ** Sap.1.*

Apoſtolus:* Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum,qui datus eſt nobis. Non eſt autem particeps diuinæ caritatis, qui hoſtis eſt vnitatis. Non habent itaque Spiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam. De illis quippe ſcriptum eſt: * *Qui ſe ipſos ſegregant, animales, ſpiritum non habentes.* Sed nec ille eum percipit, qui fictus eſt in Eccleſia, & quomodo deinde ſcriptum eſt:**ſanctus enim Spiritus diſciplinæ effugiet fictũ.* Qui ergo vult habere Spiritum ſanctum, caueat foris ab Eccleſia remanere, caueat in eam ſimulatè intrare. *Tom.2. Epiſt. 1. ſub finem ad Bonifacium Comitem.*

** Ioan.19.* *Quadripartita Chriſti veſtis Eccleſiæ per quatuor orbis partes diffuſæ figura.* ** Matt. 24 Marc.13.*

Quadripartita veſtis * Domini noſtri Ieſu Chriſti, quadripartitam figurauit eius Eccleſiam: toto ſcilicet, qui quatuor partibus conſtat, terrarum orbe diffuſam & omnibus eiuſdem partibus æqualiter,id eſt, concorditer diſtributam.Propter quod alibi dicit * miſſurum ſe angelos ſuos,vt colligant electos eius à quatuor ventis:quod quid eſt,niſi à quatuor partibus mundi, Oriente,Occidente, Aquilone & Meridie? Tunica verò illa ſortita,omnium partium ſignificat vnitatem, quæ caritatis vinculo cõtinetur,*Tom.9.in Euang.Ioan.Tract.*118.

*Tunica inconſutilis Chriſti Eccleſiæ deſignet vnitatem.* ** 1.Ioan.2.* ** Matt. 24* ** Pſal. 131.* ** 1.Ioan. 2.* ** Ibidem.*

Claudit ora (*Ioannes Apoſtolus*) diuidentibus Eccleſiam Dei:Quia dixit* Ieſum Chriſtũ habemus iuſtum, & ipſe propitiatio eſt peccatorum noſtrorum. Propter illos qui ſe diuiſuri erant,& dicturi, *Ecce hîc eſt Chriſtus, illic*, & vellent oſtendere eum in parte, qui emit totum, & poſsidet totum:continuò ſecutus adiunxit:Non tantùm noſtrorum,ſed & totius mundi. Quid eſt hoc fratres?Certè inuenimus eam * in campis ſaltuum, inuenimus Eccleſiam in omnibus gentibus. Ecce Chriſtus propitiatio * eſt peccatorum noſtrorum, non tantùm noſtrorum,ſed & totius mundi.Ecce habes Eccleſiam per totum mundum,noli ſequi falſos iuſtificatores & veros præcipitatores.In illo monte eſto qui impleuit orbem terrarum:quia Chriſtus *propitiatio eſt peccatorum noſtrorum,non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi,quem ſuo ſanguine comparauit. *Tom.9. in Epiſt.Ioan.Tract.1.*

** Gal. 1.* ** Matt.24.* ** Gala.3.* ** Gen.22.* *Chriſtianitas orbis terræ,non pars alicuius hæreſiarchæ tenenda.*

Licet ſi nos * aut angelus de cælo vobis euangelizauerit,præter id quod euangelizauimus vobis,anathema



ſit. Euangelizatum eſt enim tibi per vocem Domini Ieſu Chriſti, quod omnibus gentibus * annunciabitur Euangelium eius & tunc erit finis. Euangelizatum tibi eſt per Propheticas & Apoſtolicas * literas, quod Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius, quod eſt Chriſtus, cùm ei diceret Deus: * In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Has ergo promiſſiones tenenti ſi tibi angelus de cælo diceret, dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partis Donati, cuius ordo tibi exponitur in Epiſtola Epiſcopi tuæ ciuitatis, anathema eſſe deberet:quia te à toto præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare à promiſſis Dei *Tom.2.Epiſt.165.ad Generoſ. Vide & Tom.8. Pſal.49.* & *147 Item lib. 2. contra lit. Petil. cap.55.* & *Tract.1.& 2.in epiſt.Ioannis.*

## *II. Catholicam appellari Eccleſiam, quòd toto orbe diffuſa ſit.*

** Pſal.2.*

NEc eos audiamus,qui ſanctam Eccleſiam, quæ vna Catholica eſt,negant per orbem eſſe diffuſam, ſed in ſola Aphrica,hoc eſt,in parte Donati pollere arbitrantur. Ita ſurdi ſunt aduerſus prophetam dicentem: * *Filius meus es tu,ego hodie genui te,poſtula à me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſsionem tuam terminos terræ:* Et alia multa, ſiue in veteris,ſiue in noui teſtamenti libris quæ ſcripta ſunt, vt apertiſſimè declarent Eccleſiam Chriſti per orbem terræ eſſe diffuſam.*Tom.3.de agone Chriſt.cap.29.*

*Eccleſia quare Catholica.*

Catholica dicitur ex eo, quia vniuerſaliter perfecta eſt & in nullo claudicat, & per totum orbẽ diffuſa eſt. *Tom 3.de Geneſi ad literam imperf cap.1.*

** Luc.24. Act.14.* *Omnis congregatio hæreticorum cõ-*

Totum poſſidet quod à viro ſuo accepit in dote.Lego tabulas matrimoniales eius, recitabo. Audite hæretici quid ſcriptum ſit.* *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis & prædicare in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes.* Omnes gentes totus mundus eſt. Eccleſia totum poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dote: Quæcunque congregatio cuiuslibet hæreſis in angulis ſedet,concubina eſt,non matrona.O hæreſis Arriana,quid inſultas,quid exſufflas,quid etiam

ad tempus multa vſurpas? Iniuriam à te patitur domina ab ancilla, multas ei ingeris contumelias, licet hæc doleat, non te magna metuit Sponſa Chriſti ſancta Catholica. Cùm enim reſpexerit ille Sponſus, eiicieris tu vt ancilla cum filiis * tuis, quoniam non erunt hæredes filii ancillæ cum filiis liberæ. Cognoſcatur vna, ſancta & vera regina Catholica, cui Chriſtus regnum tale dedit, quod eam per totum mundum diffundens * ab omni macula & ruga mundans, totam pulchram ſuo aduentu præparauit. *Tom. 9. de Symbolo, lib. 4. cap. 10.*

** Gen. 21. Gal. 4.*
** Epheſ. 5.*

*Eccleſiæ hæreticorum, non dicendæ Catholicæ.*

Sanctam Eccleſiam Catholicã. Catholicam dicit toto orbe diffuſam, quia diuerſorum hæreticorum Eccleſiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per ſuas quaſque prouincias continentur, hæc verò à ſolis ortu vſque ad occaſum, vnius fidei ſplendore diffunditur. *Tom. 10. de temp. ſerm. 131.*

*De vnitate Eccleſiæ. Eccleſia per totum orbem radios ſuos porrigit.*

Quoniam vos (*Donatiſtas*) potius eſſe Catholicos teſtimonio Beati Cypriani affirmare conatus es, attende paululum quam Eccleſiam dixerit ille Catholicam, cùm eius defenderet vnitatem: Eccleſia, inquit, Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit. Vnum tamen lumen eſt quod vbique diffunditur: nec vnitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largiùs expandit. Vnum tamen caput eſt, & origo vna: & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Quid igitur & vos ipſos fallitis & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si huius martyris teſtimonio veſtra eſt Eccleſia Catholica, oſtendite illam per orbem totum radios ſuos porrigere, oſtendite illam per vniuerſam terram ramos ſuos copia vbertatis extendere. Hinc enim & Græco vocabulo Catholica nominatur. Quod enim græcè ὅλον dicitur, latinè totum vel vniuerſum interpretatur. Per totum ergo ſiue ſecundum totum eſt καθ' ὅλον, vnde Catholica nuncupatur. Si hoc noſti, quare te noſſe diſſimulas? Si autem ignoras, quare no prius quàm loqueris quod neſcis, eos qui norunt interrogas? Quod ſi diſplicet tibi, non Græcam, ſed aliquam linguam inueni, qua doceas καθ' ὅλον non per totum ſiue ſecundum totum, vel ſecun-

*Etymologia dictionis Catholica.*



dum vniuerſum ſignificare: & recede à teſtimonio Cypriani. Ille nanque contra te loquitur, qui vides quid dicat. Per orbem totum dicit & per vniuerſam terram porrigi extendíque Catholicam: Græco eius nomini ac definitioni conſentiens. *Tom. 7. contra Gaudent. Donatiſt. lib. 3. cap. 1.*

Facile tibi eſt attendere & videre ciuitatem ſuper montem conſtitutam, de qua Dominus ait in Euangelio, * quòd abſcondi non poſſit. Ipſa eſt enim Eccleſia Catholica: Vnde καθολικὴ græcè appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet, ideò ſecundum verbum Domini noſtri IESV CHRISTI, abſcondi non poteſt. *Tom. 2. epiſt. 170. ad Seuerinum.*

** Matth. 5.*
*Eccleſiã Catholicã nemini licet ignorare, ideóque voluit Dominꝰ vt abſcondi non poſſet.*

QVONIAM (*ergo*) Eccleſiam Dei, quæ Catholica dicitur, ſicut de illa prophetatum eſt, per orbem terrarum diffuſam videmus, arbitramur nos non debere dubitare de tam euidentiſſima completione ſanctę prophetiæ, quam Dominus in Euangelio confirmauit, & Apoſtoli, per quos eadem Eccleſia dilatata eſt, ſicut de illa prædictum erat. Nam & in capite ſacroſancti Pſalterij ſcriptum eſt de Filio Dei: * *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.* Et ipſe Dominus IESVS CHRISTVS, dicit Euangelium ſuum in omnibus gentibus futurum. Et Apoſtolus Paulus antequam ſermo Dei in Africam perueniſſet, in ipſo capite Epiſtolæ, quam ſcribit ad Romanos, * *Per quem accepimus*, inquit, *gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.* Deinde ipſe ab Hieruſalem * in circuitu per totam Aſiam vſque in Illyricum Euangelium prædicauit, Eccleſias conſtituit atque fundauit, non ipſe, * ſed gratia Dei cum eo, ſicut ipſe teſtatur. Quid autem euidentius apparere poteſt, quàm cùm in eius Epiſtolis nomina etiam regionum vel ciuitatum inuenimus? Ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes,

** Pſal. 2.*
** Matth. 24*
** Luc. 24.*
** Rom. 1.*
** Rom. 15.*
** 1. Cor. 15.*
*Non eſt igitur Eccleſia inuiſibilis & mathematica*

*qualē recentes hæretici ex iuſtis vel prædeſtinatis tantùm conflatam imaginātur.*
** Apoc.1. & 2.*

ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes ſcribit. Ioannes etiam ſcribit * ad ſeptem Eccleſias, quas commemorat in illis partibus conſtitutas, in quibus etiam vniuerſas Eccleſias ſeptenario numero intelligimus commendari, Epheſum, Smyrnam, Sardos, Philadelphiam, Laodiciam, Pergamum, Thiatyram, quibus omnibus Eccleſiis nos hodie communicare manifeſtum eſt, vos iſtis Eccleſiis non communicare. *Tom.2.epiſt.161. ad Honoratum Donatiſtam.*

## *III. Eccleſiam Catholicam viſibilem eſſe, & ciuitatem ſupra montem poſitam.*

** Pſal.23.*
** Pſal.47.*
** Matth.5.*
*Eccleſia Catholica ciuitas eſt ſupra montem, & lucerna ſupra candelabrū poſita.*
** Pſalm.47*
** Pſalm.3.*

Q*Vis * aſcendet in montem* Domini? *Innocens manibus & mundo corde.* In his magnus Dominus & laudabilis valde, hoc eſt, * *in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* Hæc eſt * ciuitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt. Hæc eſt lucerna quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata. Non autē vniuerſi ciues eius ſunt, ſed illi in quibus magnus Dominus & laudabilis valde. Quæ eſt ergo iſta ciuitas videamus, ne fortè quia dictum eſt: * In ciuitate Dei noſtri, in mōte ſancto eius, debeamus quærere iſtum mōtem, vbi etiam exaudiri poſſimus. Non enim fruſtra dicitur in alio Pſalmo: * *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.* Adiuuit ergo te mōs iſte vt exaudireris. Nam ſi in eum non aſcenderes, infrà iacens clamare poſſes, ſed exaudiri non poſſes. Quis eſt ergo iſte mons fratres? Magna cura inquirendus, magna ſolicitudine inueſtigandus, labore etiam occupandus & aſcendendus. Sed ſi in aliqua parte terrarum eſt, quid faciemus? Peregrinabimur de terra noſtra, vt ad illum montem peruenire poſſimus? Imò verò tūc peregrinabimur, ſi in illo non ſumus. Ipſa eſt enim ciuitas noſtra, ſi membra regis ſumus, qui caput eſt ciuitatis ipſius. Vbi ergo eſt iſte mons? Si regionem aliquam tenuit, laborandum eſt, vt dixi, vt ad eum perueniatur. Sed quid ſatagis? Vtinam non ſis piger, aſcendere in montem, quomodo mons non fuit tardus venire ad dormientem. Fuit enim quidam lapis * angularis cōtem-



** Rom.9.*
** Dan.2.*
** Luc.1. & 2.*
*Eccleſia chriſti mons eſt ille magnus, qui apud Danielem implere vniuerſam faciē terræ dicitur.*

ptibilis, in quem Iudæi offenderunt, præciſus eſt * de quodam monte ſine manibus, hoc eſt, de regno Iudæorum veniens ſine manibus, quia humanum opus non acceſſit ad Mariam, * de qua natus eſt Chriſtus. Sed ſi lapis iſte, vbi in eum offenderunt Iudæi, ibi remaneret, tu quo aſcenderes non haberes. Quid autem factum eſt? Quid dicit Prophetia Danielis? Quid? niſi quia creuit lapis iſte, & factus eſt mons magnus? Quàm magnus? Ita vt impleret vniuerſam faciem terræ. *Tom. 8. Pſalm. 47.*

*Nō eſt igitur Eccleſia inuiſibilis & mathematica, qualem recētes hæretici ex iuſtis vel prædeſtinatis tantū cōflatā, imaginantur.*
** Epheſ.2.*
** Pſal.3.*
** Matt.5.*
** Dan.2.*

Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Vide templum regis quàm latè diffuſum eſt: vt nouerint virgines, quæ non adducuntur in templum regis, non ſe ad iſtas nuptias pertinere. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Hæc eſt Catholica Eccleſia. Filii eius conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram, Filii eius conſtituti ſunt pro patribus. Agnoſcant qui præciſi ſunt, veniant ad vnitatem, adducantur in templum regis. Templum ſuum Deus vbique collocauit, * fundamenta Prophetarum & Apoſtolorum vbique firmauit. Filios genuit Eccleſia, conſtituit eos pro patribus ſuis principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generatione. Propterea populi confitebuntur tibi. Quid ergò prodeſt confiteri, & extra templum confiteri? Quid prodeſt precari, & non in monte precari? *Voce mea*, inquit, * *ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.* De quo dictum eſt: * *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta.* De quo monte? * Quem vidit Daniel ex paruo lapide creuiſſe & fregiſſe omnia regna terrarum, & impleuiſſe omnem faciem terræ. Ibi adoret qui vult accipere, ibi petat qui vult exaudiri, ibi confiteatur, qui vult ſibi ignoſci. *Tom. 8. Pſalm. 44. ſub finem.*

** Pſal.18.*
** Matth.5.*

IN OMNEM *terram * exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hinc fit vt Eccleſia vera neminem lateat. Vnde eſt illud quod in Euangelio ipſe dicit: * *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper mon-*

*Eccleſia vetra neminem latet.* tem conſtituta. Ideóque in eodem Pſalmo connectitur, In ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt, in manifeſtatione. *Tom. 7. contra lite. Petil. libr. 2. cap. 32. In eundem ſenſum loquitur de vnit. Eccleſiæ, cap. 14.*

** Pſal. 18.* IN SOLE poſuit * tabernaculum ſuum, id eſt, in manifeſto. Tabernaculum eius, caro eius: tabernaculum eius Eccleſia eius: in ſole poſita eſt, non in nocte, ſed in die. *Tom. 9. in epiſto. Ioannis, Tract. 2.*

*Cæci ſunt qui Eccleſiã nõ vident.* QVID AMPLIVS dicturus ſum quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernã * in candelabro poſitam oculos claudunt? *Ibidem.* ** Matth. 5.*

QVANDO volunt homines videre lunam nouam: dicunt, Ecce Luna, ecce vbi eſt: & ſi ſunt ibi, qui non valeant intendere aciem, & dicant, Vbi? Intenditur illis digitus, vt videant. Aliquando dum erubeſcunt, ne cæci putentur, dicunt ſe vidiſſe, quod non viderunt. Nunquid ſic oſtendimus Eccleſiam fratres mei? Nónne aperta eſt? Nónne obtinuit omnes gentes? Nónne impletur, quod ante tot annos promiſſum eſt Abrahæ, * *in ſemine eius benedici omnes gentes*? Vni fideli promiſſum eſt, in millibus fidelium mundus impletus eſt. Ecce mons implens * vniuerſam faciem terræ: ecce ciuitas de qua dictum eſt: * *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem conſtituta.* Illi autem (*hæretici*) offendunt in montem. Et cùm eis dicitur: Aſcendite: non eſt mons dicunt: & facilius illuc faciem impingunt, quàm illic habitaculum quærunt. *Tom. 9. in epiſt. Ioannis, Tract. 1.* ** Gen. 22.* ** Dan. 2.* ** Matth. 5.*

Habetis Eccleſiam vbique diffundi & creſcere * vſque ad meſſem. Habetis ciuitatem, de qua ipſe qui eam condidit ait: * *Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem conſtituta.* Ipſa eſt ergo quæ non in aliqua parte terrarum, ſed vbique notiſſima eſt. *Tom. 7. de vnitate Eccleſiæ, cap. 20. Lege & contra literas Petil. lib. 2. cap. 104. Item cont. Creſco. Grammat. lib. 2. cap. 36. & lib. 4. cap. 58. Eodem pertinet, quod in Carthaginenſ. Donatiſtarum cum Catholicis collatione Donatiſtæ* ** Matth. 13.* ** Matth. 5.*



*inuidioſè iactarunt, Eccleſiam à Catholicis mortalem dictam eſſe*: Ideò negantes eam mortalem (*inquit Auguſtinus.*) quia Trinitas immortalis eſt, cuius gratia conſecratur Eccleſia: Et quia Chriſtus ideò pro ea mortuus ſit, vt eam faceret immortalem. Quaſi Catholici dixerint non eam fieri immortalem gratia Dei, & effuſo pro ea ſanguine ſaluatoris: ſed tempora eſſe diſcernenda dixerunt. *Tom. 7. in Breuic. collat. tertij diei, cap. 4.*

### *IIII. Obſeruationem præceptorum, Scripturas, Fidem aut Sacramenta, non eſſe ſufficientia ſigna ad dignoſcendam Eccleſiam.*

INVENIMVS eundem Deum (*quem & Chriſtiani Catholici colunt*) extra Eccleſiam ab ignorantibus coli, & nec ideò fieri vt non ipſe ſit Deus. Inuenimus etiã eos qui nõ pertinent ad membra Eccleſiæ eandem fidem confiteri, nec ideò fieri vt non ſit vna fides. Sic etiam cùm inuenimus eundem Baptiſmum ab eis, qui ſunt contra Eccleſiam, in baptizandis hominibus obſeruari, non ideò non eſſe ipſum Baptiſmum exiſtimare debemus. Fortaſſe ad hoc dicas, fieri non poſſe vt extra Eccleſiam idem ipſe vnus Deus colatur, aut eadem fides, qua confitemur CHRISTVM FILIVM Dei, vnde Petrus beatus * eſt appellatus, etiam in eis qui non ſunt in Eccleſia, reperiatur. Hoc ergo reſtat vt probem. Habes in hoc ipſo B. Pauli ſermone, quem ſuprà ex Actibus Apoſtolorum cõmemoraui, cùm de Deo loqueretur, quia * inſcriptum in ara inuenerat, *Ignoto Deo: quem vos*, inquit, *ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.* Quid eis prædicare cupiebat, niſi eundem Deum, quem præter Eccleſiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Eccleſia ſapienter & ſalubriter colerent? Ita vobis & nos dicimus, quem Baptiſmum vos ignorantes obſeruatis, eius poteſtatem vobis nos annunciamus, non vt cùm ad nos veneritis alterum acci- ** Matth. 16.* ** Act. 17.* *Deus extra Eccleſiam etiam colitur.* *Baptiſmus extra Eccleſiam eſſe poteſt.*

piatis,ſed vt c um qui iam apud vos erat, vtiliter habeatis. De fide etiam Iacobus Apoſtolus cùm loqueretur aduerſus eos, qui ſibi quod crediderant ſufficere arbitrabantur,& bene operari nolebant:* *Tu credis,inquit, quoniam vnus Deus eſt,bene facis,& dæmones credunt & cõtremiſcunt*. Nempe in vnitate Eccleſiæ dæmones non ſunt, nec ideò tamen poſſumus dicere aliud eſſe quod credunt,cùm & Domino Ieſu Chriſto dixerint:* *Quid nobis & tibi eſt fili Dei?* Vnde Paulus Apoſtolus.* *Si habeam*, inquit, *omnem fidem ita vt montes transferam, Caritatem non habeam,nihil ſum.* Non autem exiſtimo quenquam ita deſipere, vt credat ad Eccleſiæ pertinere vnitatem eum,qui non habet caritatem. Sicut ergo Deus vnus colitur ignoranter,etiam extra Eccleſiã, nec ideò non eſt ipſe:& fides vna habetur ſine caritate etiam extra Eccleſiã,nec ideò non eſt ipſa:* Vnus enim Deus, vna fides, vnum Baptiſma, vna incorrupta Catholica Eccleſia,non in qua ſola vnus Deus colitur: ſed in qua ſola vnus Deus piè colitur: nec in qua ſola vna fides retinetur,ſed in qua ſola vna fides cum caritate retinetur:nec in qua ſola vnus Baptiſmus habetur,ſed in qua ſola vnus Baptiſmus ſalubriter habetur. *Tom.7. contra Creſcon. Gram.lib.1.cap.29.*

** Iac. 2.* — ** Mar. 1.* — ** 1.Cor.13.* — ** Epheſ.4.*

*In ſola Catholica Eccleſia vnus deus piè colitur, vna fides cũ caritate retinetur, vnus Baptiſmus ſalubriter habetur.*

. Acutum aliquid videris dicere, cùm Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretaris, ſed ex obſeruatione omnium præceptorum diuinorum atque omnium Sacramentorũ: quaſi nos etiam(ſi fortè hinc ſit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat,cuius veritatis nonnullæ particulæ etiam in diuerſis inueniuntur hæreſibus) huius nominis teſtimonio nitamur, ad demonſtrandum Eccleſiam in omnibus gentibus,& non promiſſis Dei,& tam multis támque manifeſtis oraculis ipſius veritatis. Sed nempe hoc eſt totum quod nobis perſuadere conaris,ſolos remanſiſſe Rogatiſtas, qui Catholici rectè appellandi ſunt, ex obſeruatione præceptorũ omnium diuinorum atque omnium Sacramẽtorum:& vos eſſe ſolos,in quibus inueniat fidem cùm venerit Filius hominis.Da veniam, non credimus. Licet enim & hoc audes forſitan dicere,vt in vobis poſſit inueniri fides,* quam ſe in ter-

*Idẽ ſer. noſtri tẽporibꝰ hæretici dicunt.*

** Luc.18.*



ra non inuenturum Dominus dixit,& non vos in terra, ſed in cœlo eſſe deputandos, nos tamen Apoſtolus ita cautos reddidit, vt etiam Angelum * de cœlo nobis aliud euangelizantem,præterquam quod accepimus, anathema debere eſſe præceperit. Quomodo autem cõfidimus ex diuinis literis accepiſſe nos Chriſtum manifeſtum, ſi non inde accepimus & Eccleſiam manifeſtam? Quaſlibet quiſque anſas & vncos aduerſus ſimplicitatem veritatis intexat, quaſlibet nebulas callidæ falſitatis offundat, ſicut anathema erit, qui annunciauerit Chriſtum neque paſſum eſſe, neque tertia die reſurrexiſſe, quoniam in veritate Euangelica accepimus: * *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die:* ſic erit anathema quiſquis annunciauerit Eccleſiam præter communionem omnium gentium: quia eadem veritate conſequenter accepimus: & prædicari* in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorũ per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. *Tom.2. Epiſt.48.ad Vincentium Rogatianum.*

** Gal. 1.*

*Vt Chriſtũ ſic & Eccleſiã ſcriptura manifeſtat.*

** Luc.24.*

*Anathema quiſquis annunciauerit Eccleſiã præter cõmunionem omnium gentium.*

** Act. 14.*

Quæcunque ſeductores integra & legitima tenent, nec ea etiam ſibi ipſi arrogarent, & quaſi propria vendicarent,niſi à plebibus ſeductis viciſſim ſeducerentur, cùm eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant poteſtatem talia dicendi, & ſibi talia vendicandi,vt error eorum veritas appelletur, & ſcelus eorum iuſtitia putetur, propter Sacramenta & ſcripturas, quas tenent ad ſpeciem, non ad ſalutem. Ideóque & per Ezechielem fornicariæ dicitur:* Et protuliſti de vaſis gloriæ tuæ,de auro meo & argẽto meo, ex quibus dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis, & accepiſti veſtem meam verſicoloriam & cooperuiſti idola tua, & oleum meum & incenſum meum impoſuiſti ante faciem idolorum tuorum,& panes meos,quos dedi tibi, & ſimilagine & melle & oleo cibaui te,& poſuiſti hæc ante faciem idolorum tuorũ, & in odorem bene olentem perfeciſti hæc. Ad imagines enim phantaſmatum ſuorum,cum quibus volutari carnalis anima delectatur, cõuertit omnia Sacramenta & verba librorum ſanctorum. *Tom.7. de Bapt. contra Donatiſt.lib.3.cap.19.*

*Hæretici plebes ſeducunt et ab ipſis dũ honorãtur viciſſim ſeducuntur.*

*Apud hæreticos ſacramẽta & ſcripturæ ſunt, ad ſpeciẽ nõ ad ſalutem.*

** Ezech.16.*

*Hæretici ad imagines phãtaſmatũ ſuorum ſcripturas & ſacramenta conuertunt.*

Quo ergo ſigno manifeſto (*interrogat Catechumenus*) adhuc paruulus, & nondum valens liquidam diſcernere à tot erroribus veritatem: quo manifeſto indicio tenebo Eccleſiam Chriſti, in quem iam credere, tanta rerum antea prædictarum manifeſtatione compellor? Sequitur Propheta, & tanquam motus animi eius ordinatiſſimè excipiens, docet eum Eccleſiam Chriſti ipſam eſſe prædictam, quæ omnibus eminet & apparet.* Ipſa eſt enim ſedes gloriæ, de qua Apoſtolus dicit: * *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Vnde iſte dicit, Sedes autem gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra. Propter hos enim motus paruulorum, qui poſſint ſeduci ab hominibus, à manifeſtatione claritatis Eccleſiæ, Dominus quoque prouidens ait: * *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta*, quia vtique * ſedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra, vt non audiantur illi, qui ad religionum ſciſſuras traducunt, dicentes: * Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, partes enim oſtendunt, dicentes, Ecce hîc, ecce illic, cùm illa ciuitas ſuper montem ſit. Quem montem? niſi eum qui ſecundùm prophetiam Danielis * ex paruulo lapide creuit, & factus eſt mons magnus, ita vt impleret vniuerſam terram. *Tom.6.cont.Fauſtum Manich.lib.13.cap.13.*

*Manifeſtum indiciũ inueniendi Eccleſiam.*

* *Hiere.17.* * *1.Cor.3.* * *Matth.5.* * *Hiere.17.*

*Non ergo audiendi ſictarij*

* *Matt.24.* * *Dan.2.*

### *V. Eccleſiæ Catholicæ multis locis ſacram atteſtari ſcripturam.*

*Eccleſia è ſcripturis demonſtratur.*

NOlo humanis documẽtis, ſed diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. Si enim ſanctæ Scripturæ in Africa ſola deſignauerũt Eccleſiam, & in paucis Romæ Rupitanis & Montenſibus, & in domo vel patrimonio vniusHiſpanæ mulieris, quicquid de chartis aliis aliquid proferatur, non tenent Eccleſiam niſi Donatiſtæ. Si in paucis Mauris prouinciæ Cæſarienſis eam ſancta ſcriptura determinat, ad Rogatiſtas tranſeundum eſt. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis & prouincialibus, Maximinianiſtæ ad eam peruenerunt. Si in ſolis Orientalibus, inter Arrianos & Macedonianos & Eunomianos, & ſi qui illic alij ſunt, requirenda eſt. Quis autem poſſit ſingulas quaſi hæreſes enumerare gentium ſingularum? Si autem Chriſti Eccleſia,



Canonicarum ſcripturarum diuinis & certiſſimis teſtimoniis in omnibus gentibus deſignata eſt, quicquid attulerint & vndecunque recitauerint, qui dicunt* *Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic*: audiamus potius, ſi oues eius ſumus, vocem paſtoris noſtri dicentis: *Nolite credere.* Illæ quippe ſingulæ in multis gentibus, vbi iſta eſt, non inueniuntur: hæc autem quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt inuenitur. *Tom.7.de vnit.Eccle.cap.3.*

* *Matt.24.*

*Eccleſia vbique eſt, etiam vbi hæreſes inueniuntur, non contrà.*

O Donatiſtæ Geneſin legite, * Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, Propter quod feciſti verbum hoc, & non peperciſti filio tuo amantiſſimo propter me, niſi benedicens benedicam te, & implendo implebo ſemen tuum tanquam ſtellas cœli, & tanquam arenam, quæ ſecus oram maris eſt, & hæreditate poſſidebit ſemen tuum ciuitates aduerſariorum tuorum, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ, quia obaudiſti vocem meam. Quid ad hæc dicitis? *Et paulò pòſt.* Ecce teſtamentum Dei, aperite aures, Hominis, inquit (*Apoſtolus*) * confirmatum teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuperordinat. Quare vos irritum facitis teſtamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus eſſe completum, & periiſſe iam de gentibus, in quibus erat ſemen Abrahæ? Quare ſuperordinatis dicendo, in nullis terris hæredem permanere Chriſtum, niſi vbi potuerit cohæredem habere Donatum? Non inuidemus alicui: Legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Euangelio, de Apoſtolicis literis. *Ibidem, cap. 6. Idem confirmat eodem capite ex promiſsionibus quas fecit Deus diuerſis temporibus Iſaac & Iacob. Geneſ.26.& 28.*

* *Gen.22.* * *Gal.3.*

*Eccleſiã per totum orbem diffuſam eſſe ex Prophetis probatur.*

Quid in Prophetis quàm multa & quàm manifeſta ſunt teſtimonia Eccleſiæ per omnes gentes toto orbe terrarum diffuſæ, vnde pauca commemorabo, plura relinquens ocio diligentiæ cum Dei timore legentibus. Accipiamus per os Eſaiæ ſancti diuina reſpõſa, & eius ora tanquam Dei oracula ſciſcitemur. Sileant humanarum contentionum animoſa & pernicioſa certamina, inclinemus aurem verbo Dei. Dicat Eſaias vbi Eccleſiam ſanctam Deo reuelante præuiderit, vt in verbis futura dicentis iam nunc præſentia videamus. Repleta

** Eſai. 11.* eſt,inquit,* vniuerſa terra vt cognoſcat Dominum, vt aqua multa operiat mare. Et erit in illa die radix Ieſſe & qui exurget principatum habere in nationes, & in eum gentes ſperabunt. Et iterum. Sic dicit Dominus: *† Eſai. 49.* † Ecce tollam in nationes manus meas & inſulas ſignum meum,& adducam filios tuos in ſinu,filias etiam tuas ſuper humeros portabunt: & erunt reges educatores veſtri,quæ autem principales ſunt nutrices veſtræ, ſuper terram declinantes faciem deprecabuntur te, & veſtigia pedum tuorum elingent,& ſcies quoniam ego Dominus nec erubeſces. Et paulò pòſt adiungit & dicit: ** Eſai. 51.* * Audite me,audite populus meus,reges quoque intendite mihi, quoniam lex à me prodiet, & iudicium meum in lucem gentibus. Appropinquat maturè iuſtitia mea & ſalutare meum proficiſcetur,& in brachio meo gentes ſaluantur. Deinde in conſequentibus adiungit Eſaias & dicit: ** Eſai. 52.* * Erumpat lætitia ſimul deſerta Hieruſalem, quoniam miſertus eſt eius & eruit Hieruſalem & pateſaciet Dominus brachium ſuum ſanctum in conſpectu vniuerſarum gentium, & videbunt omnes nationes vſque ad vltima terræ ſalutem quæ à Deo eſt. Quis tam ſurdus,quis tam demens,quis tam mente cæcus, vt his tam euidentibus teſtimoniis obloquatur,niſi qui neſcit quid loquatur? *Adiungit deinde plura eodem pertinentia teſtimonia,atque in fine concludit.* Iam verò ſi de omnibus prophetis Eccleſiæ ſignatæ, quam ſicut legimus,cernimus,teſtimonia colligere in hanc Epiſtolam velim,vereor ne ipſe videar iudicare pauca eſſe, quæ tam multa ſunt, vt ex iſto ſolo Eſaia, ſi omnia congregare vellem, modum debiti ſermonis excederem. *Ibidem,cap 7.*

Iam ergo pauca de pſalmis audiamus tantò antè cantata,& nunc iam compleri cum magno gaudio, videamus. Et prius illud ipſum quod Petilianus in Epiſtola ſua,quo ore poſuerit neſcio,audiant & iudicent: ** Pſal.2.* *Dominus * dixit ad me Filius meus es tu. ego hodie genui te, Poſtula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam fines terræ.* Quis enim Chriſtianus vnquam dubitauit hoc de Chriſto eſſe prædictum,aut hanc hæreditatem aliud quàm Eccleſiam eſſe intellexit? *Et poſt pauca.*



*pauca. Commemorabuntur* & conuertentur ad Dominum* ** Pſal.21.* *vniuerſi fines terræ.* Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ patriæ gentium: *Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Nonne Apoſtolus de prædicatoribus noui Teſtamenti dictum expoſuit quod ſcriptum eſt: * *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines* ** Rom.10.* *orbis terræ verba eorum?* *Pſal 18.* De quo alio niſi de Chriſto, intelligitur, *Deus Deorum † Dominus locutus eſt, & vocauit* *† Pſal.49.* *terram à ſolis ortu vſque ad occaſum: ex Sion ſpecies decoris eius? Et iterum.* Dominabitur,* inquit,à mari vſque ad ** Pſal.71.* mare,& à flumine vſque ad terminos orbis terræ. A flumine vtique vbi eum Spiritus ſanctus,in columbæ* ſpe- ** Matth.3.* cie & vox de cælo manifeſtauit. Deinde ſequitur:† Co- *Marc. 1.* ram illo decident Æthiopes,& inimici eius terram lin- *Luc. 3.* gent, Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges *† Pſal.71.* Arabum & Saba dona adducent, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. *Ibidem, cap.8. Citat & alia ex iiſdem Pſalmis in eundem ſenſum.*

*Ex verbis Chriſti Eccleſia Catholica demonſtratur.*

Audiamus hinc & ipſius Verbi vocem ore propriæ carnis expreſſam. Certè cùm poſt reſurrectionem,præberet ſe etiam contrectandum atque palpandum, manibus dubitantium diſcipulorum, & cùm accepiſſet coram illis & manducaſſet, quod ei porrexerant, dixit eis: * *Iſti ſunt ſermones, quos locutus ſum ad vos, cùm adhuc* ** Luc.24.* *eſſem vobiſcum, quia oportebat adimpleri omnia ſcripta in lege Moſis & Prophetis & pſalmis de me.* De quo autem niſi de illo ſcripta ſunt, quæ nos quoque commemorauimus ex Lege, & Prophetis, & Pſalmis, ſicut per ſingula demõſtraui? ** Ibidem.* Cùm ergo ipſe dicat,qui veritas eſt,* Oportebat adimpleri omnia: quomodo iſti negant,niſi quia veritatis inimici ſunt? Si autem obſcura eſſe adhuc dicunt,& hinc ipſum caput audiamus veriſſimum demõſtratorem corporis ſui: Cùm enim dixiſſet,quia* opor- ** Ibidem.* tebat adimpleri omnia ſcripta in Lege & Prophetis, & Pſalmis de me,tãquam quæreremus vtrum in eo, quod dixit de me, illic intelligenda eſſet Eccleſia, propter id quod ſcriptum eſt: * Erunt duo in carne vna, vt non ** Matt. 10.* ſolùm de capite,verùm etiam de corpore, certa diuina *1. Cor. 6.* oracula teneremus,ſequitur Euangeliſta & dicit:* *Tunc* *Epheſ.5.* *aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, & dixit illis:* ** Luc.24.*

G

Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die. Hic ipſum caput oſtenditur, quod etiam ſe manibus diſcipulorum præbuit contrectandum. Vide quemadmodum de corpore adiungat, quod eſt Eccleſia, vt nos nec in ſponſo, nec in ſponſa errare permittat. * *Et prædicari*, inquit, *in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem.* Quid hac voce veracius? quid diuinius? quid manifeſtius? Me piget commendare eam verbis meis, & hæreticos non pudet eam oppugnare verbis ſuis. Dicant ea teſtimonia, quæ poſui de Lege & Prophetis & Pſalmis obſcura eſſe, & figuratè dicta. Nunquid & obſcurè dictum, aut ænigmatis velamento adumbratum eſt, quod ipſe Chriſtus dixit:* Quia ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem? *Ibidem, cap. 9.*

** Ibidem.*

** Ibidem.*

Adhuc addis furori veſtro verba blaſphemiæ, & audes dicere Eccleſiam Catholicam humanum eſſe figmentum, cui dicit Deus:* Ego enim ſum Dominus qui facio te, Dominus nomen ei. Et vt ſciamus ipſam eam Catholicam vniuerſo terrarum orbe diffuſam, ſequitur & adiungit, * *Et qui eruit te, ipſe Deus Iſraël vniuerſæ terræ vocabitur.* Hoc euidentiſſimum Dei opus, humanum dicitis eſſe figmentum, nec vos reſpicitis, quòd ab iſta Eccleſia, quam ſe promiſit Deus in vniuerſa terra eſſe facturum, nullo modo ſeparareminí, niſi hominem ſequeremini. Nos eum ſequimur, qui dixit Abrahæ:* In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Eum ſequimur qui dixit ipſi Eccleſiæ ſuæ, quod modò commemoraui: *Ego ſum* Dominus, qui facio te, Dominus nomen ei, & qui eruit te ipſe Deus Iſraël vniuerſæ terræ vocabitur.* Propterea tenentes Eccleſiam, quæ dilatatur & creſcit per omnes gentes, & per vniuerſam terram, non vtique figmentum ſequuntur humanum, ſed promiſſum factúmque diuinum. *Tom.7. contra ſecundam Gaudentij Epiſtolam, lib.2. cap.25.*

** Eſai.54.*

** Ibidem.*

*Hæretici ab Eccleſia ſeparantur dum hominem ſequuntur.*

** Geneſ. 22.*

** Eſai.54.*

*Catholicam Eccleſiã tenẽtes, nõ figmẽtũ ſequuntur humanũ, ſed promiſſum, factũq; diuinũ.*

*Matth. 24.*

Quod Dominus dicit, *Sicut enim fulgur exit ab oriente & peruenit vſque ad occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis.* Orientis & Occidentis nomine, totum orbem voluit ſignificare, per quem futura erat Eccleſia, incipiente Euangelio ab Hieruſalem ſecundum illum ſenſum, quo dixit:* *A modo videbitis filium hominis venientem in nubibus.* Conuenienter enim Eccleſiam nunc fulgur nominauit, quod maximè ſolet emicare de nubibus. Conſtituta ergo auctoritate Eccleſiæ per orbem terrarum clara atque manifeſta conſequenter diſcipulos admonet, atque omnes fideles, & qui in eum credere voluerint, ne ſchiſmaticis atque hæreticis credant. Vnumquodque enim ſchiſma, & vnaquæque hæreſis, aut locum ſuum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obſcuris atque occultis conuenticulis curioſitatem hominum decipit. Ad quod pertinet, quod ait:* *Siquis vobis dixerit, Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic*: quod ſignificat terrarum partes & prouinciarum. *Aut in penetralibus, aut in deſerto* quod ſignificat obſcura & occulta conuenticula hæreticorum. Quod ergo dixit ab Oriente in Occidentem peruenturũ aduẽtum ſuum: contra illos valet, qui per terrarum particulas nominantur, & dicunt apud ſe eſſe Chriſtũ. Quod autem ait, Sicut fulgur, contra illos valet, qui occultè cõgregant tanquam in penetralibus, & paucos tanquam in deſerto. Ad manifeſtationem quippe claritatémque pertinet Eccleſiæ, fulguris nomen, ſignificans etiam noctem vel nubila ſeculi huius: tunc enim fulguris cãdor apparet. *Tom.4. quæſt. Euang. lib.1. quæſt.38.*

** Matt.26.*

*Auctoritas Eccleſiæ per orbẽ terrarũ clara atque manifeſta.*

** Marc.13.*

*Penetralia et deſertum, obſcura & occulta hæreticorũ cõuenticula ſignificãt.*

Argumentaris inaniter (*ô Creſconi*) contra euidentiſſimam veritatem, quòd ideò nobis non totus orbis cõmunicet, quia vel adhuc multi ſunt gentium barbararum, qui in Chriſtum nondum crediderunt, vel ſub nomine Chriſti hæreſes multæ à communione noſtræ ſocietatis alienæ. Nec attendis, nec ſaltem ab ſcientibus quæris, quàm multi, ipſarum barbararum gentium, quas commemoraſti Chriſti iam nomini mancipati ſint, & quemadmodum in cæteras, Euangelium creſcẽdo fructificare non ceſſet, donec in omnibus cum fuerit prædicatum, veniat finis. Sic enim Dominus ait, **Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Niſi fortè

*Ex eccleſiis quas Apoſtoli plantarunt, Euãgelium in barbaras gentes diffunditur.*

** Matt.24.*

etiam intantum vos præcipitat væſana ſuperbia, vt hoc quod prædictum eſt, de parte Donati putetis incipiendum, non ex illis Eccleſiis, quas plantauerunt Apoſtoli, quibus non communicat pars Donati. *Tom.7. cont. Creſconium Gramma. lib.3. cap.64. Similem ſententiam leges de vnit. Eccleſiæ, cap.15.*

## *VI. Eccleſiam ex bonis tantùm conſtare, Donatiſtarum & Pelagianorum hæreſin fuiſſe.*

*Ex ſchiſmate venitur ad hæreſin, pertinaci diſſenſione firmata.*

Donatiani vel Donatiſtæ ſunt, qui primum propter Cæcilianum contra ſuam voluntatem ordinatum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum, ſchiſma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maximè quòd à traditoribus diuinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed poſt cauſam cum eo dictam atque finitam, falſitatis rei deprehenſi, pertinaci diſſenſione firmata, in hæreſin ſchiſma verterunt: tanquam Eccleſia Chriſti, propter crimina Cæciliani, ſeu vera, ſeu, quod magis apparuit iudicibus, falſa, de toto terrarum orbe perierit, vbi futura promiſſa eſt; atque in Africa Donati parte remanſerit, in aliis terrarum partibus, quaſi contagione communionis extincta. *Tom.6. de hæreſib. ad Quoduultdeum, hæreſi 69.*

** 1.Cor.5.*

Si vero iam tunc non erat Eccleſia, quia Cyprianus & quicunque cum eo auaros illos rapacéſque nouerãt, quales ipſi non erant, quanuis eos grauiſſimis gemitibus & præclariſſimis vocibus accuſarent, vnam tamen cum eis intrantes Eccleſiam, & in vna congregatione, paria Sacramenta tractantes, per huiuſmodi communionem paris ſortis effecti ſunt, quia non obtemperauerũt Apoſtolo iubenti* vt cum huiuſmodi nec cibum quidem ſimul ſumerent: &, Auferte malum ex vobis ipſis. Quid adhuc laboramus? Quid ſeipſi iactãt, quòd habeant aliquam Eccleſiam, ſi iam illis temporibus eſſe deſtiterit? Dicant vnde natus eſt Maiorinus, aut Donatus, vt per eos naſceretur Parmenianus atque Primianus. Quid enim eis prodeſt, quòd auaros & rapaces, cum quibus cibum ſumi vetat Apoſtolus, * modò ſe vel non habere in congregatione ſua, vel incognitos ſibi eſſe mentiuntur: quandoquidem fuerunt tales in

** Ibidem.*



*Donatiſtæ apud ſe tantùm Eccleſiã eſſe dicebãt, quos imitantur hæretici noſtritẽporis.*

illa vnitatis Eccleſia, vnde iſti exortos ſe ſic iactitant, vt eam in ſua ſola ſocietate, id eſt, in communione Donati remanſiſſe perſuadere conentur? Si enim dicunt per talium communionem perire Eccleſiam, cur eam non dicunt iam Cypriani periiſſe temporibus? ac ſi & per ſeipſos vnde exiſterent non inuenientes, dicere deſinãt apud ſe Eccleſiam remanſiſſe, quam totam prioribus periiſſe temporibus dicunt. *Tom.7. cont. Epiſtolam Par. libro 3. cap.2.*

** Hiere. 23.*

*Parmenianus hæreticus, talẽ etiã hoc tempore dixit Eccleſiã eſſe, qualis poſt vltimã ventilationẽ futura eſt.*

Auſus eſt (*Parmenianus*) etiam illud Hieremiæ Prophetæ * ponere, vnde perſuaderet cæteris hominibus communionem Donatiſtarum, non ſolùm Eccleſiam veram eſſe, ſed etiam talem iam hoc tempore, qualis poſt vltimam ventilationem Eccleſia ſancta futura eſt. Cui ſacrilegæ præſumptioni, & nefandæ elationi, quid addi poſſit ignoro. *Ibidem.*

*Pelagiani Chriſti Eccleſiam omnino ſine macula & ruga in hac mortalitate poſuerũt*

In id etiam progrediuntur (*Pelagiani*) vt dicãt vitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamet ad Deum: * Dimitte nobis debita noſtra. *Tom.6. de hæreſibus, hæreſi 88.*

** Matth.6.*

## *VII. Eccleſiam ex bonis maliſque hominibus conſtare.*

*Eccleſia quãdo erit ſine macula & ruga.*

Vbicunque in his libris (*nempe de Baptiſmo cõtra Donatiſtas*) cõmemoraui, Eccleſiã non habẽtem maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi iam ſit, ſed quæ præparatur, vt ſit, quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias & infirmitates membrorum ſuorum habet vnde quotidie tota dicat: * Dimitte nobis debita noſtra. *Tom.1. libr.2. Retract. cap.18. Eccleſiam ſine ruga & macula non eſſe niſi triumphantem, lege Tom.7. de perfect. iuſtitiæ, cap.25. & Tom.3. de Doct. Chriſtia. lib.3. cap.34.*

** Matth.6.*

** Matth.13.*

*In Eccleſia Cath. grana ſunt et palea.*

Nos fatemur in Eccleſia Catholica & bonos & malos eſſe, ſed tanquam * grana & paleas. Aliquando qui baptizatur à grano, palea eſt: & qui baptizatur à palea, granum eſt. *Tom.9. in Euan. Ioan. Tract.6.*

Habet Eccleſia in ſe fortes, habet infirmos, habet iuſtos, habet & iniuſtos. Modò enim corpus Chriſti quod iuſtis area eſt,* poſtea horreum erit. Tamen cùm area eſt, non recuſat paleas ſuſtinere. Cùm tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis ſegregabit. *Tom. X. de temp. ſerm.107. Dominica in Paſſione, ſerm.1.*

** Matth.3.*

*Eccleſia in hac vita eſt area, triticum & paleas continens, poſt verò horreum futura, in quo tantùm grana recondentur.*

*Nũc in populo Dei cẽſentur, & Chriſtiani vocãtur quicũque portãt Sacramenta eius, quãuis minus dignè viuãt.*

Nunc populus Dei cenſentur omnes, qui portant Sacramenta eius, ſed non omnes pertinent ad miſericordiam eius. Omnes quippe Sacramentũ Baptiſmi Chriſti accipientes, Chriſtiani vocantur, ſed non omnes dignè illo Sacramento viuunt. Sunt enim quidam, de quibus dicit Apoſtolus: * *Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Tamen propter ipſam ſpeciem pietatis in populo Dei nominantur, quomodo ad aream* quandiu trituratur, non ſolùm grana, ſed etiam palea pertinet. *Tom.8. Pſal.47.*

** Matth. 3.*
** Luc.2.*
** Gal. 4.*

Ipſe Dominus Ieſus nulla contagione malignitatis in Iudæorum gente pollutus eſt, neque cùm illa* prima Sacramenta, ſecundum perfectam humilitatis viam, factus * ſub lege, ſuſcepit: neque cùm poſteà diſcipulis electis, cum ſuo traditore vſque ad extremum * oſculũ vixit. *Tom.7. contra Epiſt. Parmen. lib.2. cap.17.*

**Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

*Malũ ſacerdotẽ ſecundũ ſalutem ſpiritalem nemini obeſſe.*

Dicant cui ſancto ſecundum ſalutem ſpiritalem obfuerit, vel in ſacerdotibus, vel inter populum conſtituto, malus aut maculatus ſacerdos? Vbi erat Moyſes & Aaron, ibi murmuratores ſacrilegi, quos Deus à facie ſua ſemper perdere minabatur. Vbi erat Caiphas, & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon & cæteri boni: vbi Saul, ibi Dauid: vbi Hieremias, vbi Eſaias, vbi Daniel, vbi Ezechiel, ibi Sacerdotes mali, & populi mali: ſed ſarcinam ſuam vnuſquiſque portabat. *Ibidem cap.7. Malos in Teſtamento veteri bonis perpetuò coniunctos fuiſſe, iiſdem altaribus, ſacrificiis, ſacerdotibus, vſos. Lege eodem Tom. contra Donat. poſt collat. cap.20.*

Quæcunque teſtimonia diuinarũ ſcripturarũ Epiſcopi (*Donatiſtæ*) cõmemorare potuerunt, quibus ab omni



malorum hominum permixtione pura prænunciabatur Eccleſia, non qualis nunc eſt, illis teſtimoniis prænunciabatur, ſed qualis poſt iſtam mortalitatem in vita æterna futura eſt. *Tom.7. contra Donatiſt. poſt collat. cap.7.*

*Eccleſia Catholica area eſt, frumento mixtas paleas cõtinẽs, vſque ad ſeculi finem.*

Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, aream Dei eſſe Catholicam Eccleſiam, & intra eam vſque in finem ſeculi frumento mixtas paleas contineri, hoc eſt, bonis malos Sacramentorum communione miſceri: & in omni profeſſione, ſiue clericorum, ſiue monachorum, ſiue laicorum, bonos eſſe ſimul & malos: nec pro malis bonos deſerendos, ſed pro bonis malos, in quantum exigit fidei & caritatis ratio, tolerandos, id eſt, ſi vel in Eccleſia nullius perfidiæ ſemina ſpargunt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducũt: nec poſſe aliquem intra Eccleſiam Catholicam rectè credentem benéque viuentem, alieno vnquam maculari peccato, ſi cuiquam peccanti nec conſenſionem præbeat, nec fauorem: vtilitérque malos à bonis intra Eccleſiam tolerari, ſi hoc cum eis bene viuendo & bene monendo agatur, vt & videntes & audientes quæ bona ſunt, mala ſua reſpuant. *Et poſt pauca.* Bonos verò à malis, intra Eccleſiam duntaxat Catholicam conſtitutis, non debere niſi operum diſſimilitudine ſeparari, vt cum quibus diuina communicant Sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi ſunt criminoſi, communia. In fine verò ſeculi bonos à malis etiam corpore ſeparandos: *quando veniet Chriſtus habẽs ventilabrũ in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili. *Tom.3. de fide ad Petrum, cap.43. Lege Tom 5. de Ciuit. Dei, lib.18. cap.49. Tom 10. de verbis Apoſtoli, ſerm.31. Tom.7. de Baptiſ. contra Donat. lib. 6. cap.8. Tom.9. in epiſt. Ioan. Tract.3. Tom.2. epiſt. 162. ad Epiſcopos Donatiſtas circa finem. Lege item proximè ſequentem titulum.*

*Quomodo boni vtiliter malos in eccleſia tolerare poſſint.*

** Matth. 3*

### *VIII. Eccleſiam propter malos non deſerendam, nec diuidendam eſſe.*

CVm ſiue, per negligentiam Prępoſitorum, ſiue per aliquam excuſabilem neceſſitatem, ſiue per occultas obreptiones inuenimus in Eccleſia malos, quos Ec-

ſiaſtica diſciplina corrigere aut coërcere non poſſumus,tunc nec aſcendat in cor noſtrum impia & pernicioſa præſumptio, qua exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos,vt peccatis eorum non inquinemur, atque ita poſt nos trahere conemur veluti mundos ſanctóſque diſcipulos, ab vnitatis compage, quaſi à malorum conſortio ſegregatos: veniant in mentem illæ de Scripturis ſimilitudines, & diuina oracula, vel certiſſima exempla, quibus demonſtratum & prænunciatum eſt, malos in Eccleſia permixtos bonis vſque in finem ſeculi tempúſque iudicij futuros,& nihil bonis in vnitate ac participatione Sacramentorum, qui eorum factis nõ cõſenſerint,obfuturos. *To.4.de fide & operibus, cap.5.*

*Permixtio malorum in Eccleſia non nocet iis,qui eorum factis non conſentiunt.*

Reſponderunt Catholici (*inter quos & Auguſtinus*) quod vnum templum fuerit (*in veteri teſtamento*) quo vniuerſi vtebantur,nec quenquam Prophetarum,qui tãta dixerunt in malos,conſtituiſſe ſibi aliud templum,ſacrificia,ſacerdotes. *Tom.7. Breuic.collat.tertij diei,cap.4.circa medium.*

Si ergo licuit regi Dauid, Samueli, Eſaiæ, Hieremiæ, Zachariæ cæteríſque Sanctis ac Prophetis Dei, inter contẽptores legis Dei mandata ſeruare, atque in illos ipſos mandati transgreſſores, multa digna & vera verba iaculari, Patrum quoque illa peccata, quibus ſub Moſe ita offenderunt Deum, vt nemo eorum dignus eſſet terram promiſſionis intrare*, non imitari, non ſectari,ſed deteſtari ac fugere,& illos qui ea committerent ſimilitudine talium Patrum increpare, nec tamen ſibi alterum populum quaſi purgatum & liquatum, ſeparatione ſacrilega conſtituere: quomodo nobis non liceat,nec facta,neſcio quorum quæ magis obijcitis quàm probatis, imitari:nec tamen ab ea quæ in vniuerſo mundo, ſicut Apoſtolus dicit, * fructificat & creſcit ſancta Eccleſia ſeparari? *Tom.7.contra Creſc. Grãmat.lib.3.cap.38.*

*Prophetæ propter malos non ſibi tẽplum aliud cõſtituerunt.*

** Num.20. Deut.1.*

** Coloſſ.1.*

Habemus innumerabilia teſtimonia, & de commixtione malorum cum bonis in eadem communione Sacramenti, ſicut Iudas ab initio malus inter bonos vndecim conuerſatus eſt: & de bonorum paucitate, propter malorum plurimorum comparationem, & rurſus

*Malos in Eccleſia bonis permixtos eſſe ex Scripturis probatur.*



de bonorum multitudine per ſeipſam conſiderata. Ex quibus ne longum faciam pauca commemorabo. Eſt in canticis canticorum * quod de ſancta Eccleſia dictum omnis Chriſtianus agnoſcit: Sicut lilium in medio ſpinarum,ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat ſpinas, niſi propter malignitatem morum? Et eaſdem vnde filias, niſi propter communionem Sacramentorum? Videt etiam Ezechiel * ſignatos quoſdam,ne cum malis interirent,de quibus ei dicitur:Qui gemunt & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Populum ſuum nõ diceret, quem ſolis illis illæſis perire mox iubet, niſi eum populum,qui eius Sacramenta geſtabat. Dicit & Dominus deſuper ſeminatis zizaniis. * Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem:id eſt,triticum & zizania. Et ipſe interpretatur meſſem eſſe finem ſeculi: Agrum vero vbi vtrumque ſeminatum eſt,mundum eſſe. Oportet itaque vſque in finem ſeculi creſcere vtrunque per mundum. *Et paulò poſt*. Eſt alia ſimilitudo apertiſſima de cõmixtione malorum & bonorum intra eandem Sacramentorum communionem & connexionem, quam Dominus ipſe ponit & exponit:* Simile eſt, inquit, regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mari, quæ congregat omnia genera piſcium. Cùm autem impleta eſſet, eduxerunt eã ad litus,& ſedẽtes elegerũt optimos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt: ſic erit in conſummatione ſeculi, exibunt angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum & mittent eos in caminum ignis,ibi erit fletus & ſtridor dentium. Nulla ergo malorum commixtio terret bonos, vt propterea velint tanquam retia rumpere,& à congregatione vnitatis exire,ne homines non pertinentes ad regnum cælorum in Sacramentorum conſortio patiantur. *Tom.7.de vnit. Eccleſiæ,cap.13.*

** Cant.2.*

*In Eccleſia liliũ & ſpina.*

** Ezech. 9.*

*Boni ergo et mali Dei Sacramenta geſtare ac in eis cõmunicare poſſunt.*

** Matt.13.*

*Mundus pro Eccleſia ponitur, inquit Auguſtinus, ſicut etiam Cyprianus intellexit, quia per totum mũdum futura præfigurabatur Eccleſia. To.7.cõtra Donatiſt.poſt.collat.cap.6.*

** Matt. 13.*

Hinc beatus Cyprianus quid ſenſerit, accipe ex Epiſtola,quam ſcripſit ad Preſbyterum Maximum & cæteros,quibus de ſchiſmatico & hæretico errore ad Eccleſiam redeuntibus gratulatur. Nam etſi videntur,inquit, in Eccleſia eſſe zizania, * non tamen impediri debet aut fides, aut caritas noſtra,vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis

*Boni malos in Eccleſiæ communione patiẽter ferre debent.*

** Matth.3.*

*Nulli ex Ec*

*cleſia recedere debent propter zizania, ſed laborẽt ſinguli vt frumentũ eſſe poſſint.*

tãtũmodo laborandũ eſt, vt frumentũ eſſe poſſimus, vt cùm cœperit frumentũ dominicis horreis cõdi, fructũ pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in epiſtola ſua dicit:* In domo autem magna nõ ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, & quãtum poſſumus laboremus, vt vas aureum & argenteum ſimus. Cæterùm fictilia vaſa confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui * virga ferrea data eſt. Eſſe nõ poteſt* maior Domino ſuo ſeruus, nec quiſquã ſibi quod ſoli Filio Pater tribuit vendicare, vt ſe putet * aut ad aream ventilandam & purgandam paleam ventilabrum iam ferre poſſe, aut à frumento vniuerſam zizaniã humano iudicio ſeparare. Superba eſt illa obſtinatio & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor prauus aſſumit. Et dum ſibi ſemper quidam, plus quàm mitis iuſtitia depoſcit aſſumunt, de Eccleſia pereunt, & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. Vides frater ſecundum Scripturas diuinas hoc præcepiſſe Cyprianum etiam propter malos. Qui cùm ſint à bonis vita moribúſque ſpiritaliter ſeparati, corporaliter tamen eis in Eccleſia videntur eſſe permixti vſque in diem iudicij, quo etiam corporaliter debitas ſeparabuntur ad pœnas. Non eſt Eccleſia deſerenda tanquam frumenta * propter paleam vel zizania, ſicut nec domus magna propter vaſa* inhonorata. Vides, audis, ſentis, capis, intelligis, quanto ſcelere propter eos, qui vobis ſiue rectè, ſiue cùm fallimini diſplicẽt, ſeparemini ab Eccleſia, quæ toto orbe diffunditur, cui ſecundum Scripturas diuinas, tam magnum, tam firmum, tam clarum ac luculentum teſtimonium perhibet Cyprian. *To. 7. cõtra Creſc. Gram. li. 2. ca. 34. Lege To. 10. de verbis Domini ſecundũ Matth. ſerm. 18. & Tom. 7. de vnico baptiſ. cap. 18. & in Pſalm. contra partem Donati.*

** 2. Tim. 2.*
*In Eccleſia nõ ſolum vaſa aurea & argẽtea, ſed & lignea & fictilia.*
** Pſal. 2.*
** Matt. 10. Ioan. 13.*
** Matth. 3. Luc. 3.*
*Hoc nouis accidit hæreticis.*
** Matth. 3.*
** 2. Tim. 2.*
*Hæretici ſceleratè ſeparãtur ab Eccleſia.*

## *IX. Nullam eſſe ſalutis ſpem extra Catholicam Eccleſiam.*

Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. Sola



quippe eſt per quam ſacrificiũ Dominus libenter accipiat, ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hoſtia Dominus præcepit dicens:* *In vna Domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras.* In vna nanque domo agnus comeditur, quia in vna Catholica Eccleſia vera hoſtia redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina iuſſio efferri foras prohibet, quia dari* ſanctum carnibus vetat. Sola eſt, in qua opus bonum fructuoſè peragitur, vnde mercedem denarij, non niſi qui intra vineam * laborauerant acceperunt. Sola eſt quæ intra ſe poſitos valida caritatis compage cuſtodit. Vnde & aqua diluuij* arcam quidem ad ſublimiora ſuſtulit, omnes autem quos extra arcam inuenit, extinxit. Sola eſt in qua myſteria ſuperna veraciter contemplemur. Vnde ad Moſen Dominus dicit:* *Eſt locus apud me & ſtabis ſupra petram*: Et paulò pòſt: *Tollam manum meam & videbis poſteriora mea.* Quia enim ex ſola Catholica Eccleſia veritas conſpicitur, apud ſe eſſe locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moſes ponitur, vt Dei ſpeciem contempletur, quia niſi quis fidei ſoliditatem tenuerit, diuinam præſentiam non agnoſcit. Auelle, inquit, (*Cyprianus*) radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Frange ramum ab arbore, fractus germinare nõ poterit. A fonte præcide riuum, præciſus areſcit. In his Cypriani verbis intelligimus lucem non capere diuiſionem, niſi in ſanctis regno Dei prædeſtinatis, qui diuidi ab Eccleſia nullo modo poſſunt: & non germinare ramum fractum ſalutis æternæ germine, accipimus. Ariditatem vero riui à fonte præciſi, in eo quod Spiritu ſancto vacuantur, qui ab vnitate ſeparantur, agnoſcimus. *Tom. 10. de tempore, ſermon. 181. qui eſt in vigilia Pentecoſt. Sermo. 1. cap. 12. Eadem Cypriani verba citat. Tom. 7. contra Creſcen. lib. 2. cap. 33.*

** Exod. 12.*
*In ſola Eccleſia bonum opus fructuoſum eſt, et vera hoſtia redemptoris immolatur.*
** Matth. 7.*
** Matt. 20.*
** Gen. 7.*
** Exod. 33.*
*Ex ſola Eccleſia Catholica veritas conſpicitur.*
*Cyprianus de ſimplicitate prælatorũ.*

Salutẽ nõn poteſt habere (*de Emerito Donatiſtarũ Epiſcopo ſermo eſt*) niſi in Eccleſia Catholica. Extra Eccleſiã totum poteſt præter ſalutem, poteſt habere honorem, poteſt habere Sacramentum, poteſt cantare Halleluya, poteſt reſpondere Amen, poteſt Euangelium tenere, poteſt in nomine Patris & Filij & Spiri-

*Nuſquã niſi in Eccleſia Catholica ſalus poteſt inueniri.*

tus ſancti fidem & habere & prædicare, ſed nuſquam, niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit inuenire. *Tom.7.Sermone ſuper geſtis cum Emerito, vltra medium.*

**Matt.16. Eccleſia omnē ſui ſponſi poteſtatē tenet & poſſidet.*

Munus beatæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur, quæ ſuper petram * etiam fundata eſt, quæ ligandi & ſoluendi claues accepit. Hæc eſt vna quæ tenet & poſſidet omnem ſui ſponſi & Domini poteſtatem, per quam coniugalem poteſtatem etiam de ancillulis filios parere poteſt: qui ſi non ſuperbiant, in ſortē hæreditatis vocabuntur: ſi autem ſuperbiant, extra remanebunt. *Tom.7.de baptiſ.contra Donatiſt.lib.4.cap.1.*

*Quare ab Eccleſia Chriſti ſeparatus nec amare nec diligere poſſit.*

Nec amare nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia Chriſti non eſt, quoniam omnis qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt qui vita æterna eſt. *Tom.9. de Symbolo, lib.3.cap.11. iuxta finem.*

*Qui in Eccleſia nō eſt Chriſtū habere caput non poteſt.*

Ad ipſam ſalutem ac vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet caput Chriſtum. Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia. Tom.7. *de vnit. Eccl. cap.16. circa medium.*

*Nō habebit Deū Patrē, qui Eccleſiam noluerit habere matrē. Idem docet Cyprianꝰ trac. de ſimplicitate Prælatorum.*

Si quis abſque (*Eccleſia*) inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. Nihílque ei valebit, quòd credidit vel fecit tanta bona, ſine fine ſummi boni. Eccleſia mater eſt ſpiritalis, Eccleſia ſponſa * Chriſti eſt, gratia eius dealbata, pretioſo ſanguine dotata. *Tom.9.de Symbolo, lib.4.cap.10.*

* *Epheſ.5.*
* *Ioan.8.*

Quærimus vnde fuerit Diabolus homicida * ab initio, & inuenimus, quòd primum hominem occiderit, non gladium ſtringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, ſed perſuadendo peccatum & à paradiſi fœlicitate deiiciendo. Quod tunc Paradiſus, hoc nunc Eccleſia. Diaboli ergo filij ſunt qui homines ab Eccleſia ſeducendo interficiunt. Sicut autem per verba Dei nouimus, vbi ſit plātatus Paradiſus, ſic per verba Chriſti, vbi ſit Eccleſia didicimus. *Per omnes*, inquit, * *gentes incipiens ab Hieruſalem.* Ab iſto vniuerſo ad partem quamlibet quiſquis ſeparat hominem, ille Diaboli filius & homicida conuincitur. *Tom.7.contra literas Petil.lib.2.cap.13.*

*Quod fuit olim Paradiſus, hoc nūc eſt Eccleſia: & quod tunc Diabolus, hoc nunc eſt, quicunque alios ab Eccleſia ſeducit. Luc.24.*



Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eū. Quiſquis autem in hac Eccleſia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnuſquiſque in ea propriū onus portabit. *Tom.2.Epiſt.152.ad populū factionis Donatianæ. Idem habes Tom.7. contra epiſt. Parme.lib.2.cap.3.*

*Damnandi ergo ſunt hæretici & ſchiſmatici vel hoc ſolo ſcelere, quòd ab Eccleſia Catholica ſe parentur.*

### X. *Non eſſe in Catholica Eccleſia hæreticos, etſi fidem de Chriſto rectam, & Sacramenta habere videantur.*

IN ſcripturis ſanctis canonicis Eccleſiam requiramus. Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei Filius, & corpus eius Eccleſia, Sponſus & Sponſa, duo in carne vna. Quicunque de ipſo capite ab Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus quicūque de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt. Verbi gratia. Qui non credunt Chriſtum in carne veniſſe de virgine Maria ex ſemine Dauid, quod apertiſſimè ſcriptura Dei loquitur, * aut non in corpore ipſo reſurrexiſſe, in quo crucifixus & ſepultus eſt, etiamſi per omnes terras inueniantur, per quas eſt Eccleſia, non vtique ſunt in Eccleſia, quia ipſum caput Eccleſiæ non tenent, quod eſt Chriſtus Ieſus. Nec in aliqua diuinarum ſcripturarum obſcuritate falluntur, ſed notiſſimis & apertiſſimis earum teſtimoniis cōtradicunt. Item quicunque credunt quidem quod Chriſtus Ieſus, ita vt dictum eſt, in carne venerit, & in eadē carne, in qua natus & paſſus eſt, reſurrexerit, & ipſe ſit Filius Dei, & Deus apud Deum, & cum Patre vnum, & vnum incommutabile verbum Patris, per quod facta ſunt omnia: * ſed tamen ab eius corpore, quod eſt

*Nō ſatis eſt de Chriſto bene ſentire, ſi ab Eccleſia ſeparatus ſis.*

* *Ioan.7.*
*Rom.1.*
* *1.Cor.8.*

Eccleſia, ita diſſentiunt, vt eorum communio non ſit cum toto quacũque diffunditur, ſed in aliqua parte ſeparata inueniatur, manifeſtum eſt eos non eſſe in Catholica Eccleſia. *Tom.7.de vnit.Eccleſiæ,cap.4.*

*Nõ ideo hæretici in Eccleſia ſunt, quia Sacramentorum eius participes ſunt.*

Nec (*hæretici*) putandi ſunt eſſe in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, quia Sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus ſancta ſunt, & eis indignè tractantibus & ſumentibus ad maius iudicium valebunt. Ipſi autem non ſunt in illa Eccleſiæ Chriſti compage, quæ in membris Chriſti per connexum & contactum, creſcit in incrementum Dei. Illa quippe Eccleſia in petra eſt, ſicut dicit Dominus: * *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Illi autem in arena ædificant, ſicut idem dicit Dominus: * *Qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam.* Sed ne putes Eccleſiam, quæ in petra eſt, in vna parte eſſe terrarum, & nõ diffundi vſque ad fines terræ, audi eius vocem de Pſalmo gemẽtis inter mala peregrinationis ſuæ. Ait enim: * A finibus terræ ad te clamaui, dum angeretur cor meum, in petra exaltaſti me. *Tom.7.contra literas Petil. lib.2.cap.108. Plura ſuperius art.4.*

** Matt.16.*
** Matth.7.*
** Pſal.60.*

### *XI. Eccleſiam rectè definire etiam ἄγραφα, nec non Scripturæ canonem ipſam conſtituere.*

*Cum id ſit, quod vniuerſæ placet Eccleſiæ, Scripturarũ retinetur veritas, quamuis ſcriptũ in eis nõ ſit.*

QVamuis huius rei (*non rebaptizandos eſſe hæreticos*) certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarũ etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarũ commendat auctoritas, vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, Quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat. Si autem dubitas quòd Eccleſiam, quæ per omnes gentes numeroſitate copioſiſſima dilatatur hæc ſancta Scriptura commendat, neque enim ſi non dubitares adhuc in parte Donati eſſes, multis & manifeſtiſſimis teſtimoniis ex eadem auctoritate prolatis onerabo. *Tom.7.cont.Creſ.lib.1.cap.33. Inde eſt quod Auguſtinus etiam ab ipſa ſcriptura ad Eccleſiæ interpretationem ſu-*

*Quiſquis falli metuit alicuius obſcuritate quæſtionis, Eccleſiã de illa cõſulat.*



*binde appellat.*

De apocryphis iſte (*aduerſarius*) poſuit teſtimonia (*contra viſibile ſacrificium*) quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Ioanniſque conſcripta ſunt. Quæ ſi illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quæ ab illorũ temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas, vſque ad noſtra & deinceps tempora perſeuerat, & immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium laudis, ex quo Deus deorum locutus, vocauit terram, à ſolis ortu vſque ad occaſum. *Tom.6. contra aduerſ.leg. & Prophet.lib.1.cap.20.*

*Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus per Epiſcoporũ ſucceſſiones certiſſimas vſque ad noſtra & deinceps tempora perſeuerat.*

Cum neceſſe ſit alterum horum librorum (*confert Acta Apoſtolorum cum aliquo libro apocrypho*) eſſe mendacem, cui nos potius cenſes fidem accommodare debere? Ei ne, quẽ illa Eccleſia ab ipſo Chriſto inchoata, & per Apoſtolos prouecta certa ſucceſſionum ſerie, vſque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conſeruatum agnoſcit atque approbat: an ei, quem eadem Eccleſia incognitum reprobat, cùm etiã proferatur ab hominibus ita veracibus, vt Chriſtũ laudẽt eſſe mentitũ? *To.6.cont. Fau.lib.28.ca.2.*

*Scripturæ ab Eccleſia approbatæ, ſunt approbandæ, ab ea verò reprobatæ, reprobandæ.*

Euangelio nõ crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. *Et poſt pauca.* Actibus Apoſtolorum neceſſe eſt me credere, ſi credo Euangelio: quoniam vtramque Scripturam ſimiliter mihi Catholica cõmẽdat auctoritas. *Tom.6.cont.Epiſt.fundamẽti. cap.5.*

### *XII. Eccleſiam non errare: neque ſuos in errorem inducere.*

*In ventre Eccleſiæ veritas eſt, à qua ſeparati, falſa loquuntur.*

IN ventre Eccleſiæ veritas manet. Quiſquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt vt falſa loquatur. Neceſſe eſt, inquam, vt falſa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excuſſit. *Tom.8. Pſal.57.*

Hæc (*Eccleſia*) eſt mater vera, pia mater & caſta, intrinſecus ſui viri dignitate ornata, non forinſecus mendacio fallente turpiter colorata. Non nos ab iſta matre nomen confictũ ſeducat alienũ, non nos Eccleſiæ ſpecies aliena decipiat. *Tom.6.concione ad Cathec.cap.20.*

Quantũ quiſque amat Eccleſiã, tantũ habet Spiri-

tum ſanctum. *Tom.9.in euang.Ioan.Tract.32.*

*Ad hæreticos ab Eccleſia Catholica transfugiẽtes, tanquã fugitiui ſerui dãnandi ſunt.*
* 1. Cor.15.

Apud Catholicam fidem dilectiſſimi noueritis tantùm eſſe veram fidem,germanam pacẽ, perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt. Si quis ab ea diſceſſerit, atque hæreticorum errori ſe tradiderit,vt fugitiuus ſeruus iudicabitur, non vt Filius adoptiuus:nec ad vitam æternam reſurget,ſed potius ad damnationem, quoniam bonis maliſque promittitur reſurrectio. *Omnes quidem reſurgemus*, ait Apoſtolus, * *ſed non omnes immutabimur.* Et quid prodeſſet fratres mei reſurgere & non immutari? *Tom.6.Concione ad Catechum.cap.20.*

*Veritatem ſola habet Eccleſia,& in lacte ſuo, & in pane ſuo.*
1. Cor.3.
*Anathematizandus quicunque Euãgelizauerit præter id quod acceptum eſt in Eccleſia.*
* Gal.1.

Noli decipi nomine veritatis (*alloquitur Catholicã Eccleſiam*) hanc ſola tu habes & in lacte tuo & in pane tuo. In hac autem (*Manichæorum Eccleſia*) tantùm nomen eius eſt,ipſa non eſt.Et in tuis quidem grandibus ſecura es.Sed appello interim paruulos tuos, fratres,filios,dominos meos, quos vel tanq̃ oua ſollicitis alis foues, vel tanq̃ infantes lacte nutris, ſine corruptione fœcunda virgo mater. Hos in te appello teneros fœtus tuos, ne garrula curioſitate ſeducantur abs te:ſed potius anathematizent, ſi quis eis * euangelizauerit,præter id quod acceperũt in te.*Tom.6.cont.Fauſt. lib.15.cap.3.*

* 1.Cor.3.
* 1. Tim.3.
*Eccleſia eſt prædeſtinata colum-*

*Fundauit terram ſuper firmamentum eius*) Terram intelligo Eccleſiam. Quæ eſt firmitas eius ſuper quã fundata eſt,niſi fundamentum eius? An incongruè intelligimus firmitatem ſuper quam fundata eſt terra,fundamentũ vbi eſt conſtituta Eccleſia? Quod eſt illud fundamentum? *fundamentum*, inquit, * *nemo poteſt ponere, præterquàm quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Ibi ergo firmati ſumus.Meritò ibi firmati, non inclinabimur in ſeculũ ſeculi, nihil enim firmius iſto fundamento: Infirmus tu eras,ſed firmum fundamentum te portat.In te firmus eſſe nõ poteras:firmus eris ſemper,ſi ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in ſeculum ſeculi.Ipſa eſt prædeſtinata * columna & firmamentum veritatis. *Tom.8.in Pſal.103. Concione.1. Vide & concione.2.ſuper eundem verſiculum. Huc pertinet quod docet Auguſtinus Eccleſiam eſſe locum penes*



*cum penes Dominum, in quo ſtatur ſupra petram, de Trinit. lib.2. cap.17. Item in quæſt.ſuper Exodum.quæſt. 154. & alibi.*

### XIII. *Eccleſiam promiſsis Chriſti ſtabilitam deficere non poſſe.*

*Promiſſa Dei de futura Eccleſia, nullorũ hominum prauitate in ipſa exiſtentiũ impediri poſſunt.*

Ticonius omnibus ſanctarum paginarum vocibus circumtuſus euigilauit,& vidit Eccleſiam Dei toto orbe diffuſam, ſicut de illo tantò antè per corda & ora Sanctorum præuiſum atq; prædictũ eſt. Quo percepto ſuſcepit aduerſus ipſos ſuos demonſtrare & aſſerere,nullius hominis quanuis ſceleratum & immane peccatum præſcribere promiſſis Dei,nec id agere quorumlibet intra Eccleſiam conſtitutorũ quamlibet impietatem,vt fides Dei de Eccleſia futura & diffundenda vſque ad terminos orbis terræ,quæ in promiſſis Patrũ retenta,& nunc exhibita eſt, euacuaretur. *Tom.7.cont. Epiſt.Parmen.lib.1.cap.1.*

*Eccleſiã periiſſe dicũt, qui in Eccleſia nõ ſunt.*
* Pſal.101.
* Ibidem.

Chriſtus vnus eſt,Eccleſia vnitas.Non reſpõdet vni, niſi vnitas.Sed exiſtunt qui dicant.Iam hoc factum eſt, reſpondit ei in omnibus gentibus Eccleſia, pariens filios plures quàm illa quæ habebat virum. Reſpondit ei in via fortitudinis ſuæ:credidit enim Chriſtum reſurrexiſſe, crediderunt in eum gentes. Sed illa Eccleſia quæ fuit omnium gentium iam non eſt,periit. Hoc dicunt qui in illa non ſunt.O impudentem vocem. Illa non eſt,quia tu in illa non es? Vide ne tu ideò non ſis, nam illa erit,etſi tu non ſis. Hanc vocẽ abominabilẽ & deteſtabilem præſumptionis & falſitatis plenã, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam,vanam,temerariam,præcipitem, pernicioſam præuidit ſpiritus Dei,& tanq̃ contra illos,cùm annunciaret vnitatem: * *In conueniendo populos in vnũ & regna vt ſeruiant Domino. Et paulò pòſt.* Quoniã quidam dicturi erãt cõtrà, fuit (*ſcilicet Eccleſia Catholica*) & non eſt. *Exiguitatem*, inquit,* *dierum meorũ annuncia mihi.* Quid eſt, quòd neſcio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid eſt quòd perditi me periſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum:annuncia mihi exiguitatem dierum meorũ,

Non à te quæro illos dies æternos, illi ſine fine ſunt, vbi ero: non ipſos quæro, temporales quæro, temporales dies mihi annuncia. Quandiu ero in iſto ſeculo, annuncia mihi, propter illos qui dicunt, fuit, & iam non eſt, propter illos qui dicunt, impletæ ſunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, ſed apoſtatauit, & periit Eccleſia de omnibus gentibus? *Reſpondetur poſt pauca.* *Ecce ego * vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſeculi.* Sed hîc exiſtunt & dicunt, *vobiſcum ſum*, inquit, *vſque in conſummationem ſeculi*, quia nos præuidebat, quia pars Donati (*pars Lutheri*) erat in terra. Nunquid ipſa eſt, quæ dixit, Exiguitatem dierum meorum annuncia mihi, ac non illa potius quæ ſuperius loquebatur: * *In conueniendo populos in vnum & regna vt ſeruiant Domino?* Vnde vobis cor dolet? Quia & imperatores contra hæreticos leges proponunt: ibi impletum eſt, & regna vt ſeruiant Domino. &c. *Tom. 8. in Pſal.* 101. *Conc. 2.*

*Hæreticorũ vox eſt, apoſtataſſe & periiſſe Eccleſiam.*

**Matt. 28.*

** Pſal. 101.*

*Imperatores contra hæreticos leges proponunt.*

Ipſa eſt, quæ aliquando obſcuratur & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum, quando peccatores (*hæretici*) intendunt arcum, vt * ſagittent in obſcuro rectos corde. Sed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet. *Tom. 2. Epiſt. 48. ad Vincentium, poſt medium.*

*Non perit Eccleſia, quamuis aliquãdo ſcandalis obſcuretur.*

** Pſal. 10.*

Non inſultent hæretici per partes conciſi, non ſe extollant qui dicunt: * Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic. Qui dicit, ecce hîc eſt, ecce illic, ad partes inducit. Vnitatem promiſit Deus, reges in vnum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſſipati ſunt. Sed fortè iſta ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Abſit. Deus * fundauit eam in æternum. Si ergo eam Deus fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum? *Tom. 8. Pſal. 47. Vide Tom. 9. de Symbolo, lib. 1. cap. 5.*

*Hæretici per partes conciſi.*

** Matt. 24*

** Pſal. 47*

*Firmamentum Eccleſiæ nõ eſt caſurum.*

*Auguſtinus contra Donatiſtas paſſim pro re abſurdiſſima infert, Eccleſiam ante Donati tempora defeciſſe, ſi tantùm boni Sacramenta conferendi haberent poteſtatem.*

DICVNT (*Donatiſtæ*) de apoſtaſia orbis terra-

*Interpreta-*



*tur illud Chriſti, Filius hominis veniens putas inueniet fidem? Luc. 18.*

rum dictum eſſe, quod ait Dominus: * *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Quod nos intelligimus dictum, vel propter ipſam fidei perfectionẽ, quæ ita difficilis eſt in hominibus, vt in ipſis quoque admirabilibus ſanctis, ſicut in ipſo Moſe, inueniatur aliquid vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint, vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, de qua ſatis diximus. Propterea enim tanq̃ dubitans hoc Dominus dixit. Neque enim ait: Veniens Filius hominis non inueniet fidem in terra: ſed putas inueniet fidem in terra? *Tom. 7. de vnit. Eccl. cap. 13. lege quæ ſequuntur.*

## XIIII. *Eccleſiæ ſpirituales claues datas eſſe.*

CLaues regni cœlorum ſic dedit Chriſtus Eccleſiæ, vt non ſolùm diceret: * *Quæ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, vbi apertiſſimè bonum, non malum pro malo reddit Eccleſia: verùm & adiungeret: *Quæ ligaueritis in terra erunt ligata & in cælo, quia bona eſt & vindicandi iuſtitia.* Illud enim quod ait: * *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, grauius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur. Nam ibi quoque ſubiunxit, * *Amen dico vobis, quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*: vt intelligeretur, quanto grauius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus. *Et poſt pauca.* Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo, alligatur homo amarius & infœlicius Eccleſiæ clauibus, quàm quibuſlibet grauiſſimis & duriſſimis ferreis vel adamantinis nexibus. *Tom. 6. cont. aduerſ. leg. & Prophet. lib. 1. cap. 17.*

** Matt. 18.*

*Poteſtas vindicandi à Chriſto Eccleſiæ tributa.*

** Matt. 18.*

*Excõmunicatio quàm ſit exhorreſcenda.*

** Matt. 18.*

*Excommunicationis vinculum quã graue.*

HAS IGITVR claues dedit Eccleſiæ ſuæ, vt quæ ſolueret in terra, * ſoluta eſſent in cælo, quæ ligaret in terra, ligata eſſent & in cælo: ſcilicet vt quiſquis in

** Matt. 18.*

*Penes Eccleſiā poteſtas dimittendi peccata.*

Eccleſia eius dimitti ſibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quiſquis autem crederet, ſeque ab his correctus auerteret, in eiuſdem Eccleſiæ gremio conſtitutus, eadē fide atque correctione ſanaretur. Quiſquis enim non credit dimitti ſibi poſſe peccata, fit deterior deſperando, quaſi nihil illi melius, quàm malum eſſe remaneat, vbi de fructu ſuæ cōuerſionis infidus eſt. *Tom.3.de doct.Chriſt.lib.1.cap.18.*

*In Petro petra intelligenda.*

Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei, omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claues regni cælorum, ipſi eas de manibus amiſerunt. &c. *Tom.3.de agone Chriſtiano, cap.31.*

*Eccleſia habet claues vitæ & inferorum.*
** Ioan.20.*

Eccleſia ſicut habet claues vitæ, ita & inferorum, ipſi enim dictum eſt: * Cuicunque dimiſeritis peccata, dimittuntur, & cui retinueritis retenta ſunt. *Tom.9. in Apocalypſ. homilia 2.*

*Matt.18.*
*Fruſtrat Euangeliū Dei & verba Chriſti quiſ ne c'a uibus Eccleſiæ remiſſionē peccatorū ſibi promittit.*

Agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia, vt oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: * Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? promittimus nobis quod ille negat? *Tom.10.lib.50. Homil. homil.49.*

Patientia Dei ad pœnitentiam (*peccatorem*) adducit. Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas Eccleſiæ claues, quibus ſoluatur in terra, vt ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitā, quia tantū Chriſtianus dicitur, ſalutē aliquā polliceri? *Ibidem homil.50.*

### *XV. Eccleſiæ ſuum conſtare ius, vt hæreticos auxilio brachij ſecularis, redire cogat ad fidem.*

** 1.Tim.3.*

NEminem exiſtimas cogendum eſſe ad bonum: Attende quid Apoſtolus dixerit: * Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus concupiſcit: & tamen tam multi vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni: quanto magis vos ab errore



*Hæretici ad veritatē cognoſcendam trahendi ne peſſimè pereant.*

pernicioſo, in quo vobis inimici eſtis, trahendi eſtis, & perducendi ad veritatē, vel cognoſcendā, vel eligendā, non ſolùm vt honorem ſalubriter habeatis, ſed etiam ne peſſimè pereatis? Dicis Deum dediſſe liberum arbitrium: ideo non debere cogi hominē, nec ad bonum. Quare ergo illi, de quibus ſupra dixi, coguntur ad bonum? Attēde ergo quod conſiderare non vis. Ideo voluntas bona miſericorditer impenditur, vt mala volūtas hominis dirigatur. Nam quis neſciat, nec damnari hominē niſi merito malæ voluntatis, nec liberari niſi bonā habuerit volūtatē? Nō tamen ideo, qui diligūtur, malæ ſuæ voluntati impunè & crudeliter permittendi ſunt, ſed vbi poteſtas datur, & à malo prohibendi & ad bonū cogēdi. Nā ſi volūtas mala ſemper ſuæ permittēda eſt libertati, quare Iſraëlitæ recuſantes & murmurātes tā duris flagellis à malo prohibebātur, & ad terrā promiſſionis cōpellebātur? Si voluntas mala ſuæ permittēda eſt libertati, quare Paulus non eſt permiſſus vti peſſima volūtate, qua perſequebatur Eccleſiā, ſed proſtrat⁹ eſt vt excæcaretur, & excæcatus eſt, vt mutaretur, mutatus vt mitteretur, miſſus vt qualia fecerat in errore talia pro veritate pateretur? Si volūtas mala ſemper ſuæ permittenda eſt voluntati, quare monetur pater in ſcripturis ſanctis filiū durū nō ſolùm verbis corripere, * ſed etiā latera eius tundere, vt ad bonā diſciplinā coactus & domitus dirigatur? Vnde itē dicit: * *Tu quidem percutis eum virga, animam autem eius liberas à morte.* Si mala volūtas ſemper ſuæ permittēda eſt libertati, quare corripiuntur negligentes paſtores, & dicitur eis: Errantem ouem non reuocaſtis, perditam nō requiſiſtis? *Tom.2.epiſt.204.ad Donatum.*

*Mala volūtas nō ſemper ſuæ permittenda libertati, ſed ad bonū etiā cogenda.*
*Act.9.*

** Eccl.30.*
** Prouer.23*

*Eccleſia hæreticos ad fidem cogendo, Chriſtū Dominum imitatur.*

Imitatur itaque Eccleſia in iſtis cogendis Dominū ſuum, quæ prius vt neminem cogeret expectauit, vt de fide regum atque gētium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc enim non abſurdè intelligitur illa Apoſtolica ſententia, vbi Paulus beatus dicit: * *Paratì vlciſci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia veſtra.* Vnde & ipſe Dominus ad magnam cœnam ſuam prius adduci iubet * conuiuas, poſtea cogi. Nam cùm ei ſerui ſui reſpondiſſent: *Do-*

** 2.Cor.10.*
** Luc.14.*

*mine factum eſt quod iuſsiſti, & adhuc eſt locus:* *Exite*, inquit, *in vias & ſepes, & quoſcunque inueneritis cogite intrare*. Illis ergo qui leniter primò adducti ſunt, completa eſt prior obedientia. In iſtis autem qui coguntur, inobedientia coërcetur. Nam quid eſt, *cogite intrare*, cùm primò dictum eſſet, *Adducite*: & reſponſum eſſet, *factum eſt quod iuſsiſti, & adhuc eſt locus?* Si miraculorum terroribus cogendos voluiſſet intelligi, magis ad eos qui prius vocati ſunt, diuina miracula multa facta ſunt, maximè ad eos de quibus dictum eſt:* *Iudæi ſigna petunt*. In ipſis quoque gẽtilibus, temporibus Apoſtolorum, miracula Euangeliũ commendauerunt, vt ſi talibus cogi iuberẽtur, priores, vt dixi, potius conuiuæ coacti eſſe, meritò crederẽtur.

* *1. Cor. 1.*

*Poteſtatem cogendi ad fidem hæreticos, diuino munere accepit Eccleſia.*

Quapropter ſi poteſtate, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Eccleſia, hi qui inueniuntur in viis & ſepibus, id eſt, in hæreſibus & ſchiſmatibus coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, ſed quo cogantur attendant. *Tom. 2. Epiſt. 50. ad Bonifacium circa medium.*

* *Luc. 18.*

*Quod obiiciũt quidã, neminẽ eſſe cogẽdum ad credẽdũ vel non credendũ, quomodo ſoluat Auguſtinus.*

Vbi eſt quod iſti clamare cõſueuerunt, liberũ eſt credere vel non credere? Cui vim Chriſtus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apoſtolum:* agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, poſtea docentẽ, prius ferientem & poſtea conſolantem. Mirum eſt autẽ, quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus * qui ſolo verbo vocati ſunt in Euangelio laborauit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta * caritas foras miſit timorem. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos Filios vt redirent, ſi perditi filii coëgerunt alios vt perirent? Quanuis etiam illos quos non coëgerunt, ſed tantummodò ſeduxerunt, ſi per terribiles, ſed ſalubres leges in eius gremio reuocentur, blandiùs pia mater amplectitur, & de illis multò ampliùs quàm de his quos nunquam perdiderat, gratulatur. An non pertinet ad diligentiam paſtoralem etiam illas oues quæ nõ violẽter ereptæ, ſed blandè, leniterque ſeductæ à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint

* *Act. 9.*
* *1. Cor. 15.*
* *1. Ioan. 4.*

*Ad diligentiã paſtoralẽ pertinet, ſeductas oues, aliquã*



poſſideri, inuentas ad ouile dominicum, ſi reſiſtere voluerint, flagellorum terroribus vel etiam doloribus reuocare? *Tom. 2. ad Bonifacium comitem, Epiſt. 50.*

*do flagellorũ terroribus, ad ouile dominicũ reuocare*

Neque enim dilectionis viſcera maiora geſtamus quàm beatus Apoſtolus, qui dicit: * *Corripite inquietos*, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Vbi intelligendum eſt tunc potius malum pro malo reddi, ſi corripiendus non corripiatur, ſed praua diſſimulatione negligatur. Dicit enim:* *peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant*. Quod de his peccatis accipiendum eſt, quæ non latent, ne contra Domini ſententiam putetur locutus. Ille enim dicit: * *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum.* Veruntamen & ipſe ſeueritatem correptionis eouſque perducit, vt dicat, * Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. *Tom. 7. de corrept. & gratia, cap. 16.*

* *1. Theſ. 5.*

*Publica peccata, publicè corripienda.*

* *1. Tim. 5.*
* *Matth. 18.*
* *Ibidem.*

## *XVI. Penes Eccleſiam ſpiritualem poteſtatem excommunicandi eſſe.*

Eccleſia eſt vſque in finem ſeculi bonos & malos ſimul habitura, ita vt nec mali bonis obeſſe poſſint, cum vel ignorantur, vel pro pace & tranquillitate Eccleſiæ tolerantur, ſi eos prodi aut accuſari non oportuerit, aut aliis bonis non potuerit demonſtrari: ita ſanè vt nec emendationis vigilantia quieſcat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæteriſque coërcitionibus licitis atque conceſſis, quæ ſalua vnitatis pace in Eccleſia quotidie fiunt, ſecundum præceptum Apoſtolicum, caritate ſeruata, qui dixit:* Si quis autem non obaudit verbo noſtro, per Epiſtolam hũc notate, & nolite commiſceri cum eo, vt erubeſcat, & non vt inimicum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem. Sic enim & diſciplina ſeruat patientiam, & patientia temperat diſciplinã & vtrumque refertur ad caritatem, ne fortè aut indiſciplinata patientia foueat iniquitatem, aut impatiens diſciplina diſſipet vnitatem. *Tom. 7. contra Donat. poſt collat. cap. 4. Similia leguntur cap. 20. eiuſdem libri.*

*Degradationes, excõmunicatiões etc. ſecũdum præceptum Apoſtolicũ in Eccleſia, ſalua caritate fiũt.*

* *2. Theſſ. 3.*

Morietur* *fur ille*, id eſt, homo qui furatus eſt hominẽ,

* *Exod. 21.*

& auferetis malignum ex vobis ipſis. Aſſiduè hoc dicit Scriptura, cum iubet occidi malos. Qua locutione vſus eſt etiam Apoſtolus cùm diceret: * *Quid enim mihi de his qui foris ſunt iudicare? Nónne de his qui intus ſunt vos iudicatis? Auferte malum ex vobis ipſis.* Nam Græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hîc ſcriptum eſt. Hoc autem potius malignum ſolet interpretari, quàm malum. Nec ait, τὸ πονηρὸν, id eſt, hoc malignũ, ſed τὸν πονηρὸν, quod eſt hunc malignum. Ex quo apparet eum voluiſſe intelligi, qui aliquid tale commiſit, vt excommunicatione ſit dignus. Hoc enim nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. *Tom. 4. Quæſt. ſuper Deuteron. lib. 5. cap. 39.*

** 1. Cor. 5.*

*Hoc nunc agit excõmunicatio, quod in veteri lege interfectio.*

Legimus quoſdam * contemptores Dei cum ſuis omnibus, qui eiuſdem impietatis participes non fuerũt, pariter interfectos: tunc quidem ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque vtique moritura. Spiritalis autem pœna, qua fit quod ſcriptum eſt: * *Quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cælo:* animas obligat, de quibus dictum eſt: * *Anima patris mea eſt, & anima filij mea eſt. Anima quæ peccauerit ipſa morietur. Tom. 2. Epiſt 75. ad Auxilium.*

** Nũ. 16. 5. 48. 1. Ti. 1. Ioſue. 7.*

*Spiritalis pœna, quã inflixit Eccleſia, ãias obligat.*

** Matt. 18.*

** Ezech. 18.*

Phinees ſacerdos adulteros * ſimul inuentos ferro vltore confixit. Quod vtique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt, eſſe faciẽdum in hoc tempore. *Tom. 4. de Fide & operib. cap. 2.*

** Num. 25.*

*Factũ Phinees degradationes & excõmunicationes in Eccleſ. ſignificauit.*

Cùm excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excõmunicatus: cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſoluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit. *Tom. 9 in Euang. Ioan. Tract. 50.*

*Eccleſiæ ſentẽtia in excõmunicandis & recõciliãdis hominibus, habetur in cœlo rata.*

Omnis Chriſtianus qui excõmunicatur, Satanæ traditur: quomodo? ſcilicet quia extra Eccleſiam eſt Diabolus, ſicut in Eccleſia Chriſtus. Ac per hoc quaſi Diabolo traditur, qui ab Eccleſiæ communione remouetur. Vnde illos, quos Apoſtolus * Satanæ eſſe traditos prædicat, eſſe excommunicatos demonſtrat. *Habetur 11. quæſt. 3. cap. Omnis Chriſtianus: ex Aug. ſerm. de verbis Apoſto. 14.*

*Excõmunicatus quomodo Satanæ tradatur.*

** 1. Cor. 5. 1. Tim. 2.*



### XVII. *Hæreſes velut ſarmenta inutilia, ab Eccleſia reſcindi.*

Credimus Eccleſiam Catholicam: Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans: pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierũt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa, ipſa autem manet in radice ſua, portæ * inferorum non vincent eam. *Tom. 9. de Symb. lib. 1. cap. 5.*

*Eccleſia expugnari non poteſt.*

** Matt. 16.*

*Portæ inferorum non vincẽt Eccleſiã.*

Videtis certè multos præciſos à radice Chriſtianæ ſocietatis (Quæ per ſedes Apoſtolorum, & ſucceſſiones Epiſcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur) de ſola figura originis, ſub Chriſtiano nomine, quaſi areſcentia ſarmenta gloriari, quas hæreſes & ſchiſmata nominamus. *Tom. 2. Epiſt. 42. ad Maudrenſes. Eadem fere habes Tom. 7. contra Creſcon. lib. 4. cap. 60. Et Tom. 9. in Epiſtolam Ioan. Tract. 2. Item Tom. 4. de catechizandis rudibus, cap. 24.*

*Hæreſes & ſchiſmata ſunt areſcẽtia ſarmẽta, vtpote à radice præciſa.*

## DE SCRIPTVRIS SACRIS.

## CAP. VII.

### I. *Scripturæ Canonem Eccleſiæ Catholicæ auctoritate conſtitutum eſſe atque confirmatum.*

Noſtrorum librorum auctoritas, tot gentium conſenſione per ſucceſſiones Apoſtolorum, Epiſcoporum, Conciliorúmque roborata, vobis (ô *Manichæi*) aduerſa eſt. *Tom. 6. contra Fauſtum, lib. 13. cap. 5.*

*Frequentiſsimè vrget Auguſtinus hæreticos, ſucceſsione Epiſcoporum, & Eccleſiarum Catholicarum conſenſione, neutrum horum apud hæreticos reperiri perſpicuum eſt. Lege & cap. de Petro, Art. 4.*

Si ſcripturis credendum eſt, cur non his potius credã, quæ robuſtiſſima auctoritate firmatæ ſunt, quæ cum ipſo Euangelio, * vbi promiſſum Spiritum ſanctũ pariter credimus, innoteſcere populis, & cõmendari poſteris, prædicaríque meruerũt? Hos ergo actus Apoſto-

*Sacræ ſcripturæ robuſtiſsima auctoritate firmatæ.*

** Ioan. 14.*

*Canonicæ ſcripturæ ſūt quas recipit & tenet Eccleſ. Catho.*

lorum Euangelio pari auctoritate coniunctos, lego. *Tom.6.contra Epiſtolam fundamenti,cap.9.*

Ipſæ(*Eccleſiaſticæ,Canonicæ,Catholicæ literæ*) ſunt,quas recipit & tenet Eccleſia toto orbe diffuſa, quæ per illas eſt etiam prophetata, & quemadmodum promiſſa, ſic reddita. *Tom.6.contra Fauſtum Manichæū,lib.23.ca.9.*

*Scripturæ ſacræ præ reliquis omnibus fidem merentur.*

Infœlices inimici animæ veſtræ, quæ vnquam literæ vllum habebunt pondus auctoritatis, ſi Euangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit cuius ſit, ſi literæ quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia,ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gẽtes tanta eminentia declarata, vtrum Apoſtolorū ſint incertum eſt? & hoc erit certū, ſcripſiſſe Apoſtolos, quos huic Eccleſiæ contrarij hæretici proferunt, auctorum ſuorum nominibus appellati longè poſt Apoſtolos exiſtentium? *Et paulò pòſt*: Ecce iſtas literas,quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ huius noſtræ, vel illas cuiuſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas,vnde conuincitur, niſi quia illi qui nunc iſta nouerunt, notitiā ſuam ad longè etiam pòſt futuros continuatis poſterorū ſucceſſionibus traiiciunt? Quæ cùm ita ſint,quis tandem tāto furore cæcatur,niſi dæmoniorum mendaciloquorū malitia atque fallacia conſentiendo ſubuerſus ſit, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorū Eccleſiam,tam fidam, tā numeroſam fratrum concordiam, vt eorum ſcripta fideliter ad poſteros traiicerent,cùm eorū cathedras vſque ad præſentes Epiſcopos certiſſima ſucceſſione ſeruaret, cū hoc qualiumcunque hominū ſcriptis, ſiue extra Eccleſiā,ſiue in ipſa Eccleſia tāta fœlicitate proueniat? *Ibidem,lib.33.c.6.*

*Libri apocryphi ab Eccleſia nō recepti.*

Cæteri autem(*præter quatuor Euangeliſtas*) homines, qui de Domini vel de Apoſtolorū actibus aliqua ſcribere conati vel auſi ſunt, non tales vel ſuis temporibus extiterūt,vt eis fidem haberet Eccleſia,atque in auctoritatem Canonicam ſanctorum librorum eorū ſcripta reciperet. Nec ſolùm quia illi non tales erant, quibus narrātibus credi oporteret, ſed etiam quia ſcriptis ſuis quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque Apoſtolica regula fidei & ſana doctrina condemnat. *Tom.4.de conſenſu Euang.lib.1.cap.1.*



*Quatuor Euāgelia & reliquos libros Canonicos, eſſe ſcripturas diuinas tantùm ex traditione diſcimus.*

Quid hoc ſacrilegio magis impium (*quàm dicere ſcripturæ libros eſſe corruptos*) reperiri poteſt? Quid iſta voce impudentius? Quid audacius? Quid ſceleratius? Simulachrorum cultores,qui Chriſti etiam nomen oderunt, nunquam hoc aduerſus ſcripturas illas auſi ſunt dicere. Conſequetur nāq; omnium literarū ſumma peruerſio, & omnium qui memoriæ mādati ſunt librorū abolitio, ſi quod tanta populorum religione roboratum eſt,tāta hominum & temporū conſenſione firmatum, in hanc dubitationem adducitur,vt ne hiſtoriæ quidem vulgaris fidem poſſit grauitatemq; obtinere.Poſtremò,quid de ſcripturis vllis proferre poteris,vbi mihi vti hac voce non liceat, ſi contra meā ratiocinationem intentionémque proferatur? Illud verò quis ferre poſſit, quod nos notiſſimis ac iam in manibus omniū libris conſtitutis credere vetant,& iis quæ ipſi proferunt, imperant vt credamus? Si de ſcriptura dubitādum eſt,de qua magis quàm quæ diffamari non meruit, quæ verè potuit ſub nomine alio tota mentiri? At ſi iſtam obdis inuito, & auctoritatis exaggeratione cogis in fidem: egóne de illa quā conſtanter latiſſimè diuulgatam video, & Eccleſiarum per totum orbem diſperſarū conteſtatione firmatam, dubitabo miſer: & quod eſt miſerius, te auctore dubitabo,cùm ſi exemplaria proferres, altera tenere non deberem, niſi ea quæ plurium conſenſione cōmendarentur? Nunc verò nihil te proferente quod conferas: præter inaniſſimā vocem temeritatiſque pleniſſimā, putabis vſqueadeò genus humanum eſſe peruerſum,& diuinæ prouidentiæ ope deſertū, vt illis ſcripturis,non à te prolatas alias quibus redarguantur, ſed tua tantùm verba præponat? *Tom.1.de morib.Eccl. Cath. lib.1.cap.29.Plura ſuper hac quæſtione cap.ſequent.art.3.*

*De ſcripturis quæ omniū Eccleſiarū conteſtatione firmantur,nequaquā dubitandum.*

## *II. Scripturæ nomine non tantùm noui,verumetiam veteris Teſtamenti libros pari auctoritate contineri.*

Fauſtus dixit: ſi accipis Euangelium, credere omnia debes, quæ in eodem ſcripta ſunt. Quid enim tu, quia vetus accipis Teſtamentum,idcircó ne credis omnia paſsim quæ in eodem ſcripta ſunt? Nempe ſolas indidem excerpens prophetias, quæ regem Iudæis

venturum ſignificabant, quia ipſum putatis eſſe Ieſum: & pauca quædam diſciplinæ ciuilis præcepta communia, vt eſt: Non occides, Non mœchaberis, cætera prætermittitis, & arbitramini eſſe, non minus atque eadem Paulus putauit, ſtercora. Quid ergo peregrinū hoc, aut quid mirum eſt, ſi & ego de Teſtamento nouo puriſſima quæque legens, & meæ ſaluti conuenientia, ea prætermitto, quæ à veſtris maioribus inducta fallaciter, & maieſtatem ipſius & gratiam decolorant? *Et infra.* Auguſtinus reſpondit, Nos veteris Teſtamenti ſcripturas omnes, vt dignum eſt, veras diuináſque laudamus: vos ſcripturas noui Teſtamēti tanquam falſatas corruptáſque pulſatis. Nos ea quæ nunc de libris Teſtamenti veteris non obſeruamus, congruenter tamen illo tempore atque illi populo fuiſſe præcepta, nobíſque in eis ipſis quæ non obſeruamus, ſignificata intelligamus & ſpiritaliter teneamus, non ſolum dicimus ſed in Apoſtolicis quoque literis oſtendimus & docemus. Vos autem omnia quæ in libris noui teſtamenti non accipitis, omnino reprehenditis: nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis eius dicta vel conſcripta aſſeueratis. Videtis ergo quantum inter nos & vos, quòd ad hanc rem attinet, diſtet. Cùm itaque à vobis quæritur, quare non omnia in libris noui Teſtamenti accipitis, ſed & in eis libris, in quibus approbatis aliqua, multa reſpuitis, reprehenditis, accuſatis, à corruptoribus inſerta eſſe contenditis: nolite in exemplum aſſumere diſtinctionē fidei vel obſeruationis noſtræ, ſed rationem reddite præſumptionis veſtræ. *Tom. 6. lib. 32. contra Fauſt. Manich. cap. 1. & 8.*

*Manichæi ſcripturas noui Teſtamēti non integrè recipiebant.*

*Vetus Teſtamentum etſi hoc tempore non planè obſeruet Eccleſia: probat tamē quæ in eo ſcripta ſunt.*

Et ipſe Dominus librorum veterum vtilitatem breuiter demonſtrauit & definiuit, dicens: * oportuiſſe impleri quæ de illo ſcripta eſſent in Lege & Prophetis & Pſalmis, & hæc ipſa eſſe, quod oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolymis. Et Petrus dicit, quod paulò antè commemoraui: * Huic omnes Prophetas teſtimonium perhibere, remiſſionem peccatorum accipere per manum eius omnem credentem in eū. *Tom. 7. lib. 1. de peccatorū meritis et remiſ. cap. 27.*

* *Luc. 24.*

*Libri Legis et Prophetarum à Chriſto cōprobati.*

* *Act. 10.*



Nō eſtis eruditi in regno cœlorum: id eſt, in Eccleſia Chriſti vera Catholica. Quòd ſi eſſetis, de diuitiis ſanctarum ſcripturarum, non ſolùm noua, ſed etiam vetera proferretis. Ipſe quippe Dominus dicit: * *Propterea omnis ſcriba eruditus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, proferenti de theſauro ſuo noua & vetera.* Et ideò dū ſola promiſſa Dei noua tenere vos arbitramini, remanſiſtis in vetuſtate, carnis, & nouitatem induxiſtis erroris. *Tom. 7. lib. 4. contra Fauſt. Manich. cap. 2.*

* *Mat. 13.*

Sed vos temeritate pleni adhuc irruite in veteres libros, vt quæ neſcitis, potius accuſare quàm diſcere laboretis. Conſiderate quæ ibi miracula ſint: Si miraculis noui Teſtamenti delectamini, ibi mortui primò ſuſcitati: ibi leproſi primò mundati, & alia multa quæ diligenter & piè quærentibus ad ædificandam fidem innoteſcunt. Si autem bonis præceptis delectamini: ibi primitus ſcripta ſunt illa duo * præcepta, quæ ſublimiter Dominus laudat, de diligendo Deo & proximo: ibi dimittenda * domus, parentes, filij & cætera propter Dominum: ibi * non reddendum malum pro malo: ibi * orandum pro inimicis: ibi * inimico ignoſcendum: ibi tradenda maxilla ad accipiendam alapam. Et quæcunque in nouo Teſtamento præcepta ſunt non ſolùm ibi mandata, ſed etiam à ſanctis viris omni vigilantia completa. Nunquid & hoc poterit dicere malitia veſtra, quæcūque bona & magnifica ibi ſcripta ſunt, falſa eſſe & appoſita, illa verò quæ nō intelligētes putatis mala, ea tantummodo vera eſſe? Debetis enim aduertere aliquos ſimiliter impios ita de nouo Teſtamento facere poſſe, vt quæcunque ibi ſunt, quæ non intelligentes putauerunt mala, ea reprehendant, & dicant ipſa ibi eſſe ſola vera: illa autē omnia quæ ibi magnifica ſunt, dicāt eſſe falſa, atque ab amatoribus Domini appoſita, ne omnia iudicarentur fugienda: vt & vos & illi tali cæcitate percuſſi, iam iudicati & damnati fugiamini. Tandem vigilate & blaſphemiis conquieſcite, atque omnium ſanctarum canonicarum ſcripturarum, ſi Chriſtiani eſſe cogitatis, auctoritatem recipite, & quæ non intelligitis, accuſare nolite, ſed potius eorum intellectum deſiderate. *Tom. 6. de fide cont. Manich. cap. 38. & 39.*

*Encomia veteris Teſtamenti, cuius ſcripturas Manichæi accuſabant et reſpuebant.*

* *Leuit. 19.*
*Marc. 12.*
*Matt. 22.*
* *Marc. 10.*
* *Rom. 12.*
* *Luc. 6.*
* *Matth. 6.*
* *Matth. 5.*

*Præcepta noua leges, etiā tempore veteris Teſtamenti à ſanctis viris completa.*

### *III. Quis librorum Canonicorum Catalogus.*

*Concil.Tridentini Seſſ. 4.decret.de ſcripturis canonicis.*

Totus Canon ſcripturarum his libris continetur: Quinq; Moyſeos,id eſt Geneſi,Exodo,Leuitic. Numeris, Deuteronomio,& vno libro Ieſu Naue,vno Iudicum,vno libello qui appellatur Ruth , qui magis ad regnorum principia videtur pertinere. Deinde quatuor regnorū duobus Paralipomenon , non cōſequentibus, ſed quaſi à latere adiunctis ſimulq; pergētibus. Hæc eſt hiſtoria quæ ſibimet annexa tēpora cōtinet,atque ordinē rerū.Sūt aliæ tāquā ex diuerſo ordine,quæ neq; huic ordini , neque inter ſe cōnectūtur,ſicut eſt Iob,&Thobias, & Heſter,& Iudith , & Machabæorum libri duo, & Eſdræ duo , qui magis ſubſequi videntur ordinatam illam Hiſtoriam , vſque ad regnorum vel Paralipomenon terminatam:deinde prophetiæ,in quibus Dauid vnus liber Pſalmorum,& Salomonis tres, Prouerbiorū, Cantica Canticorum,& Eccleſiaſtes.Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur , de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Ieſus filius Syrach eos ſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur.Qui tamen quoniam in authoritatem recipi meruerūt,inter prpheticos numerandi ſunt.Reliqui ſunt eorum libri , qui propriè prophetæ appellati ſunt, duodecim Prophetarum libri ſinguli:qui connexi ſibimet,quoniam nunquam ſeiuncti ſunt, pro vno habentur. Quorum prophetarum nomina ſunt hæc , Oſeas, Ioël, Amos,Abdias,Ionas,Michæas,Nahum,Abacuck, Sophonias,Aggæus,Zacharias,Malachias. Deinde quatuor prophetæ ſunt maiorum voluminū,Eſaias,Hieremias, Daniel , Ezechiel . His quadraginta quatuor libris,veteris Teſtamenti terminatur auctoritas.Noui autem, quatuor libris Euangelij , ſecundum Matthæum, ſecundùm Marcum,ſecundùm Lucam,ſecundùm Ioannem:quatuordecim Epiſtolis Pauli Apoſtoli,ad Romanos,ad Corinthios duabus,ad Galatas,ad Epheſios , ad Philippenſes,ad Theſſalonicēſes duabus,ad Colloſſenſes, ad Thimotheum duabus , ad Titum , ad Philemonem,ad Hebræos.Petri duabus,tribus Ioannis,vna Iudæ,& vna Iacobi , actibus Apoſtolorum libro vno , &

*Libri duo Machabæorū Canonici.*

*Epiſtola ad Hebræos Canonica eſt & Paulina. Epiſtola Iacobi vna, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ in catalogo ſacrorū librorum reponuntur.*



Apocalypſis Ioannis libro vno. *Tom.3. de doctrina Chriſtiana,lib.2.cap.8.*

*Quod hîc dixit Auguſtinus,auctorem lib.Sapientiæ et Eccleſiaſtici eſſe Ieſum filium Syrach,id lib.2. Retract. cap.4.minus conſtare ait. Et quando hîc dixit:quadraginta & quatuor libris terminari veteris Teſtamenti auctoritatem, ibi docet latiùs ſe accepiſſe vetus Teſtamentum,ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem,quàm Paulus acceperit ad Gal.4. Atque hoc poſterior ſententia , quàm ſenior disertè confirmauit,fidem omnibus facere debet,libros omnes hîc nominatos , Auguſtino Canonicos eſſe, neque illum de horum auctoritate , ſed tantum de auctore librorum Sapientiæ & Eccleſiaſtici dubitaſſe.*

Placuit, vt præter ſcripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur , ſub nomine diuinarum ſcripturarum. Sunt autem Canonicæ ſcripturæ, id eſt, Geneſis , Exodus,Leuiticus , Numeri, Deuteronomium, Ieſu Naue, Iudicum,Ruth,Regum libri quatuor , Paralipomenon libri duo,Iob vnus,Pſalterium Dauidicum, Salomonis libri quinque , libri duodecim Prophetarum , Eſaias, Hieremias,Ezechiel,Daniel,Tobias,Iudith, Heſter,Eſdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Noui autem Teſtamenti viginti ſeptem , Euangeliorum libri quatuor,Actuum Apoſtolorum liber vnus , Pauli Apoſtoli epiſtolæ tredecim,eiuſdem ad Hebræos vna, Petri Apoſtoli vna,& Iacobi vna,Apocalypſis Ioannis liber vnus, qui ſunt viginti ſeptem. *Tom.1.Conciliorum.Carthaginenſi concil.3.can.47. Additum erat in antiquo exemplari:de confirmando iſto Canone trāſmarina Eccleſia conſulatur. Huic interfuit Auguſtinus , & cum aliis 43.ſubſcripſit.*

*Duo libri Machabæorum Canonici. Epiſtola ad Hebræos Canonica & Paulina.*

*Septem Epiſtolæ Catholicæ, ſunt etiā Canonicæ.*

*In his duobus tam illuſtribus teſtimoniis , vnum vnius Prophetæ Baruch nomen videmus prætermiſſum. Verùm hunc ſub nomine Hieremiæ, & à Concilio Carthag. & ab Auguſtino noſtro comprehenſum intelligi debere, indicat Auguſti.locus lib.17.de ciuit. Dei.cap.33.vbi cùm ſub nomine Hieremiæ prophetiā illam:poſt hæc in terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt,quæ habetur Baruch tertio capite,citaſſet*· Hoc teſtimoniū, *inquit,* quidā nō Hierem.ſed ſcribæ ei⁹ attribuūt,q̃ voca-

batur Baruch: ſed Hieremiæ celebratius habetur? *Vnde & in quæſt.no. & vet.teſtamenti.q.102.ſimiliter allegat Prophetiam Baruch ſub nomine Hieremiæ quod idē et in aliis antiquiſsimis patribus cùm Græcis tum Latinis fieri ſolere, ab aliis ante nos fuit animaduerſum.*

### *IIII. Scripturæ ſacræ quanta ſit auctoritas.*

*Scriptores Canonicorũ librorum nulla in re credendi ſunt erraſſe.*

SOlis eis ſcripturarũ libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorē honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſsimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictũ eſt, vel me minimè intellexiſſe, nō ambigam. *Tom.2.Epiſt.19.Hieronymo in initio.*

*Scriptura ſacra omnes omnium gentiũ literas diuina auctoritate excellit.*

Ciuitatem Dei dicimus, cuius ea ſcriptura teſtis eſt, quæ non fortuitis motibus animorum, ſed planè ſummæ diſpoſitione prouidentiæ, ſuper omnes omnium gentium literas, omnia ſibi genera ingeniorum humanorum, diuina excellens auctoritate ſubiecit. *Tom. 5. de ciuitate Dei, lib.11.cap.1.*

Diſtincta eſt à poſteriorum libris, excellentia Canonicæ auctoritatis veteris & noui Teſtamenti, quæ Apoſtolorum confirmata temporibus, per ſucceſsiones Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadā ſublimiter conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis & pius intellectus. *Tom. 6.contra Fauſtum, lib. 11.cap.5.*

*Scripturæ ſacræ ſeruire debet omnis fidelis & pius intellectus: ſed non interpretationi Scripturæ, quam adfert quilibet, niſi fuerit illa Eccleſiæ traditioni conſentanea, per quam & ipſam ſcripturam accepimus.*

*Contra ſcripturam nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſentit.*

Contra rationem nemo ſobrius, contra ſcripturam nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit. *Tom.3.de Trinitate, lib.4.cap.6.*

### *V. Scripturas ſacras obſcuras eſſe.*

CVm legerem (*inquit Honoratus*) per me ipſe cognoui. Itáne eſt? (*inquit Auguſtinus*) Nulla imbutus poëtica





poëtica diſciplina Terentianum Maurum ſine magiſtro attingere non auderes. Aſper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta poſſit intelligi, cuius carmina & theatri plauſus videntur captare: tu in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant, ſancti tamen diuinarúmque rerum pleni propè totius generis humani confeſſione diffamantur, ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam: nec ſi tibi aliqua occurrunt, quæ videantur abſurda tarditatem tuam, & putrefactum tabe huius mundi animum, qualis omnium ſtultorum eſt, accuſas potius quàm eos, qui fortaſse à talibus intelligi nequeunt? Quæreres aliquem pium ſimul & doctum, vel qui talis eſſe multis cōſentiētibus, diceretur, cuius & præceptis melior, & doctrina peritior fieres. Non facilè reperiebatur, cum labore inueſtigaretur: Deerat in ea terra, quam incolebas: Quæ cauſa vtilius cogeret peregrinari? *Tom. de Vtilitate credendi, ca.7.*

*Sacris libris non ſine magiſtro vacandum.*

*Scripturæ ſacræ quare obſcuræ.*

Bonæ ſunt in ſcripturis ſanctis myſteriorum profunditates, quæ ob hoc tegũtur, ne vileſcant, ob hoc quærũtur, vt exerceant, ob hoc aperiuntur, vt paſcant. *Tom.3.in ſententiis Auguſtini, Sent.67. Has ſententias collectas eſſe ex Auguſtino, per B. Proſperum, ex operibus eiuſdem compertum eſt.*

*Temerè legētes ſcripturas obſcuritatibus decipiuntur.*

*Nō ſine Dei prouidentia ſcripturæ difficiles et obſcuræ.*

Sed multis & multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt ſcripturas, aliud pro alio ſentientes, quibuſdam autem locis quid vel falſò ſuſpicentur non inueniunt: ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. Quod totum prouiſum diuinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerunque vileſcũt. *Tom. 3.de doctrina Chriſtiana, lib.2.cap.6.*

In profundo ſcripturæ ſenſu magis præſtemus diligentiam requirendi, quàm affirmandi temeritatem. *Tom.3.de Geneſi ad literam, lib.6.cap. 9. Huc pertinent ſeptem regulæ Ticonij, quas tantopere Auguſt. commendat & tam fuſè explicat. Tom.3 de doctr.Chriſt.lib 3.cap.30. & ſeq.*

Tantum abſum ab eo, quod putaſti nihil me latere, vt nihil in epiſtola tua legerim triſtius, quia & apertiſſimè

falſum eſt. Et miror quia hoc te latet, quod non ſolùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, ſed etiã in ipſis ſanctis ſcripturis multò neſciã plura quàm ſciam. *Tom.2.epiſt.119 ad Ianuar.cap.vlt.*

### *VI. Ex peruerſa Scripturarum intelligentia hæreſes gigni.*

*Hæretici nõ tam ſcripturas quã ſuos errores ſectãtur.*

OMnes hæretici, qui eas (*ſcripturas*) in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videtur ſectari, cùm ſuos potius ſectentur errores, ac per hoc non quod eas contemnant, ſed quod eas non intelligãt, hæretici ſunt. *Tom.2. Epiſt.222 ad Conſentium.*

*Dum non bene intellecta in ſcripturis audacter aſſeruntur, hæreſes & peruerſa dogmata exoriri cõtingit.*

Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundũ præcipitantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis nõ bene intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur. Itaque chariſſimi, valdè cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda paruuli ſumus, & corde pio, & cum tremore, ſicut ſcriptum eſt, hanc tenentes regulam ſanitatis, vt quod ſecundum fidem, qua imbuti ſumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus: quod autem ſecundum ſanam fidei regulã intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc eſt, vt etiamſi quid neſcimus, bonum tamen & verum eſſe minimè dubitemus. *Tom.9.in Euang.Ioan.Tract* 18.

*Magna cautio in Scripturis intelligendis adhibenda.*

** 1.Cor. 15.*

*Ex non intellectis ſcripturis, error oboritur nominé Chriſtiano palliatus.*

Qui Filium Dei Patri æqualem nõ eſſe contendunt, ſolent vſurpare familiarius hoc teſtimonium, vbi ait Apoſtolus: * Cùm autem ei omnia ſubiecta fuerint, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui illi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Non enim poſſet eis error oboriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de Scripturis non intellectis. *Tom.4. octoginta trium quæſtionũ, quæſt.69.*

*Falſæ opiniones ex praua ſcripturarũ intelligentia*

Neque enim non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones cõtra earum veritatem peruicaciter aſſerunt. *Tom. 3. de Geneſi ad literam, lib.7.cap.9.*

** Pſalm.10.*

Dicamus ergo tota fiducia, ne dum Chriſtum apud hæreticos quærimus, amittamus. * In Domino confi-



do, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montes, ſicut paſſer? Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcura luna rectos corde. Terrores iſti ſunt cõminantium nobis de peccatoribus, vt ad ſe tanquam ad iuſtos tranſeamus. Ecce, inquiunt, peccatores tetenderũt arcum: credo Scripturas, Quas illi carnaliter interpretando, venenatas inde ſententias emittunt. Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, eadem verba ſcilicet, quæ Scripturarum authoritate iaculaturi ſunt, in cordis occulto parauerunt, Vt ſagittent in obſcura luna rectos corde, vt cùm ſenſerint, Eccleſiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obſcurato, non ſe poſſe conuinci, corrumpant * bonos mores colloquiis prauis. *Tom.8. Pſal.10.*

*Scriptura vitioſè interpretata arc⁹ hæreticorũ.*

*Hæretici in multitudine imperitorum & carnaliũ hominum confidunt.*

**1.Cor.15.*

** Pſal.7.*

**aliâs eiſdẽ.*

Sed quia non ſagittas * tantùm ſed etiam vaſa mortis dixit in arcu Dominum paraſſe, quæri poteſt, quæ ſint vaſa mortis, An fortè hæretici? Nam ipſi ex eodem arcu, id eſt, ex * eiuſdem Scripturis in animas non charitate inflammandas, ſed venenis perimendas inſiliunt, quod non contingit niſi pro meritis. Propterea diuinæ prouidẽtiæ etiã iſta diſpoſitio tribuẽda eſt. Nõ quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat cùm peccauerint. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipſa ſit pœna peccati: quorum tamen morte filij Catholicæ Eccleſiæ tanquam quibuſdam ſpinis à ſomno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant Scripturarum. *Oportet enim * & hæreſes eſſe, vt probati*, inquit, *manifeſti fiant inter vos*, hoc eſt, inter homines, cùm manifeſti ſint Deo. *To.8. Pſalm.7 in hæc verba, Sagittas ſuas ardentibus effecit. Huc etiam pertinet articulus 7.cap.12. de Hæreticis.*

*Praua ſcripturarũ intelligentia pœna eſt peccati, prauæ ſcilicet lectionis.*

**1.Cor.11.*

### *VII. Litera Iudæos, Hæreticos, & carnales homines occidit, qui non ſpiritui, ſed literæ ſono adhærent.*

FRequenter admonui caritatem veſtram, fratres dilectiſſimi, vt his lectionibus, quæ diebus iſtis in

Eccleſia recitantur, non hoc tantùm attendere debeamus, quod ex litera ſonare cognoſcimus, ſed remoto velamine literæ, viuificantem ſpiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apoſtolus: * *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Denique infœlices hæretici, dum ſolùm literæ aſpiciunt ſonum, quaſi corpus ſine anima, ita ſine viuificante Spiritu mortui remanſerunt. *To.10.de tempore. Sermone* 70.

** 2. Cor. 3.*
*1. Retrac. 13.*
*In Scripturis literæ ſonus ſine Spiritu, corpus eſt ſine anima.*

Doctrina etenim illa qua mandatum accipimus cõtinenter rectéque viuendi, litera eſt occidens, niſi adſit viuificans ſpiritus. Neque enim ſolo illo modo intelligendum eſt quod legimus: * *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat*: vt aliquid figuratè ſcriptum, cuius eſt abſurda proprietas, non accipiamus, ſicut litera ſonat: ſed aliud quod ſignificat intuentes, interiorem hominem ſpiritali intelligẽtia nutriamus. Quoniam * ſapere ſecũdùm carnem mors eſt, ſapere autem ſecundùm ſpiritum, vita & pax. Velut ſi quiſquam multa quæ ſcripta ſunt in Cantico Canticorum carnaliter accipiat, non ad luminoſæ caritatis fructum, ſed ad libidinoſæ cupiditatis affectũ. *Tom.3.de ſpirit. & lit. cap.* 4.

** 2. Cor. 3.*
*Non tãtùm in figuratis locutionibus, ſed etiam in doctrina morum verum eſt, quod dixit Apoſtolus: Litera occidit &c.*
** Rom. 8.*

Quod ergo dixit * In medio (*duûm animalium cognoſceris*) non ſic intelligendum eſt, quòd Chriſtus inter nouũ & vetus Teſtamentum ſic fuerit medius, vt nec in nouo nec in veteri contineretur. Non ita eſt fratres cariſſimi, ſed quòd ait in medio duûm animalium cognoſceris, hoc ſentiendum eſt, quòd ſit in medio veteris Teſtamẽti, & in medio noui: id eſt, intus in interiori & ſpiritali intellectu, non in litera, * quæ non ſolùm Iudæos, ſed etiam hæreticos omnes conſueuit occidere, ſed in ſpiritu, qui omnes Chriſtianos ſpiritaliter intelligentes viuificat. *Tom.10. de tempore, Sermone,* 100.

** Abac. 3.*
*Chriſt⁹ quomodo in medio veteris Teſtamenti, & in medio noui.*
*Eſt igitur etiam in nouo Teſtamento litera occidẽs, niſi adſit Spiritus.*
** 2. Cor. 3.*

## *VIII. In rebus fidei & morum ſacram ſcripturam ad proprios hominum ſenſus torquendam non eſſe.*

*Veritas ſcripturarum noſtra debet eſſe ſententia.*

IN rebus obſcuris atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam diuina legerimus, quæ poſſint ſalua fide qua imbuimur, aliis atque aliis parêre ſententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione



ita proiiciamus, vt ſi fortè diligentius diſcuſſa veritas eam rectè labefactauerit, corruamus: non pro ſententia diuinarum ſcripturarum, ſed pro noſtra ita dimicantes, vt eam velimus ſcripturarum eſſe, quæ noſtra eſt, cùm potius eam, quæ ſcripturarum eſt, noſtrã eſſe velle debeamus. *Tom.3. de Geneſi ad literam, lib.1. cap.* 18.

*nequaquam pro ſcripturarum veritate vendicanda.*

Omnia diuina eloquia ſalubria ſunt bene intelligentibus, periculoſa verò his qui ea volunt ad ſui cordis peruerſitatem detorquere, potius quàm ſuum cor ad eorũ rectitudinem corrigere. Hæc eſt enim in hominibus magna & vſitata peruerſitas: quia cùm debeant viuere ipſi ſecundùm voluntatem Dei, Deum volunt viuere ſecundùm voluntatem ſuam. Et cùm ipſi nolunt corrigi, illum volunt deprauari, rectum non arbitrantes, quod ille vult, ſed quod ipſi volunt. *Tom. 8. Pſalm. 158. concione prima.*

*Diuina eloquia nõ ſunt ad humani cordis peruerſitatem detorquẽda, ſed humanũ cor ad ea potius corrigendum.*

Petilianus dixit: , Si Cathedram vobis miſeri vendicatis, vt ſuperius diximus, habetis illam profectò, quam Dauid Propheta Pſalmographus * peſtilentiæ Cathedram pronunciauit: Vobis enim iuſtè relicta eſt, quia in ea ſancti ſedere non poſſunt. Auguſt. reſpondit. Et hæc non vides non aliqua eſſe documẽta, ſed vana cõuicia? Hoc enim eſt illud, quod paulò antè dixi, verba legis dicitis, ſed in quos dicatis non attenditis: ſicut Diabolus verba legis dicebat, ſed cui diceret, non agnoſcebat. Ille caput noſtrum * ſurſum aſcenſurum, deorſum volebat deiicere: vos autem corpus eiuſdẽ capitis, quod per totam terram diffuſum eſt, ad exiguam partem vultis redigere. *Tom.7. contra literas Petil. Donat. lib.2. cap.* 51.

** Pſalm. 1.*
*Hæretici in citandis ſcripturis Diabolum imitantur.*
** Matt. 4.*

O vita pauperum Deus meus, in cuius ſinu non eſt cõtradictio, plue mihi mitigationes in cor, vt patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia diuini ſunt, & in corde famuli tui viderũt ꝙ dicũt, ſed quia ſuperbi ſunt, néc nouerũt Moſis ſententiã, ſed amant ſuã, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. Alioquin & aliam veram pariter amarent, ſicut & ego amo, quod dicunt, quando verum dicunt, nõ quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt: & ideò iam nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Si autem ideò amant illud, quia verum eſt, iam & ipſorum eſt, & meum eſt: quoniam in commune omnium eſt veritatis

*Quidam ſententiam aliquam amãt, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt.*

amatorum. Illud autem quod contendunt non hoc ſenſiſſe Moſem quod ego dico, ſed quod ipſi dicunt, nolo, non amo quia etſi ita eſt, tamen iſta temeritas, non ſciētiæ ſed audaciæ eſt, nec viſus, ſed typhus eam peperit. Ideóque Domine tremenda ſunt iudicia tua, quoniam veritas tua, nec mea eſt, nec illius aut illius, ſed omnium noſtrûm, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi propriè vendicat, & ſuum vult eſſe, quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim *loquitur mendacium, de ſuo loquitur. *Tom. 1. Confeſſionum, lib. 12. cap. 25.*

*Veritas nec mea, nec tua, ſed omnium.*

** Ioan. 8.*

### *IX. Multos eſſe poſſe, eóſque veros ſcripturæ ſenſus, & quid hîc prudenti viro ſit faciendum.*

*Quatuor modi exponendi ſcripturas.*

QVatuor modi à quibuſdam ſcripturarum tractatoribus tradūtur legis exponendæ, ſecundùm hiſtoriam, ſecundùm allegoriam, ſecundùm analogiam, ſecundùm ætiologiam. Hiſtoria eſt, cùm ſiue diuinitus, ſiue humanitus res geſta commemoratur. Allegoria, cùm figuratè dicta intelliguntur. Analogia, cùm veteris & noui Teſtamentorum congruentia demonſtratur. * Ætiologia, cùm dictorum factorúmque cauſæ redduntur. *Tom. 3. de Geneſi ad lit. imperfect. cap. 2. Eadem habes exemplis fusè declarata. Tom. 6. de vtilit. credendi, cap. 3.*

** aliâs Etymologea.*

Cum diuinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuū, qui de paucis verbis eruuntur, & ſanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potiſſimum * diligamus, quod certū apparuerit eū ſenſiſſe, quem legimus. Si autem hoc latet, id certè quod circūſtantia ſcripturæ non impedit, & cum ſana fide concordat. Si autē & ſcripturæ circunſtantia pertractari ac diſcuti nō poteſt, ſaltē id ſolū, quod fides ſana præſcribit. Aliud eſt enim, quid potiſſimū ſcriptor ſenſerit, non dignoſcere: aliud autē à regula pietatis errare. Si vtrūq; vitetur, perfectè ſe habet fructus legentis. Si verò vtrunque vitari nō po-

** aliâs eligamus.*

*Certa & tuta regula ſcripturas intelligendi.*



teſt etiam ſi voluntas ſcriptoris incerta ſit, ſanæ fidei congruam non inutile eſt tenuiſſe ſententiam. *Tom. 3. de Geneſi ad literam, lib. 1. cap. 21.*

Non aſſerit ſcriptura niſi Catholicam fidem, rebus præteritis, præſentibus & futuris. Præteritorum narratio eſt: futurorum prænunciatio: præſentium demonſtratio. *Tom. 3. de doct. Chriſt. lib. 3. cap. 10.*

Cum alius dixerit, hoc ſenſit (*auctor ſcripturæ*) quod ego: & alius, imò illud quod ego: religioſius me arbitror dicere, cur non vtrunque potius, ſi vtrunque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem vnus Deus ſacras literas vera & diuerſa viſuris multorum ſenſibus temperauit? Ego certè quod intrepidus de corde meo pronuncio, ſi ad culmen auctoritatis aliquid ſcriberē, ſic mallem ſcribere, vt quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quàm vt vnam veram ſententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falſitas me non poſſet offendere. Nolo itaque Deus meus tam præceps eſſe, vt hoc illum virum de te meruiſſe non credam. Senſit ille omnino in his verbis, atque cogitauit, cùm ea ſcriberet, quicquid hîc veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum poſſumus, & tamen in eis inueniri poteſt. *Tom. 1. lib. 12. Confeſſ. cap. 31.*

*Scriptura ſacra ſic diuinitus inſpirata eſt, vt plures ſenſus veros admittat.*

### *X. Sacram ſcripturam iuxta eum ſenſum interpretandam eſſe, quem in communi doctorū conſenſu tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia.*

EGO VERO Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Nolite credere Manichæo? Elige quid velis. Si dixeris, crede Catholicis, ipſi me monent, vt nullam fidem accōmodem vobis. Quapropter non poſſum illis credēs, niſi tibi non credere. Si dixeris, Noli Catholicis credere; non rectè facies per Euangelium me cogere

*Euangelio credimus propter Eccleſiæ auctoritatem.*

*Cuius Eccleſiæ iudicium ſecuti ſu-*

*mus, in credendo ſcripturis, eiuſdem ſententiam ſequi debemus, in hæreſibus damnandis.*

ad Manichæi fidem,quia ipſi Euãgelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris, Rectè credidiſti Catholicis laudantibus Euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæum. Vſque adeò me ſtultum putas,vt nulla reddita ratione, quod vis credam,quod non vis non credam? Multò quippè iuſtius & cautius facio,ſi Catholicis,quoniam ſemel credidi,ad te non tranſeo,niſi me non credere iuſſeris, ſed manifeſtiſſimè ac apertiſsimè ſcire aliquid effeceris. Quocirca ſi mihi rationem redditurus es,dimitte Euãgelium. Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam,quibus præcipientibus Euangelio credidi:& his iubentibus tibi omnino non credam. Quòd ſi fortè in Euãgelio aliquid apertiſſimum de Manichæi Apoſtolatu inuenire potueris,infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem,qui iubent,vt tibi non credam. Qua infirmata, iam nec Euangelio credere potero, quia per eos illi credideram:ita nihil apud me valebit,quicquid inde protuleris. Quapropter ſi nihil manifeſtum de Manichæi Apoſtolatu in Euangelio reperitur, Catholicis potius credam, quàm tibi. Si autem inde aliquid manifeſtum pro Manichæo legeris,nec illis, nec tibi: illis,quia de te mihi mentiti ſunt:tibi autem,quia eam ſcripturam mihi profers,cui per illos credideram, qui mihi mentiti ſunt. Sed abſit,vt Euangelio ego non credam. Illi enim credens,non inuenio, quomodo poſſim etiam tibi credere. Apoſtolorum * enim nomina, quæ ibi leguntur,non inter ſe cõtinent nomen Manichæi. In locum autem traditoris Chriſti qui ſucceſſerit, in Apoſtolorum actibus legimus: * cui libro neceſſe eſt me credere,ſi credo Euangelio:quoniã vtranque ſcripturam ſimiliter mihi Catholica commendat auctoritas. *Tom. 6. contra Epiſt. Manichæi, cap. 5.*

*Eccleſiæ Catholicæ auctoritate infirmata, nec Euangelia credendum.*

** Matt. 10. Marc. 3. Luc. 6.*

** Act. 1.*

*Neceſſũ eſt illis ſcripturis credere quas Catholica cõmendat auctoritas.*

Chriſtum ipſum,quomodo apparere hominibus voluit,qui iſtis etiam vulgaribus oculis viſus eſſe prædicatur,ego non vidi: quibus de illo crediderim vt ad te iam tali fide præſtructus accedam, nullis me video crediſſe, niſi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ: hos autẽ populos Eccleſiæ Catholicæ myſteria vſquequa-



que occupaſſe. Cur non igitur apud eos potiſſimum diligentiſſimè requiram, quid Chriſtus præceperit, quorum auctoritate commotus,Chriſtum aliquid vtile præcepiſſe iam credidi? Túne mihi melius expoſiturus es,quid ille dixerit,quem fuiſſe,aut eſſe non putarem,ſi abs te mihi hoc commendaretur eſſe credendũ? Hoc ergò credidi,vt dixi,famæ,celebritate, conſenſione,vetuſtate,roboratæ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti,& tam noui,nemini dubium eſt, quin nihil dignum auctoritate proferatis. Quæ igitur iſta tanta dementia eſt? Illis crede, Chriſto eſſe credendum: & à nobis diſce,quid dixerit: Cur obſecro te? Nam ſi illi deficerent,nec me quicquam docere poſſent:multò facilius mihi perſuaderem, Chriſto non eſſe credendum, quàm de illo cuiquam, niſi ab his, per quos ei crediſſem, diſcendum. O ingentem confidentiam, vel potius ineptiam:ego te doceo,quid Chriſtus præceperit, cui credis Quid ſi non ei crederem,num aliquid de illo me docere poſſes? Sed oportet,inquit, vt credas. Nũ vobis eum commendantibus? Non,inquit,nam nos illos,qui ei credunt,ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata eſt. Vtrum per vos, an per alios? Per alios, inquit. Illis ergo credam, vt tu me doceas? Deberem fortaſſe, niſi me hoc illi præcipuè monerent, vt omnino ad te non accederem: dicunt enim pernicioſas vos habere doctrinas. Reſpondebis, mentiuntur. Quomodo igitur eis de Chriſto credam, quẽ non viderunt: de te non credam, quem nolunt videre? Scriptis, ait, crede. At ſcriptura omnis, ſi noua & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmante ratione, non ei, ſed illis,qui eam proferunt, creditur. Quamobrem ſcripturas iſtas ſi vos profertis tam pauci & incogniti, non libet credere: ſimul etiam contra promiſſum facitis,fidem potius imperando,quàm reddendo rationem. Rurſus me ad multitudinem famámque reuocabis. Cohibe tandem pertinaciam,& neſcio quam indomitam propagandi nominis libidinem: & mone potius, vt huius multitudinis primates quæram. & quæram diligentiſſimè ac laborioſiſſimè,vt ab his potius de his

*A quibus didicimꝰ Chriſto eſſe credendũ,ab eis quid Chriſtus dicat, aut velit, diſcamus oportet.*

*Hæreſiarcharũ pertinacia, & propagandi nominis indomita li-*

*bido. Vt de literis ſacris aliquid diſcamus, quærendi nobis ſunt primates eius multitudinis, cuius traditione, ſacras eſſe literas illas credidimus.*

literis aliquid diſcam. Qui ſi non eſſent, diſcẽdum omnino eſſe neſcirem. Tu verò in latebras tuas redi, nec quicquam inſidiare ſub nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus auctoritatem ipſe concedis. *Tom. 6 de vtilitate credendi, cap. 14.*

*Nihil temeraria ſuperbia plenius, quàm ſacros libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere.*

Si vnaquæque diſciplina, quanquam vilis & facilis, vt percipi poſſit, doctorem aut magiſtrum requirit: quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorũ Sacramentorum libros, & ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle damnare? *Ibidem, cap. 17.*

*Reuerentia erga Cõcil.*

*Securæ vocis eſt, aſſerere, quod vniuerſalis Eccleſiæ cõſenſione roboratũ eſt.*

Nobis tutum eſt in ea (*de obſcura quadam quæſtione ſermo eſt*) non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: id autẽ ſit cura ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſtas, lib. 7. cap. 53. Et contra Creſcon. lib. 1. cap. 33.*

## *XI. Ex obſcuris & dubiis ſcripturæ locis non eſſe contra ea, quæ in eadem ſcriptura aperta ſunt, argumentandum.*

*Eccleſia quomodo demõſtranda.*

Eccleſiam ſuam demonſtrent (*Donatiſtæ*) ſi poſſunt, non in ſermonibus & rumoribus Afrorũ, nõ in Conciliis Epiſcoporum ſuorum, non in literis quorumlibet diſputatorum, non in ſignis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra iſta verbo Domini præparati & cauti redditi ſumus: ſed in præſcripto legis, in Prophetarum prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Euangeliſtarum prædicationibus & laboribus, hoc eſt, in omnibus, canonicis ſanctorum librorum auctoritatibus. Nec ita vt ea colligant & commemorent, quæ obſcurè vel ambiguè vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſque ſicut voluerit, interpretetur ſecundum ſenſum ſuum. Talia enim rectè intelligi exponique non poſſunt, niſi prius ea, quæ apertiſſimè dicta ſunt, firma fide teneantur. *Tom. 6. de vnitate Eccleſiæ, cap. 16.*

*Quæ ſunt in ſcripturis obſcura, ambigua, vel figuratè dicta, nequeũt rectè intelligi, ſine firma fide eorũ, quæ apertè dicuntur.*



Videtis enim illud vnicum, quod proferre conſueuiſtis: *vbi paſcis,* vbi cubas in meridie*: quemadmodũ excuſſis omnibus eiuſdem loci verbis, longè aliud indicat, quàm vos putatis. Et ſi hoc ſonaret, quod vultis, Maximinianiſtæ vos in eo vincerẽt. Magis enim meridies prouincia Byzantium Tripolis, vbi illi ſunt, quicunque ſunt, quàm Numidia, vbi vos præpolletis. Ita ergo ipſi germaniùs & diſtinctiùs poſſunt de meridie gloriari, vt eos excludere ab hac ſententia non poſſitis, niſi in illis verbis verum ſenſum & Catholicum teneatis, oſtendentes eis, ſecundum quatuor angulos orbis terrarum, ab Auſtro magis, quàm ab Africa eſſe meridiem: ſecundum autem figuratas ſcripturarum locutiones, perfectam mẽtis illuminationẽ feruorẽmque maximũ caritatis, vocari meridiem. *Ibidem paulò poſt.*

** Cant. 1.*

*In verbis ſcripturæ verus & Catholicus ſenſus tenẽdus.*

*A ſcriptura ad Catholicum intellectum Donatiſtas prouocat. Tom. 7. contra Epiſt. Parmen. lib. 2. cap. 10.*

## *XII. Linguarum peritiam, artium & philoſophiæ cognitionem, vtilem eſſe ad ſcripturarũ, cùm intelligentiam, tùm tractationem.*

### *LINGVARVM PERITIA.*

*Vtilitas linguæ Græcæ & Hebrææ*

LATINÆ linguæ homines quos nũc inſtruẽdos ſuſcepimus, & duabus aliis ad ſcripturarũ diuinarũ cognitionẽ habent opus, Hebræa ſcilicet & Græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas, quanquam & Hebræa verba non interpretata ſæpe inueniamus in libris, ſicut Amen, Alleluia, & Racha, & Oſanna, & ſi qua ſunt alia. *Et paulò pòſt.* Sed non propter hæc pauca quæ notare atque interrogare facillimum eſt, ſed propter diuerſitates, vt dictum eſt, interpretum, illarum linguarũ eſt cognitio neceſſaria. Qui enim ſcripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam, numerari poſſunt, Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique, primis fidei temporibus, in manus venit codex Græcus, & aliquantulũ facultatis ſibimet vtriuſq; linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari. Quæ quidem res plus adiuuit intelligentiam, quàm impediuit, ſi modò legentes,

non ſint negligentes. Nam nonnullas obſcuriores ſententias, plurium codicum ſæpe manifeſtauit inſpectio. *Tom. 3. de doctr. Chriſtian. lib. 2. cap. 11. & 12.*

### HISTORIA.

Quicquid de ordine temporum tranſactorum indicat ea quæ appellatur Hiſtoria, plurimùm nos adiuuat ad ſanctos libros intelligendos, etiam ſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur. Nam & per Olympiadas, & per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur à nobis: & ignorantia conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coëgit errare, vt putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum, quia per tot annos * ædificatum eſſe templum dictum eſt à Iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem ferè triginta * baptizatum eſſe retinemus auctoritate Euangelica: Sed poſtea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipſo actionum eius animaduerti poſsit: tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de hiſtoria gentium collata cum Euãgelio, liquidius certiùſque colligitur. Tunc enim videbitur non fruſtra dictum eſſe, quòd quadraginta ſex annis * templum ædificatum ſit: vt cùm referri iſte numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad ſecretiorem inſtructionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dedignatus * eſt vnicus Dei filius, per quem * facta ſunt omnia. De vtilitate autem hiſtoriæ, vt omittam Græcos, quantam noſter Ambroſius quæſtionem ſoluit calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus: qui dicere auſi ſunt, omnes Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didiciſſe, quoniam longè ante humanum aduentum Domini, Platonem fuiſſe negari non poteſt: Nónne memoratus Epiſcopus conſiderata hiſtoria gentium, cùm Platonem reperiſſet Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuiſſe in Ægyptum, vbi tunc ille Propheta erat, probabilius eſſe oſtendit, quòd Plato potius noſtris literis per Hieremiã fuerit imbutus, vt illa poſſet docere vel ſcribere, quæ iure laudantur? Ante literas enim gentis Hebræorum, in qua vnius Dei cultus emicuit, ex qua ſecũ-

*Cognitionis temporũ vtilitas.*

* *Ioan. 2.*

* *Luc. 3.*

* *Ioan. 2.*

* *Philip. 2.*

* *Ioan. 1.*

*D. Ambroſius probabiliter oſtẽdit, Platonẽ, quæ benè ſcripſit, à Hieremia Propheta accepiſſe.*



dùm carnem venit Dominus noſter, nec ipſe quidem Pythagoras fuit, à cuius poſteris Platonem theologiam didiciſſe iſti aſſerunt. Ita conſideratis temporibus fit multò credibilius iſtos potius de literis noſtris habuiſſe, quæcunque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quod dementiſſimum eſt credere. Narratione autem hiſtorica, cùm præterita etiam hominum inſtituta narrantur, non inter humana inſtituta ipſa hiſtoria numeranda eſt: quia iam quæ tranſierunt, nec infecta fieri poſſunt, in ordine temporum habenda ſunt, quorum eſt cõditor & adminiſtrator Deus. *Ibidem, cap. 28.*

Eſt etiam narratio demonſtrationi ſimilis, qua non præterita ſed præſentia indicantur ignaris. In quo genere ſunt, quæcunque de locorum ſitu, naturíſque animalium, lignorum, lapidum, herbarum, aliorúmue corporum ſcripta ſunt. De quo genere ſuperius egimus, eámque cognitionem valere ad ænigmata ſcripturarũ ſoluenda docuimus. *Ibidem cap. 29.*

*Naturalis hiſtoriæ cognitio valde cõmoda ad intelligentiam ſcripturarũ.*

### RHETORICA ET DIALECTICA.

Sunt etiam quædã præcepta vberioris diſputationis, quæ iam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera ſunt, quanuis eis poſsint etiam falſa perſuaderi. Sed quia & vera eſſe poſſunt, non eſt facultas ipſa culpabilis, ſed ea malè vtentium peruerſitas. Nam neque hoc ab hominibus inſtitutum eſt, vt veritatis expreſſio conciliet auditorem, aut vt facilè, quod intendit, inſinuet breuis & aperta narratio, & varietas eius ſine faſtidio teneat intentos, & cæteræ huiuſmodi obſeruationes: quæ ſiue in falſis, ſiue in veris cauſis, veræ ſunt tamen, in quantum vel ſciri vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum fugiendúmue animos monent, & inuentæ potius, quòd ita ſe habeant, quàm vt ita ſe haberent inſtitutæ. Sed hæc pars cùm diſcitur, magis vt proferamus ea quæ intellecta ſunt, quàm vt intelligamus adhibenda eſt. *Ibidem cap. 36. & 37.*

*Non eloquẽtiæ facultas, ſed malè ea vtẽtium peruerſitas, culpabilis.*

Sed diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda, plurimum valet: tantùm ibi cauenda eſt libi-

*Dialectica plurimũ valet ad penetrãda & diſ*

*ſoluenda oia genera quæſtionum in ſacris literis.*

do rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim multa quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones rationum, & plærunque ita veras imitantes, vt non ſolùm tardos, ſed ingenioſos etiam, minus diligenter attentos decipiant. Propoſuit enim quidam, dicens ei, cum quo loquebatur, Quod ego ſum, tu non es. At ille conſenſit. Verum enim erat ex parte vel eo ipſo quòd iſte inſidioſus, ille ſimplex. Tunc iſte addidit: Ego autem homo ſum. Hoc quoque cùm ab illo accepiſſet, concluſit dicens, Tu igitur non es homo. Quod genus captioſarum concluſionũ, ſcriptura quantum exiſtimo deteſtatur illo loco vbi dictum eſt:* Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. Quanquam etiam ſermo non captioſus, ſed tamen abundantius, quàm grauitatem decet, verborum ornamenta cõſectans, ſophiſticus dicatur. *Ibidem, cap.31.*

* Eccl.37.

## ARITHMETICA, MVSICA, Aſtrologia.

*Numerorum imperitia multa facit non intelligi in ſcripturis.*

Numerorum imperitia multa facit non intelligi, tranſlatè ac myſticè poſita in ſcripturis. Ingeniũ quippe, vt ita dixerim, ingenuũ non poteſt non moueri quid ſibi velit, quòd &*Moyſes, &† Helias, & ipſe Dominus * quadraginta diebus ieiunauerunt. Cuius actionis figuratus quidam nodus, niſi huius numeri cognitione & conſideratione non ſoluitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario quippe numero, & diurna & annua curricula peraguntur. Diurna matutinis, meridianis, veſpertinis, nocturniſque horarum ſpaciis: Annua, vernis, æſtiuis, autumnalibus, hyemalibúſque menſibus. A temporum autem delectatione, dum in temporibus viuimus, propter æternitatem in qua viuere volumus, abſtinendum & ieiunandum eſt, quanuis temporum curſibus ipſa nobis inſinuetur doctrina cõtemnendorum temporum & appetendorum æternorum. Porrò autem denarius numerus creatoris atque creaturæ ſignificat ſcientiam: nam trinitas creatoris eſt, ſeptenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam & corpus. Nam in illa tria ſunt: vnde etiã toto corde, tota anima, tota mẽte diligendus eſt Deus,

* *Deut.9.*
† 3. *Reg.19.*
* *Matth.4.*
*Marc.1.*
*Luc.4.*

*A tēporum delectatione propter æternitatē abſtinendum eſt.*



In corpore autem quatuor manifeſtiſſima apparent, quibus conſtat, elementa. In hoc ergo denario dum temporaliter nobis inſinuatur, id eſt quater ducitur, caſtè & continenter à temporũ delectatione viuere, hoc eſt, quadraginta diebus ieiunare monemur. Hoc lex cuius perſona eſt in Moyſe, hoc prophetia, cuius perſonam gerit Helias, hoc ipſe Dominus monet, qui tãquam teſtimonium * habens ex lege & Prophetis medius inter illos in monte * tribus diſcipulis videntibus atque ſtupentibus claruit. *Et paulò pòſt.* Ita multis aliis atque aliis numerorum formis quædam ſimilitudinum in libris ſanctis ſecreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clauſa ſunt. *Ibidem, cap.16.*

*Figuræ & myſteria ieiunij quadrageſimalis.*
* *Luc.24.*
* *Matt.17.*
*Marc.9.*

Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarũ rerum muſicarum ignorantia. Nam & de Pſalterij & citharæ differentia, quidam non inconcinnè aliquas rerum figuras aperuit: * & decem chordarum pſalterium non importunè inter doctos quæritur, vtrùm habeat aliquam Muſicæ legem, quæ ad tantum neruorum numerum cogat, an verò ſi nõ habet, eo ipſo magis ſacratè ſic accipiendus ipſe numerus: vel propter decalogum legis (de quo item numero ſi quæratur, non niſi ad creatorem creaturámque referendus eſt) vel propter ſuperius expoſitum ipſum denarium. Et ille numerus ædificationis templi commemoratus in Euãgelio * quadraginta ſcilicet & ſex annorum, neſcio quid muſicum ſonat, & relatus ad fabricam dominici corporis, propter quam templi mentio facta eſt, cogit nõnullos hæreticos confiteri, filium Dei non falſo ſed vero & humano corpore indutum: & numerum quippè & muſicam pleriſque locis, in ſanctis Scripturis poſita, honorabiliter inuenimus. *Ibidem.*

* *Pſal.31 & 32.*
* *Ioan.2.*
*Numeri & Muſices commendatio.*

Syderum autem cognoſcendorum non narratio, ſed demonſtratio eſt, quorum perpauca Scriptura commemorat. Sicut autem plurimis notus eſt lunæ curſus, qui etiam ad paſſionem Domini anniuerſariè celebrandam ſolenniter adhibetur: ſic paucisſimis cæterorum quoque ſyderum vel ortus vel occaſus, vel alia quælibet mometa ſine vllo ſunt errore notiſſima. Quæ

*Lunæ curſus ad paſſionem Domini anniuerſariè ſolēniter celebrãdam adhibetur.*

per ſeipſam cognitio, quãquam ſuperſtitione quoſdam non alliget, non multum tamen ac propè nihil adiuuat tractationem diuinarũ ſcripturarum, & infructuoſa intentione plus impedit. Et quia familiaris eſt perniciosiſſimo errori fatua fata cantantium, commodius honeſtiúſque contemnitur. *Ibidem cap.29.*

*De Geometria, quam Aſtrologiæ parentem, de ordine lib. 2. cap. 15. facit, eandem Auguſt. ferret ſententiam. Sed prudens lector intelligit, in eo quòd damnat, Auguſtinum ad ſua magis tempora reſpexiſſe, vtilitatem verò harum, & in ſcripturarum interpretatione & in Eccleſiæ vſu vnam ac eandem eſſe, quæ ſemper fuit.*

## *PHILOSOPHIA.*

Philoſophi autem, qui vocantur, ſi qua fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vendicãda. Sicut enim AEgyptij, non ſolum idola habebãt & onera grauia, quæ populus Iſraël deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa* atque ornamenta de auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Ægypto, ſibi potius tanquam ad vſum meliorem clancùlo vendicauit, non auctoritate propria, ſed præcepto Dei ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur: ſic doctrinæ omnes gentilium, non ſolùm ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, grauéſque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quæ vnuſquiſque noſtrum, duce Chriſto de ſocietate gentilium exiens, debet abominari & deuitare: ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quędam morum præcepta vtiliſſima continent, déque ipſo vno Deo colẽdo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quòd eorum tanquã aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdã quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt, & quo peruersè atque iniurioſè ad obſequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij.

** Exod. 11. & 12.*

*Gentiliũ ſcripta, etiã liberales diſciplinas vſui veritatis aptas cõtinẽt, quibus Chriſtiani, tanquam Ægypti ſpoliis, rite vtuntur.*

Veſtem



Veſtem quoque illorum, id eſt, hominum quidem inſtituta, ſed tamen accõmodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere atque habere licuerit, in vſum conuertenda Chriſtianum: nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Nónne aſpicimus quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus, exierit de Ægypto Cyprianus doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſsimus? quanto Lactantius? quãto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quãto innumerabiles Græci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, * quòd eruditus fuerit omni ſapientia Ægyptiorum. Quibus omnibus viris ſuperſtitioſa gentium conſuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Chriſti iugum decutiẽs, Chriſtianos perſequebatur, diſciplinas quas vtiles habebat, nunquam commodaret, ſi eas in vſum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, cõuerſum iri ſuſpicaretur: ſed dederũt aurum, argentum, & veſtem ſuam exeunti populo Dei de Ægypto, neſcientes quemadmodum illa quæ dabãt, in Chriſti obſequium redderentur. Illud enim in Exodo * factum, ſine dubio figuratum eſt, vt hoc præſignaret, quod ſine præiudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim. *Ibidem, cap.40.*

*Cyprianus aliíq; innumerabiles viri, tam græci quàm latini, humana inſtituta ſiue dogmata, quibus perfectè imbuti erãt, in vſum conuerterũt Chriſtianum.*

** Act. 7.*

* Exod. 11. & 12.

# DE SACRIS TRADITIONIBVS. CAP. VIII.

1. *Traditiones Apoſtolorum & Eccleſiæ, præſertim continua ad nos vſque ſucceſſione deriuatas, diligenter cognoſcendas & retinendas eſſe.*

QVod autem nos admonet, (*Cyprianus*) vt ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donatiſtas, lib.5.cap.26.*

*Apoſtolica traditio fons, vnde canales in noſtra tẽpora dirigẽdi.*

Eccleſiæ regula ſanctáque Patrum traditio atque iu-

*Eccleſiæ regula ſáctaq;*

*patrum traditio firma ſolidaq; permaneat.*

*Eccleſia Catholica ab Apoſtolicis ſedibus vſq; ad præſentes Epiſcopos certa ſucceßione perducta.*

dicia, in perpetuum firma, ſolidáque permaneant. *Tom. 10. ſerm. de tempore, 191. qui eſt tertius de Trinitate.*

Dices illam narrationem non eſſe Matthæi, quã Matthæi eſſe dicit vniuerſa Eccleſia, ab Apoſtolicis ſedibus, vſque ad præſentes Epiſcopos, certa ſucceſſione perducta. Tu mihi quid contrà lecturus es? Aliquem fortè librum Manichæi, vbi Ieſus negatur eſſe natus ex virgine. Sicut ergo ego credo illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus viuebat, in carne, per diſcipulos eius certa ſucceſſione præpoſitorum veſtrorum ad veſtra vſque tempora custoditus atque perductus eſt: ſic & iſtum librum crede eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum, Eccleſia certa connexionis ſucceſſione vſque ad tempora iſta perduxit. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 28. cap. 2.*

Palàm eſt, quòd in re dubia ad fidem, valet auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, ab ipſis fundatis Apoſtolorum ſedibus, vſque in hodiernum diem, ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmata, *Citatur ex lib. cõtra Manich. diſt. 11. cap. Palàm.*

## *II. Euangeliſtas in ſcribendo Euangelio, magna ex parte traditionem ſecutos.*

APoſtoli non ſolùm ea, quæ ex ore Chriſti audita, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta & facta meminerant, verùmetiam quæ priuſquam illi per diſcipulatum adhæſerant, in eius natiuitate vel infantia, vel pueritia diuinitus geſta & digna memoria, ſiue ab ipſo, ſiue à parẽtibus eius, ſiue à quibuslibet aliis certiſſimis indiciis, & fideliſsimis teſtimoniis requirere & cognoſcere potuerunt, impoſito ſibi Euangelizandi munere, generi humano annunciare curarunt. Quorum quidam, hoc eſt, Matthæus & Ioannes etiam ſcripta de illo, quæ ſcribenda viſa ſunt, libris ſingulis ediderunt. At ne putaretur, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Euangelium, intereſſe aliquid, vtrum illi annuncient, qui eundem Dominum hìc in carne apparẽtem diſcipulatu famulante ſecuti ſunt, an ij, qui ex illis fideliter cõperta crediderunt: diuina prouidentia pro-



curatum eſt per Spiritum ſanctum, vt quibuſdam etiam ex illis, qui primos Apoſtolos ſequebantur, non ſolùm annunciandi, verumetiam ſcribendi Euangelium tribueretur auctoritas. Hi ſunt Marcus & Lucas. *Tom. 4. de conſenſu Euang. lib. 1. cap. 1.*

*Marcus & Lucas ex traditione Apoſtolica ſua Euangelia ſcripſerunt.*

O Mirabilem inſaniam de Chriſto aliquid narranti nolle credi Matthæo, & velle credi Manichæo. Si Matthæus non interfuit, cùm Chriſtus dixiſſet, * Non veni ſoluere legem, aut prophetas, ſed adimplere: & propterea non eſt ei credendũ, nunquid Manichæus interfuit, aut iam vel natus fuit, cum Chriſtus inter homines appareret? Secundum ergo hanc fidei veſtræ legem, nihil ei de Chriſto teſtificanti credere debuiſtis. Nos autem non propterea dicimus, non credendum eſſe Manichæo, quia dictis factíſque Chriſti non interfuit, & longè poſt natus eſt: ſed quia de Chriſto cõtra Chriſti diſcipulos loquitur, & contra Euangelium, quod illorum auctoritate firmatum eſt. Habemus enim Apoſtoli vocem, qui in Spiritu ſancto tales venturos eſſe cernebat. Vnde fidelibus dicebat: * *Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.* Nam ſi nemo de Chriſto vera dicit, niſi qui eum præſens vidit & audiuit, hodie de illo nemo vera dicit. Porrò ſi hodie propterea de illo fidelibus eius vera dicuntur, quia illi qui viderunt & audierunt, vel prædicando vel ſcribendo ea diſſeminauerunt, cur ex ore Ioannis condiſcipuli ſui non poſſet vera Matthæus audire de Chriſto, vbi ille adfuit, & ipſe non adfuit, ſi ex libro Ioannis poſſumus vera loqui de Chriſto, non ſolùm nos tantò pòſt nati, ſed etiam poſt nos alij naſcituri? Hinc enim non ſolùm Matthæi, verumetiam Lucæ ac Marci Euãgelium, qui eoſdem diſcipulos ſecuti ſunt, in non imparem auctoritatem receptum eſt. *Tom. 6. cont. Fauſtũ Manichæum, lib. 17. cap. 3.*

*Non propter ea nõ credendum Matthæo quia omnib⁹ dictis & factis Chriſti non interfuit.*

* *Matth. 5.*

* *Gal. 1.*

*Matthæo credimus ex traditione quãdã ſcribenti, ſicut & cæteris Euãgeliſtis, dũ & ipſi ex traditione ſcribunt.*

## *III. Ex traditione haberi, hanc eſſe Scripturam canonicam, illam verò non.*

VSque adeò inuicta ſunt, quæ aduerſus vos de diuinis codicibus proferũtur, vt non ſit aliud quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos. Quæ auctoritas literarũ ape-

riri,quis ſacer liber euolui,quod documentum cuiuſlibet Scripturæ ad conuincendos errores exeri poteſt, ſi hæc vox admittitur,ſi alicuius pōderis æſtimatur? Aliud eſt iſtos libros nō accipere, & nullo eorum vinculo detineri, quod pagani de omnibus libris noſtris, quod Iudæi de nouo Teſtamento faciunt,quod denique nos ipſi de veſtris, & aliorum hæreticorum, ſi quos ſuos & proprios habent, vel de his qui vocantur Apocryphi: non quòd habendi ſint in aliqua auctoritate ſecreta, ſed quia nulla teſtificationis luce declarati, de neſcio quo ſecreto, neſcio quorū præſumptione prolati ſunt. Aliud eſt ergo auctoritate aliquorum vel librorum,vel hominum, non teneri, & aliud eſt dicere: Iſte quidem vir ſanctus omnia vera ſcripſit, & iſta Epiſtola ipſius eſt,ſed in ea ipſa hoc eius eſt,hoc non eſt eius.Vbi cùm ex aduerſo audieris, proba: non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis,vnde hoc in aliam linguam interpretatum eſt: ſed dicas, Inde probo hoc illius eſſe, illud non eſſe, quia hoc pro me ſonat,illud contra me. Tu es ergo regula veritatis: quicquid contra te fuerit, non eſt verum. Quid ſi alius ſimili inſania, ſed tamen qua tua duritia cōfringatur,exiſtat & dicat: Imò illud, quod pro te ſonat,falſum eſt: hoc autem quod contra te eſt,verū eſt: quid acturus es, niſi fortè alium librum prolaturus, vbi quicquid legeris, ſecundum tuam ſententiam poſsit intelligi? Hoc ſi feceris, non de aliqua eius particula, ſed de toto audias contradicentem & clamantem, falſus eſt, Quid ages? Quò te conuertes? Quam libri à te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis,& nihil valebis,& vides in hac re,quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas, Quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie & tot populorum conſenſione firmatur. *Tom. 6. contra Fauſt. lib. 11. cap. 2.*

*Apud Hæreticos etiā noſtri tēporis, quot ſunt capita, tot ſunt regulæ veritatis. Nam ipſis ſcriptura vnicus eſt iudex omniū cōtrouerſiarū. Scripturā, inquā, ab vnoquoque, vt ſuus ipſi Spiritus ſuggeſſerit, interpretatā.*

*Nec ſanè hæretici noſtri temporis poſſunt librorum ſacrorum probare auctoritatem, niſi ad traditionem confugiant eius Eccleſiæ, à qua ipſi præciſi ſunt.*



Omittamus igitur earum ſcripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quòd earum occulta origo non claruit patribus, à quibus vſque ad nos auctoritas veracium ſcripturarum certiſſima & notiſsima ſucceſsione peruenit. In his autem apocryphis,etſi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt canonica auctoritas. Scripſiſſe quidem nonnulla diuina Enoch illum ſeptimum ab Adam negare non poſſumus, cùm hoc in Epiſtola canonica Iudas Apoſtolus dicat: Sed non fruſtrà non ſunt in eo canone ſcripturarum,qui ſeruabatur in templo Hebræi populi ſuccedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem hoc, niſi quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei iudicata ſunt, nec vtrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterat inueniri, non talibus proferentibus, qui ea per ſeriem ſucceſſionis reperirentur ritè ſeruaſſe. *Et paulò pòſt:* Multa ſub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine Apocryphorum, auctoritate canonica, diligēti examinatione remota ſunt. *Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 15. cap. 23.*

*In Apocryphis etſi inuenitur aliqua veritas, nulla tamen eſt canonica auctoritas.*

*Canon ſcripturarū veteris teſtamēti, ſuccedētium diligētia Sacerdotum in templo ſeruabatur.*

IN Canonicis autem ſcripturis, Eccleſiarum Catholicarum quàmplurium auctoritatem ſequatur: inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hūc modum in Scripturis canonicis,vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis,præponat eis,quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioréſque accipiunt, eis quas pauciores minoríſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quāquam hoc inuenire non poſsit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto. *Tom. 3. de doctrina Chriſtiana, lib. 2. cap. 8.*

*In canonicis Scripturis ſequi oportet auctoritatem Eccleſiarum Catholicarum, præſertim earum, quæ ſedes Apoſtolicas habere, & Epiſtolas accipere meruerunt: non autem hæreticarum, apud quas nonnunquam libri peſtiferi pro ſacris admiſſi ſunt, vt apud Manichæos:*

*nonnunquam verò libri vere ſacri & canonici tanquam Apocryphi ex Catalogo ſacrorum reiecti, vt apud Arrianos Epiſtola ad Hebræos, teſte Theodoreto in prologo ſuper eandem Epiſtolam.*

Nouum & vetus Teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ tradit auctoritas. *Tom. 10. de Tempore, ſerm. 191.*

## IIII. *Multa quæ ab ipſis Apoſtolis, quaſi per manus tradita ad nos vſque peruenerunt, licet in ſacris literis expreſſè ſcripta non ſint, Chriſtianis eſſe credenda.*

### *HOMOVSION.*

*Filiũ in diuinis eſſe homouſion Patri, & Patrẽ eſſe ingenitum credimus, ſine ſcriptura expreſſa.*

Ego illud, quod iam dixeram, repetiui, ita fieri poſſe, vt etiam homouſion neque ſcriptum in ſanctis paginis inueniatur, & tamen dictum in aſſertione fidei defendatur, ſicut Patrem in illis libris nuſquam ingenitum legimus, & tamen dicendum eſſe defenditur. *Tom. 2. Epiſt. 174. prope initium.*

### *SPIRITVS SANCTVS ADORAtur, & Pater ingenitus dicitur.*

*Spiritũ ſanctũ adorandum eſſe: Sed et à Filio procedere, eidẽq; conſubſtãtialẽ eſſe credimus, quãuis id expreſſè ſcriptura nõ dicat.*

Da, inquis, teſtimonia, vbi adoratur Spiritus ſanctus: quaſi non ex iis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar: tu vbi legiſti Patrem Deum ingenitum vel innatum, & tamen verum eſt? *Tom. 6. contra Maximinum Arrianum, lib. 3. cap. 3.*

### *PERPETVA VIRGINITAS B. Mariæ.*

*B. Mariam perpetuò fuiſſe virginẽ credimus abſq; expreſſo verbo.*

Integra fide credendum eſt, Beatam Mariam Dei Chriſti matrem, & virginem concepiſſe, & virginem genuiſſe, & poſt partum virginem permanſiſſe. Nec eſt blaſphemiæ Heluidij acquieſcẽdum, qui dixit, fuit virgo ante partum, non virgo poſt partum. *Tom. 3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 69.*

*Heluidium Auguſtinus ob hanc cauſam in catalogum Hæreticorũ refert, de hæreſ. ad Quoduultdeum, Tom. 6. hæreſ. 84.*



### *HÆRETICI NON REBAptizandi.*

*Baptiſmũ in hæreticis non iterãdum, ex traditione credit Eccleſia.*

Nolite nobis auctoritatem obiicere Cypriani ad Baptiſmi repetitionem, ſed tenete nobiſcum exemplum Cypriani ad vnitatis conſeruationem. Nondum enim erat diligẽter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamẽ ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia, id ipſis quoque ſchiſmaticis & hæreticis corrigere quod prauum eſt, non iterare quod datum eſt: ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanum eſt. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in conciliis poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commẽdata creduntur. *Tom. 7. de Baptiſ. cantra Donatiſtas, lib. 2. cap. 7.*

*Via commoda ad inueniendum traditiones Apoſtolicas.*

Nam ſi non habent Baptiſmum, qui de Deo praua ſentiunt, hoc poſſe & intus accidere, iam ſatis, vt arbitror, diſputatum eſt. Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur. *Ibidem. lib. 5. cap. 23.*

*Conſuetudo non iterandi Baptiſmum in hæreticis, ex Apoſtolica traditione orta eſt, quamuis ſcripta nõ ſit: ſicut multa alia, quæ vniuerſa tenet Eccleſia.*

Proinde quia nec vos poteſtis proferre de Scripturis, quarum nobis eſt communis auctoritas, ab hæreticis venientem denuò baptizatum, nec nos ita ſuſceptum: quantum ad hanc rem attinet, par nobis cauſa eſt. Verùm nos multa oſtendimus, etiam ad legem Dei pertinentia, eſſe apud eos, qui non ſunt in Eccleſia, quæ nemo veſtrûm audet negare: ſed cur tale aliquid nolitis eſſe & Baptiſmum, omnino non video, nec poſſe demõſtrari confido. *Tom 7. contra Creſconium Grammat. lib. 1. cap. 31. & 32. In hunc ſenſum loquitur & lib. 4. de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. 6.*

### *PARVVLI BAPTIZANDI.*

*Conſuetudo paruulos baptizandi ex Apoſtolica traditione.*

Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſupeflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio. *Tom. 3. de Geneſi ad literam, lib. 10. cap. 23.*

Sicut in latrone quia per neceſſitatem corporaliter baptiſmus defuit, perfecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritaliter adfuit: ſic & cum ipſa (*ſanctificatio Baptiſmi*) præſto eſt, ſi per neceſſitatem deſit, quod latroni affuit, perficitur ſalus: quod traditum tenet vniuerſitas Eccleſiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondũ poſſunt credere* corde ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſt. lib.4. cap.23.*

* *Rom.10.*

*SYMBOLVM APOSTOLORVM.*

*Symbolũ Apoſtolorũ accipimus ex eorum traditione.*

Eſt autem fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res paſſa eſt breuitate ſermonis: vt incipientibus atque lactentibus eis qui cum Christo renati ſunt, nondum ſcripturarum diuinarum diligentiſſima & ſpirituali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur: proficientibus & ad diuinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate ſurgentibus, quod multis verbis exponendo eſſet perficiendum. Sub ipſis ergo paucis in Symbolo conſtitutis, plerique hæretici venena ſua occultare conati ſunt: quibus reſtitit & reſiſtit diuinâ miſericordia per ſpiritales viros, qui Catholicam fidem, non tantùm in illis verbis accipere & credere, ſed etiam Domino reuelante intelligere atque cognoſcere meruerunt. Scriptum eſt enim: * *Niſi credideritis, non intelligetis.* Sed tractatio fidei ad inueniendum Symbolum valet: non vt ipſa pro Symbolo gratiam Dei conſequentibus, memoriæ mandata & reddenda tradatur, ſed vt illa, quæ in Symbolo retinentur, contra hæreticorum inſidias auctoritate Catholica, & munitiore defenſione cuſtodiat. *Tom.3. de fide, & ſymb, cap. primo.*

*Sub paucis Symboli verbis, hæretici venena ſua occultare conantur.*

* *Iſa.7.*

*Symbolum vnde dictũ.*

Quod enim græcè Symbolum dicitur, latinè collatio nominatur. Collatio ideò, quia collata in vnum, totius Catholicæ legis fides, ſymboli colligitur breuitate; cuius textum vobis modò Deo annuente dicemus: Petrus dixit, Credo in Deum Patrẽ omnipotentem. Ioannes dixit, Creatorem cœli & terræ. Iacobus dixit, Credo & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicũ Dominum noſtrum. Andreas dixit, Qui conceptus eſt de Spiritu



ſancto, natus ex Maria virgine. Philippus ait, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Thomas ait, Deſcẽdit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit, Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Iacobus Alphæi: Credo & in Spiritũ ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam. Simon Zelotes, Sanctorum communionem, Remiſſionem peccatorum. Iudas Iacobi, Carnis reſurrectionem. Mathias compleuit, Vitam æternam. Amen. *Tom.10. ſerm.115. de Tempore.*

Sacramentum Symboli quod accepiſtis, memoriæq; mandatum pro veſtra ſalute retinetis, noueritis hoc eſſe fidei Catholicæ fundamentum, ſuper quod ædificiũ ſurrexit Eccleſiæ, conſtructum manibus Apoſtolorum & Prophetarum. *Tom.9. de Symbolo, lib.3. cap.1.*

*Symbolũ Apoſtolorũ memoriæ à fidelibus mãdatur.*

*V. In Eccleſia præter Scripturas ſacras, eſſe conſuetudines & canones pergrauis auctoritatis.*

*Quæ nõ ſũt ſcripta, ſed tradita, & toto orbe obſeruãtur, vnde originem habeant.*

ILla quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima Auctoritas, commendata atq; ſtatuta retineri, ſicuti, quòd Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcẽſio in cœlũ, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit Eccleſia. *Et paulò pòſt.* Conſuetudinis quippe mutatio, quæ vtilitate adiuuat, nouitate perturbat. *Tom.2. Epiſt.118. cap.1. ad Ianuarium.*

*Cõſuetudinis mutatio quæ vtilitate adiuuat, nouitate perturbat.*

Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepimus: quaſdam verò conſuetudine roboratas vſus approbauit: Quibus par ritus, & idem vtriuſque pietatis debetur affectus: vnde quis vel aliquantulum ſacrarum expertus ſcripturarum hæſitauerit? Si enim attenderimus, cõſuetudines Eccleſiæ, non per ſcripturas, à patribus traditas, nihil æſtimare,

*Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam Apoſtolica traditione, quaſdam conſuetudine*

*Vſus ſe Cruceſignandi. Ceremoniæ Miſſæ.*

quantum religio detrimenti ſit latura, intentiuè inſpicientibus liquidò conſtabit. Quæ enim (vt inde exordiamur) Scriptura ſalutiferæ crucis ſignaculo fideles docuit inſigniri, vel quæ trifariam digeſta ſuper panem & calicem, prolixæ orationis, vel conſecrationis verba commendauit? nam non modò quod in Euangelio cõtinetur, vel ab Apoſtolo, quod eſt inſertum ſecretis dicimus, ſed & alia plura adiicimus magnam quaſi vim cõmendantia myſteriis: quæ Orientem verſus nos literarum orare forma docuit? Benedicimus fontem Baptiſmatis oleo vnctionis. Huic accedit, quòd ter oleo inungimus, quos baptizamus, verbis abrenunciare Sathanæ & angelis eius, informamus. Vnde & hæc, & alia in hũc modum non pauca, niſi tacita ac myſtica traditione à patribus Eccleſiaſtico more, ac reuerentiori diligentia ſunt in miniſteriis obſeruata magis ſilentio, quam puplicata ſcripto. *Diſtinct. 11. cap. Eccleſiaſticarum ex Auguſtino, in lib. ex dictis Baſilij de Spiritu ſancto, cap. 27.*

*Oratio verſus orientem. Benedictio fontis. Inunguntur Baptizati.*

*Vbi Scriptura nihil ſtatuit, mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro Lege tenenda ſunt.*

In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. De quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur intermi nata luctatio quæ labore ſermocinationis, cùm certa documenta nulla veritatis inſinuet, vtique cauendum eſt, ne tempeſtate contentionis, ſerenitas caritatis obnubiletur. *Tomo ſecundo Epiſtola 86. ad Caſulanum preſbyterum, in initio.*

Sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinũ coërcendi ſunt. *Citatur ex eodem loco, Diſt. 11. cap. In his.*

*Quiſquis cõtra inexpugnabilem murum Eccleſiæ arietat, cõfringitur.*

Vtique prodeſt Chriſtus paruulis baptizatis. Prodeſt ergo non credentibus? Sed abſit, vt ego dicam non credentes infantes. Iam ſuperius diſputaui, credit in altero, qui peccauit in altero, dicitur credit: & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet auctoritas matris Eccleſiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quiſquis arietat, ipſe confringitur. *Tom. 10. de verbis Apoſt. ſerm. 14. verſus finem.*

Et ſi quiſquam in hac re auctoritatem diuinã quæ-



*Methodus inueniẽdi traditiones Apoſtolicas.*

rat, quanquam quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur: tamen veraciter coniicere poſſumus, quid valeat in paruulis Baptiſmi Sacramentum, ex circunciſione carnis, quam prior populus accepit. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib. 4. cap. 24.*

*Non ſolùm auctoritate Scripturarũ Eccleſia regĩtur, ſed etiã traditione maiorum.*

Catholica Eccleſia per orbem terrarũ diffuſa, tribus modis probatur exiſtere. Quicquid enim in ea tenetur, aut auctoritas eſt ſcripturarum, aut traditio vniuerſalis, aut certè propria & particularis inſtitutio. Sed auctoritate tota conſtringitur: vniuerſali traditione maiorum nihilominus tota: priuatis verò cõſtitutionibus, & propriis informationibus, vnaquæque pro locorum varietate, prout cuique viſum eſt, & ſubſiſtit, & regitur. *Citatur ex Auguſtino Diſt. 11. cap. Catholica, ex lib. de fide Chriſtiana.*

*Quæ contra fidem & bonam vitam ſunt, Eccleſia Dei nec approbat, nec tacet, nec facit.*

Eccleſia Dei inter multam paleam, multáque zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam nec approbat, nec tacet, nec facit. *Tom. 2. Epiſt. 118. ad Ianuarium, cap. 19.*

### *VI. Multa ab Apoſtolis facta, multa etiam Chriſtiano eſſe ſeruanda, quæ tamen ſcripta non ſunt.*

Non omnia quæ facta ſunt, etiam ſcripta inueniuntur, veruntamen facta eſſe ex cæteris documentis probantur. Scriptum eſt *quando baptizatus ſit Apoſtolus Paulus, & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſunt alij Apoſtoli, veruntamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus, quemadmodum ſcriptum eſt, quando baptizatæ * ſunt plebes Eccleſiarum in Hieruſalem, & Samaria, quando autem baptizatæ ſint aliæ plebes gentium, quibus Apoſtoli Epiſtolas miſerunt, non eſt vtique ſcriptũ: & tamen etiam ipſas baptizatas vtique minimè dubitamus, propter illam Domini ſententiam: * Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. *Tom. 2. Epiſt. 108. ad Seleucianam.*

* *Act. 9.*
* *Act. 2. et 8.*
* *Ioan. 3.*

*Baptizãdus*

Spado, inquiunt (*qui fidem ſine pœnitẽtia et vita melioris*

*non generatim tantũ, ſed etiã ſpeciatim articulos fidei ſe credere teſtari debet.*
** Act.8. * Luc.1. * Matt.27. * Marc.15. * Luc.23. * 1.Cor.15. * Act.1. * Matt.26. * Act.8.*

*propoſito, ſufficere putant baptizandis adultis)* quẽ Philippus baptizauit, nihil plus dixit,* *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*, & in hac profeſſione continuò baptizatus eſt. Num ergo placet, vt hoc ſolum homines reſpondeant, & continuò baptizentur: nihil de Spiritu ſancto, nihil de ſancta Eccleſia, nihil de remiſſione peccatorum, nihil de reſurrectione mortuorum: poſtremò de ipſo Ieſu Chriſto, nihil niſi quia filius Dei eſt, non de incarnatione eius * ex virgine, de * Paſſione, de morte * crucis, de * ſepultura, de tertij * diei reſurrectione, de * Aſcenſione, ac ſede * ad dexterã Patris, aliquid dicendum eſt Catechizanti, ac profitendũ credenti? Si enim Spado cùm reſpondiſſet: * *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*, hoc ei ſufficere viſum eſt, vt continuò baptizatus abſcederet: cur non id ſequimur, atque auferimus cætera, quæ neceſſe habemus, etiam cùm ad baptizandum temporis vrget anguſtia, exprimere interrogando, vt Baptizatus ad cuncta reſpondeat, etiamſi ea memoriæ mandare non valuit?

*Serie Traditionis ſcimus quædã eſſe facta & nunc faciẽda, quæ in Scripturis gratia breuitatis tacentur.*

Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda admiſit cætera, quæ cũ illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo quòd ait, baptizauit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda: pari modo etiam in eo quod ſcriptum eſt, Euangelizaſſe Philippum Spadoni Dominum, nullo modo dubitãdum eſt, & illa in Catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam moréſque pertinent eius qui credit in Dominum Ieſum.

*Ergo in Euangelio Chriſti non tantũ quæ credẽda, ſed etiã quæ obſeruãda ſũt, cõtinentur.*

Hoc eſt enim euangelizare Chriſtum, non tantùm dicere, quæ ſunt credenda de Chriſto, ſed etiam quæ obſeruanda ei, qui accedit ad compagem corporis Chriſti. *Tom. 4. de fide & operibus. cap. 9.*

*Euchariſtia non tantùm ſumitur, ſed etiam offertur.*
** Marc.14.*

Illud magis mouere potuit homines, vtrum iam refecti die illa vel offerrent vel ſumerent Euchariſtiam, quod in Euangelio dicitur: * Cùm autem illi manducarent, accepit Ieſus panem, & benedixit: cùm etiã ſuperius, dixiſſet, * *Cùm ſerò factum eſſet, recumbebat cum*

*Vide quæ ſequuntur in eadem Epiſtola.*



** Matt.26.*

*duodecim, & manducantibus eis dixit, quoniam vnus ex vobis me tradet.** Poſt enim tradidit Sacramentum. Et liquidò apparet, quando primùm acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quòd à ieiunis ſemper accipitur?

*De cõſecra. Diſt.2. Cã. 53. Euchariſtia à ieiunis accipitur.*

Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani, prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur.

*In os Chriſtiani ſumẽtis Euchariſtiã Corpus Dominicum ingreditur.*

Neque quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Namque Saluator quò vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimũ hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorũ, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat.

*Quædã non præcepit Chriſtus, ſed Apoſtolis cõſtituenda reliquit.*

Et ideò nõ præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variaſſet. Cùm verò ait Apoſtolus de hoc Sacramento loquens:

** 1.Cor.11.*

* *Propter quod fratres, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis eſurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis*, ſtatim ſubtexuit, *cætera autem cùm venero, ordinabo.* Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. *Tom. 2. Epiſt. 118. Ianuario, cap. 6.*

*Totus ille ordo agendi, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia circa conſecrationem, oblationem, & diſtributionem Euchariſtiæ, quem agendi ordinem nos Miſſam vocamus, ab Apoſtolo inſtitutus eſt. Vide Lector in eandem ſententiam illuſtrius teſtimonium Auguſtini. Tom. 2. Epiſt. 59. quæ ſcribitur ad Paulinum, quæſt. 5. De celebratione Diei Dominici, quæ tamen in ſacris literis non præcipitur, vide lib. 4. cap. vltimum.*

*VII. Traditiones & conſuetudines particulares, quæ neque cum fide, neque cum bonis moribus pugnant, vbiè in Eccleſiis retineri & obſeruari.*

MIROR ſanè quid ita volueris, vt de iis, quæ variè per diuerſa loca obſeruantur, tibi aliqua conſcriberem, & cùm non ſit neceſſarium, & vna in his ſaluberrima regula retinenda ſit, vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum ſit. Si enim eo modo impedit, vt maiora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, quàm calumniatorũ detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt, maximè illud, quod etiã de Scripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis & pſalmis canendis, cùm & ipſius Domini & Apoſtolorũ habeamus documẽta & exempla & præcepta. *Tom. 2. Epiſt. 119. cap. 18. ad Ianuarium.*

*Saluberrima eſt regula, vt pias Eccleſiarũ conſuetudines approbemus & imitemur.*

*Hymni & pſalmi ex Domini & Apoſtolorũ exemplis canuntur.*

Quæ verò per loca terrarum regionéſque variãtur, ſicuti eſt, quòd alij ieiunant Sabbato: alii verò non: alii quotidiè communicant corpori & ſanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico: etſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt: totum hoc genus rerũ liberas habet obſeruationes: nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentíque Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferẽter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſeruandum eſt. *Tom. 2. epiſt. 118. ad Ianuarium. cap. 2. Similis eſt locus Tomo 3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 22.*

*Cùm hîc ait Auguſtinus: Hoc totũ genus liberas habere obſeruationes, non vult licere cuicunque priuata auctoritate conſuetudines has vel mutare, vel negligere: alioqui non ſubieciſſet, prudenti Chriſtiano, pro eorum inter quos viuit ſocietate, ſeruandas eſſe: Sed cùm primum genus poſuiſſet eorum quæ à Chriſto inſtituta fuiſſent, & ſecundum eorum, quæ ab Apoſtolis, vel plenariis conciliis originem habuiſſent, & vbique in Eccleſia ſeruarentur: nunc tertium genus facit eorum, quæ liberas habere obſeruationes, & indifferenter habenda eſſe dicit, quia licuit illis Eccleſiis, quæ ea ſuſceperunt, non ſuſcipere, & ſuſcepta vel retinere, vel auctoritate publica emendare, aut etiam abrogare. Sed hoc manifeſtius fiet ex teſtimonio, quod proximè ſequitur.*



Quæris enim his verbis, quid per quintam Feriam vltimæ hebdomadis Paſchæ fieri debeat: an offerendũ ſit manè, & rurſus poſt cœnam, propter illud quod dictum eſt: * *Similiter poſtquam cœnatum eſt:* An ieiunandum, & poſt cœnam tantummodo offerendum: An etiam ieiunandum, & poſt oblationem, ſicut facere ſolemus, cœnandum. Ad hæc itaque reſpondeo, vt quid horum ſit faciendum, ſi diuinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus, vt iam non quomodo faciendum, ſed quomodo Sacramentũ intelligendum ſit diſputemus. Similiter etiam ſi quid horũ tota per orbem frequentat Eccleſia: Nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Sed neque hoc, neque illud ineſt in eo, quod tu quæris. Reſtat igitur vt de illo tertio genere ſit, quod per loca regionéſque variatur. Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quã venit, inuenerit. Nõ enim quicquã eorũ cõtra fidẽ fit, aut cõtra mores, hinc vel inde meliores. His enĩ cauſis. i. aut propter fidẽ, aut propter mores, vel emẽdari oportet, quod perperã fiebat, vel inſtitui quod nõ fiebat. *Ibidẽ. cap. 5.*

** Luc. 22. 1. Cor. 11.*

*Diſputare num ita ſit faciendũ, vt Scripturæ auctoritas præſcribit, aut vt tota per orbẽ frequentat Eccleſia, inſolẽtiſſimæ inſaniæ eſt.*

## CAPVT NONVM DE PETRO APOSTOLO, DE ROMANO PONTIFICE ET APOSTOLICA SEDE.

*I. Petrum primum fuiſſe, & caput Apoſtolorum.*

DICVNT exactores didrachmæ ad Petrum Apoſtolum: * *Magiſter veſter non ſoluit di-* **Matth. 17*

drachmam,&c.Quo dicto,magiſtrum, vt pro omnibus diſcipulis ſolueret,conuenerunt. Saluator autem cùm pro ſe & Petro dari iubet, pro omnibus exoluiſſe videtur:quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij,ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt paſtor eſſet gregis Dominici. Nam inter cætera dicit diſcipulis: *Vigilate & orate,ne intretis in tentationem.Et Petro dicit,Ecce,Sathanas expoſtulauit, vt vos ventilet ſicut triticum:Ego autem rogaui pro te,vt non deficiat fides tua, & tu tandem conuerſus confirma fratres tuos. Quid ambigitur?Pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam? Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri,rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur:Semper enim in præpoſito populus aut corripitur,aut laudatur. Quia & in alio loco dicit:* Ego pro iis rogo, quos mihi dediſti Pater,& volo vt vbi ego ſum,& ipſi ſint mecũ. *Tom.4. quæſtio.ex nouo Teſtamento,quæſt.75.*

*In Petro poſt Saluatorem omnes continẽtur. Chriſtus cõſtituit Petrum caput Apoſtolorũ.*
**Matt.26.*
** Luc. 22.*
*Quare pro Petro rogat Chriſtus,nõ pro Ioanne, aut Iacobo, aut cæteris Apoſtolis.*
** Ioan.17.*

Quædam dicuntur (*in Euangelio*) quæ ad Apoſtolũ Petrum propriè pertinere videantur:nec tamen habent illuſtrem intellectum,niſi cùm referuntur ad Eccleſiã, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter primatum,quem in diſcipulis habuit, ſicuti eſt: * *Tibi dabo claues regni cælorum*, & ſi qua huiuſmodi,& cætera.*Tom.8.in Pſal.*108.*Enarratione prima.*

** Matt.16.*

*Cùm hic legis, Lector pie, Petrum perſonam Eccleſiæ geſsiſſe, ſicq; accepiſſe claues:intellige, ipſum propter primatum,& officiũ paſtorale, ſuſtinuiſſe perſonam totius Eccleſiæ,quamuis ipſe ſolus acceperit, cùm non eas propter ſe,ſed propter Eccleſiam acceperit:ita Regem dicimus regni,& Epiſcopum totius diœceſis perſonam ſuſtinere, & quamcunque prærogatiuam ijs tanquam publicis perſonis cõceſſam, regno etiam vel diœceſi concedi.Hanc verò eſſe Auguſtini ſententiam,manifeſtè conſtat ex verbis illis (cuius Eccleſiæ ille Petrus noſcitur in figura geſsiſſe perſonã, propter primatum quem in diſcipulis habuit. Lege & Tom.3.de Agone Chriſt.cap.30.Et Tom.9.in Euang. Ioan. Tract.7. Et Tom.10.hom.45. Item de verbis Domini,Serm.13. vbi hoc ipſum interpretans, Petrus inquit, à Petra,cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens. Præterea cum dicit: Propter Apoſtolatus ſui primatum, Petrus Eccleſiæ gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat,gratia vnus Chriſtianus,abundantiori gratia vnus idémque primus Apoſtolus. Tom. 9.Tract.124.in Ioannem.*



Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros formidaſſe (*agitur de lotione pedum*) atque recuſaſſe, cùm id alii ante ipſum libenter vel æquanimiter ſibi fieri permiſiſſent: facilius quippè ſic accipiuntur iſta verba Euangelii:quia cùm dictum eſſet: * *cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*: deinde ſubiunctum eſt:venit ergo ad Simonem Petrum, quaſi aliquibus iam lauiſſet,& poſt eos veniſſet ad primum.Quis enim neſciat primum omnium Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum? *Tom. 9. in Euangel. Ioan. Tract. 56.*

** Ioan.13.*
*Petrus primus omniũ Apoſtolorũ.*

Puto quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum,cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed etſi diſtat Cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrum gloria. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donatiſt.lib.2.cap.1.*

*2.q.7 c. Puto: Petri Apoſtolatus principatus cuilibet Epiſcopatui præferẽdus.*
*Petrus diſtat à Cypriano, Cathedrarum gratia.*

Agnouit planè peccatum ſuum infirmitas Petri, prorſus agnouit, & quantum mali Chriſtum negando commiſerit, plorando monſtrauit.Ipſe ſuos redarguit defenſores, & vnde eos conuincat, adducit lachrymas teſtes.Neque nos cùm iſta dicimus, primum Apoſtolorum accuſare delectat:ſed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quiſquã de humanis viribus fidat. Nam quid aliud pertinuit ad Doctorem, Saluatorémque noſtrum,niſi vt nobis nequaquã de ſe quenquam præſumere debere,in ipſo primi Apoſtolorũ de-

*Petrus primus Apoſtolorum.*

monſtraret exẽplo? *Tom.9. in Euang. Ioannis, Tract.66.*

*In Petro Apoſtolorũ primo & præcipuo, figurabatur Eccleſia.*

In illo vno Apoſtolo, id eſt, Petro, in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrunque genus ſignificandum fuit, id eſt, firmi & infirmi, quia ſine vtroque nõ eſt Eccleſia. *Tom.10. de verbis Domini Serm.13.*

Quod autem dicitur Petrum egiſſe pœnitẽtiam, cauendum eſt, ne ita putetur egiſſe, quomodo agunt in Eccleſia, qui propriè Pœnitentes vocantur. Et quis hoc ferat, vt primum Apoſtolorum inter tales pœnitentes numerandum putemus? *Tom.2. Epiſt.108. ad Seleucianã.*

In Apoſtolo Petro primatus Apoſtolorũ excellenti gratia præeminet. *To.7. de baptiſ. cõtra Donat. li.2. ca.1.*

## *II. Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ.*

** Matt.16. Supra fundamentum Petri, Eccleſiaſtici ædificij altitudo cõſurgit.*

INSTITVTIO ſolẽnitatis hodiernæ à ſenioribus noſtris Cathedræ nomẽ accepit, ideò quòd primus Apoſtolorũ Petrus hodiè Epiſcopatus Cathedrã ſuſcepiſſe referatur. Rectè ergo Eccleſiæ, natalem ſedis illius colunt, quam Apoſtolus pro Eccleſiarum ſalute ſuſcepit, dicente Domino: * *Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Petrum itaque Fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificii altitudo conſurgit. *Tom.10. de Sanctis, Serm.15. qui eſt in feſto Cathedræ ſancti Petri.*

** Ioan.21. * Matt.26. * Matt.16. Petrus Eccleſiarũ Petra. lib.1. Retract. cap.20. Petrus eſt Petra, ſupra quã ædificatur Eccleſia.*

Tanquam bonus * paſtor tuendum gregem accepit, vt qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus * firmamentum. Et quia ipſe * interrogationis tentatione negauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Deniq; pro ſoliditate deuotionis, Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus: * *Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam.* Petra enim dicitur eò, quòd primus nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile, totius corporis Chriſtiani cõpagem molẽmque contineat. *Ibidem, Serm.16. Leguntur hæc & in Ambroſio.*

** Matt.16*

Audiſtis frequenter ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum, ſicut ait: * *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, rectè prius pedes * ſanat, vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. *Tom.10. Serm.26. de ſanctis.*



** Act.3. Petrus fidei fundamẽtũ in Eccleſia continet. * Matt.26.*

Erat hic Petrus reuera paulò durior & ſeuerus, ſicut eius auſteritatem truncata * ob Chriſti iniuriam ſerui principis Sacerdotũ declarat auricula. Hic igitur tam durus támque ſeuerus, ſi donum nõ peccandi à Domino fuiſſet indeptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed idcircò diuinæ prouidentiæ ſecretum ita temperauit, atque permiſit, vt primus ipſe laberetur, ac rueret in peccatum, quò erga peccantes duriorẽ ſententiam proprii caſus intuitu temperaret. Quantum igitur diuini muneris erga ſalutem hominũ, quantum curæ quantúmque ſolicitudinis impendatur aduertite. Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, & in ipſo vertice componit membrorum omnium ſanitatem, in ipſa confeſſionis Chriſti crepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento, in Petro ſcilicet illo, qui dixerat: * Etiamſi me oporteat mori tecum, nõ te negabo. *Tom.10. de Tempore, Serm.124. Feria quarta poſt Dominicam Palmarum, ſerm.1.*

*Petrus caput Eccleſiæ membrorum omniũ vertex, immobilis fidei fundamentum. * Matt. 6.*

*Petrus petra ſuſtentãs populos. Paulus quare vas.*

Optima Apoſtolorum nomina petra & vas neceſſaria ſunt domui Saluatoris. Domus enim petrarum fortitudine cõſtruitur, vtilitate vaſis ornatur. Petra ad firmamentum ne labantur, ſuſtentat populos: vas ad cuſtodiam ne tententur, operit Chriſtianos. *Tom.10. in feſto Petri & Pauli. Serm.2.*

** Matth.16 Petrus lapis columna & clauis.*

Solus inter Apoſtolos meruit audire: * Amen dico tibi, *quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam:* dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis, lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. *Ibidem. Serm.5.*

** Act. 10. * Matt. 16.*

Præfigurabat Dominus Eccleſiã, quòd oẽs gẽtes erat trãſuoratura, & in corpus ſuũ cõuerſura, & ait Petro, * *Macta & manduca.* O Eccleſia, hoc eſt, Petre, * quia ſuper hãc petrã ædificabo Eccleſiã meã, macta & mãduca. *Tom.8. Pſal.30. concione 2. in hæc verba: Quoniã defecit.*

Cyprianus in Epiſtola ad Quintum, ita loquitur: *Super Petrũ*

*Dominus ædificauit Eccleſiam ſuam.*

Nam nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecùm Paulus de circunciſione diſceptaret, poſtmodum ſe vindicauit, ſeu aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit. *Tom.7. de baptiſ. contra Donatiſ. lib.2. cap.1.*

In hoc libro (*contra Epiſtolam Donati*) dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in eo tanq̃ in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum, in verſibus beatiſsimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente, culpam diluit. Sed ſcio me poſteà ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt: * *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, vt ſuper hãc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus dicens: * *Tu es Chriſtus Filius* Dei *viui*, ac ſi Petrus ab hac petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cælorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es petra, ſed tu es Petrus, petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autẽ duarũ ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector. *Tom.1. Retractationũ, lib.1. cap.21.*

**Matt.16.*

**Ibidem.*

*Non igitur verum eſt (vt Lectorem obiter moneamus) quod aſſerunt quidam, ex Auguſtini ſententia, non ſupra Petrum, ſed ſupra Chriſtum fundatam eſſe* Eccleſiam. *Nam ſicubi id affirmauit Auguſtinus, ipſe ſe explicat, cùm Chriſtum primariam petram eſſe vult, Petrum ſecundariam eſſe non negat: ita enim exponens locum illum Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, id eſt, (inquit) ſuper me ipſum Filium* Dei *viui ædificabo* Eccleſiam *meam. Quod cùm dixiſſet, illicò quaſi interpretans dictum ſuum ſubiungit: Super me ædificabo te, non me ſuper te. De verbis Domini, Sermone 13. Quinimò reuocat planè, dũ in ſuprà citatis verbis Lectori liberũ relinquit, vtrã malit ſententiã ſequi. Ac interim aduerte pie Lector, verbis illis Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c. potius Petrum pronunciari fundamentum Eccleſiæ*



*quàm Chriſtum, quem eſſe primum & maximũ fundamentũ nullus ambigebat. Hoc conſtat ex verbis Euangelij. Hoc ex ſententia Eccleſiæ, quam Auguſtinus minimè diſſimulat, verbis illis (qui ſenſus etiã cantatur ore multorũ in verſibus beatiſsimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente &c.) Hoc veterum Patrum chorus confirmat. Dionyſius Areopag. de paſſ. Petri & Pauli, ad Timoth. Clemens Epiſtola prima ad Iacobũ. Anacletus Epiſtola ad Epiſcopos per Italiam. Pius primus Epiſtola ad vniuerſos Chriſti fideles. Marcellus primus ad Epiſcopos Antiochenæ prouinciæ. Eutychianus ad Epiſcopos Bethicæ. Cyprianus lib. de Simplicitate prælatorũ. Tract.3. & lib.1. Epi.12. & lib.4. epiſtola ad Pupianũ, qui omnes Chriſti martyres fuerunt, & de habitu virginum, & de baptizandis hæreticis. Tertull. lib. de præſcriptione hæreticorum. Hilarius in Matth. can.16. & in Pſal.131. Optatus Mileuitanus lib.2. contra Parmenianum. Ambroſ. ſerm.47. Hieronymus in 16. cap. Matth. in 2. ca. Iſaiæ, & in 41. Ezechiel. & in 16. Hieremiæ, 1. Abdiæ. 7. Amos. Et lib.1. contra Iouinia. & lib.1. contra Pelag. Leo primus ſermone tertio de Paſſione Domini, & epiſt.10. ad Flauianũ, & alibi Gregorius in Regiſt. li.6. epi.37. Proſper Aquitanicus de vocatione gẽtiũ, lib.2. ca.28. Paulinus Epiſt.4. ad Seuerũ. Maximus ſer. de ſanctis Petro & Paulo, qui incipit: Glorioſiſsimos. Iſidorus lib. de patr. noui Teſt. Bernardus lib.2. de conſideratione. Cõſentiunt græci quoque, vt Origen. lib.5. in cap.6. epiſt. ad Ro. & homil.5. in Exodũ, ac homil.35. in Matth. Et homil. de diuite & paupere. Baſilius conc. de pœnitentia, & lib.2. contra Eunomiũ. Chryſ. in Pſal.50. hom.2. & in Encomio Petri & Pauli. Epiphanius lib. Ancoratus. Cyrill. lib.2. in Ioannem. cap.12. & lib.12. Theſau. & lib.13. de Spiritu ſancto. Theodoretus in cantica. Euthymius in 16. cap. Matth. Alexandrina Synodus ſub Athanaſio, Epiſtola ad Felicẽ.2. Denique Synodus octaua generalis Act.1. vbi Nicolai Pontificis Romani epiſtola*

*comprobat duabus Romanis Synodis probatam: vt recentiores alios prætermittamus.*

### III. *Petrum Romæ* Epiſcopalem *Cathedram tenuiſſe, Simonem Magum ſuperaſſe, ibidemq; martyrio coronatum eſſe.*

*In Cathedra Romana Eccleſiæ ſedit Petrus antea, & Auguſtini tẽpore Anaſtaſius.*

** Pſal. 1.*

** Matt. 23.*

*Cathedræ Apoſtolicæ nõ eſt faciẽda iniuria, propter homines in ea ſedentes.*

Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodiè Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodiè Ioannes ſedet, quib⁹ nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nephario furore ſeparaſtis? Quare appellas Cathedram * peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait: * Dicunt enim & non faciunt, Cathedræ, in qua ſedebant, vllam fecit iniuriam? Nónne illam Cathedram Moyſi commendauit, & illos ſeruato Cathedræ honore redarguit? *Tom. 7. contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 51.*

*Petrus Simonẽ Magum Romæ diuina virtute extinxit.*

Iouem ſe credi volebat (*Symon Magus*) Mineruam verò, meretricem quandam Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat, imaginéſque & ſuam & eiuſdem meretricis diſcipulis ſuis prebebat adorãdas, quas & Romæ tanquam Deorum ſimulachra, auctoritate publica conſtituerat. In qua vrbe beatus Apoſtolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. *Tom. 6. lib. de hæreſ. ad Quod vult deum, hæreſ. 1.*

*Petrus primus Apoſtolorum, martyrio Romæ coronatus.*

Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorũ voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. *Tom. 7. contra Iulian. Pelagian. lib. 1. cap 2.*

*Petrus & Paulus vna die, vno in loco tyranni vnius tolerauere ſententiã. 2. q. 7. c.*

Puto illos (*Petrum & Paulum*) æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione: & ſimili eos fidei deuotione vixiſſe, quos ſimul videmus ad martyrii gloriam perueniſſe. Non enim ſine cauſa putemus factum, quòd vna die, vno in loco, tyranni vnius tolerauere ſententiam. Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſequutore, vt æqualis crudelitas vtrunque con-



ſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſequutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt ſancti Apoſtoli? In vrbe Roma, quæ principatum tenebat, & caput obtinet nationum, ſcilicet, vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, ibi Eccleſiarum morerentur principes. *Tom. 10. de ſanctis. In feſto Apoſtolorum Petri & Pauli. Serm. 3. habetur hic ſermo & inter opera Ambroſij.*

Cogitauerunt (*nempe Pagani, cùm vellent ſcriptũ quoddam magicum Chriſto falſò tribuere*) ad quos potiſſimum ſcribere potuiſſe facilè crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæſiſſent, quibus illud quaſi ſecretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quòd pluribus locis ſimul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem paſſionis diem celebrius & ſolẽniter Roma commendat. *Tom. 4. de conſenſu Euang. lib. 1. cap. 10.*

*Vſus imaginum Chriſti & Apoſtolorum.*

### IIII. *A Petri temporibus continuatam Romanorum Pontificum ſucceſsionem, certiſsimum eſſe ſignum veræ atque Catholicæ Eccleſiæ.*

Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium cõſiderandus eſt, quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: * *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam.* Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Teleſphorus, Teleſphoro Iginius, Iginio Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio, Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xiſtus, Xiſto Dionyſius, Dionyſio Felix, Felici Eutychianus, Eutychiano Gaius,

** Matt. 26.*

*Romanorum Pontificũ ſucceſſio, à B. Petro Apoſtolo vſque ad Anaſtaſium.*

Gaio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Melchiades, Melchiadi Sylueſter, Sylueſtro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus inuenitur. Sed ex tranſuerſo ex Africa ordinatum miſerunt, qui paucis præſidens Afris in vrbe Roma Montenſium vel Cuzupitarum vocabulum propagauit. In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro, vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſurrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis: quibus Dominus prouidens, ait de præpoſitis malis: * *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt*, vt certa ſit ſpes fidelibus, quæ non in homine, ſed in Domino collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur. *Tom.2.Epiſt.165.ad literas cuiuſdam Donatiſtæ.*

*In Romano. Epiſcoporũ ordinẽ, etiãſi quiſquã traditor ſurrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis.*

* *Matt. 23.*

*Spes fideliũ Apoſtolicæ Cathedræ obedientiũ, nõ in homine, ſed in Deo collocata eſt.*

Venite fratres, ſi vultis, vt inſeramini in vite. Dolor eſt, cùm vos videmus præciſos ita iacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede: & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, * quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. *Tom.7 in Pſal. contra partem Donati.*

*Sedes Petri & Romanorũ Pontificũ ſibi ſuccedentiũ, Petra eſt quã non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

* *Math.16.*

Vt ergo omittam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis, multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſsimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata: Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcẽdas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod nõ ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuã vel domum audeat oſtendere. *Tom.6.contra Epiſt.Manich. cap.4.*

*Tenet Auguſtinũ in Eccleſia Catholica, Romanorũ Pontificum à Petro vſque ad ſua tempora ſucceſſio.*

Eorum qui extra Eccleſiam, vel contra Eccleſiam ſe-



des ſibi inſtituerunt, Cathedram peſtilentiæ dicimus. Qui enim inconceſſa præſumit, reus eſt, quãtò magis, ſi & corrumpat traditionem eius, cuius ſedem vſurpat. Nam & ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & vſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſeruatum perturbant, ordinem ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt, corpus ſine capite profitentes, vnde congruit etiam eorum ſedem Cathedrã peſtilentiæ appellare. *Tom.4.ex quæſt.in no.& vet.Teſt.quæſt.110.*

*Hæretici ordinẽ ab Apoſtolo Petro cœptum, & huc vſque ſeruatũ perturbant.*

### *V. Penes Romanam ſedem eſſe primatum, ſummam auctoritatem, & vniuerſalem curam totius Eccleſiæ.*

AD Pompeium etiam ſcribit Cyprianus de hac eadem re, vbi apertè indicat, Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe dicimus, non ſolùm ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verùm etiam contrà ſcripſiſſe ac præcepiſſe: qui vtique Stephanus non propterea communicauit hæreticis, quia baptiſma Chriſti, quod in eorum peruerſitate integrum manſiſſe cognouit, improbare non auſus eſt. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib.5.cap.23.*

*Stephanus Papa contra anabaptiſmũ in Africa vſurpatũ, ſcripſit & præcepit.*

Erat tranſmarinis vicina regionibus & fama celeberrima nobilis (*Carthago*). Vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopum (*Cæcilianum*) qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, In qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur. *Tom.2.Epiſt.162.prope initium, ad Glorium, Eleuſium, Felicem Grammaticum.*

*In Romana Eccleſia ſemper Apoſt. Cathedræ viguit principatus.*

Placuit, vt literæ mittantur ad fratres, & Coëpiſcopos noſtros, & maximè ad ſedem Apoſtolicam (in qua præſidet memoratus venerabilis frater & collega noſter Anaſtaſius) quo nouerit habere Africam magnam neceſſitatem, propter Eccleſiæ pacem & vtilitatem, vt & ipſis Donatiſtis, quicunque clerici correcto conſilio

*Concilium Africanũ ſedis Apoſtolicæ ſentẽtiã & cõſenſum poſtulat,*

*vt clerici ad Eccleſiã redeuntes, dignitatis ſuæ locum non amittant.*

ad Catholicam vnitatem tranſire voluerint, ſecundùm vniuſcuiuſque Epiſcopi Catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat Eccleſiam (ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit) in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus eiuſdem diuiſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt. *Tom.1.Concil.Conc.African.Can.35.*

*Conciliũ Mileuitanũ Põtificis Romani paſtoralẽ diligentiam implorat.*

Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede Apoſtolica collocauit, talémque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quàm ea tu poſſis vel faſtidioſè vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti, paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. *Tom.2. Epiſt.102. Concil.Mileuit.ad Innocentium Papam.*

*Romanus pontifex altius præſidet.*

Neque dedignaris, qui non alta ſapis, quanuis altius præſideas (*Alloquitur Bonifacium Romanum Pontificem*) eſſe amicus humilium, & amorem rependere impenſum. *Tom.7.contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ad Bonifacium, lib.1.cap.1.*

*Romanus põtifex aliis Epiſcopis celſiore faſtigio in ſpecula paſtorali præeminet.*

Cum non deſinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto precio redemptas oues, aditus vndecunque rimari, communíſque ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quãuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio, ſpecula paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adiuuantibus orationibus tuis, donare dignatur, vt peſtilentibus & inſidiantibus eorum ſcriptis, medentia & munientia ſcripta prætendam, quibus rabies qua furunt, aut etiam ipſa ſanetur, aut à lædendis aliis repellatur. *Ibidem Vide plura ad idem argumentum pertinentia, capite proximè ſequenti, Titul.5.*

*Romani põtificis auctoritas, de ſanctarũ ſcripturarũ auctoritate deprompta.*

Arbitramur, adiuuãte miſericordia Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritate ſanctitatis tuæ, de ſanctarũ ſcripturarũ auctoritate deprõptæ, facilius eos, qui tam peruerſa & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros, vt de correctione potius eorũ cõgratulemur, quàm cõtriſtemur interitu. *Tom.2. Epiſt.92.Papæ Innoc.ſub finem.*



*Antiquæ traditionis exempla ſeruanda.*

In requirendis de his rebus, quas omni cum ſolicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero iuſtóque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exẽpla ſeruantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minus nũc in conſulendo, quàm antea cùm pronunciaretis vera ratione firmatis, qui ad noſtrũ referendum approbaſtis eſſe iudiciũ, ſcientes quid Apoſtolicæ ſedi, cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus & tota auctoritas nominis huius emerſit. Quem ſequentes tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda: vel id verò quod Patrum inſtituta Sacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed diuina decreuere ſententia, vt quicquid de diſiunctis remotíſq; prouinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad huius ſedis notitiam perueniret: vbi tota huius auctoritate iuſta quæ fuerit pronũciatio firmaretur, indéque ſumerẽt cæteræ Eccleſiæ (velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuerſas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manerent) quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœno inemundabili ſordidatos mundis digna corporibus vnda vitaret.

*Nõ humana ſed diuina ſententia decretũ eſt, vt difficiles cõtrouerſiæ ad Romanã ſedem deferantur.*

*Tom.2. epiſt 91. Innocentij Papæ ad Patres Concilij Carthaginenſis. Ex Epiſtolis Innocentij duximus petenda eſſe teſtimonia, tum quòd ad Auguſtinum & alios Patres mitterentur, tum quòd has reſponſiones Innocentij Auguſtinus pluribus locis magnopere probet. Epiſt.106.ad Bonifacium. Et Tom.7. lib.1.cont. Iulian.cap.2. Et de peccato orig.cont.Pelag.cap.8.*

Diligenter ergo & congruè Apoſtolico cõſulitis honori, honori inquam illius, quem præter illa quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo * manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatã. Verùm hæc miſſa facio: neque enim hoc veſtram credo latere prudentiã. Quid etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes quòd per omnes prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent? præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & coëpiſcopos noſtros,

* 2. Cor.11.

*Quæſtiones de iis quæ ad fidem pertinẽt, quare ad ſedem Apoſtolicam referenda.*

nō niſi ad Petrū, id eſt, ſui nominis & honoris auctorẽ referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſsit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cùm inuentores malorum ad duplicis relationem ſynodi, ſententiæ veſtræ ſtatutis, viderint ab Eccleſiaſtica communione ſeiunctos. Gemino igitur bono caritas veſtra fungitur. Nam & Canonum potiemini gratia ſeruatorum, & beneficio veſtro totus orbis vtetur. *Tom. 2. Epiſt. 93. Innocentij Papæ ad Patres Concilij Mileuitani.*

## *VI. Pontificem Romanum olim ante tempora Auguſtini, in cauſis Epiſcoporum, iudicio præſediſſe.*

*Melchiadis in Africanos Epiſcopos auctoritas.*

MElchiadis (*Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi*) vltima eſt prolata ſententia, quàm innocẽs, quàm integra, quàm prouida atque pacifica, qua neque collegas (*70. Epiſcopos Donatiſtas*) in quibus nihil conſtiterat, de Collegio ſuo auſus eſt remouere, & Donato ſolo, quem totius mali principem inuenerat, maximè culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias literas mittere, etiam iis quos à Maiorino (*Epiſcopo Donatiſta in locum Cæciliani Carthagini ſubrogato*) ordinatos eſſe conſtaret: ita vt quibuſcunque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, eum cōfirmari vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. O virum optimum, ô filium Chriſtianę pacis, & patrẽ Chriſtianę plebis. *Tom. 2. Epiſt. 162. ad Epiſcop. Donatiſtas, vltra mediū.*

*Melchiades pater Chriſtianæ plebis.*

Vltro faſſus eſt (*Parmenianus*) ſuos ipſos adiiſſe Cōſtātinū, & arbitrio eius à iudicibus Epiſcopis cauſam cognitam, quibus præfuit Melchiades Romanæ vrbis Epiſcopus. In quo iudicio, ſicut Eccleſiaſtica geſta teſtantur, quia victi ſunt iſti & innocens Cæcilianus inuentus eſt, eundem Melchiadem crimine traditionis accuſant. Quod quæro quomodo cognouerint? Si enim ante iudicium, non ſibi præiudicare debuerūt, vt apud talem iudicem cauſam agere inciperent, etiam ex præcepto Imperatoris, quem ipſi adierant, tale ſubiêre iudicium. Si autem poſt dictam cauſam prolatámque ſententiam, eum traditorem didiciſſe perhibẽt, vſque adeò

*Vetus hæreticorum mos poſt datam aduerſum ſe ſententiam, Romanum Pontificem criminandi.*



dementes ſunt homines, vt ducẽtos iudices apud quos victi ſunt, victis litigatoribus credant eſſe poſtponendos? *Tom. 7. contra epiſt. Parmen. lib. 1. cap. 5.*

Sed quia Coſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam atque finiẽdam Epiſcopis delegauit. Quod & factum eſt in vrbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ cum multis collegis ſuis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciaſſent, & Donatum, qui ſchiſma Carthagini fecerat, ſententia percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorẽ venerunt, & de iudicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant, murmurauerunt. *Tom 2. epiſt. 166. ad Donatiſt. circa medium.*

*Conſtantinus nō auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, ad Romanæ ſedis Epiſcopum Africanos remittit.*

Reticium ab Auguſtuduno Epiſcopum magnæ fuiſſe auctoritatis in Eccleſia tempore Epiſcopatus ſui geſta illa Eccleſiaſtica nobis indicant, quādo in vrbe Romana, Melchiade Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo præſidente, cum aliis iudex interfuit, Donatúmque damnauit, qui prior auctor Donatiſtarum ſchiſmatis fuit, & Cæcilianum Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſoluit. *Tom. 7. contra Iulian. Pelag. li. 1. cap. 2.*

*Melchiades Apoſtolicæ ſedis Epiſcopus Epiſcopali iudicio præſidens Donatū dānauit.*

Domino beatiſſimo & honorabili fratri Bonifacio, Aurelius Valentinus primæ ſedis prouinciæ Numidiæ, & cæteri, qui preſentes adfuimus numero 217. ex omni Concilio Africæ. Quoniam Domino placuit vt de his, quæ nobiſcum egerunt, ſancti fratres noſtri, Coëpiſcopus Fauſtinus & Compreſbyteri Philippus & Aſellus; non beatæ memoriæ Epiſcopo Zozymo, à quo ad nos Mandata & literas attulerunt: ſed tuæ venerationi, qui in eius locum es diuinitus conſtitutus, humilitas noſtra reſcriberet: ea breuiter inſinuare debemus, quæ vtrorumque concordia terminata ſunt. *Et paulò pòſt* Vt Romam liceat Epiſcopis prouocare, & vt clericorum cauſæ apud ſuarum prouinciarum Epiſcopos finiantur, iā priore anno etiam literis noſtris ad eundem venerabilis memoriæ Zozymum Epiſcopum datis, inſinuari curauimus: vt ea ſeruare, ſine vlla eius iniuria pauliſper ſineremus vſque ad inquiſitionem ſtatutorum Concilij Nicæni. Et nunc de tua poſcimus ſanctitate, vt quemadmodum ea apud Nicæam à patribus acta vel conſtituta

*Ex concilio Sardic. ca. 3. 4. & 7. et 2. q. 6. Si quis Epiſcopus accuſatus.*

ſunt, ſic ea nobis facias cuſtodiri, & ibi apud vos iſta, quæ in commonitorio attulerunt, facias exerceri, id eſt, ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo deiecerint eum, & appellaſſe videatur, & confugerit ad beatiſſimū Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum, & voluerit audiri, & iuſtum putauerit, vt renouetur examen: Scribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi omnia diligenter requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd ſi is, qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes auctoritatem eius, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit ſufficere Epiſcopos, vt negocio terminum imponant, faciet quod ſapiētiſsimo cōſilio ſuo iudicauerit. *To. 1 Cōcil. Concil. Afric. can. 101. epiſt. ad Bonifaciū Papam, Aug. ſubſcripſit.*

*Africani patres Epiſcopis ſuo gradu deiectis, appellationem ad Romanum Pontificē concedunt.*

*Canones Conſtantinopoli & Alexandria poſtea in Africam miſſos, non fuiſſe integros, conſtat ex epiſtolis Iulij primi contra Orientales. De his autem Iulij epiſtolis, vide Athanaſ. Apol. 2. Theodoret. lib. 2. cap. 4. Socratem lib. 2. cap. 15. & 17. Sozomenum lib. 3. cap. 8. & 10. Nicephor. lib. 9. cap. 6. 8. & 10. vt ceteros omittam. Canones autem quos Iulius ex Concilio Niceno citat, quique ad præſens hoc noſtrum negocium vel maximè pertinent, hi ſunt.*

*Vt omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam grauioribus pulſantur vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, liber Apoſtolicam appellent ſedem, atque ad eam quaſi ad matrem confugiant, vt ab ea (ſicut ſemper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius diſpoſitioni, omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas & Epiſcoporū iudicia, antiqua Apoſtolorum corúmque ſucceſſorū atque canonum auctoritas reſeruauit: Quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem ſedis Papæ fieri placuerit.*

*Placuit vt accuſatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua cauſa Epiſcopus, libenter appellet & adeat Apoſtolicæ ſedis* Pontificem, *qui aut per ſe, aut per vicarios ſuos, eius retractari negocium procuret. Et dum iterato iudicio* Pontifex



*cauſam ſuam audit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Epiſcopus: quoniam quanquam à comprouincialibus Epiſcopis accuſati cauſam Pontificis ſcrutari liceat, non tamen definiri inconſulto Romano Pontifice, permiſſum eſt, cū beato Petro Apoſtolo et non ab alio, quàm ab ipſo dictum ſit Domino: Quęcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: Et quæcūque ſolueris ſuper terrā, erūt ſoluta & in cælis.* *Matth. 16.* *To. 1. Concil. in reſcripto, ſeu epiſt. 2. Iulij contra Orientales, cap. 2. 3. & 4. Conſonant his, quos ex eodem concilio idem citat cap. 10. & 17. Habes autem ſuper hac quæſtione doctā & luculentam diſputationem, in dialogis ab Alano Copo nuper editis contra Magdeburgenſes.*

## *VII. A Romana ſede de doctrina Catholica iudicium ferri, hæreſes damnari.*

NOn agitur de vno Pelagio, qui iam fortaſſe correctus eſt, quod vtinam ita ſit, ſed tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas velut conuictas trahentibus, fideles autem & in fide ſtabiles ipſa contentione fatigantibus, vſquequaque iam plena ſunt omnia. Aut ergo à tua veneratione acciendus eſt Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, ſi tamen iam fateatur, ad non peccandum iuſtéque viuendum homines adiuuari. Aut hoc ipſum cum eo per literas agendum, & cùm inuentus fuerit hanc dicere, quam docet Eccleſiaſtica & Apoſtolica veritas, tunc ſine vllo ſcrupulo Eccleſiæ, ſine latibulo ambiguitatis vllius abſoluendus eſt, tunc eſt reuera de eius purgatione gaudendum. *Tom. 2. Epiſt. 95. prope initium, Innocentio Papæ.*

*Acciendus Romam Pelagius, vt ibi explorata eius doctrina, vel damnaretur, vel abſolueretur.*

Te autem ſi libenter vel patiēter admittis chariſsime frater, admoneo ne hæreſim nouam minus cautus incurras, quæ antiquiſſimæ fidei ſtabilita molitur fundamenta conuellere, aduerſus Dei gratiam diſputando, quam Dominus Chriſtus puſillis & magnis ineffabili bonitate largitur: cuius vel auctores vel certè acerrimi notiſſimíque ſuaſores cum Pelagius & Cæleſtius extitiſſent, Conciliorum Epiſcopalium vigilantia in adiutorio Saluatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam à duobus venerabilibus antiſtitibus Apoſtolicæ *Pelagius &*

*Cæleſtius duobus ſedis Apoſtolicæ Epiſcopis toto orbe damnatur.*

à ſedis,Papa Innocentio, & Papa Zozymo , niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt. De quibus exempla recentium literarum,ſiue quæ ſpecialiter ad Afros,ſiue quæ vniuerſaliter ad omnes Epiſcopos de memorata ſede manarunt , ne fortè ad veſtram ſanctitatem nondum peruenerint,vobis curauimus mitti. *Tom.2.Epiſt.157.ad Optatum.*

*Diploma Pont. Romanorum ad omnes vniuerſaliter Epiſcopos.*

Hunc ſenſum (*hæreſim ſuam de peccato originali*) vobis aperire Pelagius,vel timuit, vel erubuit , quem diſcipulus eius palàm ſine vllius obſcuritatis ambagibus apud ſedem Apoſtolicam profiteri non timuit , nec erubuit. Sed multum miſericors memoratæ ſedis Antiſtes , vbi eum vidit ferri tanta præſumptione præcipitem , tanquam furentem, donec ſi poſſet fieri,reſipiſceret , maluit eum ſenſim ſuis interrogationibus & illius reſponſionibus colligare,quàm diſtrictam ferendo ſentẽtiam abruptum,quò iam pendere videbatur,impellere. Ideò autem non dixi apertè cciderat,ſed propendere videbatur,quia ſuperius in eodem libello ſuo, de huiuſmodi quæſtionibus locuturus,antè prædixerat : Si fortè vt hominibus quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit , veſtra ſententia corrigatur. *Tom.7.d peccato originali, contra Pelag.& Cæleſtium,cap.6.*

*Sentẽtia Romani Pontificis in hæreticos.*

Hanc eius prælocutionem venerabilis Papa Zozymus tenens, egit cum homine, quem falſæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea quæ illi à Diacono Paulino fuerãt obiecta damnaret,atque vt ſedis Apoſtolicæ literis, quæ à ſanctæ memoriæ ſuo præceſſore manauerant,præberet aſſenſum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare,ſed beati Papæ Innocentij literis nõ eſt auſus obſiſtere,imò ſe omnia,quæ Sedes illa damnaret,damnaturum eſſe promiſit,atque ita velut phreneticus, vt requieſceret tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis,nondum eſt creditus eſſe ſoluendus. *Ibid.cap.7.*

*Excõmunicationis vinculis hæretici ligati.*

Viſus eſt ad tempus aliquid dicere (*de Pelagio ſermo eſt*) quod fidei Catholicæ conueniret, ſed illam ſedem vſque in finem fallere non præualuit. Poſt reſcripta quippè Africani Concilij,in quam prouinciam quidem doctrina illa peſtifera ſerpendo peruenerat, ſed eam non

*Romanã ſedẽ Pelagius fallere non præualuit.*

tam latè



tam latè occupauerat, altéque peruaſerat , alia quoque ipſius in vrbe Roma,vbi diutiſſimè vixerat,atque in his prius fuerat ſermonibus contentionibúſque verſatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt , quæ literis ſuis,quas conſcripſit per orbem Catholicum perferendas,Papa Zozimus execranda, ſicut legere potuiſtis attexuit. *Ibidem,cap 21.*

*Papa Zozimus literas per orbẽ Catholicum mittit,cõtra execranda Pelagij dogmata.*

Fefellit enim iudicium Palæſtinum, propterea ibi videtur eſſe purgatus. Romanam verò Eccleſiam,vbi eum eſſe notiſſimum ſcitis,fallere vſquequaque non potuit, quanuis & hoc fuerit vtrunque conatus,ſed,vt dixi,minimè valuit. Recoluit enim beatiſſimus Papa Zozimus, quid imitandus præceſſor eius de ipſis ſenſerit geſtis. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides,quorum aduerſus eius errorẽ pro veritate Catholica,ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat:inter quos ille diu vixerat, & quos eius dogmata latere non poterant : qui Celeſtium eius eſſe diſcipulum ſic nouerant , vt fideliſſimum & firmiſſimum poſſent de hac re teſtimonium perhibere . Quid ergo de Palæſtinæ Synodi geſtis,quibus ſe Pelagius abſolutum eſſe gloriatur, ſanctus Papa Innocentius iudicauerit,quanuis & in literis eius , quas nobis reſcripſit, legere poſſitis,& commemoratum eum venerabili Papæ Zozimo Synodus Africana reſpondit, quod veſtræ caritati cum cæteris inſtructionibus miſimus , tamen nec in hoc opere prætereundum videtur. *Ibidem, cap.8.*

*Prædicanda Romanorum fides.*

*De Palæſtinæ Synodi geſtis , Romanus Pontifex iudicabat.*

Nunc vero cùm primitus beatiſſimi Papæ Innocentij literæ,Epiſcoporum literis reſpondentes , Afrorum pariter hunc errorem(*Paruulos naſci abſque peccato originali*)quem conantur iſti(*Pelagiani*) perſuadere , damnauerunt : Succeſſor quoque eius ſanctus Papa Zozimus hoc tenendum eſſe,quod iſti de paruulis ſentiunt,nunquam dixerit,nunquam ſcripſerit : Inſuper etiam Celeſtium ſe purgare molientem,ad conſentiendum ſupradictis ſedis Apoſtolicæ literis crebra interlocutione conſtrinxerit , profectò quicquid interea lenius actum eſt cum Celeſtio,ſeruata duntaxat antiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei firmitate correctionis fuit clementiſſi-

*Innocentius Papa Pelagij errorẽ dãnauit.*

*Pelagius & Celeſtius à Papa Zozimo damnati.*

ma ſuaſio non approbatio exitioſiſſimæ prauitatis. Et quod ab eodem Sacerdote poſtea Celeſtius & Pelagius repetita auctoritate dānati ſunt, paululum intermiſſæ, iam neceſſario proferendæ ratio ſeueritatis fuit, non præuaricatio prius cognitæ, vel noua cognitio veritatis. *Tom. 7.contra duas Epiſt. Pelag.lib.* 2 *cap.*3.

Aduerſus Pelagianiſtas quoque nouos noſtrorū temporum hæreticos, & diſputatores callidos, arte magis ſubtili noxia ſcribentes, & vbicunque poterant publicè per domos loquentes, per annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in Eccleſia populis ex eodem errore frequentiſſimè diſputans. Et quoniam iidem peruerſi, ſedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſſimè etiam Conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, vt ſancto Papæ vrbis Romæ, & priùs venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zozimo eius ſucceſſori perſuaderetur, quòd illa ſecta Catholica fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ Sedis antiſtites, ſuis diuerſis temporibus eoſdem notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. *Tom.*1.*Poßidonius in vita Auguſtini, cap.*18.

*Romani Pontifices Orientis & Occidentis Eccleſiarum curā habent.*

Miſſæ ſunt itaque de hac re (*aduerſus hæreſim Pelagianam*) ex duobus Conciliis Carthaginenſi & Mileuitano, relationes ad Apoſtolicā ſedem, antequam geſta Eccleſiaſtica, quibus ad Epiſcopos prouinciæ Palæſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras, vel in Africam perueniſſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Cōciliorum relationes, literas familiares, vbi de ipſa cauſa aliquantò diutius egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem. Quæ omnia modò legere poteris, ſi eorum fortè ad te vel nulla, vel non cuncta peruenerant: vbi videbis ſeruata erga hominem moderatione, quę debuit, ne damnaretur, ſi praua damnaret, ipſum tamen nouellum & pernicioſum errorem, ſic Eccleſiaſtica auctoritate compreſſum, vt multum miremur, adhuc eſſe quoſ-

*Carthaginenſis & Mileuitanæ Synodi Patres, ſua geſta referebant ad Apoſtolicam ſedem.*

*Error Eccleſiaſtica auctoritate compreſſus non*



dam, qui per quemlibet errorem gratiæ Dei conentur obſiſtere. *Tom.*2. *Epiſt.*106. *Bonifacio, prope initium.*

*eſt defendendus.*

Nonnulli Pelagianorum, antequam iſta peſtilentia manifeſtiſsimo etiam Sedis Apoſtolicæ iudicio damnaretur, nobis innoteſcere potuerunt, quos nunc repentè reticuiſſe perſpicitis. *Tom.*2.*Epiſt.*104.*ad Sixtum.*

Pelagium Celeſtiúmque, id eſt, inuētores vocum nouarum, quę ſicut dixit Apoſtolus,* ædificationis nihilū, ſed magis vaniſsimas conſueuerunt parere quæſtiones, Eccleſiaſtica communione priuari, Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant de Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ſecundùm ipſius voluntatem, eóſque interim Dominico ouili non recipi, quod ipſi peruerſæ viæ ſecuti tramitem deſerere voluerunt. Abſcindendi enim ſunt,* qui vos conturbant, & volūt conuertere Euangelium Chriſti. Simul autem præcipimus, vt quicunque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta cōſtringat. Abſint atriis Domini, careant cuſtodia paſtorali. *Tom.*2.*Epiſt.*83. *Innocentij Papæ ad Concil. Mileuit.*

** 2. Tim. 2.*

*Sentētia excommunicationis in hæreticos, à Romano Pontifice lata.*

** Gal. 5.*

Videtis certè in his verbis, quemadmodum Papa beatiſſimus Innocentius non tanquam de incognito loqui videatur. Videtis qualem tulerit de illius purgatione ſententiam. Videtis quid ſucceſſor eius ſanctus Papa Zozimus recolere debuerit, ſicut recoluit, vt in eo ſui præceſſoris iudicium, remota cunctatione firmaret. *To.* 7.*de peccato originali, cap.*9.*Lege de eodem Tom.*7.*contra duas Pelagian. Epiſt. cap.*4.*Item contra Iulianum, lib.* 1.*cap* 2.

Poſteaquam Pelagiana hæreſis, cum ſuis auctoribus, ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis conuicta atque damnata eſt: ſcripſi duos libros aduerſus eos, vnum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali. *Tom.*1.*lib.*2. *Retract.cap.*50.

*Hæreſis Pelagiana ab Epiſcopis Romanis, cooperantibus Cōciliis Africanis, conuicta atque dānata.*

## *VIII. Romano Pontifici Auguſtinum ſua ſcripta ſubieciſſe, eiúſque mandatis obtemperaſſe.*

HÆc autem, quæ duabus epiſtolis eorum reſpondeo, vni ſcilicet, quam dicitur Romam miſiſſe Iu-

lianus,credo,vt per illam quos poſſet, ſuos aut inueniret,aut faceret: alteri autem quam decem & octo,velut Epiſcopi participes eius erroris, non ad quoslibet, ſed ad loci illius Epiſcopum ſua calliditate tentandum, & ad ſuas partes, ſi poſſet fieri, traducendum, auſi ſunt Theſſalonicā ſcribere:hæc ergo quæ iſtis,vt dixi, duabus epiſtolis illorum iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere ſanctitatem,non tam diſcenda,quàm examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit,emendanda conſtitui. *Tom.7.contra duas Epiſt.* Pelagianorum, ad Bonifacium Romanum Pontificem, lib.1.cap.1.

*Vide teſtimonium illud:fefellit enim &c. in titulo præcedenti. Ibi reperies de Palæſtinæ Synodi rebus geſtis Romanum Pontificem iudicaſſe.*

*Iuſſu Romani Pontificis, cogebatur Synodus in Mauritania*

Quanuis tuæ ſanctitatis nullas ad meipſum datas acceperim,tamen quia illæ quas ad Mauritaniam Cæſarienſem miſiſti,me apud Cæſaream præſente venerunt, quo nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zozimo, Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo,Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat,factum eſt,vt ea quæ ſcripſiſti,etiam ipſe perlegerem. *Tom.2.Epiſt.157.Optato, ſtatim in principio.*

*Auguſtinus Apoſtolicæ ſedis literis obtemperans, Cæſaream profectus eſt.*

Poterant vtique(*Donatiſtæ*)ſuſpectum eum habentes recuſare congreſſum.Tamen omnipotentis Dei præſtitit auxilium,vt poſteà in Cæſarienſi Mauritaniæ ciuitate conſtitutus venerabilis memoriæ Auguſtinus, quò eum venire cum aliis Epiſcopis ſedis Apoſtolicæ literæ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Eccleſiæ neceſſitates,& cætera. *To.1.Poſſidonius in vita Aug.ca.14.*

## CAPVT DECIMVM DE SACRIS CONCILIIS.

### *I. Quæſtiones obſcuras & arduas in Eccleſia, Conciliorum generalium definitione terminari.*

*De rebaptizandis hæreticis,ante plenarij Concilij definitione,ſancti Patres ſalua pace diſceptarunt.*

QVæſtionis huius obſcuritas(*de non rebaptizandis hæreticis*) prioribus Eccleſiæ temporibus, ante ſchiſma Donati,magnos viros,& magna caritate præditos, patres Epiſcopos ita inter ſe cōpulit ſalua pace diſceptare, atque fluctuare, vt diu



Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diuerſa ſtatuta nutauerint, donec plenario totius orbis Concilio,quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. *Tom.7.de Baptiſ.contra Donatiſt.lib.1.cap.7.*

Vtrum & ab iis, qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit Baptiſmus dari:nec aliquid temerè inde affirmandū eſt, ſine auctoritate tanti Cōcilij,quantum tantæ rei ſufficit. De iis verò, qui ab Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt,nulla iam quæſtio eſt,quin & habeant,& dare poſſint,& quin pernicioſè habeant,pernicioſéque tradant extra vinculum pacis. Hoc enim iam in ipſa totius orbis vnitate diſcuſſum, conſideratum, perfectum, atque firmatum eſt. *Tom.7.contra Epiſt.Parmen.lib.2.cap.13.*

*Id tutum eſt aſſerere,quod vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.*

Nobis tutum eſt,in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ,quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt. Id autē ſit cura ſecuræ vocis aſſerere,quod in gubernatione Domini Dei noſtri,& Saluatoris Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. *Tom.7. de Baptiſ.contra Donatiſt. lib 7.cap. 53. Similem ſententiam habet contra Creſconium,li. 1.cap.33. To.6.de hæreſibus,hære. 69.Donatiſtas ex eo hæreticos confirmat,quòd contra vniuerſæ Eccleſiæ definitionem ad ſe venientes rebaptizent.*

### *II. Conciliorum plenariorum magnam auctoritatem eſſe, quibus et Prouincialia cedant,& Doctores etiam,ſi qui ab illis diſcrepent.*

QVod per vniuerſæ Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel vnius Epiſcopi auctoritati, vel vnius prouinciæ Concilio præferendum eſt. *Tom.7.de Baptiſmo contra Donatiſt.lib.2.cap.1.*

*At præſentes hæretici vnius vel alterius auctoritatem, Synodo generali,vel reliquis omnibus Patribus præferūt.*

Et ipſa Concilia,quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt(*quis neſciat*)plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine

vllis ambagibus cedere, ipſáque plenaria ſępe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, ꝙ clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum caritate Chriſtiana. *Ibidem, cap. 3.*

*Obſeruet hîc pauca Lector, vt Auguſtini mentem rectius aſſequatur. Plenaria Concilia ſummi Pontificis auctoritate confirmata, nunquam in his, quæ ad fidē pertinent, per poſteriora Concilia leguntur emendata: niſi fortè quod preſsius & obſcurius in prioribus dictum eſt, id fuſius & apertius in poſterioribus explicatur. Auguſtinus autem videtur de emendatione legum agere, quæ ſcilicet ad res geſtas vel gerendas referuntur, quod indicant verba illa (Cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clauſum erat) nam hæ potius res quàm doctrina fidei, ſolent experimentis innoteſcere. Nec prætermittendum eſt, plenaria Concilia nominari ab Auguſtino, non ſolùm ea, quæ nos generalia & œcumenica dicimus, ſed etiam quædam alia, quæ in aliqua regione fuerint aliis prouincialibus frequentiora: nam 1. lib. Retract. cap. 17. Hipponenſ. Synodus vocatur plenaria, & Patres in Concil. Carthaginenſ. 3 c. 38. inter quos Auguſtinus fuit, Capuenſem Synodum etiam nominant plenariam.*

Quod autem ait (*Beatus Cyprianus*) Nec quiſquam dicat, quod accepimus ab Apoſtolis hoc ſequimur: Quādo Apoſtoli non niſi vnam Eccleſiam tradiderūt, & baptiſma vnum, quod non niſi in eadem Eccleſia ſit conſtitutum: non me tantùm mouet, vt Baptiſmum Chriſti etiam apud hæreticos inuentum audeam reprobare: ſicut etiam ipſum Euangelium cùm apud eos inuenio, neceſſe eſt vt approbem, quanuis eorum deteſter errorem: quantum me mouet, fuiſſe quoſdam ſancti Cypriani temporibus, qui conſuetudinem illam, contra quam fiebant Africana Cōcilia de qua & ipſe paulò antè dixit: Fruſtrà quidam quia ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt: dicerent ab Apoſtolis traditam. Nec inuenio cur iſtam conſuetudinem

*Diſt. 8. cap. Fruſtra.*

*Conſuetudo antiquior et*



improbent, quæ poſt Cyprianū etiam plenario totius orbis Concilio confirmata eſt, quam tam robuſtam & antè idem Cyprianus inuenerit, vt cùm eius mutandæ cauſa auctoritatem quam ſequeretur vir tanta ſcientia præditus quæreret, non niſi in Africa ſola factum paucis ante ſe annis Agrippini Concilium reperiret. Quod cùm ſibi aduerſus totius orbis morem non ſufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modò nos antiquitate ipſius conſuetudinis, & plenarij poſtea concilij auctoritate firmati, diligentius conſiderantes, veri potius ſimiles, quàm veras eſſe inuenimus, quæ illi veræ viſæ ſunt, in obſcuriſſima quæſtione laboranti, & de remiſſione peccatorum fluctuanti: vtrum in Baptiſmo Chriſti poſſit non fieri, & vtrum poſſit apud hæreticos fieri: vbi ſi minus ei aliquid reuelatum eſt, vt magnitudo caritatis eius, qua vnitatem non deſeruit, probaretur, non ideò quiſquam tantis eius firmamentis meritíſque virtutum, & tantæ copiæ gratiarum debet ſe audere præponere,* quia vniuerſalis Cōcilii admonitus firmitate, videt aliquid, quod ille non videt, quia plenarium de hac re Conciliū nondum habebat Eccleſia. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib. 4. cap. 6.*

*generalior, & plenario Concilio cōfirmata, vicit conſuetudinē quā allegabat* Cy*prianus.*

* *Quare præpoſterè faciunt, qui contra Concilij plenarij definitionem, ſententiam aliquam Doctoris cuiuſpiam Catholici pertinaciter tuentur, quam ille ante plenarium illud Concilium nō pertinaciter, ſed ſalua Eccleſiæ auctoritate atque vnitate tenuit.*

NEC QVISQVAM dicat, quod accepimus ab Apoſtolis, hoc ſequimur: quantò robuſtius nunc dicimus, quod Eccleſiæ cōſuetudo ſemper tenuit, quod hæc diſputatio diſſuadere non potuit, & quod plenarium Concilium confirmauit, hoc ſequimur. *Ibidem. cap. 7.*

*Perpetuæ cōſuetudinis Eccleſiæ, & plenarij Cōcilij quanta ſit auctoritas.*

Sanctus Cyprianus, tantò excellentior, quantò humilior, qui documentum Petri ſic amauit, vt diceret, documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris

*Cyprianus Epiſt. 15. ad Quintum.*

vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus: Satis oſtẽdit facilimè ſe correcturũ fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret Baptiſmum Chriſti, ſic dari poſſe ab iis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent, vnde multa iam diximus, nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi iam illo tempore quæſtionis huius veritas, eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat, ab vno poſteriore collega patienter concorditérque * correctum, quantò citius ipſe cum Concilio prouinciæ ſuæ vniuerſi orbis auctoritate patefacta veritate ceſſiſſet? &c. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib.2. cap.4.*

*Veritati eliquatæ & declaratæ per plenariũ Concilium, cedere debet quiuis Catholicus Doctor.*

** Gal. 2.*

Quapropter illud vnum iſti cõſiderent, quod omnibus patet. Si auctoritas Cypriani ſequenda eſt, magis eam ſequendam eſſe in vnitate ſeruanda, quàm in Eccleſiæ conſuetudine commutanda. Si autem Conciliũ eius attenditur, huic eſt vniuerſæ Eccleſiæ poſterius Concilium præponendum, cuius ſe membrum gaudebat, & vt ſe in totius corporis compage retinenda cæteri imitarentur, ſæpius admonebat: nam & Concilia poſteriora, prioribus apud poſteros præponunt, & vniuerſum partibus ſemper iure optimo præponitur. *Ibidem, cap.9.*

*Poſterius Eccleſiæ Concilium vniuerſale, meritò prœpoſitũ fuit priori illi Cõcilio, cui B. Cyprianus præfuit particulari.*

### *III. Ad communes prouinciæ vel regionis cauſas tractandas, Concilia à Metropolitano vel Primate conuocanda eſſe.*

PLacuit, vt non ſit vltra fatigandis fratribus anniuerſaria neceſſitas, ſed quoties exegerit cauſa communis, id eſt, totius Africæ, vndecunque ad hanc ſedem (*Carthaginenſem*) pro Concilio datæ literæ fuerint, congregãdam eſſe Synodũ in ea prouincia, vbi opportunitas perſuaſerit. Cauſæ autem, quæ communes non ſunt, in ſuis prouinciis iudicentur. ***Tom.1. Conciliorum, Milelenitan. Concil. Canone nono.***

Tractoria ad me decimo Idus Nouembris venit, iam finito die, & me valde indiſpoſitum inuenit, vt



occurrere omnino non poſſem. Veruntamen ſiue imperitiam meam mouerit, ſiue iuſtè motus ſim, tuæ ſanctitatis & grauitatis eſt arbitrari. Legi in eadem tractoria, etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptũ, quas prouincias ſcimus ſuos habere Primates. Quod ſi ex eis ad Numidiam conuocandum eſſet Concilium, oportuit vtique, vt aliquorum Maurorũ Epiſcoporum, qui illic priores ſunt, nomina in tractoria ponerentur. *Tom.2. Epiſt.217. Victorino.*

*Prouinciæ ſuos habebant primates Epiſcopos.*

Præterea venerabilis frater & Collega noſter Xantippus Tagonenſis dicit, quod eum Primatus ipſe contingat, & erga plurimos ſic habetur, & tales mittit epiſtolas. *Ibidem.*

Vnde peto Beatitudinem tuam, vt mihi ignoſcas, & primò inſtare digneris, vt inter tuam ſanctitatem, & ſenem Xantippum concorditer cõſtet, quis veſtrûm debeat conuocare Concilium: aut certè quod ſalubrius arbitror, ſine cuiuſquam præiudicio, ambo conuocate collegas veſtros. *Ibidem.*

*Nam ſicut Pontifex totius orbis Chriſtiani, ita Primates, ſuæ quiſque prouinciæ ſupra cæteros Epiſcopos ſolicitudinem gerunt. Ego, inquit, Aurelius Concil. Afric. cap.22. cunctarum Eccleſiarũ dignatione Dei, vt ſcitis fratres, ſolicitudinem gero.* Per orbem *Africanum intellige.*

### *IIII. Definitioni Concilij legitimi acquieſcendum eſſe.*

HVic tantæ diligentiæ etiam illud eſt additũ, vt & nos & ipſi, quemadmodum ipſe Iudex, verbis noſtris ſubſcriberemus, ne quiſquam diceret in illis geſtis aliquid vel poſtea fuiſſe corruptum. Cùm enim adhuc viuentibus eis, qui ſubſcripſerunt, innotuerint eadem geſta omnibus locis, in quibus oportet vt innoteſcant, ſic etiam ad poſteros confirmata veritas perdurabit. Nolite ergo eſſe ingrati tantæ miſericordiæ Dei, quæ per iſtam diligentiam vobis miniſtrata eſt. Nulla excuſatio iam remanſit. Nimium dura, nimium

*Hæretici nolẽtes cedere legitimi Cõcilij definitioni, miſericordiæ Dei*

*ſunt ingrati, & nullā habent excuſationem.*

diabolica ſunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifeſtationi veritatis obſiſtunt. *Tom.2. Epiſt.152. ad populum factionis Donatianæ, propè initium.*

*Patres Concilij Ariminēſis quomodo decepti, & quòd eorum deceptio nō labefactauerit Eccleſiæ Catholicæ fidem.*

Hoc eſt illud homouſion, quod in Concilio Nicæno aduerſus hæreticos Arrianos à Catholicis patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt: quod poſtea in Concilio Ariminenſi, propter nouitatem in verbis minus quàm oportuit intellectam, quam tamen fides antiqua pepererat, multis paucorū fraude deceptis, hæretica impietas ſub hæretico Imperatore Conſtantio labefactare tentauit. Sed poſt non longum tempus libertate fidei Catholicæ præualente, poſteaquàm vis verbi, ſicuti debuit, intellecta eſt, homouſion illud catholicæ fidei ſanitate lōgè latéque defenſum eſt. *Tom.6. contra Maximi. lib.3. cap.*14.

*V. Patres qui erant in Conciliis, geſta ſua & decreta cum Rom. Pontifice communicaſſe, eiúſque auctoritate confirmari voluiſſe.*

*Et liber hæreticus, & reſponſio Catholicorum, ad Romanum pontificē à Patribus Cōcilii mittuntur.*

PRotulerunt eundem librum (*ſcilicet Timaſius & Iacobus*) Pelagij eſſe dicentes, & vt ei reſpōderetur impendio rogauerunt. Factum eſt. Ad eoſdem reſcripta eſt ipſa reſponſio. Agentes gratias reſcripſerunt. Vtrunque miſimus, & cui reſponſum eſt, & quod reſponſum eſt. Et ne nimium eſſemus oneroſi, ſigna fecimus his locis, vbi petimus inſpicere non graueris, quemadmodum ſibi obiecta quæſtione, quòd gratiā Dei negaret, ita reſpondit, vt eam eſſe non diceret, niſi naturam, in qua nos condidit Deus. *Tom. 2. Epiſt. 95. ad Innocentium Papam.*

*Decretum Synodi Carthaginenſ. contra Pelagiū ad Romanum Pontificē mittitur.*

Iſta cùm ſcriberem, cognoueramus in Eccleſia Carthaginenſi aduerſus eos Epiſcopalis Concilii conditū fuiſſe decretum, per epiſtolam ſancto & venerabili Papæ Innocentio dirigendum, & nos de Concilio Numidiæ ad eādē Apoſtolicā ſedē iā ſimiliter ſcripſeramus. Oēs enim, qui ſpē habemus in Chriſto, huic peſtiferæ impietati reſiſtere, eámque concorditer damnare & anathematizare debemus. *To.2. Epi.94. ad Hilariū.*

Domino beatiſſimo & honorandiſſimo fratri ſancto Innocentio Papæ, Aurelius, Mundius, Ruſticanus, Fidentius, Euagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus,



Vincentius, Publianus, Theaſius, Tutus, Panthonius, Victor, Reſtitutus, Ruſticus, Fortunatianus, alius Reſtitutus, Ampelius, Animus, Fœlix, Donatianus, Adeodatus, Octauius, Serotinus, Maiorinus, Poſthumanus, Triſpulus, Victor, alius Victor, Leucius, Macianus, Fructuoſus, Fauſtinianus, Quoduultdeus, Candorius, Maximus, Megarius, Ruſticus, Ruffianus, Proculianus, Thomas, Ianuarius, Octauianus, Prætextatus, Sixtus, Quoduultdeus, Penthadius Quoduultdeus, Cyprianus, Seruilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Inuentius, Maiorinus, Inuētius, Candidus, Cyprianus, & Æmilianus, Romanus, Africanus, & Marcellinus, qui in Concilio Eccleſiæ Carthaginenſis adfuimus. *Et poſt commemorationem eorum, quæ in concilio aduerſus Pelagium acta erant, ſubiungunt.*

*Petunt Patres Concilij Carthaginenſis ſuis ſtatutis, Apoſtolicæ Sedis adhiberi auctoritatem.*

Hoc, Domine frater ſancte, caritati tuæ intimandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum, & quorundam peruerſitate etiam corrigenda. *Tom. 2. Epiſt.90. ad Innocent. Pont. Romanum, propè initium.*

*Quamuis Hæreſiarcha reſipiſcat, impietas tamen multos habens aſſertores, auctoritate ſedis Apoſtolicæ anathematizāda eſt.*

Si Pelagius Epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente cōfecta dicuntur, etiam tuæ venerationi iuſtè viſus fuerit abſolutus, error tamen ipſe & impietas, quæ tam multos aſſertores habet, per diuerſa diſperſos, etiam auctoritate Apoſtolicæ ſedis anathematizanda eſt. Conſideret enim ſanctitas tua, & paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus, quàm ſit peſtiferum & exitiabile ouibus Chriſti, quod iſtorum ſacrilegas diſputationes neceſſariò ſequitur, vt nec * orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & diſcipulos monuit, & * poſuit in oratione, quam docuit. *Ibidem.*

** Matt.26.*
** Matth.6. Lu.11.*

Quæcunque autem alia ab eis obiiciuntur, non dubitamus venerationem tuam cùm geſta Epiſcopalia perſpexerit, quæ in Oriente in eadem cauſa confecta dicuntur, id iudicaturam, vnde omnes in Dei miſericordia gaudeamus. *Ibidem.*

Domino beatiſſimo, meritóque venerabili, & in Chriſto honorando Papæ Innocentio, Siluanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus,

Alipius, Auguſtinus, Placentius, Seuerus, Fortunatus, Poſſidius,Nouatus,Secundus,Maurentius,Leo,Fauſtinianus,Creſconius,Malcus,Littorius, Fortunatus,Donatus,Ponticanus,Saturninus,Chriſtonius, Honorius, Lucius , Adeodatus, Proceſſus , Creſconius, Secundus, Felix,Aſiaticus, Ruffinianus, Fauſtinus,Seruus,Terentius, Creſconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus,Fauſtinus,Creſconius,Victor,Gignantius,Poſſidonius,Antoninus,Innocẽtius, Præſidius,Creſcentius, Felix, Antonius,Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præſidius, Creſconius, Lampadius,Delphinus,ex Concilio Mileuitano in Domino ſalutem . Hęc, *inquiunt,* (*cùm de hæreſi Pelagiana loquuti fuiſſent*) inſinuantes Apoſtolico pectori tuo,non opus habemus multa dicere,& tantam impietatem verbis exaggerare, cùm proculdubio te ita permoueant , vt ab eis corrigendis ne latius ſerpant, multóſque contaminent,vel potius interimãt, dum ſub nomine Chriſti, à gratia Chriſti penitus alienant, omnino diſſimulare non poſſis. *Et ſub finem Epiſtolæ:* Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus , imitantes Carthaginenſis Eccleſiæ, Carthaginenſis prouinciæ coëpiſcopos noſtros , quos ad Sedem Apoſtolicam , quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus. *Tom. 2. Epiſt. 92. Concilij Mileuitani ad Innocentium Papam.*

*Conciliũ Mileuitanũ cauſam Pelagij ad ſedem Apoſtolicã refert.*

### *VI. Hæreticorum mores circa Concilia.*

CVm in auribus noſtris fama crebreſceret,hoc vobis veſtros Epiſcopos dicere,cognitorem præmio fuiſſe corruptum , vt contra eos ſententia proferretur, vos autem iſta facilè credere , ac propterea multos veſtrûm adhuc nolle acquieſcere veritati , placuit nobis, cogente Domini caritate , ex Concilio noſtro hæc ad vos ſcripta dirigere , quibus primitus admoneremini, illos vobis victos atque cõuictos hæc mendacia iactare: qui etiam in ſuo mandato,quod pro illa collatione fecerunt,& ſuis nominibus atque ſubſcriptionibus firmauerunt, nos illic traditores & perſecutores ſuos eſſe dicentes,in falſitate atque mẽdacio manifeſtiſſimo detecti atque cõuicti ſunt,ita vt volentes gloriari de multitudine coëpiſcoporum ſuorum, inter aliquorum abſentium nomina, etiam mortui nomen inſererent . Et cùm quæreretur vbi eſſet,ſubita perturbatione cæcati, ipſi eum confiterentur in itinere defeciſſe . Et cùm interrogarentur, quomodo potuerit apud Carthaginem ſubſcribere , qui in itinere iam defecerat, vehementius perturbati,alio mendacio ſe obligauerunt,reſpondentes eum à Carthagine redeuntem fuiſſe defunctum. De quo mendacio exire omnino minimè potuerunt. Ecce quibus creditis,vel de antiqua traditione,vel de cognitoris corruptione,qui mandatum ſuum, vbi nobis obiecerunt crimen traditionis,non potuerunt conſcribere ſine crimine falſitatis. *Tom. 2. Epiſt. 152. ad populum factionis Donatianæ, in principio.*

*Similia hoc tẽpore Catholicis patrib⁹, qui Concilio interfuerunt, hæretici obijciũt , ne ſuã cauſam deſerere videantur.*



Ecce Epiſcopi partis veſtræ, quos omnes elegerunt, vt pro omnibus loquerentur, conati ſunt quantum potuerunt , vt omnino ipſa cauſa non ageretur, propter quam tantus numerus Epiſcoporum vtriuſque partis de vniuerſa Africa, & de tam longinquis locis Carthaginem venerat. Et cùm omnis anima ſuſpenſa expectaret in tanta collectione quid ageretur, illi vehementer inſtabant,vt nihil ageretur . Quare hoc ? niſi quia cauſam ſuam malam ſciebant,& facilimè ſe poſſe conuinci,ſi ageretur,dubitare non poterant?Ipſe ergo animus eorum quo timebant ne cauſa ageretur,iam victos eos eſſe monſtrabat. Si enim extorquerent quod volebant, vt iam collatio ipſa non fieret,nec diſputationibus noſtris veritas appareret,redeuntes à Carthagine,quid vobis erant reſponſuri? quid demonſtraturi ? Credo prolaturi erant geſta , & dicturi vobis , nos inſtabamus , vt cauſa non ageretur,illi inſtabãt,vt ageretur? Vos expectatis videre quid egerimus : Ecce legite vbi eos vicimus,vt nihil ageremus. Fortè & vos reſpõderetis, ſi cor haberetis: Nihil ergo acturi,vt quid iſtis?vel potius,qui nihil egiſtis,vt quid rediſtis? Denique poſteaquam non potuerunt efficere quod conati ſunt,id eſt,vt cauſa nõ ageretur,ipſa actio demonſtrauit, quid timuerint,quãdo in omnibus victi ſunt. *Ibidem, paulò infrà.*

*Nõ ſunt diſſimiles huius tẽporis hæretici. Nam omnem mouerũt lapidem, ne Conciliũ cogeretur,& ne coactũ felicem exitum haberet. Ea verò ſpe fruſtrati artes varias excogitant,vt illius perfecti iam & approbati, non ſecus quam Arriani olim Nicæni Concilij auctoritatem totam quacunque arte labefactent.*

Iam vos ergò totius pœniteat huius erroris,ne argumento miſerrimo vtamini, quo vniuerſi vtuntur hære-

tici,quos à pernicioſa licentia leges Imperatorum Catholicorum premunt. Omnes quippe huiuſmodi dicunt, quod ipſe dixiſti, laborare illam partem rationis inopia,quæ in diſſerendo cùm terrorem ſurrogat,nullum à prudentibus impetrat, ſed cæcum à meticuloſis extorquet aſſenſum. Noui denique hæretici vos eſtis, ſed iſtam penè omnium hæreticorum veterem vocem cũ cæteris agnouiſtis atq. tenuiſtis,nec vos & alios decipiatis: velut talem vocem habẽtes aduerſus nos,qualem nos aduerſus Donatiſtas,quos ad collationem nobiſcum venire per imperialia iuſſa compulimus. Illorum enim furor occupauerat Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem cõtra ſuum patiebantur errorem, violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, itinerum obſidionibus,rapinis,ignibus,cædibus multa vaſtantes,cuncta terrentes. Cum quibus apud Epiſcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod verò ante centum fermè annos maiores noſtri cum eis egerant, iam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur neceſſitas compulit, vt ſaltem geſtis noſtra collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam,& reprimeremus audaciam. *Tom. 7.contra Iulianum Pelag.lib.3. cap* 1.

*Vox omniũ eſt penẽ hæreticorum, non poſſe ſe in cõcilio liberè ſentẽtias ſuas dicere.*

*Peiora nunc fieri ab hæreticis res ipſa docet.*

## *VII. Hæretici nolentes aquieſcere Concilijs quomodo tractandi.*

VErum iſtorum ſuperbia,quæ tantum ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur,vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente, peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur: cum potius vigilantia & diligentia paſtorali, poſt factum illis competens ſufficiénſque iudicium, Vbicunque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſiue vt ſanentur, atque mutentur, ſiue vt ab aliorum ſalute atque integritate vitentur. *Tom.7. contra duas Epiſt. Pelag.lib.4.cap* 12.

*Sunt igitur lupi & cõterendi eſſent, qui generalis Synodi definitioni acquieſcere nolũt.*

Hæc igitur neceſſitas compulit, vt ſaltem geſtis noſtra collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam, & reprimeremus audaciam. Veſtra verò apud competens iudicium communium Epiſcoporum, modò cauſa finita eſt. Nec amplius vobiſcum agendũ eſt, quantum ad ius examinis pertinet,niſi vt prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini: quòd ſi nolueritis, à turbulenta vel inſidioſa inquietudine cohibeamini. *Tom.7.contra Iulian. Pelag. lib.3.cap.1.*



*Prolatam in Cõcilio ſentẽtiã ſequi nolentes,à turbulenta inſidioſáque inquietudine cohibendi.*

Glorioſiſſimo Imperatore Honorio Auguſto ſextum conſule 16. calendas Iulias, Carthagine in Baſilica regionis ſecundæ. In hoc concilio legationem ſuſceperunt Theaſius & Euodius contra Donatiſtas: in quo concilio inſertum eſt commonitorium, quod ita in ſe continet: Commonitorium fratribus Theaſio & Euodio legatis ex Carthaginẽſi concilio, ad glorioſiſſimos religioſiſſimóſque principes miſſis,cum Domini auxilio piiſſimos Imperatores adierint,eis inſinuent,quemadmodum plena fiducia, ſecundum ſuperioris anni cõcilium, Donatiſtarum præpoſiti actis municipalibus ſunt conuenti, vt ſi confiderent de aſſertionibus ſuis, electis ex ſuo numero aliquibus idoneis,nobiſcum pacificè conferrent, & manſuetudine Chriſtiana, ſi quid veritatis tenerent, non ambigerent demonſtrare, quo ita ſynceritas Catholica,quæ iam pridem ſuperioribus temporibus claruit,nunc quoque per imperitiã vel pertinaciam reſiſtentibus innoteſceret: ſed quia diſſidentia premebantur,nihil penè auſi ſunt reſpondere.Vnde quia impletum eſt erga eos Epiſcopale ac pacificum officium,& illi qui veritati reſpondere nequiuerunt, ad immanes violentias ſunt cõuerſi,ita vt multos Epiſcopos, multóſque clericos (vt de laicis taceamus) inſidiis oppreſſerint: Eccleſias etiã aliquas inuaſerint, aliquas inuadere pertentauerint: ipſorum iam clementiæ eſt conſulere,vt Eccleſia Catholica,quæ eos religioſo vtero genuit, & fidei firmitate nutriuit, eorum etiam proſpectione muniatur, ne temerarij homines religioſis temporibus, infirmos populos terrendo, præualeant, quoniam ſecundò deprauare non poſſunt. Nota eſt enim & ſæpe legibus cõclamata, Circumcellionum, qua furiunt, deteſtabilis manus, quæ etiam ipſorum religioſiſſimorum ſuprà Principum frequentibus ſan-

*Donatiſtæ inter ſe diſcordes.*

*Hæretici veritate ſuperati ad arma confugiunt, Epiſcopos opprimunt, Eccleſias inuadunt,&c.*

*Hæreticorũ furorẽ, Apoſtolico exemplo, armis reprimi poſſe. Act. 23.*

ctionibus condemnata eſt. Aduerſum quorum furorem poſſemus non inſolita, nec à Scripturis ſanctis aliena impetrare ſubſidia, quando Apoſtolus Paulus (ſicut in Apoſtolorum actibus * fidelibus notum eſt) factioſorum conſpirationem, militari etiam ſubmouit auxilio. Sed nos illud poſcimus, vt Catholicis Eccleſiis ordinum per ciuitates ſingulas, & vicinorum quorumque poſſeſſorum per diuerſa loca, ſine vlla diſſimulatione tuitio præbeatur. Simul etiam petendũ, vt illam legem, quæ à religioſæ memoriæ eorum patre Theodoſio, de auri libris decem, in ordinatores vel ordinatos hæreticos, ſeu etiam in poſſeſſores (vbi eorum congregatio deprehenditur) promulgata eſt, ita deinceps confirmari præcipiant, vt in eos valeat, cõtra quos propter eorum inſidias Catholici prouocati, conteſtationem depoſuerunt: vt hoc ſaltem terrore, à ſchiſmatica vel hæretica prauitate deſiſtant, qui conſideratione æterni ſupplicij, emendari, corrigíque diſſimulant. Petẽdum etiam, vt lex, quæ hæreticis, vel ex donationibus, vel ex Teſtamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus repetatur, vt eis relinquendi vel ſumendi vis adimatur, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatiſtarum errore perſeuerare voluerint. *Tom.1. Conciliorum, Concil. Afric. cap.60. Huic concilio & legationi Auguſtinum præſentem ſubſcripſiſſe, conſtat ex epiſtola 50. ad Bonifacium Comitem.*

*Mulcta pecuniaria aduerſus hæreticos à Theodoſio imperatore ſtatuta.*

*Hæreticis facultas denegãda ex teſtamentis aliquid capiẽdi vel relinquẽdi.*

# CAPVT VNDECIMVM DE AVCTORITATE PATRVM, doctorúmque Eccleſiæ.

## I. *Neminem Patrum habere parem cum Scripturis auctoritatem.*

HÆc non ideò commemoraui, quòd diſputatorum quorumlibet ſententiis, tanquam canonica auctoritate nitamur, ſed vt appareat ab initio vſque ad præſens tempus, quo iſta nouitas orta eſt, hoc de originali peccato apud Eccleſiæ fidem

dem



dem tanta conſtantia cuſtoditum. *Tom.7. lib.3. de peccat. mer. & remiſſ. cap.7.*

Neque enim quorumlibet diſputationes, quãuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. *Tom.2. Epiſt.111. ad Fortunatianum.*

*Aliquorũ Patrum opinio quando & quomodo improbanda.*

Hoc genus literarum (*Patrum*) ab auctoritate canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tãquam ita ex eis teſtimonium proferatur, vt contrà ſentire non liceat, ſicubi fortè aliter ſapuerint, quàm veritas poſtulat. *Ibidem, Epiſt.48. ad Vincentium.*

Ego enim fateor caritati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm mendoſum eſſe codicem, vel interpretem nõ aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrináque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. *Ibidem, Epiſt.19. ad Hieronymum, in initio.*

*Cùm primùm ſe in anguſtias cogi noui Euangelici, pie Lector, Patrum teſtimoniis vident: ad hæc paulò antè citata Auguſtini verba confugiunt, latebras quærentes, quibus & illorum obſcurent lucem, & ſuam occultent turpitudinem. Huic ipſorũ fraudulentiæ, triplici itinere nos occurrentes: primum omnium extra controuerſiam eſſe dicimus: Patrum libros Scripturis canonicis omnino cedere debere: ſed Scripturis, non Scripturarum interpretationi, quam hæreticorum quiſque ſibi facilè confingit. Deinde diſtinguenda eſſe, vt Auguſtinus admonet, probabilia illa, de quibus doctiſſimi atque optimi Catholicæ regulæ defenſores, ſalua fidei compage, nonnunquam inter ſe diſſentiunt,*

*Cõtra Iulia. lib.1. cap.2.*

*ab ipſis fidei noſtræ propugnaculis & primis fundamentis. Addimus etiā multum intereſſe, cùm de patribus agitur, vtrum vnus ſit tantùm, qui contrà ſentiat, an vno plures: ac tunc quidem, an pauci, an multi, an etiam omnes. Vt enim facilius eſt falli paucos quàm multos, ſic periculoſius eſt, multorū ſententiæ contradicere, quàm paucorum. Quod igitur ait Auguſtinus licere quādoque ſalua honorificentia in Patrum ſcriptis quædā improbare, vel de nonnullis contrà ſentire, ſic exiſtimamus accipiendum, vt neque de omnibus Patribus ſimul, vel de maxima eorum parte, neque de iis quæ ad fidei & credendarum rerum normam pertinent, intelligatur. Non enim obſcurè ſignificauit, non ſecus Patrum fidem aduerſus hæreticos defendendam eſſe, quàm ipſum Euangelium contra Chriſti profeſſos hoſtes defendi ſolet. Sed neque licet vnius aut paucorum patrum probabilem ſententiā improbare, niſi cautione illa duplici adhibita, quam Auguſtinus exemplo ſuo diſertè præſcripſit. Altera eſt, vt veritas cōtraria comperta ſit. Altera vt ab ipſis patribus non niſi ſalua honorificentia, diſſentiamus. Is enim in epiſtola 19. ex qua vltimum teſtimonium trāſcriptum eſt, cum Hieronymo de facto Petri, & reprehenſione Pauli diſputās, trium tantùm Patrum ſententiā improbat. Quāuis enim Hieronymus ſex vel ſeptem produxiſſet, tres tamen ex illis tantùm Orthodoxos probat fuiſſe, ac dignos quibus honor aliquis deberetur. Sententiam deinde illorū trium, quibus ipſe reſtitit, conſtat nullo antè Concilio generali definitā fuiſſe, ſed tantùm opinione probabilem. Veritatem prætereà compertā Auguſtinus habere videbatur, cùm ex Cypriano & Ambroſio, quos duos illis tribus oppoſuit, tum ratione maximè probabili, & quaſi neceſſaria ex ſcripturæ verbis, ſi nō euidenter, certè maxima probabilitate ducta. Quātum verò Patribus honorem detulerit, non opus eſt commemorare. Cùm igitur noſtri temporis hæretici, non paucorum modò, ſed multorum, ac non rarò omnium Patrum, in iis quæ fidei ſunt, auctoritatē contemnant, idq; faciant, nō explorata (vt ex ipſorū ſcriptis videtur) nec cognita partis quam tuentur veritate, ſimúlque Patres à quibus diſſentiunt ſæpiſſimè deridendos aliis præbeant, certè neque Auguſtini verba percipiunt, neque mores imitantur.*

*Lib.2. cōtra Iulian. ſub finem.*

## *II. Grauem eſſe ſanctorum Eccleſiæ Doctorum auctoritatem, qua & hæreſes proterantur.*



PRopoſuimus hîc auctoritatis molem ſanctorum, qui Epiſcopi ante nos, non ſolùm ſermone, cùm hîc viuerent, verùmetiam ſcriptis, quæ poſteritati relinquerent, fidem Catholicam ſtrenuè defenderunt, vt veſtra argumenta confringerent, quibus dicitis: **Si Deus homines creat, nō poſſunt cum aliquo malo naſci: Si nuptiæ bonum ſunt, nihil ex eis oritur mali: Si in baptiſmate peccata omnia remittuntur, non poſſunt nati de renatis trahere originale peccatum. Si iuſtus eſt Deus, non poteſt in filiis parentum damnare peccata, cùm ipſis parentibus dimittat & propria: Si perfectæ iuſtitiæ capax eſt humana natura, habere non poteſt vitia naturalia.** Ad hæc nos dicimus, & Deum eſſe hominum creatorem, hoc eſt, & animæ & corporis: & bonū eſſe nuptias, & per Baptiſma Chriſti omnia peccata dimitti, & iuſtum eſſe Deum, & perfectæ iuſtitiæ capacem humanam eſſe naturam, & tamen cùm hæc omnia vera ſint, obnoxios naſci homines origini viciatæ, quæ trahitur ex homine primo, & ideò ire in damnationem, niſi renaſcantur in Chriſto. Hoc autem probauimus Catholicorum auctoritate ſanctorum, qui & hoc aſſerunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinque eſſe vera omnia confitentur. Ac per hoc, non eſt conſequens, vt hoc falſum ſit, quia vera ſunt illa. Tales quippe ac tanti viri ſecundum Catholicam fidem, quæ vbique toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera eſſe confirmant, vt veſtra fragilis, & quaſi argutula nouitas ſola auctoritate conteratur illorum, prætérquam quòd ea dicunt, vt ſe per eos loqui veritas ipſa teſtetur. Sed nunc auctoritate primitus eorum veſtra eſt contumacia comprimenda, vt à præſumptionis impetu repercuſſi & quodammodo ſauciati, dum tales homines Dei, ſic in fide Catholica errare potuiſſe non creditis, auſus præcipites refrenetis, & tanquam ex furore reſipiſcentes, incipiatis in qua nutriti eſtis recolere, & aduertere, & reſumere veritatem. *Tom.7. contra Iulianum Pelag. lib.2. verſus finem libri.*

*Fragilis & argutula hæreticorū nouitas ſola veterū Patrum auctoritate conteritur.*

*Sācti Patres ea dicunt, vt ſe per eos loqui veritas ipſa teſtetur.*

In his omnibus quæ de opuſculis Sanctorū atq; Doctorum commemoraui, Ambroſij, Hieronymi, Athanaſij, Gregorij, & ſi qua aliorum talia legere potui,

quæ commemorare longum putaui, Deum non eſſe corpus, nec formæ humanæ habere membra, nec eum eſſe per locorum ſpacia diuiſibilem, & eſſe natura incommutabiliter inuiſibilem, nec per eandem naturam atque ſubſtantiam, ſed aſſumpta viſibili ſpecie, ſicut voluit apparuiſſe iis, quibus apparuit: quando per corporis oculos in Scripturis ſanctis viſus eſſe narratur, in adiutorio Domini inconcuſsè credo, & quantum ipſe donat, intelligo. *Tom. 2. Epiſt. 111. Fortunatiano, ſub finē.*

*Sanā fidem defendimus, cū terminos à ſanctis Patribus poſitos non transferimus.*

Tunc à nobis limes fidei ſanæ defenditur, quādo termini, quos poſuêre ſancti patres, non transferuntur à nobis, imò obſeruātur, & defenſantur. *Tom 7. hypog. li. 3.*

*Sācti patres nouitio errore non mouebantur.*

Quid dicam de ipſis diuinarum ſcripturarum tractatòribus, qui in Catholica Eccleſia floruerūt? quomodo hæc non in alios ſenſus conati ſunt vertere, quoniam ſtabiles erant in antiquiſſima & robuſtiſſima fide, non autem nouitio mouebantur errore. *Deinde citatis Ambroſio & Cypriano.* Hos iſte audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem iſto nefario crimine aſpergat, qua exorcizantur, & vt dixi, exſufflantur paruuli, vt in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum, hoc eſt, Diaboli & Angelorum eius eruti, transferātur. Nos autem paratiores ſumus cum iſtis viris, & cum Eccleſia Chriſti, in huius fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta & contumelias perpeti, quàm Pelagiani cuiuſlibet eloquij prædicatione laudari. *Tom, 7. de nuptiis & concupiſ. lib. 2. cap. 19.*

*Satius eſt in antiqua fide, contumelias perpeti, quā in hæreſi laudari.*

Sed tu, qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defenſores, tam execrabili criminatione appetere audeas, ſi vigilas intuere. Non quidem omnium de hac re ſententias, nec omnes eorum quos commemorabo, me congregaturum eſſe polliceor, quia nimis longum eſt, & neceſſe eſſe non arbitror, ſed ponam pauca paucorum, quibus tamen noſtri contradictores cogantur erubeſcere & cedere, ſi vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicaciæ ſuperauerit. *Et poſt recitatas ſententias Irenæi, Cypriani, Retitij, Olympij, ſubdit:* Habéſne aliquid quod aduerſus nos tibi dicere videaris, quod non etiā in iſtum dicere compellaris, vel in iſtos? Vna eſt omnium Catholica fides, qui per vnum * hominem peccatū intraſſe in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credūt, vno ore fatentur, & veſtras nouitias præſumptiones, Catholica antiquitate ſubuertunt. Audi adhuc, quod te poſſit amplius cōmouere atque turbare, & vtinam in melius cōmutare. Eccleſiæ Catholicæ aduerſus hæreticos acerrimum defenſorem, venerandum quis ignorat Hilarium Epiſcopum Gallum? Qui cùm de Chriſti carne ageret, attende quid dixit &c. *Additis deinde ſentētiis aliquot ex eodem Hilario ad Ambroſium tranſiens.* Sed adhuc (*inquit*) audi alium excellentem Dei diſpenſatorem, quem veneror vt patrem: In Chriſto enim Ieſu per Euangeliū ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro lauacrum regenerationis accepi: Beatum loquor Ambroſium, cuius pro Catholica fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſiue operibus, ſiue ſermonibus & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Hic vir cùm ſecundum Lucam exponeret Euangelium &c. *Et poſt pauca:* I nunc & mihi obiice originale peccatū, diſſimula ab iſtis, finge te neſcire quid dicant, & ſanctæ Eccleſiæ tot tantóſque doctores, qui vita optimè geſta, debellatíſque ſuorum temporum erroribus, glorioſiſſimè de hoc ſeculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, velut eis non viſis, in me impetum faciens, & velut neſciens, quòd illi ſub meo nomine lacerentur, tanquam ſecurus inſulta. Crederem te, fateor, quid mali facias ignorare, nec impudentiæ, ſed imprudentiæ tuæ tribuerem, quòd hæc lumina ciuitatis Dei audes hoſtiliter inſectari, quæ ſectari fideliter debuiſti. Crederem te, inquam, hoc tantum nefas committere neſcientem, niſi in eo libro, cui te reſpondiſſe vel exiſtimas, vel exiſtimari cupis, apertiſsimum teſtimonium de ſancti Ambroſij diſputatione poſuiſſes, & cætera. *Tom. 7. contra Iulianum Pelagian. lib. 1. cap. 2.*

*Si vllus in hæreticis eſſet vel Dei timor, vel hominū pudor, cùm ſe premi cerneret ſanctorū patrū manifeſtis teſtimoniis, erubeſcere, aut veritati cedere deberent.*

** Rom. 5.*

*Nouitiæ hæreticorū præſumptiones Catholica antiquitate ſubuertūtur.*

*Hilarius Eccleſ. Catholicæ cōtra hæreticos acerrimus defēſor.*

*Ambroſius Auguſtino baptiſmum impendit.*

*Ambroſij laudes orbis Romanus prædicat.*

*Sāctos Doctores lumina ciuitatis Dei non hoſtiliter inſectari, ſed fideliter ſectari conuenit.*

Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambroſium facis, tacito eius nomine, Manichæum? Cernis, nempe, cum quibus tua maledicta ſuſtineam, cernis cum quibus mihi ſit cauſa communis, quam nulla cōſideratione ſobria pulſare calumniis & expugnare conaris? Cer-

nis quàm tibi pernicioſum ſit, tam horribile crimen obiicere talibus, & quàm mihi glorioſum ſit, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace. Pelagianam linguam tot linguis Catholicis deprime, tot venerandis oribus proterua ora ſubmitte. *Et paulò pòſt:* Introduxi te ſedandum atque ſanandum, non in alicuius Philoſophi auditorium, ſed in ſanctorum patrum pacificum honorandúmque conuentum. Sit operæpretium obſecro te, aſpice illos quodammodo aſpicientes te, & manſuetè ac leniter dicentes tibi: Itáne nos fili Iuliane Manichæi ſumus? Rogo quid reſpondebis? Quibus eos oculis intueberis? Quæ tibi argumenta ſuccurrent? Quæ Ariſtotelis categoriæ, quibus vt in nos velut artifex diſputator inſilias, videri appetis elimatus? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in eorum conſpectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient, nudúmque deſtituent? An fortè dicturus neminem illorum te in iſto crimine nominaſſe? Et quid facies, cùm tibi dixerint, tolerabilius dente maledico nomina conſcinderes noſtra, quàm fidem noſtram, cuius merito in cœlo nomina ſcripta ſunt noſtra? An fortè dices eis, nec fidem veſtram vllo tali crimine violaui? Sed qua confidentia dicere id audebis homo, qui dicis Manichæum eſſe ſenſum, confiteri ex Adam trahere naſcentes originale peccatum, quod iſti confeſſi atque profeſſi ſunt, quod in Chriſti Eccleſia ſuorum rudimentorum tempore didicerunt, quod Chriſti Eccleſiam ſuorum honorum tempore docuerunt, qui per Spiritum ſanctum tam multa peccata omnibus quos baptizare potuerũt, tàm multis paruulis ſola originalia remiſerunt? Iterum te admoneo, iterum rogo, aſpice tot ac tales Eccleſiæ Catholicæ defenſores atque rectores, vide quibus tam grauem támque nefariam irrogaris iniuriam. An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec vllus in eis eſt commemoratus à nobis Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus? cùm illi Græci ſint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare, cui Ec-

*Glorioſum cũ patribus calumnias pati.*

*Hæretici in ſanctorũ patrum pacifico honorandoq; conuentu ſanandi.*

*Animaduerte Lector quàm grauiter hæreticũ patrũ auctoritate vrget & premit.*



cleſiæ præſidentem beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes & Romana cum cæteris tenet Eccleſia? *Et paulò pòſt:* Non eſt ergo quod prouoces ad Orientis antiſtites, quia & ipſi vtique Chriſtiani ſunt, & vtriuſque partis terrarum fides iſta vna eſt; quia & fides ipſa Chriſtiana eſt, & te certè occidentalis terra generauit, occidẽtalis regenerauit Eccleſia. *Et poſt citatum Gregorij Nazianzeni teſtimonium:* Audis omnes vno corde, vno ore, vna fide id ipſum dicere, & hanc eſſe Catholicam fidem, non diſſonante conteſtatione firmatam. An tibi parua in vno Gregorio Epiſcoporum orientalium videtur auctoritas? Eſt quidem tanta perſona, vt neque ille hoc niſi ex fide Chriſtiana omnibus notiſſima diceret, nec illi eum tàm clarum haberent, atque venerandum, niſi hæc ab illo dicta ex regula notiſſimæ veritatis agnoſcerent. Sed ſi vis, addimus & huic ſanctum Baſilium, imò velis nolis, addendus eſt. *Et paulò pòſt.* Vide iam, vtrum ſufficiant tibi ex Orientis partibus duo iſti tàm inſignes viri, & tàm clara præditi ſanctitate, & ſicut fertur, etiam carne germani. Sed dic non ſufficere. Habemus alios orientales Epiſcopos quatuordecim, Eulogium, Iohãnem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zoſimum, Zoboënum, Nymphidium, Chromatium, Iouinum, Eleutherium, Clematium, quos vno loco ſimul inuentos, in iſtum conſeſſum introducere valeamus. *Ibidem.*

Hæc Verba tua quò proficiunt, niſi vt appareat, vel quomodo de hac cauſa ſcire neglexeris Catholicorum ſententias, ſermonéſque Doctorum, vel ſi eos noſſe curaſti, qua fraude coneris circumuenire neſcientes? Nam de ratione, & ſanctarum Scripturarum auctoritate, vt nunc interim taceam, hanccine ſententiam, qua negatis peccato primi hominis obnoxios paruulos naſci, ſanctorum virorum ſemper celebrauit eruditio? Non hoc iſtis tot tantorúmque ſanctorum & eruditorum, quæ commemoraui, teſtimoniis indicatur,

*Temerè itaque & noſtri temporis hæretici, ad Orientales prouocãt Eccleſias.*

*Gregorij Nazianzeni laus.*

imò è contrario puto, quòd iam videas, quãtum te opinio iſta fefellerit, ſi tamen non dolo agis, atque id antè iam noueras. Sed vt melius de te credam, ſi nunc primùm iſta cognoſcis, ſi de peccato primi hominis, quòd eo ſint obligati, qui carnaliter generantur infantes, nec eo niſi ſpiritali regeneratione ſoluuntur, nunc primùm perſpicis, hoc didiciſſe & docuiſſe tot ſanctos, quod & nos didicimus & docemus, muta iam iſtam mentem, obliuiſcere huius erroris, & propemodum furoris, quo in tot ac tales Patres Manichæum iaculabaris opprobrium. Si neſciens hoc feciſti, cur non miſeram reſpuis imperitiam? Si ſciens, cur non ſacrilegam deponis audaciam? Conuinceris vndique, luce clariora ſunt teſtimonia tanta ſanctorum. In quorum conuentum te introduxerim conſpice. Hîc eſt Mediolanenſis Ambroſius, quem magiſter tuus Pelagius tanta prędicatione laudauit, vt diceret in libris eius præcipuè fidem lucere Romanam, qui ſcriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit, ita vt eius fidem, & puriſſimum in Scripturis ſenſum reprehendere nec inimicus auderet. Hîc eſt & Conſtantinopolitanus Iohannes, quem tu in numero eruditorum ac ſanctorum excellentiſſimum in hac ipſa tua, cui reſpondeo, diſputatione poſuiſti. Hîc eſt Baſilius, cuius te verbis ad id quod nunc agitur non pertinentibus, putaſti aliquid adiuuari. Hîc ſunt & cæteri, quorum te mouere debet tanta conſenſio. Non eſt ita, ſicut ſtylo maledico ſcribis, conſpiratio perditorum. In Eccleſia Catholica doctrinæ ſanæ ſtudiis claruerunt, ſpiritalibus armis muniti & accincti, ſtrenua contra hæreticos bella geſſerunt, perfunctis fideliter ſuæ diſpenſationis laboribus in pacis gremio dormierunt. *Ibidem.*

*Quod ſancti didicerunt et docuerũt, hoc & nos diſcere, & docere oportet.*

*Fides Romana etiam ab hæreticis prædicata.*

*Hæreticos mouere debet patrum conſenſio.*

Ecce quò te introduxi, conuentus ſanctorum iſtorum non eſt multitudo popularis, non ſolùm filij, ſed & patres Eccleſiæ ſunt. Ex illo numero ſunt, de quibus prædictum eſt* *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Ex qua filij regenerati ſunt, vt hæc diſcerent, eius Patres facti ſunt, vt docerent. *Ibidem.*

*Sancti Doctores non ſolùm filij, ſed & Patres ſunt Eccleſiæ.*

* *Pſal.44.*



### *III. Ab Eccleſiæ Doctoribus petendam eſſe Scripturæ interpretationem.*

QVis mediocriter ſanus non facilè intelligat, Scripturarum expoſitionem ab his petendam eſſe, qui earum doctores ſe eſſe profitentur: fierique poſſe, imò id ſemper accidere, vt multa indoctis videantur abſurda, quæ cũ à Doctoribꝰ exponãtur, eò laudãda videãtur elatius, quò abiectius aſpernanda videbantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quò clauſa difficilius aperiebantur? Hoc ferè in ſanctis veteris Teſtamenti libris euenit, ſi modò ille qui eis offenditur, Doctorem potius eorum pium, quàm impium laceratorem requirat, priuſquam ſtudio quærentis, quam temeritate reprehendentis imbuatur. *Tom.1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, lib. 1. cap. 1. Lege quæ præceſſerunt. Capite de Scripturis ſacris. Titul.9.*

Si autẽ in alicuius hæretici volumina incurrit, & neſciens fortè, quod vera fides improbat, tenuit animo, & Catholicum eſſe arbitratur: ſedulò edocendus eſt, prælata auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ, aliorúmque doctiſſimorum hominum, & diſputationibus & ſcriptionibus in eius veritate florentium. *Tom.4. de Catechizandis rudibus, cap.8.*

*Quid cũ illis agendum, qui per imprudentiã libros hæreticorum legerint, et Catholicã in eis contineri doctrinam exiſtimauerint.*

Nihil eſt profectò temeritatis plenius, quæ nobis tunc pueris inerat, quàm quorumcunque librorum expoſitores deſerere, qui eos ſe tenere, ac diſcipulis tradere poſſe profitentur, & eorum ſententiam requirere ab his, qui conditoribus illorum atque auctoribus acerbiſſimum neſcio qua cogente cauſa, bellum indixerũt. Quis enim ſibi vnquã libros Ariſtotelis reconditos & obſcuros, ab eius inimico exponẽdos putauit, vt de his loquar diſciplinis, in quibus Lector fortaſſe ſine ſacrilegio labi poteſt? Quis denique Geometricas literas Archimedis legere, magiſtro Epicuro, aut diſcere voluit, contra quas ille multum pertinaciter, nihil earũ, quantum arbitror intelligens, diſſerebat? An iſtæ ſcripturæ legis planiſſimæ ſunt in quas iſti quaſi vulgò expoſitas impetum faciunt fruſtra atque inaniter? *Tom.6. de vtilitate ſitæ cred. cap.6.*

*Libri ſacri nõ ab hoſtibus ſed à ſanctis Patribus exponendi.*

*Scripturæ legis non ſunt vulgò expoſitæ.*

### IIII. *Antiquos Patres incorruptos eſſe iudices in controuerſiis poſterorum.*

PRopter Catholicam veritatem ſancti ac beati,& in diuinorum eloquiorum pertractatione clariſſimi ſacerdotes,Irenęus,Cyprianus,Reticius,Olympius,Hilarius,Ambroſius,Gregorius,Innocentius,Ioannes,Baſilius,quibus addo præſbyterum velis nolis, Hieronymum,vt omittam eos,qui nondum dormierunt,aduerſus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſſione ſententiam, vnde nemo eruit,niſi quem ſine lege peccati,repugnante * legi mentis,virgo concepit. Quid eſt,quòd exultas, & mihi ſi in conſpectu iudicum eſſemus, quaſi victor inſultas, tanquam non inuenirem quid facerem, quò confugerem, ſi iudicum premerer poteſtate, ſi in medio eruditorum conſiſterem tecum, ſi verè quam dicis rationis tuba, à te ſcilicet magno tubicine inflata, ſi auditorum arma circunſtantium & tibi fauentium concreparent? Ita enim tibi ponis ante oculos,noſtrum in diſputatione certamen,& te argumentante,me quid reſpondeam non habentem,fingis vt placet. Sic tecum vana & inſana tui cordis imaginatio fabulatur,quaſi me ante Pelagianos iudices tecum conſtituas, quibus plaudentibus tibi liceat exaltare tanquam tubam,vocem tuã, & prædicare contra Catholicam fidem, & contra gratiam Chriſti,qua puſilli cum magnis liberantur à malo,communem tibi & illis nouitiæ huius impietatis errorem. Tales iudices in Eccleſia Dei, nec ſine aduerſario ex parte altera ſtante, potuit eruditor veſter Pelagius inuenire. De quo iudicio ipſe quidem,quantum ad hominum conſpectum attinet,velut abſolutus,veſtro tamen palàm damnato dogmate egreſſus eſt. At ego vbicunque ſis, vbicunque iſta legere poteris, te ante iſtos in tuo corde conſtituito,quos non amicos meos & inimicos tuos,aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te merito tuæ offenſionis auerſos,& ob hoc tibi aduerſos,in hac noſtra diſceptatione conſtitui cognitores:nec eos qui nunquam fuerunt, aut non ſunt,

** Rom.7.*

*Similia nunc hæretici fingunt, vt Catholicos imperitos eſſe probent.*



aut quorũ ſententiæ,de hoc quod inter nos diſputatur, incertæ ſunt,inani cogitatione confinxi, ſed ſanctos,& in ſancta Eccleſia illuſtres,antiſtites Dei,non Platonicis & Ariſtotelicis,& Zenonicis, aliiſque huiuſcemodi, vel Græcis, vel Latinis, quanquam & iſtis aliquos eorum, verùm omnes ſacris literis eruditos, nominatim, ſicut oportebat,expreſſi,eorũmque ſententias, quãtum ſufficere videbatur, ſine vlla editas ambiguitate digeſſi, vt in eis timeas non ipſos, ſed illum, qui ſibi eos vtilia vaſa formauit,& ſancta tẽpla cõſtruxit, qui tunc de iſta cauſa iudicauerunt, quando in eos nemo poteſt dicere perperam cuiquam vel aduerſari, vel fauere potuiſſe. Nondum enim extiteratis, contra quos ſuſciperemus de hac quæſtione conflictum. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 2. prope finem.*

*Cùm ſanctorum Patrum ſententia contemnitur, nõ tàm ipſi timendi, quàm Deus, qui eos vtilia vaſa formauit, & ſancta tẽpla conſtruxit.*

*Sãcti Patres quare ſint incorrupti iudices.*

Certè ipſe dixiſti, quòd omnes iudices ab odio,amicitia,inimicitia, ira vacuos eſſe deceat, pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambroſium alióſque collegas eius,quos cum illo commemoraui, tales fuiſſe credendum eſt. Verùm etſi tales non fuerunt in his cauſis,quas ad ſe delatas & inter partes cognitas, cùm hîc viuerẽt, ſuo iudicio definierunt, ad hanc tamen cauſam tales erant,quando de illa ſententias protulerunt, nullas nobiſcum vel vobiſcum amicitias vel attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Neque nobis neque vobis irati ſunt,neque nos neque vos miſerati ſunt. Quod inuenerunt in Eccleſia,tenuerunt:quod didicerũt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos Iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus, nondum vobiſcum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus. Dicis me ſi ſub poteſtate iudicum premerer, quales tibi ipſi componis, non habiturum fuiſſe quid facerem, quò confugerem, cùm tuis argumentationibus vnde occurrerem,reperire non poſſem. Ego planè haberem quod facerem, haberem quò confugerem: à Pelagianis enim tenebris ad hæc tàm clara Catholica lumina prouocarem, quod & nunc iam facio. Tu ergo re-

*Doctrina Catholica per traditionem.*

*Sanctorum Patrum iudiciũ in quæſtionibus poſterorum ſequendũ, quod ab odio & amicitia partium fuerint alieni.*

*Hæretici ſanctorũ patrum iudicio dãnati, quò confugiant, non habent.*

ſponde, quid facias, dic quò confugias. Ego à Pelagianis ad iſtos, tu ab iſtis ad quos? *Et paulò pòſt*: Et addis, quod quidem ego verum eſſe conſentio, ad aliquid inueniendum, multitudinem nihil prodeſſe cæcorum: etiam iſtos cæcos dicere audebis? Et vſque adeo permiſcuit ima ſummis longus dies, vſque adeò tenebræ lux, & lux tenebræ eſſe dicuntur, vt videant Pelagius, Cæleſtius, Iulianus, & cæci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius? Sed qualiſcunque homo ſit, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, ſi tamen nō in te ſpes eſt omnis emortua ſanitatis, & quodammodo audio vocem tuam: reſpondes, Abſit, vt audeam cæcos iſtos viros vel cogitare vel dicere. Eorum ergo appende ſententias. Nolo eſſe plures, vt eas te pigeat numerare. Sed nō ſunt leues, vt eas dedigneris appendere, imò tam ſunt graues, vt te videam ſub earum onere laborare. *Ibidem.*

*Hæretici ſanctos Patres dicebãt cæcos.*

Quid eſt, quòd rabioſa mentis cæcitate nunc iactent toto penitus occidente, non minus ſtultum quàm impium dogma ſuſceptũ? Quandoquidem Domino miſerante, ſuámque Eccleſiam miſericorditer gubernante, ſic vigilauit Catholica fides, vt non minus ſtultum quàm impium dogma, quemadmodum Manichæorũ, ita etiam nō ſuſciperetur iſtorum (*Pelagianorum*) Ecce ſancti & docti viri, fama totius Eccleſiæ conteſtante Catholici (*loquitur de Cypriano & Ambroſio.*) & creaturam Dei, & nuptias ab illo inſtitutas, & legem per Moyſen datam, & liberum arbitrium naturæ hominis inſitum, & ſanctos Patriarchas & Prophetas debitis ac congruis prædicationibus laudant, quæ omnia iniquè Manichæi, partim negando, partim etiam deteſtando, condemnant. *Et paulò pòſt.* Quid eſt ergo quod dicunt de ſimplicibus Epiſcopis, ſine congregatione Synodi in locis ſuis ſedentibus extorta ſubſcriptio eſt? Nunquid beatiſſimis & in fide Catholica excellentiſſimis viris, Cypriano & Ambroſio, ante iſtos, aduerſus iſtos extorta ſubſcriptio eſt, qua eorũ impia dogmata tanta manifeſtatione ſubuertunt, vt quæ contra eos manifeſtiora dicamus, vix nos inuenire poſsimus? Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies

*Sicut Manichæorum ita & Pelagianorum dogmata, Patrũ præcedentiũ ſcriptis dãnat Auguſtinus.*



damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit. Cùm potius rariſsimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſsitas talis exſtiterit, multóque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi exſtiterunt, illic improbari, damnaríque meruerunt. *Tom. 7. contra duas Epiſtol. Pelag. lib. 4. cap. 12.*

*Ad damnandas hæreſes nō ſemper Synodi cōgregatione opus eſſe.*

Vnum martyrem hinc (*ex Africa*) opponimus Cyprianum, per quem probemus, antiquam nos defendere fidem, contra veſtri erroris vanam prophanámque nouitatem. *Et paulò pòſt.* Sed quantumlibet tergiuerſeris ô hæreſis Pelagiana, quæ contra muros antiquiſſimæ veritatis nouas conſtruis machinas, nouas moliris inſidias, Pœnus diſputator, quod me contumelioſè tuus defenſor appellat, Pœnus inquam diſputator, non ego, ſed Cyprianus, pœnis te hoc vulnere Pœnus immolat, & pœnam ſcelerato ex dogmate ſumit. Quid ſi tot Epiſcopos ex Africa nominaſſem, quot ex aliis partibus orbis nominaui? aut quid ſi in eis ipſis plures Afri eſſent? Vnus hinc eſt, cæteri aliunde, quorum ab Oriente & Occidente conſenſione confoderis, & tamen tanta obſtinatione cæcaris, vt non videas, te velle potius corrumpere antiquum Eccleſiæ decorem, id eſt, antiquam fidem, tanquam Saræ aniculæ pulcherrimæ caſtitatem. Si enim per ſanctos antiſtites Dei, memorabiléſque Doctores Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambroſium, Gregorium, Baſilium, Ioannem, Innocentium & Hieronymum conſtuprauerunt Eccleſiam Manichæi, dic mihi Iuliane, quæ te peperit? Vtrum te caſta, an verò meretrix in lucem, quam deſeruiſti, per vterum gratiæ ſpiritalis enixa eſt? an vt dogmata Pelagiana defendas coniugis Chriſti & matris tuæ viſcera, inſtinctu nefario, non erroris, ſed furoris, infamas? Vſque adeò enim contra vetuſtam pulchritudinem Saræ non inuenit, quid nouitia deformitas mentiatur, vt tot Epiſcoporum glorioſorum, Catholicorum, in tanta ſuarum ſententiarum manifeſtatione, conſenſum, in quibus ſunt qui Manichæi nec nomen audierũt, Manichæorum blaſphemia criminetur. *Tom. 7. contra Iulianum Pelagianum lib. 3. cap. 17.*

*Hæreticus ſanctorum Patrũ conſenſione confoſſus, tamẽ adhuc obſtinatione cæcatur.*

*Hoc & recentibus hæreticis obiici poteſt, qui ſanctos Patres & Eccleſiam totã ante multos annos in errore fuiſſe dicunt.*

*Hæretici cõiugis Chriſti & matris ſuæ viſcera infamant.*

### *V. Chriſtiani eſſe populi, ſanctorum Patrum ſequi auctoritatem.*

*Doctores ſanctos prophanis hæreticorũ nouitatibus anteponendos eſſe.*

NVNC argumẽta ipſa veſtra, quibus agitis, ne hominum prima natiuitas originali peccato credatur obſtricta, eloquiis ſunt redarguenda ſanctorum, quos oportet, vt populi Chriſtiani, veſtris prophanis nouitatibus anteponant, eiſque potius eligant adhærere, quàm vobis. *Citat multa ex Ambroſio aduerſus negantes Peccatum originale, inde ſubiungit*: Tria veſtra argumenta tanta illius viri auctoritate ſubuerſa ſunt, nec vlterius obiicienda ſunt nobis, qui de originali peccato ea dicimus, quæ dixit ille, qui neque hominis creationem Diabolo attribuit, neque nuptias cõdemnauit, neque iuſtitiæ perfectionem in natura hominis deſperauit. De duobus verò reſiduis argumentis veſtris, quæ ad Baptiſmum pertinent, mox videbimus, quid ille vir ſenſerit, & quomodo vos ingenti mole auctoritatis obtriuerit. *Et infrà.* Quòd ſi adhuc quod aduerſus meos libros moliaris, inquiris, illum (*Ambroſium*) aſpice, aduerſus illum aliquid aude, qui hæreſis veſtræ venenis antequam naſcerentur occurrit, & vnde poſſunt expelli, hæc antidota præparauit. *Tom.7. contra Iulianum Pelag. lib.2. in principio libri.*

Sed nec illa omnia commemorare potui, vel debui, quæ glorioſiſſimus in Domino Cyprianus poſuit in Epiſtolis ſuis, quibus demonſtratur, quomodo ſit hæc, quam tenemus, fides (*paruulos naſci in originali peccato*) verèque Chriſtiana atque Catholica, ſicut per Scripturas ſanctas antiquitus tradita, ſic à patribus noſtris, & vſque ad hoc tempus, quo iſti eam conuellere tentauerunt, retenta atque ſeruata, & deinceps propitio Deo retinenda atque ſeruanda. Nam ſic Cypriano & à Cypriano tradita hæc atque huiuſmodi ex eius literis teſtimonia prolata teſtantur. Sic autem vſque ad tempora noſtra ſeruata, ea quæ de his rebus, antequam iſti (*Pelagiani*) ebullire cœpiſſent, Ambroſius conſcripſit, oſtendunt. *Et paulò pòſt.* Quodlibet mutire audeant aduerſus ſanam fidem Cypriani & Ambroſij, non eos puto in tam magnum proruptures furorem, vt memora-



tos & memorabiles homines Dei audeant dicere Manichæos. *Tom.7. contra duas Epiſt. Pelag. lib.4. cap.12.*

De illo aũt ſancto Preſbytero (*Hieronymo*) qui ſecũdum gratiã, quæ data eſt ei, ſic in Eccleſia laborauit, vt eruditionẽ Catholicã multũ in Latina lingua multis & neceſſariis literis adiuuaret, non ſolet Pelagius iactitare, niſi quòd ei tanquã æmulo inuiderit. Sed nolo ex hoc tibi videatur de iſtorũ iudicũ numero retrahẽdus. Nõ enim eius ſentẽtiã poſui, quã tẽpore inimicitiarum cõtra veſtrũ tenuit & defendit errorẽ, ſed quam poſuit in ſcriptis, liber ab omni ſtudio partium, anteq̃ veſtra damnabilia dogmata pullularent. De reliquis ſanè, non habes omnino, quod dicas. Nunquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Baſilius, Ambroſius & Ioannes, de plebeia fæce Sellulariorum, ſicut Tullianè iocaris, in veſtrã inuidiam cõcitati ſunt? Nunquid milites, nunquid ſcholaſtici auditoriales? Nũquid nautæ, tabernarii, cetarii, coqui, lanij? Nũquid adoleſcẽtes ex Monachis diſſoluti? Nũquid poſtremò de qualiumcũque clericorũ turba iſti ſunt, quos vrbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate cõtemnis, quia nõ poſſunt ſecũdũ categorias Ariſtotelis de dogmatibus iudicare? Quaſi tu, qui maximè quereris examen vobis & Epiſcopale iudiciũ denegari, Peripateticorũ poſſis inuenire cõſiliũ, vbi de ſubiecto, & his, quæ ſunt in ſubiecto, contra originale peccatum dialectica ſententia proferatur. Iſti Epiſcopi ſunt docti, graues, ſancti, veritatis acerrimi defenſores aduerſus garrulas vanitates, in quorũ ratione, eruditione, libertate, quia tria bona iudici tribuiſti, nõ potes inuenire quod ſpernas. Si Epiſcopalis Synodus ex toto orbe cõgregaretur, mirũ ſi tales poſſent illic facilè ſedere tot, quia nec iſti vno tempore fuerunt. Sed fideles & multi * excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus per diuerſas ætates, temporũ locorúmque diſtantias, ſicut ei placet, atque expedire iudicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de aliis atq; aliis tẽporibus atque regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locũ quo nauigare cogantur homines, ſed in librum, qui nauigare poſſit ad homines. Quanto tibi eſſent iſti iudices

*Hæretici ſeculares.*

*Antiqui Doctores quia ſancti, quia eruditi, quia liberi ab omni ſtudio partium, habẽt omnia, quæ in iudicibus deſiderantur.*

** forte, multis.*

optabiliores,ſi teneres Catholicam fidem: tantò tibi ſunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerũt, cuius lac & cibum paruis magniſque miniſtrauerunt, quam contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos, vnde nunc reuelamini, apertiſſimè ac fortiſſimè defenderũt. Talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtorib⁹, nutritoribus creuit. Ideò prophanas voces veſtræ nouitatis expauit, & cauta ac ſobria ex admonitione Apoſtolica, ne ſicut ſerpens * Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & mens * eius corrumperetur à caſtitate, quæ eſt in Chriſto, Catholicæ fidei virginitati inſidias veſtri dogmatis ſurrepentis exhorruit, & tanq̃ caput colubri calcauit, obtriuit, abiecit. His igitur eloquiis & tanta auctoritate ſanctorum profectò aut ſanaberis, Dei miſericordia donante, quod quantum tibi optem, videt qui faciat: aut ſi quod abominor, in eadem quæ tibi videtur ſapientia, & eſt magna ſtultitia, perduraueris, nõ tu iudices quæſiturus es, vbi cauſam tuam purges, ſed vbi tot ſanctos Doctores egregios atque memorabiles Catholicæ veritatis accuſes, Irenæum, Cyprianum, Reticiũ, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambroſium, Baſilium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum, cæteróſque ſocios ac participes eorum, inſuper & vniuerſam Chriſti Eccleſiam, cui diuinæ familiæ Dominica cibaria fideliter miniſtrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. Aduerſus hanc autem miſerabilem, quam Deus auertat, inſaniam, ſic reſpondendum eſſe video libris tuis, vt fides quoque aduerſus te defendatur iſtorum, ſicut contra impios, & Chriſti profeſſos inimicos etiã ipſum defenditur Euangelium. *Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 2. verſus finem.*

*Sancti Doctores poſt Apoſtolos plantatores ſunt, rigatores, ædificatores, paſtores & nutritores Eccleſiæ.*
* *Gen. 3.*
* *1. Tim. 6.*

*Fides in qua conuenerũt ſancti Doctores, nõ ſecus quàm ipſum Euãgelium ab Auguſtino defenditur.*

### *VI. Auguſtinum in exponendis Scripturis, iuxta communem Patrum interpretationem, ſuam correxiſſe ſententiam.*

* *Rom. 7.*

QVOD autem verba Apoſtolica, vbi dicit: * *Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum*, & cætera, vſque ad illud, vbi ait: *Miſer ego homo, quis me liberabit*



*liberabit de corpore mortis huius?* me affirmas aliter intelligere, quàm eorum ipſum caput debet intelligi, neſciens mihi plurimùm tribuis. Nõ enim ego ſolus aut primus ſic iſtum locum intellexi, quo euertitur hæreſis veſtra, quemadmodum verè intelligendus eſt: imò verò ego prius cũ aliter intellexerã, vel potius non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam ſcripta teſtantur. Non enim mihi videbatur Apoſtolus & de ſeipſo dicere potuiſſe: Ego autem carnalis ſum, cùm eſſet ſpiritalis, & quòd captiuus duceretur ſub * lege peccati, quæ in membris erat eius. Ego enim putabam dici iſta non poſſe, niſi de iis, quos ita haberet carnis concupiſcentia ſubiugatos, vt facerent, quicquid illa compelleret, quod de Apoſtolo dementis eſt credere, cùm etiam innumerabilis multitudo ſanctorum, ne concupiſcentias carnis perficiat, contra carnem ſpiritu concupiſcat. Sed poſteà melioribus & intelligentioribus ceſſi, vel potius ipſi, quod fatendum eſt, veritati, vt viderem in illis Apoſtoli vocibus, gemitum eſſe ſanctorum contra carnales concupiſcentias dimicantium. Qui cùm mente ſint ſpiritales, adhuc tamen iſto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, rectè intelliguntur eſſe carnales, quia erunt & corpore ſpiritales, *quando * ſeminatum fuerit corpus animale, & reſurget corpus ſpirituale.* Et rectè adhuc intelliguntur ea parte captiui ſub lege peccati, quæ deſideriorum, quibus non conſentiunt, motibus ſubiacet. Hinc factum eſt, vt ſic iſta intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambroſius, & cæteri Eccleſiæ ſancti, notique doctores, qui & ipſum Apoſtolum aduerſus carnales concupiſcentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenuè conflixiſſe, eundémque conflictum ſuum illis ſuis verbis cõteſtatum fuiſſe ſenſerũt. *Tom. 7. contra Iulian. Pelagian. lib. 6. cap. 11.*

* *Ibidem.*

*Auguſtinus in explicãdo Apoſtolo melioribus & intelligẽtioribus ceſſit, vtpote, Hilario, Gregorio, Ambroſio, &c.*
* 1. Cor. 15.

Quod vtique (*Ego autem * carnalis ſum venundatus ſub peccato*) nõ ex perſona Apoſtoli accipi volui, qui iã ſpiritalis erat: ſed hominis ſub lege poſiti, nondum ſub gratia. Sic enim prius hæc verba ſapiebam, quæ poſtea lectis quibuſdam diuinorum tractatoribus eloquiorũ, quorum me moueret auctoritas, conſideraui diligen-

* *Rom. 7.*

*Auguſtinus Patrũ quorundã auctoritate mo-*

O

*tus, in explicanda ſcriptura ſentẽtiam mutat.*

** Rom. 7.*

tius,& vidi etiam de ipſo Apoſtolo poſſe intelligi,quod ait : * Scimus quoniam lex ſpiritalis eſt,ego autẽ carnalis ſum. *Tom.1. Retract.lib.1.cap.23.*

### *VII. Ad fidem & religionem Patrum, hæreticos, vt ſanentur, redire oportere.*

TV INTERIM habes in conſpectu, nõ ſolùm Occidẽtis, verùmetiam Orientis Epiſcopos. Nam qui nobis deeſſe videbantur, plures Orientis inuenimus. Omnes vno eodémque modo credunt, per vnum * hominem peccatum intraſſe in mundum,& per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt. Qui modus hic eſt? vt peccato illius primi vnius hominis omnes naſci credantur obnoxij. Si hoc quod dicit Manichæus, abs te dicitur, iſtos aſpice, iſtos erubeſce, iſtis parce, vel tibi potius, ne rector & habitator illorũ tibi fortè non parcat. Si autem iſtos Manichæos eſſe non dicis, nec me poteris inuenire cur dicas. Neque enim me ob aliud eſſe dicis, niſi quia de peccato primi hominis, cui omnes carnalis natiuitas obligauit, nec inde quenquam niſi ſpiritalis natiuitas ſoluit, quod credunt, credo, quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod prædicant, prædico. Iſtis cede, & mihi cedes: acquieſce iſtis, & quieſcis à me. Poſtremò ſi mihi per eos amicus fieri non vis, ſaltem peto, ne per me illorum efficiaris inimicus Sed quomodo non efficieris, ſi in iſto errore permanſeris? Quantò ergò melius vt his accedas, ab illo recedas? Tantum ne apud te poſſunt Pelagius & Celeſtius, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, tot ac tantos Catholicæ fidei Doctores & defenſores antiquos, & noſtræ ætati contiguos, dormientes & manentes, non ſolùm deſerere, verùm etiam Manichæos audeas appellare? *Tom. 7. contra Iulianum Pelagianum, lib. 1. cap. 2. circa medium.*

** Rom. 5.*

*Quàm cõfidẽter Auguſtinus ſanctorum Doctorum ſententiam & doctrinã ſequatur.*

Ego quidem pro dilectione, quæ mihi eſt erga te, quam, Deo propitio, quibuſlibet conuitiis abſit vt de medullis mei cordis extirpes, mallem fili Iuliane, vt iuuentute meliore atque fortiore te vinceres, & animoſitatem, quid aliud, quam humanam, qua cupis tuã, qualiſcũque ſit, quoniã tua iam facta eſt, præualere ſententiam, potentiore pietate ſuperares. Et ſicut Polemo luxuriæ coronis ſenſim capitẽ detractis, eiſque abiectis, manum pallio ſubdidit, os & vultum formauit ad verecundiam, ad extremũ totũ ſe illi, ad quem deridendũ venerat, diſcipulũ tradidit: ſic & tu loquentibus tibi tot venerabilibus viris, maximéque Epiſcopo Ambroſio, in integritate Catholicæ fidei, etiam tui mali Doctoris & deceptoris ore laudato, & Epiſcopis Baſilio & Ioanne, quos tu quoque in ſanctis eruditis veridica atteſtatione poſuiſti, tanquam coronas ebrioſorum, abiiceres laudes Pelagianorũ, quibus tanquam magnus eorum defenſor extolleris & ſtylum, vt mitius dixerim, contumelioſum, non tanquam pallio pudoris abſconderes, ſed tanquam manu emendatiore confringeres, tuúmque pectus veritate complendum, non Platonico Xenocrati, ſed iſtis ſacerdotibus Chriſtianis, vel potius in eis ipſi Domino Chriſto, non velut qui nũc primùm veneris, traderes, ſed velut qui receſſeras, redderes. *Ibidem, ſub finem.*

*Sic multi hoc tempore ſuas ſententias, quia ſuæ ſunt, præualere volunt.*



*Laudes, quibus extollũtur hæretici à ſuis, coronæ ſunt ebrioſorum.*

### *VIII. Sententiam vnius aut paucorum Doctorum, communi Eccleſiæ ſententiæ non derogare.*

DIcit forſitan quiſpiam: Quid ergo tu modò dicis, quid ad Iubaianũ ſcripſerit Cyprianus? Iam legi, fateor, & profectò iſſem in eandẽ ſententiã niſi me ad diligentiorẽ cõſiderationẽ reuocaret tanta auctoritas aliorũ, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiã fortaſſe doctiores per tot gentes Latinas, Græcas, barbaras, & ipſam Hebræam, Eccleſia toto orbe diffuſa parere potuit, quæ ipſum quoq; pepererat: qui mihi quoque nullo modo videri potuerunt fruſtra noluiſſe iſtã ſententiã, nõ quia fieri nõ potuit, vt in obſcuriſſima quæſtione verius pluribus vnus paucíue ſentirẽt: ſed quia nõ facilè pro vno, vel pro paucis, aduerſus innumerabiles eiuſdẽ religionis & vnitatis viros, & magno ingenio & vberi doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribꝰ atq; perſpectis rebus, ferẽda ſentẽtia eſt. Itaque ſolicitius inquirẽti, quanta mihi etiam ipſius Cypriani literæ ſug-

*Vnius vel paucorum ſententiæ, reliquorum*

*Patrum conſenſus & auctoritas non temerè poſtponēda.*

** Ioan. 1.*

geſſerunt, pro hac ſententia, quam nunc Eccleſia Catholica tenet, vt Chriſti Baptiſmus non ex merito eorum, per quos datur, ſed ex ipſius, de quo dictum eſt: * *Hic eſt qui baptizat*, agnoſcendus & approbandus ſit. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſtas. lib. 3. cap. 4.*

Illa quæ ad Quintũ ſcribit Cyprianus, & illa quæ cum collegis ſuis Liberali, Caldonio, Iunio, & cæteris, ad Saturninum & Maximum, & alios, bene conſiderata nullo modo præferenda ſunt, aduerſus totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſionem, cuius ſe illi membra eſſe gaudebant, & vnde ſe neque ipſi præciderunt, neque diuerſa ſentientes præcidi paſſi ſunt, donec aliquando in Domini voluntate per plenarium Concilium, licet poſt multos annos, quid eſſet rectius, eluceret, non aliqua nouitate inſtituta, ſed antiquitate roborata. *Ibid. lib. 5. cap. 22. Vide & lib. 4. cap. 6. et lib. 5. cap. 17. Item lib. 2. cap. 1. & 2.*

*In plenario Concilio nō aliqua nouitas inſtituta, ſed antiquitas roborata.*

Non accipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis beatus Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua beatus Cyprianus ſanguinem fudit. *Tom. 7. cõtra Creſconium lib. 2. cap. 32. Lege & lib. 3. cap. 1.*

Nec arbitror beatum Cyprianum propter aliud contra conſuetudinem quid ſentiret liberius exprompſiſſe, priorémque dixiſſe, niſi vt alium ſi fortè exiſteret, cui eſſet reuelatum, gratiſſimè acciperet, & oſtenderet imitandam, non ſolùm docendi diligentiam, ſed etiam diſcendi modeſtiam. Si autem nullus exiſteret, qui tale aliquid afferret, vnde illæ omnes veriſimiles rationes, quibus mouebatur, refellerentur, in eadem ſententia permaneret ſibi bene conſcius, & non occultatæ quæ putabatur veritatis, & retentæ quæ amabatur vnitatis. Nam & illud ſic intellexit, quod ait Apoſtolus: * Prophetæ autem duo vel tres loquantur, & cæteri examinent: ſi alij ſedenti reuelatum fuerit, ille prior taceat. Qua in patre inquit, docuit, & oſtendit multa ſingulis in melius reuelari, & debere vnumquenque non pro eo, quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi: ſed ſi quid melius & vtilius extiterit, libẽter amplecti. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib. 2. cap. 8.*

** 1. Cor. 14.*



*Quanquam idem Auguſtinus, quod ad hanc eandem ſententiam de hæreticis rebaptizandis attinet*: Non incongruenter (*inquit*) de tali viro (*Cypriano*) exiſtimandum eſt, quòd correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimiũ delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. *Tom. 2. epiſtola. 48. ad Vincentium.*

### *IX. Patres in quibuſdam obſcuris controuerſiis, ſalua fidei compage, ante definitionem Eccleſiæ diſcordaſſe.*

Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Abſit, inquam, vt Cõſtantinopolitanus Ioannes de Baptiſmate paruulorum, eorúmque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum tot ac tantis coëpiſcopis ſuis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando etiã doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalua fidei compage non conſonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem vnde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta. *Tom. 7. contra Iulian. Pelagian. lib. 1. cap. 2.*

*Catholici Doctores cũ diſſident ab inuicẽ, ſalua fidei cõpage id faciunt.*

*Qui aũt ita diſſentiunt, vt cõpagem illã ſoluãt, hæretici ſũt.*

De baptiſmo piè credamus, quod vniuerſa Eccleſia à ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit. In qua tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalua pace ſentirent, donec vniuerſali Concilio vnum aliquid eliquatum ſyncerúmque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſtas, lib. 1. cap. 18.*

*Excuſantur Catholici Doctores, in aliqua re ante Eccleſiæ definitionem diſſentientes.*

Quando rebaptizabat Cyprianus ab hæreticis venientes, Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus: tunc Eccleſiæ Romanæ Stephanus Epiſcopus in eodẽ Baptiſmo, quem foris acceperant, ſuſcipiebat hæreticos: & ambo hæc diuerſa ſentientes, in vnitate Catholica permanebant. *Tom. 7. contra Gaudentium, lib. 3. cap. 10.*

Sanitas pacis hoc facit, vt cùm diutius aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem,

*Inter Catholicos, cũ*

diuerſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris. Et ideo plerunque Doctoribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiẽs & humilis charitas, in qua fructus maior eſt, comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem, cùm in rebus obſcurioribus diuerſa ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatẽ, cùm contra id, quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcũt. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſt. lib.2. cap.4.*

*In quibuſdã obſcuriorib⁹ aliquando diſſentiant, vinculũ tamen permanet vnitatis.*

*Quare Deꝰ Catholicis Doctoribus minus aliquid reuelet.*

Nos itaque vt dicere cœperam, in Eccleſiæ communione ſecuri ſumus, per cuius vniuerſitatem id nunc agitur, quod & ante Agrippinum, & inter Agrippinum & Cyprianum per eius vniuerſitatem ſimiliter agebatur, & cuius vniuerſitatem neque Agrippinus deſeruit, neque Cyprianus, neque illi qui eis conſenſerãt, quanuis aliter, quàm cæteri ſaperent, ſed cum eis ipſis, à quibus diuerſa ſenſerunt, in eadem vnitatis communione mãſerũt. *Ibidẽ, lib.3. cap.2. Latius hæc lib.1. ca.18.*

*Cyprianus & qui ei adhæſerũt, etſi aliter quàm cæteri ſaperẽt, in vnitatis tamẽ communione cũ aliis mãſerunt.*

### X. *Ante exortas hæreſes quædam à ſanctis Doctoribus minus diſtinctè fuiſſe dicta, quòd putarent ſe catholicè intelligi.*

QVanquam & illi qui Catholici ex hac vita migrarunt, & aliquid literarum Chriſtianarum poſteris reliquerunt, in quibuſdam locis opuſculorum ſuorum, vel non intellecti, vel ſicuti eſt humana infirmitas, minus valentes acie mentis abditiora penetrare, & veriſimilitudine aberrantes à veritate, præſumptoribus & audacibus fuerunt occaſioni ad aliquam hæreſin moliendam atque gignendam. Quod mirum nõ eſt, cùm de ipſis canonicis literis, vbi omnia ſaniſſimè dicta ſunt, non quidem aliter accipiendo quædam, quàm vel Scriptor ſenſit, vel ſe ipſa veritas habet: nam ſi hoc ſolum eſſet, quis non humanæ infirmitati ad corrigendum paratæ libenter ignoſceret? ſed id quod peruerſè ac prauè opinati ſunt, animoſitate acerrima, & peruicaci arrogãtia defenſitantes, multi multa pernicioſa dogmata, conſciſſa communionis vnitate

*Nõ mirũ, ſi Catholici etiã Scriptores, in quibuſdã locis ſuorũ librorũ, occaſioni fuerint præſumptoribus & audacibus ad aliquã hereſin moliẽdã atq; gignẽdam.*

*Praua ſcripturæ intelligẽtia pertinaciter defenſa, multa parit pernicioſa dogmata*



pepererunt. *Tom.4. de catechizandis rudibus, cap.8.*

Ego ipſa verba Græca, quæ à Ioãne (*ſermo eſt de Chryſoſtomo*) dicta ſunt, ponam: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. Quod eſt latinè: Ideo & infantes baptizamus, quanuis peccata non habentes. Vides certè non ab eo dictum eſſe: paruulos non coinquinatos eſſe peccato, ſiue peccatis, ſed non habere peccata, intellige propria, & nulla cõtentio eſt. At inquies, cur non ipſe addidit propria? Cur putamus, niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur: tali quæſtione nullus pulſabatur: vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur. *Tom.7. contra Iulianum Pelagianum, lib.1. cap.2.*

## DE HAERETICIS.
### CAP. XII.

### I. *Qui ſint hæretici nuncupandi.*

SI mihi Honorate, vnum atque idem videretur eſſe, hæreticus, & credens hæreticis homo, tam lingua quàm ſtylo in hac cauſa cõquieſcendum mihi eſſe arbitrarer. Nunc verò cùm inter duo plurimùm interſit: quandoquidem hæreticus eſt, vt mea fert opinio, qui alicuius temporalis cõmodi, & maximè gloriæ principatúſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur: ille autem qui huiuſmodi hominibus credit, homo eſt, imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus. *Tom.6. de vtilitate credendi, cap.1.*

*24.q.3. cap. Hæreticus eſt.*

*Quid inter hæreticũ, & hæreticis credentem interſit.*

Qui ergo in Eccleſia Chriſti morbidũ aliquid, prauũmque ſapiũt, ſi correpti vt ſanũ rectũmque ſapiant, reſiſtunt cõtumaciter, ſuaq; peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolũt, ſed defenſare perſiſtũt, hæretici fiũt & foras exeũtes, habẽtur in exercẽtibꝰ, inimicis etiã: ſic quippe veris illis catholicis mẽbris Chriſti malo ſuo proſunt, dũ Deus vtitur & malis bene, & diligentibus* cũ omnia cooperãtur in bonũ. *To.5. de ciu. Dei, l.18. c.51.*

*Hæretici extra eccleſiã, foras exeuntes, eã exercent, velut inimici.*

** Rom. 8.*

Nec conſequẽs eſt, vt omnis hæreticus vel ſchiſmaticus corporaliter ab Eccleſia ſeparetur. Si enim falſa de

Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita vt non quærentis cunctatione tentatus ſit, ſed inconcuſsè credentis, nec omnino ſcientis opinione atque errore diſcordans, hæreticus eſt, & foris eſt animo, quanuis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Eccleſia, quia non ita defendunt falſitatem ſententiæ ſuæ, vt intentã multitudinem faciant: quod ſi fecerint, tunc pellantur. *Tom.4. Quæſtionum ex Matth. quæſt.11.*

*Occultus hæreticus foris eſt animo, quãuis in eccleſia eſſe corporaliter videatur.*

## *II. Quid inter hæreticos, ſchiſmaticos, & malos Catholicos interſit.*

** Galat. 5.*

MAniſeſta, inquit (*Paulus*) ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Conſtituamus ergo aliquem caſtum, continentem, nõ auarum, non idolis ſeruientem, hoſpitalitatẽ indigentibus miniſtrantem, non cuiuſquam inimicum, non contentioſum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli inuidentem, ſobrium, frugalem, ſed hæreticum, nulli vtique dubium eſt, propter hoc ſolum, quòd hæreticus eſt, regnum Dei non poſſeſſurum. Conſtituamus alium fornicatorem, immundum, luxurioſum, auarum, vel etiam apertius idolis dedicatum, veneficum, diſcordioſum, contentioſum, æmulum, animoſum, ſeditioſum, inuidum, ebrioſum, commeſſatorem, ſed Catholicum: nunquid propter hoc ſolum quòd Catholicus eſt, regnum Dei poſſidebit, agens talia, de quibus ſic concludit Apoſtolus, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt? Si hoc dicimus, nos ipſos * ſeducimus. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib.4 cap.18.*

*Hæreſis cũ operib⁹ carnis numeratur.*

*Hæreticus ꝑpter hoc ſolũ quòd hæreticus eſt, regnũ Dei non poſſidebit.*

*Peccatis quæ hîc referũtur obſtrictus, quãuis interius Catholicus ſit, regnũ Dei nõ poſſidebit.*

** 1. Ioan. 1.*

Inter hæreticos & malos Catholicos hoc intereſt, quòd hæretici falſa credunt, illi autem vera credentes, non viuunt ita vt credunt. Solet autem etiam quæri,

*In Schiſmaticis poteſt eſſe fides, quos tamen carere caritate Auguſtini ſententia manifeſtum eſt.*



Schiſmatici quid ab hæreticis diſtent, & hoc inueniri, cùm Schiſmaticos non fides diuerſa faciat, ſed communionis dirupta ſocietas. Sed vtrum inter zizania numerandi ſint, dubitari poteſt. Magis autem videntur ſpicis corruptis eſſe ſimiliores, ſicut ſcriptum eſt: vento autem corrumpetur filius iniquus: vel paleis ariſtarum fractis vel ſciſſis, & de ſegete abruptis. Quò enim altiores, id eſt, ſuperbiores, eò fragiliores leuioréſque ſunt. *Tom.4. Quæſtionum ex Matth. quæſt.11.*

*Schiſmatici ſpicæ ſunt vrente vento corruptæ, vel paleæ à ſegetibus abſciſſæ.*

Quod commemorato Iudæ Apoſtoli teſtimonio, vbi ait: * Ii ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes, adiunxi etiam dicens: de quibus Apoſtolus Paulus dicit: * *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.* Non ſunt iſti illis æquandi, quos omnino ab Eccleſia ſchiſma præcidit. Iſtos quippe idem Apoſtolus Paulus* paruulos dicit eſſe in Chriſto, quos nondum eſcam valentes capere, lacte nutrit tamen: illi autem non in filiis paruulis, ſed in mortuis & perditis computandi ſunt. *Tom.1. Retract. lib.2. cap.27. Hæc eadem pluribus Tom.10. de verbis Domini ſerm.11. verſus finem.*

** Iud. 1.*

** 1.Cor.2.*

** 1. Cor.3.*

Quid ſibi vult, inquis, quòd ais hæreticorum ſacrilegum errorem? Nam hæreſes non niſi inter diuerſa ſequentes fieri ſolent: nec hæreticus niſi contrariæ, vel aliter interpretatæ religionis eſt cultor, vt ſunt Manichæi, Arriani, Marcionitæ, Nouatiani, cæteríque, quorum inter ſe contra fidem Chriſtianam diuerſa ſententia ſtat. Inter nos (*Donatiſtas & Catholicos*) quibus idem Chriſtus natus, mortuus & reſurgens, vna religio, eadem ſacramenta, nihil in Chriſtiana obſeruatione diuerſum, ſchiſma factum non hæreſis dicitur. Siquidem hæreſis eſt diuerſa ſequentium ſecta: ſchiſma verò eadem ſequentium ſeparatio. *Tom.7. contra Creſconiũ Grãmat. lib.2. cap.3. Hanc Creſconij diſtinctionem inter hæreſim & ſchiſma Auguſtinus in ſequentibus admittit, adiungens tamen, eã ſe magis approbare diſtinctionem, qua dicitur ſchiſma eſſe recens congregationis ex aliqua ſententiarũ diuerſitate diſſenſio.* Neq; enim ſciſſio vel ſchiſma (*inquit*) fieri poteſt, niſi diuerſum aliquid ſequatur, qui faciunt: hæreſis autem ſchiſma inueteratum. *Ibidem, cap.7.*

Credimus & ſanctam Eccleſiam vtique Catholicam, nam & hæretici & ſchiſmatici congregationes ſuas, eccleſias vocant. Sed hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant: ſchiſmatici autem diſciſsionibus iniquis à fraterna caritate diſsiliunt, quamuis ea credūt quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quoniam non diligit Deum: nec ſchiſmaticus, quoniam non diligit proximum. *Tom.3. de fide & ſymbolo, cap.10.*

*Diſcrimē inter hæreticos & ſchiſmaticos.*

*Nec hæreticus, nec ſchiſmaticus, ad Eccleſ. catholicā pertinet.*

## *III. Hæreticorum & hæreſum quæ cauſæ.*

*Quare Dæmō hæreticos excitauerit.*

*Eccleſia Dei nō poteſt indifferēter habere doctores, inter ſe diuerſa & aduerſa, circa doctrinā Chriſtianam, ſentientes.*

VIdens Diabolus templa Dæmonū deſeri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum: hæreticos mouit, qui ſub vocabulo Chriſtiano, doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ, quaſi poſſent indifferenter ſine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, ſicut ciuitas confuſionis indifferenter habuit philoſophos, inter ſe diuerſa & aduerſa ſentientes. *Tom.5. de ciuitate Dei, lib. 8. cap.51.*

Alia ſecta in Africa, alia hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia. Verbi gratia. Diuerſis locis ſunt diuerſæ, ſed vna mater ſuperbia omnes genuit, ſicut vna mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos. *Tom.9. de Paſtoribus, cap 8.*

*Omniū hæreſum eadē mater ſuperbia.*

Palpant in meridie, quaſi in media nocte. Quod quidem omnium hæreticorum eſt, qui rem manifeſtiſsimā (*de Eccleſia loquitur*) in lucem omnium gentium conſtitutam videre non poſſunt. *Tom.7. contra epiſt. Parmenia. lib 2. cap.1.*

** Rom. 1.*

*Hæretici traditi ſuis cōcupiſcentijs.*

** Gal.6.*

** Pſal 106.*

*Hæretici partem tenēt, & totum relinquunt.*

** Pſal.66.*

Quid eſt ſeduxit eos? Tradidit illos* Deus in concupiſcentias cordis eorum. Hoc eſt enim ſeduxit eos, donauit illos ſibi. Nam ſi propriè quæras, ipſi ſe ſeducunt. *Qui enim* putat ſe eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit.* Quid eſt ergo ſeduxit eos: Dimiſit eos* in inuio, & non in via. Quomodo enim in via homines, qui partem tenent, & totum relinquunt? Quomodo in via? quæ eſt ergo via? aut vbi agnoſcitur via? *Deus,* inquit,* *miſereatur noſtri, & benedicat nos, illuminet vultum ſuum ſuper nos, vt agnoſcamus in terra viam tuam.* In qua terra? In omnibus gentibus ſalutare tuū. Vtique tales vt minuantur,



vt pauci fiant, hinc exeunt. A multitudine vnitatis omnes exierunt, ſicut paulò antè commemoraui dictum de illis:* *Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtiq; nobiſcū. Tom.8. Pſa.106.*

*Omnes hæretici à multitudine vnitatis exierunt.*

** 1. Ioan.2.*

** Pſal. 67.*

Quid de illis dictum eſt in quodam Pſalmo:* *Congregatio taurorum*, id eſt, ceruicatorum & ſuperborum, cōgregatio taurorum inter vaccas populorum. Vaccas dicit ſeductiles animas, quæ facilè conſentiunt ſeductoribus tauris. *Ibidem.*

*Hæretici tauri ceruicoſi et ſuperbi.*

Sit tibi manifeſtum atque perceptum, nullum errorem in religione eſſe potuiſſe, ſi anima pro Deo ſuo nō coleret animam, aut corpus, aut phantaſmata ſua, aut horum aliqua duo coniuncta, aut certè ſimul omnia: ſed in hac vita ſocietati generis humani, ſine dolo tēporaliter congruens, æterna meditaretur, vnum Deum colens. Qui niſi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret. *Tom.1. de vera religione, cap.10.*

*Li.1. Retract. cap.13. admonet Auguſtinus, ſe hîc animam pro vniuerſa creatura incorporea poſuiſſe.*

Neque enim non omnes hæretici ſcripturas catholicas legunt, nec ob aliud hæretici ſunt, niſi quòd eas nō rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem peruicaciter aſſerunt. *Tom.3. de Geneſi. ad lit. lib.7. cap.9. Lege caput ſeptimū huius libri de ſcripturis ſacris.*

*Errores in religione vnde extiterint.*

## *IIII. Qui ſint hæreticorum mores.*

### *Inſectari atque odiſſe Apoſtolicam cathedram.*

CAthedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet, quibus nos in catholica vnitate cōnectimur, & à quibus vos nephario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & nō facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait:* *Dicunt enim & non faciunt*, cathedræ in qua ſedebant, vllam iniuriam fecit? Nónne illam cathedram Moyſi commendauit, & illos ſeruato cathedræ honore redarguit? Ait enim: Cathedram Moyſi ſedent, quæ dicūt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt. Hęc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis,

** Matt.23.*

*Cathedram Moyſi Chri-*

*ſtus commendauit, et Phariſæos ſeruato cathedræ honore redarguit.*

blaſphemaretis cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. *Tom.7.contra literas Petiliani lib.2.cap.51. Simile quiddam lege ibidem,cap.72.*

*Dicere Eccleſiam periiſſe.*

*Donatiſtæ ex ſcripturis argumentabantur Eccleſiam ſuo tempore de toto orbe periiſſe.*

Iſti ergo (*loquitur de Donatiſtis*) imperitè vel fallaciter agentes, colligunt de ſcripturis talia, quæ vel in malos bonis vſque in finem permixtos,vel de vaſtatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur, & volunt ea detorquere in Eccleſiam Dei, vt tanquam defeciſſe ac periiſſe de toto orbe videatur. *Tom.7. de vnitate Eccleſiæ cap.12. Eadem repetit & capite proximè ſequenti, & aliis pluribus in locis.*

*Epiſcopos catholicos comparare cum Phariſæis.*

*Cathedra Moyſi figurabat cathedrā Chriſti.*
** Matt. 23.*
*Non propter paſtores malos gregis vnitas deſerenda.*

Nec propter illos Phariſæos,quibus nos nō per prudētiā,ſed per maleuolentiam comparatis, pręcepit Dominus deſeri cathedram Moyſi,in qua vtique figurabat ſuam:dicens quippe,illos * ſuper cathedram Moyſi ſedentes dicere & non facere, monet tamen populos facere quæ dicunt,& non facere quæ faciunt, nec cathedræ ſanctitas deſeratur, & propter paſtores malos gregis vnitas diuidatur. *Tom.7.contra literas Peti.lib.2.cap.61.*

*Duces belli ex clericis habere.*

** Matth. 7.*
*Mira opera hæreticorum.*

An fortè dices, quod ſcriptum eſt:* *Ex operibus eorum cognoſcetis eos?* Video planè mira opera,quotidianas violentias Circumcellionum ſub Epiſcopis & preſbyteris ducibus, circumquaque volitare, & terribiles fuſtes Iſraëlis vocari, quæ homines qui nunc viuunt, quotidiè vident & ſentiunt. *Tom.8.in Pſalm.10.*

*Catholici Danatiſtis reſponderunt*:Nec de perſecutionibus(*eos conqueri debere*) ꝙ aliquid ab Imperatoribus pro Eccleſia Catholici peterēt,cùm eorum Circumcelliones ducibus cleritis tam horrenda mala committerent. Vbi fruſtra reſponderunt,nihil hoc ad ſacerdotes pertinere,cum clericis ducibus illi talia feciſſe aſſerebāt. Ibi etiam cùm dictum eſſet,ꝙ calce &aceto humanos oculos perſecuti ſunt,in quo ſcelere Diabolum crudelitate peruicerunt,qui hoc in viri ſancti carne nō fecit,quam in poteſtatem acceperat affligendam: hîc Donatiſtæ

*Hæretici Diabolum crudelitate vincunt.*



quæſierūt, vtrū qui faciunt filij eſſent Diaboli, an qui patiuntur:quaſi Catholici aliud quàm paſſiones ſuas dixerint immaniſſimas à clericis & Circūcellionibus eorum. *Tom.7.collat.cum Donatiſtis,collat.tertij diei,ca.4. Eadem ferè leguntur Tom.2. Epiſt.166.ad Donatiſtas.*

*Hæretici neque ſuis aliquādo parcunt.*

Violentiſſimas cædes & ſtrages plærique ipſorum (*Donatiſtarum*)& Epiſcopi & Preſbyteri, & quilibet clerici congregatis turbis hominum furioſorum, non Catholicis tantùm, ſed nonnunquam etiam ſuis vbi poſſunt,inferre non ceſſant. *Tom.2. Epiſt.163. Eleuſio,Glorio, & Felici.*

Sed quid longè imus? Ecce in regione noſtra Hipponenſi, quoniam eam Barbari non attigerunt, clericorum Donatiſtarum & Circumcellionum latrocinia ſic vaſtant Eccleſias, vt Barbarorum fortaſſe facta mitiora ſint.Quis enim Barbarus excogitare potuit,quod iſti,vt in oculos clericorum noſtrorum calcem & acetum mitterent, quorum membra etiam cæteris plagis horrendis vulneribúſque ſauciarunt? Deprædantur etiā domos aliquas & incendunt, fructus aridos diripiunt, humidos fundunt:& talia cæteris comminando, multos etiam rebaptizari compellunt. Pridiè quàm iſta ad te dictarē,ex vno loco per huiuſmodi terrores,quadraginta & octo animæ rebaptizatæ nuntiatæ ſunt. *Tom. 2. Epiſt.122.ad Victorianum.*

*Damnare vitam Monaſticam.*

*Auguſtinus monaſteriorū inſtitutor.*

Deinceps perrexit (*Petilianus Donatiſta*)ore maledico in vituperationem monaſteriorum & monachorum, arguens etiam me,quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutū: quod genus vitæ omnino, quale ſit,neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum neſcire ſe fingit. *To.7. contra literas Petil.lib.3. cap.40. Plura in hanc ſententiam lib.4. cap.de inſtituto Monachorum.*

*Sanctimoniales quaſi matrimonio ſibi copulare.*

*Super illud Pſalm.49. Et cum adulteris portionem tuam ponebas.*) An non cum mœchis particulam ſuam ponunt, qui greges ebrios ſanctimonialium ſuarum,cum gregibus ebriis Circumcellionum die noctúque permixtos vagari turpiter ſinunt? *To.7.contra epiſt.Parmen.li.2.ca.9.*

*Clerici vt impunius peccent, ad hæreticorum caſtra ſe conferunt. Vtinam ſimilia oculis noſtris hodie non cerneremus.*

Subdiaconus quondam Spanienſis Eccleſiæ, vocabulo Primus, cùm ab acceſſu indiſciplinato ſanctimonialium prohiberetur, atque ordinata & ſana præcepta cõtemneret, à clericatu remotus eſt, & ipſe irritatus aduerſus diſciplinam Dei, tranſtulit ſe ad Donatiſtas, & rebaptizatus eſt. Duas etiam ſanctimoniales concolonas ſuas de fundo Catholicorum Chriſtianorum, ſiue idem tranſtulit, ſiue illũ ſequutæ etiã ipſæ, tamẽ rebaptizatæ ſunt: & nũc cũ gregibus Circũcellionũ inter vagabũdos greges fœminarum, quæ propterea maritos habere noluerunt, ne habeant diſciplinam, in deteſtabilis vinolentiæ bacchationibus ſuperbus exultat. *Tom.2. epiſt. 169. ad Euſebium.*

*Confidenter à traditionibus appellare ad ſcripturam.*

*Tritũ etiam noſtri temporis hæreticorum argumentum.*

Maximinus (*Arrianorum Epiſcopus*) dixit: Si quid de diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt vt audiamus. Hæ verò voces, quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur: cùm ipſe Dominus moneat nos & dicat: * Sine cauſa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum. *To.6. cõtra Maximinum Arrianorum Epiſcopũ lib.1. in initio.*

** Iſa.29. Matt.15. Marc.7.*

*Sunt verba eiuſdem Maximini.*

Oro & opto diſcipulus eſſe diuinarum ſcripturarum: nam & ſuperius credo retinere religionem tuã, quod ſicut dedi reſponſum, quia ſi protuleris, quòd Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnam habeant virtutem, vnam ſubſtantiam, vnam Deitatem, vnam maieſtatem, vnam gloriam: Si affirmaueris de diuinis ſcripturis, ſi alicubi ſcripti lectionem protuleris, nos diuinarum ſcripturarum optamus inueniri diſcipuli. *Ibidem, verſus finem libri.*

## *V. Hæreticos in ſectas ſolere eſſe diſſectos.*

*Donatiſtarũ pars in multas partes diuiſa.*

IN ipſa Africa dicant Donatiſtæ Carthaginenſes, vel quicũque ſunt in ciuitate Carthaginis, quot partes per Numidiam & Mauritaniam factæ ſint de ipſa parte Donati? *Tom.7. contra epiſt. Parmen. lib.3. cap.4.*

Pars Donati in multa minutiſſima fruſta conſciſſa eſt, quæ omnes minutæ particulæ hanc vnam (*Maximinianiſtarum ſectam*) multo grandiorem, in qua Primianus



eſt (*Donatiſtarum Epiſcopus apud Carthaginem*) de recepto Maximinianiſtarũ baptiſmo reprehendunt, & ſingulæ conantur aſſerere, apud ſe tantummodo verum Baptiſmum remanſiſſe, nec omnino eſſe alibi, neque in toto orbe terrarum, quà Eccleſia Catholica expanditur, nec in ipſa grandiore parte Donati, nec in cæteris præter ſe vnam ex minutiſſimis partibus. Quæ omnes particulæ, ſi aduertere voluerint vocem non hominis, ſed ipſius manifeſtiſſimæ veritatis, & animoſum ſpiritum ſuæ peruerſitatis domare, non vtique ad partem Donati maiorem, de qua præciſa præciſæ ſunt, ſed ad ipſam viriditatẽ radicis Catholicæ, de ariditate ꝓpria reuertentur. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib.1. cap. 6. Encratitæ Tatianorum ſchiſmatici, hæreſi 25. Pepuziani & Artotyritæ, Cathaphrygum hæreſes, hære.27 & 28. de Donatiſtis verò, lege hære.69.*

*Hæretici aduerſum ſe diuiſi ſunt, & omnes pertinent ad regnũ Diaboli, quod ideo ſtare non poteſt.*

Apud Idolorum cultores ſpiritus Iunonis & ſpiritus Herculis diuiſi ſunt aduerſum ſe, & ambo pertinent ad regnum Diaboli. Paganus & Iudæus hoſtes Chriſti diuiſi ſunt aduerſum ſe, & ambo pertinent ad regnum Diaboli. Arrianus & Photinianus ambo hæretici, & aduerſum ſe ambo diuiſi. Donatiſta & Maximinianiſta ambo hæretici, & aduerſum ſe ambo diuiſi: Omnia vitia errorésque mortalium inter ſe contrarij, diuiſi ſunt aduerſum ſe, & omnes pertinent ad regnum Diaboli, ideo nõ ſtabit regnum eius: iuſtus autem & impius, fidelis & incredulus, Catholicus & hæreticus, diuiſi quidem ſunt aduerſum ſe, ſed non ambo pertinent ad regnum Chriſti. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm.11.*

*Manichæi diuiſi ſunt in Catharistas, Macharios, & propriè dictos Manichæos, omnes ab vno Manichæo auctore. De Arrianis notius eſt, quàm vt commemorari debeat. Tom.6. de hæreſ. ad Quod vult deum, hær.46.*

*Hæreticorũ Eccleſiæ non quia videntur Chriſti habere nomẽ, idcirco ad eius conſecrationem pertinent.*

Omnes congregationes vel diſperſiones, quæ ſe Chriſti Eccleſias appellant, & ſunt inter ſe diuiſæ atque contrariæ, & vnitatis congregationi, quæ vera eſt Eccleſia eius, inimicæ: non quia videntur eius habere nomen idcirco pertinent ad eius conſecrationem. *Tom. 10. de verbis Domini, ſerm.11. circa finem.*

Contradicunt linguæ multæ, diuerſæ hæreſes, diuerſa

*Eccleſiæ Catholicæ contradicũt linguæ multæ.* ſchiſmata perſonant,linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ.Tu curre ad tabernaculum Dei,Eccleſiam catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere, & protegeris*in tabernaculo à cõtradictione linguarum. *Tom.8.in Pſalm.30.conc.3.*

** Pſal.30.*

### *VI.Hæreſes non niſi propter aliquod bonum à Deo permitti.*

IDeo diuina prouidentia multos diuerſi erroris hæreticos eſſe permittit,vt cùm inſultant nobis , & interrogant nos ea quæ neſcimus , vel ſic excutiamus pigritiam,& diuinas ſcripturas noſſe cupiamus.Propterea & Apoſtolus dicit:* *Oportet multas hæreſes eſſe,vt probati manifeſti fiant inter vos.*Hi enim Deo probati ſunt ,qui bene poſſunt docere , ſed manifeſti hominibus eſſe non poſſunt,niſi cùm bene docent . Docere autem nolunt, niſi eos qui doceri quærunt . Sed multi ad quærendum pigri ſunt, niſi per moleſtias & inſultationes hæreticorum,quaſi de ſomno excitentur,& de imperitia ſua erubeſcant ſibi , & de illa imperitia periclitari ſe ſentiant. Qui homines ſi bonæ ſunt fidei,non credunt hæreticis, ſed quid eis reſpondeant,diligenter inquirunt.Nec eos deſerit Deus, vt petentes* accipiant , & quærentes inueniãt,& pulſantibus aperiatur. Qui autem deſperãt ſe poſſe in Catholica diſciplina inuenire quod quærunt, atteruntur erroribus, & ſi perſeueranter inquirunt , ad ipſos fontes,à quibus aberrauerunt,poſt magnos labores fatigati atque ſitientes,& penè mortui reuertuntur. *Tom.1.de Geneſi, contra Manich. lib.1. cap.1. Lege & Tom. 2.Epiſt.105.ad Sixtum.*

** 1.Cor.11.*

*Matt.7.*

*Qui deſperant in Catholica diſciplina inuenire veritatem, atteruntur erroribus , & tandem fatigati & penè mortui ad eandem reuertuntur.*

Multi enim ſenſus ſcripturarum ſanctarum latent,& paucis intelligentioribus noti ſunt,nec aſſeruntur commodius & acceptabilius, niſi cùm reſpondẽdi hæreticis cura compellit.Tunc enim etiam qui negligunt ſtudia doctrinæ,ſopore diſcuſſo,ad audiendi excitantur diligentiam,vt aduerſarij refellantur.Denique quàm multi ſcripturarum ſanctarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinum,quàm multi de homine Chriſto contra Manichæum , quàm multa de Trinitate contra Sabellium , quàm multa de vnitate Trinitatis contra

*Exorientium hæreſum occaſione, multi ſcripturarum ſenſus aperti.*

Arrianos,



Arrianos,Eunomianos,Macedonianos:quàm multi de Catholica Eccleſia toto orbe diffuſa,& de malorum cõmixtione vſque in finem ſeculi , quod bonis in Sacramentorum eius ſocietate non obſtat,aduerſus Donatiſtas & Luciferianos,alióſque ſi qui ſunt,qui ſimili errore à veritate diſſentiunt:quàm multi contra cæteros hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis longum eſt,& præſenti operi non neceſſarium.Quorum tamen ſenſum probati aſſertores aut prorſus laterent,aut non ita eminerent, vt eos eminere fecerũt ſuperborum contradictiones, quos velut tauros, id eſt, iugo * diſciplinæ pacifico,leuíque non ſubditos commemorat Apoſtolus, * vbi talem dicit eligendum ad Epiſcopatum, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana , & contradicentes redarguere.Sunt enim multi non ſubditi,vt ſunt tauri elatione ceruicis impatientes aratri atque iuncturæ, vaniloqui,& mentis ſeductores.Has mentes ſignificauit iſte Pſalmus* appellatione vaccarum. Ad hanc ergo vtilitatem prouidentia diuina permittit tauros congregari inter vaccas populorum , vt excludantur, id eſt, vt emineant qui probati ſunt argento.Ad hoc enim hæreſes ſinuntur eſſe , vt* probati manifeſti fiant. *Tom. 8. Pſalm.67.verſiculo illo:Congregatio taurorum &c.*

** Matth.11.*

** Tit.1.*

*Hæretici quales.*

** Pſalm. 67.*

** 1.Cor.11.*

Multa latebant in ſcripturis , & cùm præciſi eſſent hæretici,quæſtionibus agitauerunt Eccleſiam Dei.Aperta ſunt,quæ latebant,& intellecta eſt volũtas Dei . Inde dicitur in Pſalmo:* *Congregatio taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur hi,qui probati ſunt argento. Ac paulò pòſt:*Nunquid enim perfectè tractatum eſt de Trinitate,antequàm oblatrarent Arriani ? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum eſt,antequàm obſiſterent Nouatiani?Sic non perfectè de Baptiſmate tractatum eſt, antequàm contradicerẽt foris poſiti rebaptizatores:nec de ipſa vnitate Chriſti enucleatè dicta erant, quæ dicta ſunt,niſi poſteaquàm ſeparatio illa(*Donatiſtarum*)vrgere cœpit fratres infirmos.*Tom.8.in Pſalm.54.verſus finem.*

** Pſal.67.*

*Hæretici occaſione præbuerunt multa in ſcripturis ſacris intelligendi.*

Improbatio quippe hæreticorum facit eminere,quid Eccleſia tua ſentiat,& quid habeat ſana doctrina. *Tom. 1.lib.7.confeſſ.cap.19.*

*Eccleſia quo*

Eccleſia Catholica per totum orbem validè latéque

*modo vtatur omnibus errantibus ad profectus ſuos.*

diffuſa, omnibus errantibus vtitur ad profectus ſuos,& ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint: vtitur enim gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. Alios ergo inuitat, alios excludit: alios relinquit, alios antecedit: omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem: ſiue illi informandi ſint adhuc, ſiue reformandi, ſiue recolligendi, ſiue admittendi. *Tom. I. de vera religione, cap. 6.*

*Hæretici variis modis Eccleſiæ proſũt.*
*Cum hæreticis aliquãdo ſuaſibili, aliquando terribili diſciplina agit Eccleſia.*

Inimici omnes Eccleſiæ quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur, ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: ſi tãtummodo malè ſentiendo auerſantur, exercent eius ſapientiam: vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, ſiue ſuaſibili diſciplina cum eis agatur, ſiue terribili diſciplina. *To. 5. de ciuitate Dei, lib. 18. cap. 51.*

*Hæretici per Cham filium Noë ſignificati.*
*Spiritus hæreticorũ qualis.*
* I. Cor. 2.
*Ab aduerſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio.*

Cham qui interpretatur callidus, medius Noë filius, tanquam ſe ab vtroque diſcernens, & inter vtrumque remanens, nec in primitiis Iſraëlitarum, nec in plenitudine gentium, quid ſignificat, niſi hæreticorum genus callidum, non ſpiritu ſapientiæ, ſed Spiritu verſipellis aſtutiæ, quo ſolent hęreticorum feruere præcordia, & pacem perturbare ſanctorum? Sed hæc in vſum cedunt proficientium, iuxta illud Apoſtoli: * *Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis.* Vnde etiam ſcriptum eſt: Filius eruditus ſapiens erit: imprudente autem miniſtro vtetur. Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitãtur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio, diſcẽdi exiſtit occaſio. *Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 16. cap. 2.*

* I. Cor. II.
*Hæretici quomodo plurimum Eccleſiæ proſint.*

Quoniam (*ergo*) veriſſimè dictum eſt: *Oportet multas hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos,* vtamur etiam iſto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent. Cùm autem foris ſunt, plurimùm proſunt, non verum docendo, quod neſciunt, ſed



ad verum quęrendum carnales, & ad verum aperiendũ ſpiritales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Eccleſia ſancta Deo probati viri, ſed manifeſti non fiunt inter nos, quandiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. Quapropter multi vt diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de ſomno excitantur. Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt Catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus. *Tom. I. de vera religi. cap. 8.*

## *VII. Ab hæreticis ſcripturam ſacram peruerti, & ad ſenſum falſum torqueri.*

*Pelagiani more cæterorum hæreticorum, apertas etiam ſcripturas, in quos volunt ſenſus detorquent.*

NOn eſt mirum, ſi Pelagiani dicta noſtra in ſenſus quos volunt, detorquere conantur, quando de ſcripturis ſanctis, non vbi obſcurè aliquid dictum eſt, ſed vbi clara & aperta ſunt teſtimonia, id facere conſueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum. *To. 7. de nupt. & concupiſ. lib. 2. cap. 31.*

* Matt. 28.
* I. Cor. 3.
* I. Cor. 2.
*Laquei hæreticorũ hominibus carnalibus ſunt pernicioſi.*

Sub eiſdẽ verbis, id eſt, * in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non ſolùm Marcion, aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales paruuli Eccleſiæ, quibus dicebat Apoſtolus: * Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diuerſitates opinionum fortaſſis, quot homines numerarentur. Animalis * enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. *Et paulò pòſt.* Laquei hæreticorum & ſchiſmaticorum propterea carnalibus nimium pernicioſi ſunt, quia ipſe profectus eorum intercluditur, confirmata ſententia vanitatis aduerſus catholicam veritatem, & confirmata animoſitate diſſenſionis aduerſus catholicam pacem. *To. 7. de Baptiſ. contra Donatiſtas lib. 3. cap. 15.*

* Pſal. 10.

Quoniam * *ecce peccatores tetenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcura luna rectos corde.* Terrores iſti ſunt comminantium nobis

de peccatoribus, vt ad ſe tanquam ad iuſtos trãſeamus. Ecce, inquiunt, peccatores tetenderunt arcum, credo ſcripturas, quas illi carnaliter interpretando, venenatas inde ſententias emittunt. Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, eadem verba ſcilicet, quæ ſcripturarum auctoritate iaculaturi ſunt, in cordis occulto parauerunt, vt ſagittẽt in obſcura luna rectos corde: vt cùm ſenſerint Eccleſiæ lumine propter multitudinem imperitorum & carnalium obſcurato, non ſe poſſe conuinci, corrumpant * bonos mores colloquiis malis. *Tom.8. Pſal.10.*

*Hæretici ſcripturas carnaliter interpretando venenatas inde ſententias emitiũt.*

** 1. Cor. 15.*

Videtis autem (*Alloquitur hæreticos*) id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in quaque ſcriptura probet, quid improbet: id eſt, vt non auctoritati ſcripturarum ſubiiciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi auctoritate ſcriptũ legitur, ſed ideo rectè ſcriptũ videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta? quò te cõmittis? *Tom.6. contra Fauſtum, lib.32. cap.19.*

*Hæretici nõ ſubiiciuntur auctoritati ſcripturarum, ſed ſibi ipſis ſcripturas ſubiiciũt*

## *VIII Hæreticos, etſi doctrinam veram promittant, tamen reſiſtere veritati.*

OMnes hæretici generaliter ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos ſimpliciter credentes inuenerunt, & quia omnino carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, vt interior oculus excæcetur. *Tom.1. de Geneſi contra Manichæos, lib.2. cap.25.*

*Hæretici quomodo ſimplices homines decipiãt.*

Illi qui cùm in vnitate atque communione catholica non ſint, Chriſtiano tamen nomine gloriantur, coguntur aduerſari credentibus, & audẽt imperitos quaſi ratione traducere, quando maximè cum iſta medicina Dominus venerit, vt fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, vt dixi, quia iacêre ſe abiectiſſimè ſentiunt, ſi eorum auctoritas cum auctoritate Catholica conferatur. Conantur ergo auctoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ quaſi rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas. Sed ille fidei Imperator clementiſſimus, & per conuentus celeberrimos populorũ atque gentium, ſedéſque ipſas Apoſtolorum arcẽ auctoritatis muniuit Eccleſiam, & per pauciores piè doctos, & verè ſpiritales viros copioſiſſimis apparatibus etiam inuictiſſimæ rationis armauit. *Tom.2. epi.56. ad Dioſcorũ, ſub finem.*

*Dominus fidem populis imperauit: quia Chriſtianæ religionis myſteria credere, nõ autem humana ratione metiri nos voluit.*

*Ratione & pollicitatione velle ſuperare auctoritatem Eccleſiæ regularis eſt hæreticorum temeritas.*



Quid me aliud cogebat annos ferè nouem ſpreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus inſita erat, homines illos ſequi ac diligenter audire, niſi quòd ſuperſtitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: ſe autem nullum premere ad fidem, niſi prius diſcuſſa & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præſertim adoleſcẽtis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in ſchola doctorũ hominum diſputationibus ſuperbus & garrulus: qualem me tunc illi inuenerunt, ſpernentem ſcilicet quaſi aniles fabulas, & ab eis promiſſum, apertum & ſyncerum verum tenere atque haurire cupientem? Sed quæ rurſum ratio reuocabat, ne apud eos penitus hærerem, vt me in illo gradu, quem vocant auditorum, tenerem, vt huius mundi ſpẽ atque negocia non dimitterem: niſi quòd ipſos quoque animaduertebam, plus in refellendis aliis diſertos & copioſos eſſe, quàm in ſuis probandis firmos & certos manere? *Tom.6. de vtilitate credendi, cap.1.*

## *IX. Hæreticorum fraudes & verſutiæ pulchris ſimilitudinibus expreſſæ.*

MVlti hæretici cum paganis alios & alios Deos ipſi ſibi finxerunt, alios & alios Deos ſibi ipſi fecerũt, & eos etiam ſi non in templis, tamen quod eſt peius, in ſuo corde poſuerunt, & falſorum ridẽdorúmque ſimulachrorum templa ipſi facti ſunt. Magnum opus eſt intus hæc idola frangere, & locum Deo viuenti, non recenti mundare. Omnes enim iſti aliud & aliud ſentientes, alios atque alios Deos ſibi faciẽtes, ipſámque fidem falſitate variantes videntur diſſentire, ſed omnes à terrenis cogitationibus non recedunt, in terrenis cogitationibus conſentiunt ſibi. Opinio diuerſa eſt, vanitas vna eſt. De illis in alio Pſalmo dicitur: * Ipſi de vanitate in vnum colligantur. Quanuis opinionũ varietate diſcor-

*Hæretici idololatris comparantur.*

*Hæreticorũ opiniones variæ, vanitas verò vna.*

** Pſalm.61.*

** Philip.3.*

dent,ſimili tamen vanitate colligantur. Et noſtis quia vanitas retro eſt, poſterior eſt:ideo ille * quæ retro oblitus eſt,id eſt,vanitatem oblitus, in ea quæ antè ſunt, id eſt,in veritatem extenſus,ſequitur ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.Ergo in peius ſibi iſti conſentiunt,quanuis diſſentire à ſe inuicem videantur:ideo Samſon caudas * vulpium colligauit. Vulpes inſidioſos, maximéque hæreticos ſignificant doloſos, fraudulentos,cauernoſis anfractibus latentes & decipiẽtes,odore etiam tetro putentes. Contra quem odorem dicit Apoſtolus: * Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum,vbi dicitur:* Capite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas, latentes in cauernis tortuoſis. *To.8. Pſalm.80.*

** Iudic. 15. Hæretici ſimiles vulpibus,quæ à Samſone caudis colligatæ fuerunt.*

** 2.Cor 2.*

** Cor.2.*

Sicut autem Patribus noſtris aduerſus * Leonem (*id eſt, Diabolum, apertè per infideles contra Chriſtianos ſæuientem*) opus erat patientia, ſic nobis aduerſus Draconem (*hoc eſt, Diabolum, Catholicis ſub nomine Chriſti occultè inſidiantem*) vigilantia.Perſequutio tamen, ſiue à leone,ſiue à dracone, nunquam ceſſat Eccleſiæ, & magis metuendus eſt cùm fallit, quàm cùm ſæuit.Illo tempore cogebat Chriſtianos negare Chriſtum. Iſto autem tempore,docet Chriſtianos negare Chriſtum.Tunc cogebat, nunc docet:Tunc ergo ingerebat violentias,nũc inſidias.Videbatur tũc fremens, lubricus nunc & oberrans difficilè videtur. Quomodo autem tunc cogebat Chriſtianos negare Chriſtum,apertum eſt. Attrahebantur enim vt negarent Chriſtum, & confitentes Chriſtũ coronabantur. Nunc autem docet negare Chriſtum, & ideo fallit: quia qui docetur negare Chriſtum, quaſi non ſibi videtur recedere à Chriſto. Modò enim quid dicitur ab hæreticis hominibus Chriſtiano catholico? Veni,eſto Chriſtianus. Ad hoc dicitur, eſto, vt dicat, non ſum.Aliud longè eſt,Veni,eſto Chriſtianus: aliud, veni, nega Chriſtum, apertum malum fremitus leonis, à longè auditur, à longè cauetur.Applicat ſe lubricus draco occultis lapſibus:ſerpẽs leni tactu ſurrepẽs,aſtuto ſibilo immurmurãs, & non dicit,nega Chriſtũ:nã eum,coronatis martyribus,quis audiret?Sed dicit, eſto

** Pſal.90. Hæretici Draconibus, Tyrãni Leonibus, aſſimilantur.*

*Hæretici deteriores tyrãnis, qui palàm in Chriſtianos ſæuiebant.*



Chriſtianus.Et ille mirabili voce percuſſus,ſi nondum veneno penetratus eſt, reſpondet, planè Chriſtianus ſum.Si autem mouetur,& dente draconis captus eſt,reſpõdet,Quare mihi dicis,eſto Chriſtianus?Quid enim? Non ſum Chriſtianus?Et ille,non.Ergo nõ ſum?Non. Ergo nũc fac me Chriſtianũ,ſi nõ ſum.*Tom.8.Pſal.39.*

*Hæreticus adiutor & filius Diaboli.*

*Hæreticus per perdicẽ ſignificatur.*

Exiſtat & aliquis hæreticus, etſi non frater Diaboli, certè adiutor & filius: & ipſum dixerim perdicem cõtentioſum animal.Hoc enim animal, vt aucupes norunt,etiam contendendi ſtudio capitur.Contendũt iſti contra veritatem,& contenderunt ex quo ſe diuiſerũt. Modò dicunt,cõtendere nolumus,quia iam capti ſunt. Non habet quod dicat,nolo contendere.O capte, aliquando tu eras, qui primis temporibus ſeditionis tuæ traditores arguebas, innocentes damnabas, iudicium Imperatoris quærebas, iudicio Epiſcoporum nõ conſentiebas,victus toties appellabas, apud ipſum Imperatorem ſtudioſiſſimè litigabas,congregabas quæ non peperiſti:vbi nunc eſt ceruix tua,vbi lingua tua,vbi ſibilus tuus? Certè in nouiſſimis * tuis factus es inſipiens. *Tom.9.de paſtoribus,cap.12. Quomodo perdix iſta congreget,quæ non peperit? Tom.6. contra Fauſtum Manich.lib.13.cap.12. & ſeq. Cõparat hæreticos cum leproſis, Tom.4.quæſtionum Euangel.lib.2.quæſt.40.*

** Hiere.17.*

### *X. Hæreticos Antichriſtos eſſe.*

QVod de Antichriſti aduentu & elatione impia dixit Apoſtolus, vult iſte (*aduerſarius Legis & Prophetarum*) ad hoc trahere, vt ipſum intelligamus Prophetarũ Deũ:vnde potius cõuincitur illud Dei eſſe tẽplũ,vbi hominẽ peccati, * filiũ interitus,extollentẽ ſe ſuper omnem Deum,& quod colitur, Apoſtolus ſeſſurum eſſe prædixit.Deus enim verus eſt,in cuius templo falſus ille ſeſſurus eſt.Ad quem pertinet etiam iſte, qui ſub nomine Chriſti, quod eſt nomen Dei, hoc eſt, Chriſtianũ ſe videri volẽs, ſuper extollitur cõtra Chriſtum,ſeque oſtendit Antichriſtum,non vnum illũ maiorem cæteris, ſed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangeliſta: * *Nunc Antichriſti multi facti ſunt.*Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum eſſe iam cœperant. Hi autem cœperunt

** 2.Theſſ.2.*

**1.Ioan.2.*

*Antichriſti hoc eſt, hæretici, tẽporibus Apoſtolorum à Simone Mago eſſe cœperunt.*

eſſe poſt aſcenſionẽ duntaxat in cœlum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ab illo Simone Mago, quem legimus in Actibus Apoſtolorum * baptizatum. Poſt hunc autem fuerunt nonnulli diſcipuli eius in eadem impietate, poſteriores prioribus ſuccedentes. *Tom. 6. contra aduerſarium Legis & Prophetarum, lib. 2. cap. 12.*

* *Act. 8.*
* *1. Ioan. 2.*

Omnes certè, qui exeũt de Eccleſia, & ab vnitate Eccleſiæ præciduntur, Antichriſti ſunt: nemo dubitat: ipſe enim deſignauit: * Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Quicunque ergo non manent nobiſcum, ſed exeunt ex nobis, manifeſtũ eſt, quòd Antichriſti ſunt. Et quomodo probantur Antichriſti? Ex mendacio. Et quis eſt mendax, niſi qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Interrogemus hæreticos, Quẽ inuenis hæreticum, qui negat, quia Ieſus nõ eſt Chriſtus? Videat charitas veſtra magnũ Sacramentũ, attẽdite quid inſpirauerit nobis Deus, & quid inſinuare nobis velit. Ecce exierunt à nobis, & facti ſunt Donatiſtæ. Interrogemus eos, vtrum Ieſus ſit Chriſtus, ſtatim confitentur, quia Ieſus Chriſtus eſt. Si ergo ille eſt Antichriſtus, qui negat Ieſum eſſe Chriſtum, nec nos poſſunt illi dicere Antichriſtos, nec nos illos, quia & nos cõfitemur, & illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos, ergo nec illi à nobis exierunt, nec nos ab ipſis. Si ergo nõ à nobis exiuimus, in vnitate ſumus: Si in vnitate ſumus, quid faciunt in hac vnitate duo altaria? quid faciunt diuiſæ domus, diuiſa coniugia? Quid facit cõmunis lectus, & diuiſus Chriſtus? Admonet nos, vult nos fateri quod verum eſt. An ipſi à nobis exierunt, an nos ab ipſis? Sed abſit, vt nos ab ipſis: habemus enim Teſtamẽtũ Dominicæ hæreditatis, recitamus, & ibi nos inuenimus: * *Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ.* Tenemus hæreditatem Chriſti, illi eam non tenent, non communicant orbi terrarum, non communicant vniuerſitati redemptæ ſanguine Domini. *Tom. 9. Tract. 3. in Epiſt. Ioannis. Lege quæ ibidem ſequuntur.*

*Hæretici à nobis exierũt: nos verò quia nec ab eis, nec à nobis ipſis exiuimus, in vnitate ſumus.*

*Catholici Teſtamentũ habent hæreditatis Dominicæ.*
* *Pſal. 2.*

### *XI. Mortem hæreticis inflictam non eſſe martyrium.*



AVdet conqueri Parmenianus, quòd eos Conſtantinus ad campum, id eſt, ad ſupplicium duci iuſſit: qui victi apud Eccleſiaſticos iudices, nec apud ipſum quæ dicebant, probare potuerunt, & adhuc in ſanctæ Eccleſiæ præciſione ſacrilego furore ferebantur: & hoc eum tanquàm inaniter iuſſiſſe, Hiſpano Oſio ſuggerente, criminatur, ſuſpicionibus videlicet ſuis, ſicut ſemper, damnando inauditos. Quaſi verò non humanius, ac probabilius alius credidit, Oſio tanq̃ Epiſcopo ſuggerente potius factum, vt in leniorem coërcitionem, quanuis immaniſſimi ſceleris, id eſt, ſacrilegi ſchiſmatis, ſententiam flecteret Imperator. Quid enim, nõ iſti iuſtè patiuntur, cùm ex altiſſimo Dei præſidentis, & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admonentis, iudicio patiuntur, & merito criminum, & ordine poteſtatum? Prius enim probent ſe non eſſe hæreticos vel ſchiſmaticos, tum demum de indignis pœnis ſuis liuidam emittant vocem: tum demum ſeſe audeant, cùm mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere. Alioquin ſi quiſquis ab Imperatore vel à iudicibus ab eo miſſis pœnas luit, continuò martyr eſt: omnes carceres martyribus pleni ſunt, omnes catenæ iudiciariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnoſi ſunt, in omnes inſulas martyres deportantur, in omnibus pœnalibus locis iuridico gladio martyres feriuntur, ad omnes beſtias martyres ſurriguntur, aut iuſſionibus iudicum viui ignibus concremantur. Si autem, ſicut dicit Apoſtolus, * *non eſt poteſtas niſi à Deo, & miniſter Dei eſt, vindex in iram eius, qui malè agit, nec ſine cauſa gladium portat: vis non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa:* bonus quicquid paſſus fuerit, laus illi prouenit ex poteſtate facientis, malus verò qui merito patitur iniquitatis, non deputet ſæuitiæ poteſtatis. Et tamen quid tale iſti patiuntur, quale faciunt? niſi quia hominum multitudo, non in corde cor habet, ſed in oculis. Nam ſi ſanguis exit de carne mortali, quiſquis aſpicit exhorreſcit. Si pro pace Chriſti præciſæ animæ atque ſeparatæ in hæreſis vel ſchiſmatis ſacrilegio moriuntur, quia non videtur, non plangitur, imò verò mors tetrior atque lu-

*Hæretici & merito criminũ, & ordine legitimo poteſtatum plectuntur.*

* *Rom. 13.*

*Multitudo hominũ non in corde cor habet, ſed in oculis.*

*Mors animæ per hæreſin, multo*

*luctuoſior quàm mors corporis.*

*Hæretici quare merito ſupplicio afficiantur.*

ctuoſior, & vt planè dixerim, verior, iure conſuetudinis deridetur: cùm auctores tantarum mortium publicè inſultant, & nec veritatis manifeſtandæ cauſa ſermonem nobiſcum conferre dignantur. Et ſi quid temporalis moleſtiæ paſſi fuerint per certiſſimum atque rectiſſimum ordinem poteſtatum, cùm ipſi priuatis furioſorũ agminibus multa grauiora paſſim atque quotidiè, nulla regia, nulla Eccleſiaſtica lege committant: nos corporum perſecutores vocant, ſe animarum interfectores non vocant, cùm priuata licentia nec corporibus parcant. *Tom.7.contra Epiſtolam Parmeniani, lib.1.cap.7.*

*Hæretici nomine Chriſtiano dealbati.*

*In ratione martyrij, dæmones cũ hæreticis cõuenire.*

*Nõ ex paſſione, certa eſt iuſtitia: ſed ex iuſtitia paſsio glorioſa eſt.*

** Matt. 5.*

In Hæreticos ex occulto imperio Dei per manifeſtum hominum imperium, multa quibus coërcerentur, ſeueriſſimè conſtituta ſunt, nec ſolùm hæreticis, quoquo modo ſaltem Chriſtiano nomine dealbatis, ſed etiam ipſis Paganis. Nam vtique & ipſi falſa religione ſunt impij, quorum ſimulachra euerti atque confringi iuſſa ſunt recentibus legibus, inhiberi etiam ſacrificia ſub terrore capitali. Si quis ergo eorũ damnatus in tali crimine fuerit, martyr continuò æſtimandus eſt, quia pro ſuperſtitione, quam piam religionem putabat, pœnas legibus luit? Nullus certè quoquo modo Chriſtianus audet hoc dicere. Nõ ergo quiſquis in aliqua religionis quæſtione fuerit ab Imperatore punitus, martyr efficitur. Neque enim vident, qui talia ſentiunt, in eum locum ſe progredi, vt ipſos etiam Dæmones martyrum ſibi gloriam vendicare poſſe contendant, quia iſtam patiuntur perſecutionem per Imperatores Chriſtianos, vt penè toto orbe terrarum eorum templa euertantur, idola comminuantur, ſacrificia ſubtrahantur, qui eos honorant, ſi deprehenſi fuerint, puniantur. Quod ſi dementiſſimum eſt dicere, non ergo ex paſſione certa eſt iuſtitia, ſed ex iuſtitia paſsio glorioſa eſt. Ideóque Dominus ne quiſquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in ſuorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait, * *Beati qui perſecutionem patiuntur*: ſed addidit magnam differentiã, qua verè à ſacrilegio pietas ſecernatur. Ait enim, Beati



*Nullo modo propter iuſtitiã patiuntur, qui Chriſti Eccleſiam diuiſerunt.*

qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Nullo modo autem propter iuſtitiam, qui Chriſti Eccleſiam diuiſerunt, & cum ea quaſi ſimulata iuſtitia conantur ante tempus à palea ſeparari, ac frumenta eius falſis criminationibus inſectantur, dum ipſi ab ea potius tanquam leuiſsima palea variis rumorum flatibus ſeparati ſunt. *Ibidem.*

*Hæreticorũ Pſeudomartyres propter iniquitatem patiuntur.*

**1. Cor. 13.*

*Neque fides neque ſanguinis effuſio ſine caritate quicquam prodeſt.*

Apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores ſuos aliquid moleſtiarũ perpeſsi fuerint, nomine martyrij ſe iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi ſunt. Si autem vultis ſcire in quo numero habendi ſunt, paſtorem bonum Paulum Apoſtolum audite, quoniam non omnes * qui corpora ſua in paſſione etiam ignibus tradunt, æſtimandi ſunt ſanguinẽ fudiſſe pro ouibus, ſed potius contra oues: ſi linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æramentum ſonans, & cymbalum tinniens. Si ſciero omnia Sacraměta, & habuero omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes tranferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Magna ergo res eſt, poſtremò fides montes transferens. Illa quidem magna ſunt, ſed ſi ego hæc ſine caritate habeam, inquit, non illa, ſed ego nihil ſum. Sed adhuc iſtos non tetigit, qui falſò martyrii nomine in paſsionibus gloriantur. Audite vt eos tangat, imò transfodiat. Si diſtribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, iam ipſi ſunt. Sed vide quid ſequitur, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ecce venitur ad paſsionẽ, ecce venitur & ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporum incenſionem, & tamen nihil prodeſt, quia caritas deeſt. Adde caritatem, proſunt omnia. Detrahe caritatem, nihil proſunt cætera. *Tom.10.de verbis Domini, Serm.50.*

** Dan.3.*

Rex Nabuchodonoſor, diuino correctus miraculo, piam & laudabilem legem * pro veritate conſtituit, vt quicunque diceret blaſphemiam in Deum verum Sidrac, Miſac, & Abdenago, cum domo ſua penitus interiret. Hanc legem ſi qui cõtempſerũt, & id quod fuerat cõſtitutum, meritò perpeſsi ſunt, debuerunt dicere,

quod iſti dicunt, ſe iuſtos eſſe, quia ex lege regis perſecutionem patiebãtur: quod vtique dicerent, ſi ita inſanirent, ſicut iſti inſaniunt, qui diuidunt membra Chriſti, exſufflant Sacramenta Chriſti, & de perſecutione gloriantur: quia prohibentur iſta facere legibus Imperatorum, quas conſtituerunt pro vnitate Chriſti, & iactant fallaciter innocentiã ſuam, & quam non poſſunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt martyrum gloriam. Veri autem martyres illi ſunt, de quibus Dominus ait: * *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Chriſtianæ vnitatis impiã diuiſionem, ſed qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur, hi martyres veri ſunt. Nam & Agar * paſſa eſt perſecutionem à Sara, & illa erat ſancta quæ faciebat, illa iniqua, quæ patiebatur. Nũquid & huic perſecutioni, quam paſſa eſt Agar, comparandus eſt ſanctus Dauid, * quem perſecutus eſt iniquus Saul? Valde vtique diſtat, non quia patiebatur, ſed quia propter iuſtitiam patiebatur. Et ipſe Dominus * cum latronibus crucifixus eſt. Sed quos paſſio iungebat, cauſa ſeparabat. Ideo in Pſalmo vox illa intelligenda eſt verorum martyrum, volentium ſe diſcerni à falſis martyribus: * *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Non dixit, diſcerne pœnam meam, ſed diſcerne cauſam meam. Poteſt enim eſſe impiorum ſimilis pœna, ſed diſſimilis eſt martyrum cauſa. *Tom.2. Epiſt.50. ad Bonifacium. Lege & lib.1. de ſermone Domini in monte, cap.4.*

** Matth.5.*

*Qui propter impiam vnitatis diuiſionẽ, perſecutionẽ patiuntur, martyres veri nõ ſunt.*

** Gen.21.*

** 1. Reg. 19.20.*

** Matt.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.18.*

** Pſal.42.*

*Impiorũ ſimilis eſſe poteſt pœna, ſed martyrum diſſimilis eſt cauſa.*

Exurge Domine * & intende iudicio meo. Cui iudicio? Quia tribulatus es, quia laboribus & doloribus cruciatus es? Nónne iſta etiam multi mali patiuntur? Cui iudicio? Ideò iuſtus, quia iſta pateris? Non, ſed quid? Iudicio meo. Quomodo ſequitur, intende iudicio meo? Deus meus, & Dominus meus in cauſam meã. Non in pœnam meam, ſed in cauſam meam. Non in id, quod mecũ habet latro commune, ſed in illud quo beati * qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Hæc enim cauſa diſcreta eſt. Nam pœna ſimilis eſt bonis & malis. Itaque martyres non facit pœna, ſed cauſa. Nam ſi pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena eſſent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur. Ergo diſcernatur cauſa. Nemo dicat, quia patior, iuſtus ſum: quia ipſe qui primò paſſus eſt, ideò magnam exceptionem addidit: * *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Nam multi habentes bonam cauſam faciũt perſecutionem, & habentes malam cauſam, patiuntur perſecutionem. Si enim perſecutio non fieri poſſet bene, non diceretur in Pſalmo: * *Detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar.* Deinde fratres, pater bonus & iuſtus, nónne perſequitur filium luxurioſum? Perſequitur vitia eius, non ipſum, non quod genuit, ſed quod ille addidit. Medicus nempe, qui ad ſalutem adhibetur, nónne ferro plærunque armatur? Sed contra vulnus, non contra hominem: ſecat vt ſanet: & tamen cùm ſecat ægrotum, dolet ille, clamat, reſiſtit, & ſi fortè febre mentem perdiderit, etiam medicum cædit: nec tamen ille deſiſtit à ſalute ægrotantis, quod nouit facit: illum maledicentem, conuitiantem non curat. Nónne excitantur cuncti lethargici, ne ſomno graui premantur in mortem? Et hoc patiuntur à filiis ſuis, quos chariſſimos genuerũt. Et non eſt charus filius, niſi fuerit dormiẽti patri moleſtus. Lethargici excitantur, Phrenetici ligantur, ſed tamen vtrique amantur. Nemo ergo dicat: perſecutionem patior: non ventilet pœnam, ſed probet cauſam: ne ſi cauſam non probáuerit, numeretur cum iniquis. Ideò quàm vigilanter, quàm optimè hîc commendauit: * Domine intende iudicio meo, non pœnis meis, Deus meus & Dominus meus in cauſam meam. *Tom.8. Pſal.34. Cõc.2.*

** Pſal.34.*

*Quare non pœna, ſed cauſa faciat martyrem.*

** Matth.5.*



** Matth.5.*

*Hæretici nõ patiũtur propter iuſtitiã.*

** Pſal.100.*

** Pſal.100.*

*XII. Hæreticos niſi ad Eccleſiam Catholicam redeãt, ſaluos eſſe non poſſe, quanuis perſecutionem, aut etiam mortem pro Chriſto pati videantur.*

*Iis qui Eccleſiæ non ſunt aggregati, neque eleemoſynæ, neque ſanguis pro Chriſto fuſus ad ſalutem proſunt.*

FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quãlibet hæreticum vel ſchiſmaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ nõ fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nul-

latenus poſſe ſaluari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem, quandiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem. *Tom.3. de fide ad Petrum, cap.39. Idem habes paulò fuſius, in eodem libro, cap.3.*

Nunquid poteſt, inquit, vis baptiſmi maior eſſe, aut potior quàm confeſſio, quàm paſſio, vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur? Et tamen, inquit, neque hoc baptiſma hæretico prodeſt, ſi, quãuis Chriſtum confeſſus, extra Eccleſiam fuerit occiſus, quia charitatem non habuiſſe conuincitur, de qua Apoſtolus dicit: * *Etſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Quod ſi propter hoc quia caritas deeſt, paſſio nihil prodeſt, nec illis prodeſt, quos in inuidia intus & maleuolentia, ſine caritate viuere Paulus dicit, & cætera. *Tom.7. de baptiſmo contra Donatiſtas, lib.4. cap.17.*

*Extra Eccleſiã nõ prodeſt martyrium.*

**1. Cor.13.*

Iactant ſe aliquando, quia eleemoſynas multas faciunt, dãt pauperibus, quia patiuntur moleſtias, ſed pro Donato, non pro Chriſto. Vide quomodo patiaris: Nam ſi pro Donato pateris, pro ſuperbo pateris. Non es columba, ſi pro Donato pateris: non erat ille amicus ſponſi: nam ſi amicus eſſet ſponſi, gloriam ſponſi quæreret, non ſuam. Vide amicum ſponſi dicentem: * *Hic eſt qui baptizat.* Ille non erat amicus ſpõſi, pro quo pateris: * *Non habes veſtem nuptialem:* etſi ad conuiuium veniſti, foras habes mitti. Imò quia foras miſſus es, ideo miſer es: redi aliquando, & noli gloriari. Audi quid dicat Apoſtolus: * *Si diſtribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Ecce quod non habes, Si tradidero, inquit, corpus meum vt ardeam, & vtique pro nomine Chriſti: Sed quia multi ſunt, qui iactanter illud faciunt, non cum charitate: ideò ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Charitate fecerunt martyres illi, qui in tempore perſecutionis paſſi ſunt, charitate fecerunt: iſti autem de tumore & de ſuperbia faciunt. *Tom.9. in Euãg.*

*Hæretici nõ ſunt amici ſponſi, quia ſuã quærunt gloriam.*

** Ioan.3.*
*Ioan.1.*
** Matt.22.*
** 1. Cor. 13.*

*Sãcti martyres charitate mortẽ illatã ſuſceperunt: hæretici tumore atque ſuperbia.*



*Ioannis, Tract. 6. prope finem.*

Non iſta (*maledicta ſcilicet, perſecutiones & detractiones*) perpeti fructuoſum eſt, ſed iſta pro Chriſti nomine non ſolùm æquo animo, ſed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideò excluduntur ab iſta mercede, quia non dictum eſt tantùm, * *Beati qui perſecutionem patiuntur: ſed additum eſt, propter iuſtitiam.* Vbi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, Quia iuſtus * ex fide viuit. Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant, quia ſimiliter vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim * proximi malum non operatur. Quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. *Tom.3. lib.1. de ſerm. Domini in monte, cap.9. Vide Tom 4. Quæſtionum ex Matth. q.11.*

** Matth.5.*
** Abacuc.2. Rom.1.*
** Rom.13.*

*Nec apud hæreticos, nec apud ſchiſmaticos eſſe poteſt iuſtitia: quia in illis fides, in his charitas deſideratur.*

## DE OFFICIO ET AVCTORITATE PVBLICI MAGISTRATVS aduerſus Hæreticos.

### CAP. XIII.

I. *Regibus & Imperatoribus Eccleſiam diuinitus datam in tutelam contra hæreticorum inſultus.*

NAM & temporibus prophetarum omnes reges, qui populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant inſtituta, culpantur: & qui prohibuerunt & euerterunt, ſuper aliorum merita laudantur. *Tom.2. Epiſt.50. ad Bonifacium, circa initium.*

Non inuenitur exemplum in Euangelicis & Apoſtolicis literis, aliquid petitum à Regibus pro Eccleſia, & contra inimicos Eccleſiæ: Quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur illa prophetia: * Et nunc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore. Adhuc enim illud

*Diuerſa Eccleſiæ cõditio ante & poſt cõuerſos Imperatores.*

** Pſal. 2.*

implebatur,quod in eodem Pſalmo paulò ſuperius dicitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Veruntamen ſi facta præterita in propheticis libris figuræ fuerunt futurorum: in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonoſor, vtrunque tempus figuratum eſt, & quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet Eccleſia. Temporibus itaque Apoſtolorũ & martyrum illud implebatur quod figuratum eſt, quãdo rex memoratus * pios & iuſtos cogebat adorare ſimulachra, & recuſantes in flammas mittebat. Nũc autem illud impletur, quod paulò pòſt in eodem rege figuratum eſt, cùm conuerſus ad honorandum Deum verum decreuit in regno ſuo, vt quicunque blaſphemaret Deum Sidrac, Miſac & Abdenago, pœnis debitis ſubiaceret. Prius ergo tempus illius Regis, ſignificabat priora tempora Regum infideliũ, quos paſſi ſunt Chriſtiani pro impiis: Poſterius verò tempus illius Regis, ſignificauit tempora poſteriorum Regum iam fideliũ, quos patiuntur impij pro Chriſtianis. *Tom.2. Epiſt.48. ad Vincentium.*

*Nabuchodonoſor vtrunque tẽpus, fideliũ & infidelium Imperatorũ, præfigurauit.*
** Dan.3.*

Romanas etiam leges (*Apoſtolus Paulus*) implorare minimè dubitauit, ciuem Romanum * ſe eſſe proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itémq; ne Iudæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæſaris * popoſcit auxilium, Romani quidem principis, ſed non Chriſtiani. Vbi ſatis oſtendit, quid facere deberent poſteà Chriſti diſpenſatores, quando Imperatores Chriſtianos periclitante Eccleſia reperirent. Hinc ergo factum eſt, vt Imperator (*Theodoſius*) religioſus & pius, perlatis in notitiam ſuam talibus cauſis (*de Donatiſtarum hæretica inſolentia intellige*) mallet piiſſimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos qui contra Chriſtum Chriſti ſigna portarent, ad vnitatem catholicam terrendo & coercendo redigere, quàm ſæuiendi tantummodo auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. *Tom.2. Epiſt.50. ad Bonifacium, vltra medium.*

** Act.22.*
** Act.25.*
*Exẽplo Pauli Eccleſia cõtra hæreticos Imperatorũ auxilia implorat.*

Cum itaque nondum reges Domino ſeruirent temporibus



poribus Apoſtolorum, ſed adhuc meditarentur inania * aduerſus eum, & aduerſus Chriſtum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur, non vtique tunc poſſent impietates legibus prohiberi, ſed potius exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Chriſti, putantes ſe officium Deo facere, ſicut prædixerat * Chriſtus, & gentes fremuerũt aduerſus Chriſtianos, vt omnes patientia martyrum vinceret. Poſtea verò quàm cœpit impleri, quod ſcriptum eſt: * *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi.* Quis mẽte ſobrius regibus dicat, Nolite curare in regno veſtro, à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri: non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus, quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus, *Ibidem.*

** Pſal.2.*
** Ioan.16.*
** Pſal.71.*
*Cura regum, Eccleſ. Chriſti aduerſus oppugnantes tueri.*

## *II. Reges & Imperatores habere ius, hæreticos coercendi atque corrigendi.*

DOnatiſtæ nimium inquieti ſunt, quos per ordinatas à Deo poteſtates cohiberi atque corrigi mihi non videtur inutile. Nam de multorum iam correctione gaudemus, qui tam veraciter vnitatem Catholicam tenent atque defendunt, & à priſtino errore ſe liberatos eſſe lætantur, vt eos cum magna gratulatione miremur. Qui tamen neſcio qua vi cõſuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarent, niſi hoc terrore perculſi, ſolicitam mentem ad conſiderationem veritatis intenderent, ne fortè non pro iuſtitia, ſed pro peruerſitate & præſumptione hominum ipſas temporales moleſtias, infructuoſa & vana tolerantia paterentur, & apud Deum poſteà non inuenirent, niſi debitas pœnas impiorum, qui eius tam lenem admonitionem, & paterna flagella contempſerint: ac ſic iſta cogitatione docibiles facti, non in calumniis & fabulis humanis, ſed in diuinis libris promiſſam, per omnes gentes inuenirent Eccleſiam, quam ſuis oculis reddi conſpicerent, in quibus & Chriſtum prænunciatum etiam non viſum ſuper cœlos eſſe minimè dubitarent. Nunquid

*23.q.4.c.nimium.*
*Hæretici praua cõſuetudine inducti, mutari in melius nõ cogitãt: ideóque legitimi magiſtratus terrore vtiliter percelluntur.*

nam ego iſtorum ſaluti inuidere debebam, vt collegas meos ab huiuſmodi paterna diligentia reuocarem, per quam factum eſt, vt multos videamus accuſare ſuam priſtinam cæcitatem? *Tom.2. Epiſt.48. ad Vincentium, prope initium.*

Nollem quidem in his afflictionibus eſſe Africanam Eccleſiam conſtitutam, vt terrenæ vllius poteſtatis indigeret auxilio. Sed quia Apoſtolus dicit: * *Non eſt poteſtas niſi à Deo*: proculdubio cùm per vos ſynceriſſimos Catholicæ matris filios eidem ſubuenitur, *auxilium * noſtrum in nomine Domini eſt, qui fecit cœlum & terram*. Quis enim non ſentiat in tantis malis non paruam nobis conſolationem diuinitus miſſam, cùm tu vir talis, & Chriſti nominis amantiſſimus, Proconſularibus es ſublimatus inſignibus, vt à ſceleratis & ſacrilegis auſibus inimicos Eccleſiæ, bonæ tuæ voluntati poteſtas ſociata cohiberet? *Tom.2. Epiſt.127. ad Donatum proconſulem.*

** Rom 13.*
** Pſal. 123.*

Attendis & ſæpè repetis, ſicut audio, quod in Euangelio ſcriptum eſt, receſsiſſe à Domino ſeptuaginta diſcipulos, & arbitrio ſuæ malæ atque impiæ diſceſsionis fuiſſe permiſſos, cæteriſque duodecim, qui remanſerāt, fuiſſe reſponſum: * *Nunquid & vos vultis ire?* Et non attendis, quia tunc primùm Eccleſia nouello germine pullulabat, nondùmque in ea fuerat completa illa prophetia: * *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi.* Quod vtique quantò magis impletur, tantò maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolùm inuitet, ſed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus ſignificare volebat, qui quanuis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij ſimilitudine ſatis euidenter oſtendit, vbi miſit * ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait ſeruo: *Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait ſeruus Domino: Factum eſt, vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſeruo: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare vt impleatur domus mea.* Vide nunc quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum eſt: Introduc eos, non dictum eſt, compelle. Ita ſignificata ſunt Eccleſiæ pri-

** Ioan. 6.*
** Pſal. 71.*
*In initio Eccleſiæ quare minus fuerit in vſu coercendi poteſtas.*
** Luc. 14.*
*Ex Euangelica parabola docetur, in Eccleſia poteſtatē eſſe, hæreticos cogēdi ad vnitatem Eccleſiæ.*



mordia adhuc creſcentis, vt eſſent vires etiam compellendi. Proinde quia oportebat, eius iam viribus & magnitudine roborata, etiam compelli homines ad conuiuium ſalutis æternæ, poſteaquam dictum eſt, factum eſt quod iuſſiſti, & adhuc locus eſt. Exi, inquit, in vias & ſepes, & compelle intrare. Quapropter ſi ambularetis quieti extra hoc conuiuium ſanctæ vnitatis Eccleſiæ, tanquam in viis vos inueniremus: nunc verò quia per multa mala & ſæua quæ in noſtros committitis, tanquam ſpinis & aſperitate pleni eſtis, vos tanquam in ſepibus inuenimus, & intrare compellimus. Qui compellitur, quò non vult cogitur, ſed cùm intrauerit, iam volens paſcitur. Cohibe itaque tàm iniquum & impacatum animum, vt in vera Eccleſia Chriſti inuenias ſalutare conuiuium. *Tom.2. Epiſt.204. Donato, ſub finem. Vide in eandem ſententiam, lib.3. cap. de Sacramento ordinis, Titul.11.*

## *III. Leges ab Imperatoribus æditas aduerſus hæreticos, Auguſtino probari.*

Quapropter ſi poteſtate, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Eccleſia, hi * qui inueniuntur in viis & in ſepibus, id eſt, in hæreſibus & ſchiſmatibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, ſed quò cogantur, attendant. Conuiuium Domini vnitas eſt corporis Chriſti, non ſolùm in Sacramento Altaris, ſed etiam in vinculo pacis. De quibus ſanè poſſumus veriſſimè dicere, quòd neminem cogant ad bonū. Quoſcunque enim cogunt, non cogunt niſi ad malum. Veruntamen antequam iſtæ leges, quibus ad conuiuium ſanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quanuis Donatiſtarum rabies vſquequaque ſæuiret, non eſſe petendum ab Imperatoribus, vt ipſam hæreſim iuberent omnino non eſſe, pœnam conſtituendo eis, qui in illa eſſe voluiſſent: ſed hoc potius conſtituerent, vt eorum furioſas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent conſtituendo. Quod eo modo fieri aliqua-

** Luc. 14.*

tenus poſſe arbitrabamur, ſi legem piiſſimæ memoriæ Theodoſij, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quiſquis eorum Epiſcopus vel clericus vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri mulctaretur, expreſſius in Donatiſtas, qui ſe negabant hæreticos, ita confirmarent, vt non omnes ea mulcta ferirentur, ſed in quorum regionibus aliquas violentias à clericis vel Circumcellionibus, vel populis eorum Eccleſia Catholica pateretur: vt ſcilicet poſt proteſtationem Catholicorum, qui fuiſſent iſta perpeſſi, iam cura ordinum ad perſoluendam mulctam, Epiſcopi ſiue miniſtri cæteri tenerentur. Ita enim exiſtimabamus eis territis, & nihil tale facere audentibus, poſſe liberè doceri & teneri Catholicam veritatem, vt ad eam cogeretur nemo, ſed eam qui vellet, ſine formidine ſequeretur, ne falſos & ſimulatores Catholicos haberemus. Et quamuis aliis fratribus aliud videretur iam ætate grauioribus, per multarum ciuitatum & locorum exempla currentibus, vbi firmam & veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficiis Dei conſtituta eſſet atque firmata, dum per priorum Imperatorum leges ad communionem homines Catholicam venire cogerentur, obtinuimus tamen vt illud potius, quod dixi, ab Imperatoribus peteretur: decretum eſt in Concilio noſtro, legati ad comitatum miſſi ſunt. Sed Dei maior miſericordia, qui ſciret, harum legum terror & quædam medicinalis moleſtia, quàm multorum eſſet prauis vel frigidis animis neceſſaria, & illi duritiæ quæ verbis emendari non poteſt, ſed tamen aliquantula ſeueritate diſciplinæ poteſt, id egit, vt legati noſtri quod ſuſceperant, obtinere non poſſent. Iam enim nos præuenerant ex aliis locis quædam Epiſcoporum querelæ grauiſſimæ, qui mala fuerant ab ipſis multa perpeſſi, & à ſuis ſedibus exturbati: præcipua horrenda & incredibilis cædes Maximiani Epiſcopi Catholici Eccleſiæ Vagienſis effecit, vt noſtra legatio iam quid ageret non haberet. Iam enim lex fuerat promulgata, vt tantæ immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudelius parci videbatur, quàm ipſa ſæuiebat, non tantùm violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impunè, non tamen

*Cenſuit aliquādo Auguſtinus, tātùm hæreticos ſeditioſos & violentos pœna pecuniaria mulctādos, ſed poſteà ſententiā mutauit.*

*Lex ab Imperatore lata ne Donatiſtarū hæreſis eſſe ſineretur impunè.*



ſupplicio capitali, propter ſeruandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis, & in Epiſcopos vel miniſtros eorum auxilio conſtituto. *Tom.2. Epiſt.50. ad Bonifacium comitem. Eadem fermè repetuntur Epiſto.68. ad Ianuarium Epiſcopum Donatiſtam.*

Conſtantinus prior contra partem Donati ſeueriſſimam legem dedit. Hunc imitati filij eius talia præceperunt. Quibus ſuccedens Iulianus deſertor Chriſti & inimicus, ſupplicantibus veſtris Rogatiano & Pontio libertatem perditioni partis Donati permiſit. Denique tunc reddidit baſilicas hæreticis, quādo templa dæmoniis: eo modo putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitati Eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, inuideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. *Paulò pòſt:* Deinde Valentinianus legite quæ cōtra vos iuſſerit. Inde Gratianus & Theodoſius, legite quando vultis, quæ de vobis conſtituerint. Quid ergo de filiis Theodoſij, miramini, quaſi aliud in hac cauſa ſequi debuerint, quàm Conſtantini iudicium per tot Chriſtianos Imperatores firmiſſimè cuſtoditum? *Tom.2. Epiſt.146 ad Donatiſtas.*

*Cōſtātinus, Valentinianus, Theodo. &c. leges aduerſus hæreticos tulere.*

*Magnū cōpendiū ad nomē Chriſtianū delendum exiſtimauit Iulianus, ſi vnitati Eccl. inuidēs ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret.*

Imperatorum autem iuſtitiam legéſque, quæ vehementes aduerſus eos latæ ſunt, quis ignorat? In quibus vna generalis aduerſus omnes, qui Chriſtianos ſe dici volunt, & Eccleſiæ Catholicæ non communicant, ſed in ſuis ſeparatim conuenticulis congregantur, id continet, vt vel ordinator clerici, vel ipſe ordinatus denis libris auri mulctentur. Locus verò ipſe, quo impia ſeparatio congregatur, redigatur in fiſcū. Sunt & aliæ iuſſiones generales, quibus eis vel faciendi Teſtamēta, vel per donationes aliquid offerendi facultas adimitur, vel ex donationibus aut Teſtamentis aliquid capiendi. *Tom.7. cont. Epiſt. Parmeniani, lib.1. cap.7. propè finem.*

*Locus qui ſeruit conuenticulis hæreticorū, in fiſcum lege Imperiali redigitur.*

Acceptum eſt, reſcriptum eſt. Quid aliud, niſi quòd pars Donati iam ſciret ſe ad illam pœnam aurariam cum cæteris hæreticis pertinere, cum quibus propter communionem talis perſecutionis, aut communem ſe deputet habere iuſtitiam, aut ſi non deputat, non ſe ideò iactet iuſtam, quia ea pœna coërcetur, qua coër-

*Hæretici ad pœnā aurariam tenebātur.*

ceri & eas hæreſes videt, quas concedit iniuſtas,& tandem intelligat, quòd Chriſti martyrem non facit pœna ſed cauſa. *Tom.7.contra Creſconium Grammaticum,lib. tertio,cap.47.*

*Chriſtiani Imperatores hæreticorum Teſtamenta valere noluerunt.*

Vigilate hæretici, audite à paſtore teſtamentum pacis, venite ad pacem, iraſcimini Chriſtianis Imperatoribus, quia Teſtamenta veſtra valere noluerunt in domibus veſtris,videte,quàm digna ſit pœna. Et quid eſt, quòd Teſtamẽtum veſtrum non valet in domo veſtra? quid eſt? quantum eſt? Dolor iſte admonitio eſt, nondum damnatio. *Tom.9.de ouibus,cap.13.*

Sed tamen ſi tanta fuiſſet immanitas reſiſtentium (*Donatiſtarum ſcilicet & Circuncellionum*) vt ad iniurias iudicum perueniret, nónne multò acerbiora Romanis legibus paterentur? Sic & tunc cum poſt terminum cauſæ,in qua ſe iſti à Catholica præciderũt,conſequenter agi cœpiſſet, vt baſilicas non tenerent & tenerent Imperialibus reſiſtendo iuſſionibus,ita vt vis illa notiſſima Circuncellionũ præualeret,addendo inſuper etiã, vt cũ donis Eccleſiæ,quos miſerat Imperator,per Africam euntes, turbulentiſſimis & ſæuiſſimis ſeditionibus agitarent: tales in eos leges proferũtur,vt ne ipſas quidem baſilicas, quæ non erant vnitatis, ſed à ſeparatis, atque in ſuo ſchiſmate conſtitutis fuerant fabricatæ, retinere ſinerentur. Qua in re iam ſuas iniurias poteſtas regia vindicauit. Quid enim valent iuſtè poſſidere inimici iuſtitiæ? Nec pro eis aliquid promulgaſſe quis inuenitur,niſi Apoſtata Iulianus,cui pax & vnitas Chriſtiana nimium diſplicebat. *Tom.7.contra Epiſtolam Parmeniani,lib.1.cap.7.*

*Nunc cõtrà, proh dolor, Catholici Catholicas baſilicas in quibuſdam locis retinere non ſinũtur. Solus Iulianus apoſtata, pro hæreticis promulgaſſe aliquid inuenitur.*

### IIII. *Hæreticos ab Imperatoribus priuari poſſe bonis, præſertim quæ Eccleſiarum nomine poſſident.*

DEficientes vbique quid nobis proponunt,non inuenientes quid dicant? Villas noſtras tulerunt, fundos noſtros tulerunt, proferunt teſtamenta hominum. Ecce vbi Gaius eis donauit fundum Eccleſiæ,cui præerat Fauſtinus. Cuius Epiſcopus erat Fauſtinus?



Eccleſiæ. Quid eſt Eccleſiæ? Eccleſiæ dixi, cui præerat Fauſtinus, ſed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus, ſed parti præerat. Columba autem Eccleſia eſt. Quid clamas? Non deuorabimus villas, columba illas habeat. Quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat: nam noſtis fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini. Et ſi vos non noſtis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus nouit:ipſe ſcit, quid ego de illis villis ſentiam, vel quid ibi ſufferam. Nouit gemitus meos,ſi mihi aliquid de columba impertiri dignatus eſt. Ecce ſunt villæ. Quo iure defendis villas? Diuino, an humano? Reſpondeant. Diuinum ius in ſcripturis habemus, humanum ius in legibus Regum. Vnde quiſque poſſidet,quod poſſidet? Nónne iure humano? Nam iure diuino, *Domini *eſt terra & plenitudo eius*. Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicit: Hæc villa mea eſt, hæc domus mea,hic ſeruus meus eſt.Iure ergo humano,iure Imperatorum.Quare? Quia ipſa iura humana,per Imperatores & reges ſeculi, Deus diſtribuit generi humano.Vultis legamus leges Imperatorum, & ſecundùm ipſas agamus de villis?Si iure humano vultis poſſidere, recitemus leges Imperatorum, videamus ſi aliquid voluerint ab hæreticis poſſideri.Sed quid mihi eſt Imperator? Secundùm ius ipſius poſſides terram. Aut tolle iura imperatorũ, & quis audet dicere,mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hæc mea eſt?Si autem vt teneantur iſta ab hominibus, iura acceperunt Regum:vultis recitemus leges,vt gaudeatis,quia vel vnum horum habeatis, & non imputetis, niſi manſuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? Leguntur enim leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores eos qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem vſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere. Sed quid nobis & Imperatori? Sed iam dixi, de iure humano agitur, & tamen Apoſtolus voluit ſeruiri regibus, voluit honorari reges, & dixit, * *Reges reueremini*. Nolite dicere,Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni?

*Hæreticorũ Epiſcopi non Eccleſiæ, ſed parti præſũt.*

* *Pſalm. 23.*

*Lex imperialis, vt hæretici nomine Eccleſiæ nihil audeant poſſidere.*

* *1.Pet.2.*

Per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, Quid mihi & Regi? Noli dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura humana renunciaſti, quibus poſſidētur poſſeſſiones. Sed de diuino iure ago, ait. Ergo Euāgelium recitemus. Videamꝰ quouſque Eccleſia Catholica Chriſti eſt, ſuper quam venit columba, quæ docuit: * *Hic eſt qui baptizat*: quomodo ergo iure diuino poſſideat, qui dicit, Ego baptizo: cùm dicat columba: Hic eſt qui baptizat; cùm dicat Scriptura, * *Vna eſt columba mea, vna eſt matris ſuæ*? Quare laniaſtis columbam? Imò laniaſtis viſcera veſtra, nam vobis laniaſtis, columba integra perſeuerat. Ergo fratres mei, ſi vbique non habent quod dicant: ego dico vobis quid faciant, veniant ad Catholicam, & nobiſcum habebunt non ſolùm terram, ſed etiam illum qui fecit cœlum & terram. *Tom.9. in Euang. Ioannis, Tract.6.*

* *Ioan.1.*
* *Cant.6.*

* *Exod.20.*

*Petiliano hæretico de proſcriptione bonorum ſuorū conquerenti quid Auguſtinus reſponderit.*

Petilianus dixit: Dictum eſt: * Non concupiſces rem proximi tui: vos noſtra diripitis, vt pro veſtris habeatis. Auguſtinus reſpondit: Et quæcunque vnitas poſſidebat, non niſi noſtra ſunt, qui non ſecundùm calumnias hominū, ſed ſecundùm verba Chriſti, in quo * benedicuntur omnes gentes vniuerſæ terræ, in vnitate conſiſtimus, nec propter malos, quos à frumentis Dominicis ante iudicij ventilationem ſeparare nō poſſumus, vos à ſocietate tritici ſeparamus. Et ſi qua iam conciſi poſſidere cœpiſtis, quia vobis ablata, nobis Dominus dedit, non ideò concupiſcimus aliena, quia illius imperio, cuius ſunt omnia, facta ſunt noſtra, & iuſtè noſtra ſunt: vos enim his vtebamini ad præciſionem, nos ad vnitatē. Alioquin & primo populo Dei poſſent illi obiicere alienæ rei concupiſcentiam, qui diuina poteſtate ab eorum facie, quia in ea terra malè vtebantur expulſi ſunt, & ipſi Iudæi, à quibus ablatum eſt regnum, ſecundùm verba Domini, & datum eſt * genti facienti iuſtitiam, poſſunt obiicere alienæ rei concupiſcentiam, quia Eccleſia Chriſti poſſidet, vbi perſecutores Chriſti regnabant. Et poſt omnia, cùm vobis ipſis dictum fuerit, res alienas concupiſcitis, quia Maximinianiſtas de baſilicis eieciſtis, quid reſpōdeatis non inuenitis. *Tom.7. contra literas Petiliani, lib.2. cap.59.*

* *Gen.22.*
* *Matt.21.*





Quomodo ſæuiebant in nos reprehēdēdo ꝗ quaſi perſecutores eſſemꝰ, excludēdo illos de baſilicis? Modò illos interroga, debēt excludi hæretici de baſilicis, an nō debēt? Reſpōdeāt modo, dicāt nō debere. Repetāt Maximinianiſtæ baſilicas. Ne autem repetant, dicunt debere. Quid eſt ergo, quod dicebatis aduerſum nos? An non cōtriti * dētes veſtri in ore veſtro? Quid nobis & Regibus, inquiūt? Quid nobis & Imperatoribus? Vos de Imperatoribus præſumitis. Quæro & ego. Quid vobis ad Proconſules, quos miſerunt Imperatores? Quid vobis ad leges, quas contra vos dederunt Imperatores? Imperatores communionis noſtræ, leges aduerſus omnes hæreticos dederunt. Eos vtique appellant hæreticos, qui non ſunt communionis eorum, inter quos vtique & vos eſtis. Si veræ ſunt leges, valeant & inter vos hæreticos: ſi falſæ ſunt leges, quare valent contra veſtros hæreticos? Fratres paululum aduertite, & intelligite quod diximus. Quando egerant cauſas ſuas aduerſus Maximinianiſtas, vt eos à ſe damnatos, & ſchiſmaticos ſuis eiicerēt de locis, quæ illi tenebāt antiquitus, & ſucceſſerāt Epiſcopis deceſſoribꝰ ſuis: volētes illos inde excludere, egerūt legibus publicis, ad iudices venerūt, dixerūt ſe Catholicos, vt poſſent excludere hæret. Quare te dicis Catholicum, vt excludatur hæreticus, & non potius es Catholicus, ne ſis excluſus hæreticus? Modo Catholicus es, vt valeas ad excludēdum hæreticum. Iudex enim nō poſſet niſi legibus ſuis iudicare. Dixerūt ſe Catholicos, admiſſi ſunt agere, dixerunt illos hæreticos, quæſiuit vnde probaretur. Lectum eſt concilium Bagaitanum, vbi damnati ſunt Maximinianiſtæ: inſertū eſt actis Proconſularibus, probatum eſt, quòd illi damnati non deberēt tenere baſilicas, & pronunciauit Proconſul ex lege. Ex qua lege? Quæ lata eſt contra hæreticos. Si contra hæreticos, & contra te. Quare, inquit, contra me? non enim ego hæreticus ſum. Si tu hæreticus non es, falſæ ſunt illæ leges: ab his enim Imperatoribus latæ ſunt, qui non ſunt communionis tuæ. Omnes qui non ſunt communionis eorum, legibus ſuis hæreticos vocant. Non quæro vtrum veræ, an falſæ: ſequeſtrata ſit illa quæſtio, ſi adhuc quæſtio eſt. Iterū te ſecundo modo interrogo,

*Hæretici eius quod Eccleſiæ iniuſtè adimunt, ſibi inſolenter aſcribunt.*

* *Pſalm.57.*

*Vrget Donatiſtas ex facto proprio, ad Eccleſiarum reſtitutionem.*

veræ leges ſunt, an falſæ leges ſunt? Si veræ ſunt, credatur eis, ſi falſæ ſunt, quare vteris eis? Dixiſti Proconſuli, Catholicus ſum, exclude hæreticum. Quæſiuit ille vnde probaretur hæreticus. Protuliſti concilium tuum, oſtendiſti quòd eum damnaueris. Ille vel conniuens, vel non intelligens, vſus tamen eſt lege, ſicut iudex: & feciſti de iudice, quod de te non vis facere. Si enim iudex vſus eſt lege Imperatoris ad tuam ſuggeſtionem, cur ea non vteris & tu ad tuam correctionem? Ecce eiicit hæreticum tuum ex lege Imperatoris ſui. Quare tu ex eadem lege non vis vt te eiiciat? Replicemus quod feciſti. Ecce baſilicæ tenebantur à Maximinianiſtis, modò à vobis tenentur. Excluſi ſunt ab eis Maximinianiſtæ, extant iuſſiones Proconſulum, extat memoria geſtorum, apparitores accipiuntur, ciuitates excitantur, pelluntur homines de locis ſuis. Quare? Quia hæretici ſunt. Qua lege pelluntur? Reſponde. Videamus, ſi nondum cōtriti ſunt dentes veſtri in ore veſtro. Falſa lex eſt? Non valeat in hæreticum tuum. Vera lex eſt? Valeat & in te. Non eſt quod reſpondeant. Deus contriuit dentes eorum in ore ipſorum. *Tom.8. in Pſalm.57. vltra medium.*

### *V. Vtile fuiſſe hæreticis, Imperatorum legibus ab erroribus abſtrahi, atque ad Eccleſiam Catholicam pœnarum terroribus reuocari.*

MEa primitus ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non cōtradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis: nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt, quam nunc videmus ita huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea nunquam fuiſſe credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nomi-



natim commemorabantur, vt ipſis rebus agnoſcerem, etiam in hac cauſa rectè intelligi poſſe, quod ſcriptum eſt: * *Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit.* Quàm multi enim (quod certò ſcimus) iam volebant eſſe Catholici, manifeſtiſſima veritate commoti, & offenſionē ſuorum reuerendo quotidiè differebant: Quàm multos non veritas (in qua nunquam præſumpſiſtis) ſed obduratæ conſuetudinis graue vinculum colligabat, vt in eis compleretur diuina illa ſententia: * *Verbis non emendabitur ſeruus durus: ſi enim & intellexerit, non obediet.* Quàm multi propterea putabant verā Eccleſiam eſſe partem Donati, quia eos ad cognoſcendam Catholicam veritatē ſecuritas torpidos, faſtidioſos, pigróſque faciebat. Quàm multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, qui neſcio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabāt. Quàm multi nihil intereſſe credentes, in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde diſcedere atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat. His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges* ſeruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nūc alij dicant: Iam hoc volebamus: ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit iámque faciendi, & dilationum morulas amputauit: Alij dicant, Hoc eſſe verum iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetudine tenebamur: Gratias Domino, qui vincula noſtra dirupit, & nos ad pacis vinculum tranſtulit: Alij dicant, Neſciebamus hīc eſſe veritatem, nec eam diſcere volebamus, ſed nos ad eam cognoſcendam metus fecit attentos, quo timuimus, ne fortè ſine vllis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiā noſtram ſtimulo terroris excuſſit, vt ſaltem ſoliciti quæreremus, quod ſecuri nunquam noſſe curauimus. Alij dicant: Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus, niſi intraremus: nec intraremus, niſi cogeremur: Gratias Domino, qui trepidationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falſa eſſe, quæ auctores huius hæreſis criminati ſunt,

* *Prouer. 9.*

* *Prouer. 29.*

*Quinque cauſæ, quæ retinent homines in hæreſi: Timor offēſionis ſuorum, obdurata cōſuetudo, torpor quærēdæ Catholicæ veritatis, maledicorum linguæ, & falſa perſuaſio quòd nihil interſit in qua quiſque parte ſit Chriſtianus.*

* *Pſal. 2.*

*Metus quomodo facit attentos hæreticos ad veritatē quærendam.*

quando poſteri eorum tam falſa & peiora finxerunt. Alij dicant: Putabamus quidem nihil intereſſe, vbi fidem Chriſti teneremus: ſed gratias Domino, qui nos à diuiſione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, oſtendit. *Et paulò poſt.* Seruiant reges terræ Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto. *Tom. 2. epiſt. 48. ad Vincentium, prope medium.*

*Fuerat aliquando Auguſtinus in ea ſententia, vt nemo ad vnitatem Eccleſiæ cogeretur: re tamen poſteà diligentius conſiderata, & experimento edoctus, ſententiam mutauit, vt conſtat ex hoc loco, & lib. 2. Retract. cap. 5.*

Multi eorum, quorum iam in vnitate Chriſti pium fidei feruorem caritatémque miramur, cum magna lætitia Deo gratias agunt, quòd illo errore caruerũt, vbi mala iſta bona putauerunt. Quas gratias modò volentes non agerent, niſi prius etiam nolentes ab illa nefaria ſocietate diſcederẽt. Quid de illis dicamus, qui nobis quotidiè confitentur, quòd iam olim volebant eſſe Catholici, ſed inter eos habitabant, inter quos id quod volebant eſſe, non poterant per infirmitatem timoris, vbi ſi vnum verbum pro Catholica dicerent, & ipſi, & domus eorum funditus euerterentur? Quis eſt tam demens, qui neget, iſtis debuiſſe per iuſſa imperialia ſubueniri, vt de tãto eruerentur malo, dum illi, quos timebant, timere coguntur, & eodem timore aut etiam ipſi corriguntur, aut certè cùm ſe correctos eſſe cõfingunt, correctis parcunt, à quibus anteà timebantur? *Tom. 2. Epiſt. 50. ad Bonifacium, circa medium.*

*Multis ſalutare fuiſſe, vt vel nolentes à nefaria hæreticorũ ſocietate abſtraherentur.*

Multi etiam qui ſola illic à parentibus tradita conſuetudine tenebantur, qualem verò cauſam ipſa hæreſis haberet, nunq̃ anteà cogitauerant, nunquam quærere & conſiderare voluerant, mox vbi cœperunt aduertere, & nihil in ea dignum inuenire, propter quod tanta damna paterentur, ſine vlla difficultate Catholici facti ſunt. Docuit enim eos ſolicitudo, quos negligentes ſecuritas fecerat. Iſtorum autem omnium præcedentiũ auctoritatẽ & perſuaſionem ſecuti ſunt multi,



qui minus idonei erant, per ſeipſos intelligere, quid diſtaret inter Donatiſtarum errorem, & Catholicam veritatem: ita cùm magna agmina populorum vera mater in ſinu gaudens reciperet, remanſerunt turbæ duræ, & in illa peſte infelici animoſitate ſiſtentes. Ex his quoque plurimi ſimulando communicauerunt, alii pauciтate latuerunt. Sed illi qui ſimulabant, paulatim aſſueſcendo, & prædicationem veritatis audiendo, maximè poſt collationem & diſputationẽ, quæ inter nos & Epiſcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti ſunt. *Ibidem, vltra medium.*

*Magna populorũ agmina propoſitis contra hæreticos pœnis ad Eccleſiam redierunt.*

O ſi poſſem tibi oſtendere ex ipſis Circumcellionibus, quàm multos iam Catholicos manifeſtos habeamus, damnantes ſuam priſtinam vitam & miſerabilem errorem, quo ſe arbitrabantur pro Eccleſia Dei facere, quicquid inquieta temeritate faciebant, qui tamen ad hanc ſanitatem non perducerentur, niſi legum iſtarum, quæ tibi diſplicent vinculis, tanq̃ phrenetici ligarentur. Quid illud alterum genus morbi grauiſſimum eorum, qui turbulentam quidem audaciam non habebant, ſed quadam vetuſta ſocordia premebantur, dicentes nobis: Verum quidem dicitis, non eſt quòd reſpondeatur, ſed durum eſt nobis traditionem parentũ relinquere? nónne ſalubriter regula temporaliũ moleſtiarum excutiendi erant, vt tanq̃ de ſomno lethargico emergerent, & in ſalutem vnitatis euigilarẽt? Quàm multi ex ipſis nunc nobiſcum gaudentes, priſtinũ pondus ſui pernicioſi erroris accuſant, & fatentur nos ſibi moleſtos eſſe debuiſſe, ne tanquàm mortifero ſomno, ita morbo veternoſæ cõſuetudinis interirent? At enim quibuſdam iſta non proſunt, nunquid ideò negligenda eſt medicina, quia nonnullorum inſanabilis eſt peſtilentia? *Tom. 2. Epiſt. 48. ad Vincentium Rogatiſt. circa princip.*

*Plerique, niſi legum vinculis tãquam phrenetici ligẽtur, ad ſanitatem non perducũtur.*

*Nota.*

### *VI. Non debere Magiſtratus liberam relinquere plebi religionem.*

Reges cùm in errore ſunt, pro ipſo errore leges cõtra veritatem ferunt: cùm in veritate ſunt, ſimiliter contra errorem pro ipſa veritate decernunt: ita &

** Dan.3.*

legibus malis probantur boni,& legibus bonis emendantur mali. Rex Nabuchodonoſor * peruerſus legem ſæuam dedit,vt ſimulachrum adoraretur, idem correctus verã,ne Deus verus blaſphemaretur. In hoc enim reges ſicut eis diuinitus præcipitur, Deo ſeruiunt, in quantum reges ſunt,ſi in ſuo regno bona iubeant,mala prohibeant,non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem,verùmetiam quæ pertinent ad diuinam religionem. Fruſtrà dicis, relinquas libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis & in ſtupris, & in quibuſcunque aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? Quæ tamen omnia iuſtis legibus comprimi vtiliſſimũ ac ſaluberrimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam. *Tom.7.contra Creſcon.Grammat.lib.3 cap.51.*

*Non magis in rebus religionis,quã in homicidiis & in ſtupris, homines ſuo ſunt relinquendi arbitrio.*

*Hæretici, prætextu libertatis arbitrij, ſola ſua ſacrilegia vellent legibus Regum impunita.*

** Eccl.15.*

** Rom.13.*

Verba Epiſtolæ:(*Gaudentij Donatiſtæ*) Per opificem, inquit,rerum omnium Dominum Chriſtum omnipotens Deus fabricatum hominem vt Deo ſimilem, libero dimiſit arbitrio.Scriptum eſt enim:* *Fecit Deus hominem, & dimiſit eum in manu arbitrij ſui.* Quid mihi nũc humano imperio eripitur,quod largitus eſt Deus? &c. Ad hæc reſpondeo: Secundum iſtas veſtras fallaciſſimas vaniſsimáſque rationes, habenis laxatis atque dimiſsis,humanæ licentiæ impunita peccata omnia relinquentur,nullis oppoſitis repagulis legum, nocendi audacia & laſciuiendi libido bacchetur, non rex ſuum regnum,non dux militem,non prouincialem iudex,nõ dominus ſeruum,non maritus vxorem, nec pater filiũ à libertate & ſuauitate peccandi minis vllis pœnìſue compeſcat. Auferte quòd ſana doctrina pro ſanitate orbis terrarũ ſapiẽter per Apoſtolũ dicit,& vt cõfirmetis in arbitrio tantò peiore,quantò liberiore filios perditionis,delete quod ait vas electionis: : * *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Non eſt autem poteſtas,niſi à Deo. Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt.Quapropter qui reſiſtit poteſtati,Dei ordinationi reſiſtit.Qui autẽ reſiſtunt,ipſi ſibi iudicium acquirunt. *Et paulò poſt.* Clamate ſi audetis,puniantur homicidia, puniantur adulteria,puniantur cætera,quantalibet ſce-



leris ſiue libidinis facinora ſeu flagitia, ſola ſacrilegia volumus à regnantiũ legibus impunita. An verò aliud dicitis, cùm dicitis:magna Dei iniuria, ſi ab hominibus defendatur?Quid de Deo æſtimat, qui eum violẽtia vult defendere,niſi quia non valet ſuis ipſe iniurias vindicare?Hæc dicentes, quid aliud dicitis, niſi nulla hominis poteſtas cõtradicat atq; obſtrepat noſtro libero arbitrio,quando iniuriam facimus Deo? O dolor, fraudata ſunt tali magiſterio tempora antiqua, quoniã nondum eras natus, quando ſanctus Moyſes iniurias ſuas leniſsimè pertulit, Dei verò ſeueriſsimè vindicauit.Tu autem doctor hæretica præſumptione inuidioſiſsimè clamas: * *Fecit Deus hominem, & dimiſit eum in manu arbitrij ſui.* Quid mihi nunc humano imperio eripitur,quod largitus eſt Deus? Hoc videlicet flagitans,vt ad faciendas iniurias Deo,qui cum libero arbitrio fecit hominem, liberũ arbitrium tibi relinquatur ab homine.Sed illi etiam,qui decreto Nabuchodonoſor regis * propoſita pœna interitus ſui, & diſperſionis domorũ ſuarum à blaſphemando Deo Sidrac, Miſac,& Abdenago,terribiliter prohibebãtur, & acriter ſi contemnerẽt,plecterentur:dicere potuerũt, quod ipſe dixiſti:Magna Dei iniuria,ſi ab hominibus defenſatur.Quid de Deo æſtimat,qui eum violentia vult defendere,niſi quia nõ valet ſuas ipſe iniurias vindicare? Hæc verba tua prorſus etiam illi dicere potuerunt, & fortaſſe dixerunt, etſi non eâdem libertate, non diſsimili vanitate. Datũ eſt ergo homini,quãdo creatus eſt, liberũ arbitriũ,ſed vt ſi eſſet malefaciẽs, fieret patiens. Deniq; illi primi homines cùm peccaſſent,morte damnati ſunt,& priuſquàm mors eis extrema etiam corporis ſuppleretur,in exilium* de paradiſo miſsi ſunt. Mitiora in vos conſtituit Imperator, propter manſuetudinem Chriſtianam: exilium vobis voluit inferre, non mortem:Sed vos homines docti conſiderantes, quid debeatur merito,& quid minus ſit in ſupplicio, non de iudicio illius,ſed de veſtro additis mortem. *Tom.7.contra 2.Gaudentij epiſtolas,lib.2 cap.11.*

*Sãctus Moyſes iniurias ſuas leniſsimè pertulit: Dei verò ſeueriſsimè vindicauit.*

** Eccle.15.*

** Dan.3.*

*Nabuchodonoſor,pœna interitus propoſita,homines à blaſphemando Deo iuſtè prohibuit.*

*Datũ eſt homini liberũ arbitriũ,ſed vt ſi eſſet malefaciẽs, fieret patiens.*

** Gene.3.*

De nulla quidem nos hominis poteſtate præſumimus,quanuis vtique multò ſit honeſtius, præſumere de

Imperatoribus, q̃ præſumere de Circũcellionibus: præſumere de legibus, quàm præſumere de ſeditionibus. Sed meminimus ſcriptum eſſe: * *Maledictus omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine.* Vnde ergo præſumimus, ſi vultis noſſe, illum cogitate, de quo Propheta prænunciauit, dicens: * *Adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes ſeruient illi.* Et ideò hac Eccleſiæ poteſtate vtimur, quam ei Dominus & promiſit, & dedit. Imperatores enim ſi in errore eſſent, quod abſit, pro errore ſuo cõtra veritatem leges darent, per quas iuſti & probarentur, & coronarentur, non faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohiberet. Sicut iuſſerat Nabuchodonoſor, * vt aurea ſtatua adoraretur, quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipſa veritate contra errorem iubent, quod quiſquis contempſerit, ipſe ſibi iudicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor regis ipſa veritas iuſſit. *Tom. 2. epiſt. 161. ad Donatiſtas.*

* *Hier. 17.*

* *Pſal. 71.*

*Eccleſia in puniẽdis per Imperatores hæreticis, poteſtate vtitur, quã ei Dominus & promiſit & dedit.*

* *Dan. 3.*

*Apud Deũ frõtẽ nõ habebit, qui facere noluit, quod per cor regis ipſa veritas iuſſit.*

### *VII. Imperatores in hæreticis damnandis, Apoſtolicæ ſedis iudicium eſſe ſecutos.*

ET quoniam iidem peruerſi (*Pelagiani*) ſedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiã perſuadere conabantur, inſtantiſſimè etiã Conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, vt ſancto Papæ vrbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zozimo eius ſucceſſori perſuaderetur, quòd illa ſecta, Catholica fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ ſedis antiſtites, ſuis diuerſis temporibus eoſdem notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas Orientis & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt. Et hoc tale de illis Eccleſiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium, etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens ac ſequens, ſuis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit. Vnde nonnulli ex eis ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium vnde reſilierant, redierũt, & adhuc alii redeunt, innoteſcente & præualeſcente aduerſus illum deteſtabilem errorem, rectæ fidei veritate. *Tom. 1. Poſsidonius in vita Auguſtini, cap. 18. Eadem habes. Tom. 7. de peccato orig. cap. 17.*

*Iudiciũ ſedis Apoſtolicæ, & iudiciũ Eccleſiæ Catholicæ, pro eodem accepta.*

*Iudiciũ ſedis Apoſtolicæ audit & ſequitur Imperator.*





Maiores veſtri cauſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & ſi non probauerimus, facite de nobis, quicquid potueritis. Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegauit. Quod & factum eſt in vrbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum multis collegis ſuis: qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciaſſent, & Donatum, qui ſchiſma Carthagini fecerat, ſententia percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorem venerũt, & de iudicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant, murmurarunt: Quomodo enim poteſt malus litigator laudare iudices, quibus iudicantibus victus eſt? Iterum tamen clementiſſimus Imperator, alios iudices Epiſcopos dedit apud Arelatum Galliæ ciuitatem, & ab ipſis veſtri ab ipſum Imperatorem appellarũt, donec etiam ipſe cauſam cognoſceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumnioſos pronunciaret. *Tom. 2. epiſt. 166. circa medium.*

*Cõſtantinus nõ eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare.*

*Melchiades Papa cũ ſuis collegis, in cauſa Epiſcopi Cæciliani & Donati hæretici fert ſententiam.*

Iudices Eccleſiaſticos tantæ auctoritatis Epiſcopos (*Melchiadem Papam cum ſuis collegis*) quorum iudicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem (*Conſtantinum*) accuſare auſi ſunt, quòd malè iudicarint. Dedit ille aliud Arelatẽſe iudiciũ, aliorum ſcilicet Epiſcoporũ, nõ quia iam neceſſe erat, ſed eorũ peruerſitatibus cedẽs, & omni modo cupiẽs tantã impudẽtiã cohibere. Neq; enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorũ tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, vt de iudicio Epiſcoporũ, qui Romæ ſederãt, ipſe iudicaret: ſed alios, vt dixi, Epiſcopos dedit, à quibus tamẽ illi ad ipſum rurſum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum deteſtetur audiſtis. *Tom. 2. epiſt. 162. ad Epiſcopos Donatiſtas, vltra medium.*

*Hæretici ab Epiſcopis ad Imperatorem appellant, à quo nihilominus condemnantur.*

*Imperator Chriſtianus de iudicio Epiſcoporũ, qui Romæ ſederant, nõ eſt auſus iudicare.*

### *VIII. Gladium portare Imperatores etiam contra hæreticos.*

AN forte dicent: Etiamſi conuincuntur in ſacrilega diſſenſione, vt pro ea demẽtia, ſi quid paſſi fuerint, martyres non ſint: non tamen ad Imperatorũ poteſtatem hæc coërcenda vel punienda pertinere debere? Qua in re quæro, quid dicant: An quia de religione, vicioſa vel falſa, nihil curandum eſt talibus poteſtatibus? Sed multa iam etiã de paganis diximus, & de ipſis Dæmonibus, ꝙ perſecutiones ab Imperatoribus patiuntur, an & hoc diſplicet? Cur ergo ipſi, vbi poſſunt, tẽpla ſubuertũt & per furores Circumcellionum talia facere aut vindicare non ceſſant? An iuſtior eſt priuata violentia, q̃ Regia diligẽtia? Sed hæc omitto, illud quæro, quod manifeſtè enumerat Apoſtolus dicens: * Opera carnis, quæ ſunt (inquit) fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, cõmeſſationes, & his ſimilia. Quid iſtis videtur, vt crimen idololatriæ putẽt iuſtè ab Imperatoribus vindicari? Aut ſi nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legũ exerceri iuſte fatentur: in hæreticos autem atque ſchiſmaticos impias diſſenſiones nolunt fateri: cùm in iiſdem iniquitatis fructibus auctoritate Apoſtolica * numerentur? An fortè nec talia poteſtates iſtæ humanæ conſtitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium * portat, qui dictus eſt miniſter Dei, vindex in iram eis, qui malè agunt? Niſi fortè, quemadmodum nonnulli eorum ſanè imperitiſſimi hoc intelligere ſolent, de honoribus Eccleſiaſticis dictum eſſe, vt gladius intelligatur vindicta ſpiritalis, qui excommunicationem operatur, cùm prouidentiſſimus Apoſtolus conſequenti contextione lectionis ſatis aperiat quid loquatur. Ille quippe addidit: * *Propter hoc enim & tributa præſtatis.* Ac deinde ſubiunxit: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. Hoc ergo iam reſtat, vt iſtis diſputationibus ſuis prohibeant Chriſtianos tributa perſoluere, cùm & Dominus talia ſentientibus Phariſæis, quos imitantur iſti, nummo inſpecto reſponderit: * *Reddite*, inquit, *Cæſari, quod Cæſaris eſt, & Deo, quod Dei eſt. Tom. 7. lib. 1. contra*

** Galat. 5.*

*Non minus cõtra hæreticos, quàm cõtra veneficos, gladiũ portat ſecularis poteſtas.*

** Galat. 5.*

** Rom. 13.*

*Excommunicatio vindicta ſpiritalis.*

** Rom. 13.*

** Matt. 22.*



*Epiſt. Parmen. cap. 7. circa medium.*

Terrenæ poteſtates cùm ſchiſmaticos perſequuntur, ea regula ſe defendunt, qua dicit Apoſtolus: * Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi iudicium acquirunt. Principes enim nõ ſunt timori bono operi, ſed malo. Vis autem nõ timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum. Quod ſi malum feceris, time. Non enim fruſtra gladiũ portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malè agit. *Et paulò pòſt.* Principes qualibet occaſione cognoſcentes veſtri ſchiſmatis nefas, conſtituunt aduerſus vos pro ſua ſolicitudine ac poteſtate quod volunt. Non enim fruſtra gladium portant. *Tom. 2. epiſt. 164. ad Emeritum Donatiſtam. Eadem fermè leguntur epiſt. 48. ad Vincentium, circa medium.*

** Rom. 13.*

*Terrenæ poteſtates, ſcripturæ auctoritate, ſchiſmaticos perſequuntur.*

Ad fidem quidem nullus eſt cogendus inuitus, ſed per ſeueritatem, imò & per miſericordiam Dei tribulationum flagellis ſolet perfidia caſtigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores peſſimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen malè viuendi vltrix diſciplina præpoſtera eſt, niſi cùm præcedens bene viuendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur aduerſus vos leges conſtitutæ ſunt, non eis benefacere cogimini, ſed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo poteſt, niſi elegerit, niſi amauerit, quod eſt in libera voluntate. Timor autem pœnarum, etſi nondum habet delectationẽ bonæ cõſcientiæ, ſaltem intra clauſtra cogitationis coërcet malam cupiditatem. Qui tamen aduerſas leges conſtituerunt, quibus veſtra comprimatur audacia (*alloquitur Donatiſtas*) nónne hi, de quibus dicit Apoſtolus: * *Quia non ſine cauſa gladium portant: miniſtri enim Dei ſunt, vindices in iram ei, qui malè agit?* Tota igitur quæſtio eſt, vtrum vos non malè agitis, quibus tanti ſchiſmatis ſacrilegium obiicit orbis terrarum: cuius quæſtionis diſcuſſione neglecta, ſuperflua loquimini, & cùm viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt martyres. *Tom. 7. contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 83.*

*Etſi ad fidem nullus cogẽdus inuitus: perfidia tamen ſeueris tribulationum flagellis caſtiganda.*

** Rom. 13.*

*Hæretici cùm viuant vt latrones, mori ſe iactãt vt martyres.*

Nabuchodonoſor miraculo * ſalutis trium pue-

** Dan. 3.*

rorum commotus atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum propoſuit, vt quicunque blaſphemarent Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in diſperſionem : & non vultis, vt tale aliquid contra vos iubeant Imperatores Chriſtiani, cùm ſciant à vobis in eis, quos rebaptizatis, Chriſtum exſufflari? Si iuſſiones Regum non pertinent ad prædicandam religionem, & ſacrilegia prohibenda, quare ad edictum Regis talia iubentis etiam ipſi vos ſignatis? *Tom.2.epiſt.146.ad Donatiſt.*

Si Nabuchodonoſor rex laudauit & prædicauit & gloriam dedit Deo, quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, vt decretum mitteret per regnum ſuũ: *Quicunque dixerint blaſphemiam in Deũ Sidrac, Miſac, & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in perditionem: quomodo iſti Reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, ſed ſeipſos liberatos de gehennæ, quando vidẽt Chriſtum, à quo liberati ſunt, exſufflari in Chriſtianis; quando audiunt dici Chriſtiano, dic te non eſſe Chriſtianum? Talia facere volunt, & ſaltem talia pati nolunt. Nam videto qualia faciunt, & qualia patiuntur. Occidunt animas, affliguntur in corpore. Sempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur. *Tom.9. in Euangel. Ioannis, Tract.11.*

* *Dan.3.*

*Iuſtiſsima Imperatorũ ira in hæreticos.*

*IX. Reſponſiones ad obiecta.*

QVod enim dicunt, qui cõtra ſuas impietates leges iuſtas conſtitui nolunt, nõ petiiſſe à regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tũc tempus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate cõtra impietatem leges ferendo ſeruiret, quando adhuc illud propheticum complebatur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterũt reges terræ, & principes cõuenerunt in vnũ aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Nondum autẽ agebatur, quod paulò pòſt in eodem Pſalmo dicitur: *Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quo-

* *Pſal.2.*

* *Ibidem.*



modo ergo reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ cõtra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: quia verò etiam rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes cõuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit * Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelſa, quæ cõtra præcepta Dei fuerant cõſtructa, deſtruendo. Sicut ſeruiuit * Ioſias, talia & ipſe faciẽdo. Sicut ſeruiuit rex * Niniuitarũ vniuerſam ciuitatem ad placandũ Dominũ cõpellendo. Sicut ſeruiuit * Darius, idolum frangendum in poteſtatẽ Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut ſeruiuit * Nabuchodonoſor, de quo iam diximus, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſeruiunt Domino reges, in quantum ſunt reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi reges. *Tom.2.epiſt.50.ad Bonifacium, circa medium.*

*Reges Domino in timore ſeruiunt, quando ea quæ contra Domini iuſſa fiunt, religioſa ſeueritate prohibent & plectunt.*

* 4.Reg.18
* 4.Reg.23
* Ionæ.3.
* Dan.6.
* Dan.3.

Ad docendum (inquit) populum Iſraël omnipotẽs Deus Prophetis præconium dedit, non regibus imperauit. Saluator animarum Dominus Chriſtus ad inſinuandam fidem, piſcatores non milites miſit. Ad hæc reſpond. Auguſtinus: Audite ergo prophetas ſanctos, & ſanctos piſcatores, & moleſtos non patiemini religioſiſſimos reges. Iam enim & ſuperius oſtendi, ad curam pertinuiſſe regis, vt Niniuitæ * Deum placarent, cuius iram Propheta annunciauerat. Quãdiu ergo vos non tenetis Eccleſiam, quàm prænũciauerũt piſcatores, Apoſtoli plantauerũt: tam diu reges, qui eã tenẽt, rectiſſimè ad ſuã curã iudicant pertinere, ne vos aduerſus eam rebelletis impunè. Nam Deus & reges habuit inter Prophetas. Dauid quippe ſanctus, quod non poteſtis ignorare, Rex * fuit. Audite itaque prophetantẽ Regẽ, & nullũ religioſum Regẽ formidabitis iraſcentẽ. Audite, inquã, prophetantẽ Regem de Chriſto: * *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ*: & non timebitis Chriſtianum regem, ſuccenſentem vobis hanc Eccleſiam blaſphemãtibus, quæ ſicut à rege prophetata eſt, exhibetur vſque ad termi-

*Verba epiſtolæ Petiliani Donatiſtæ.*

* *Ionæ.3.*

*Ad curã regũ Catholicorum pertinet, ne hæretici rebellẽt impunè.*

* *1. Reg.21.*
* *Pſal.71.*

** Dan.3.* nos orbis terræ Quia & rex * Nabuchodonoſor, quãuis propheta non fuerit, eos tamen qui blaſphemarent Deum Sidrach, Miſac, & Abdenago, religioſa ſeueritate coërcuit. *Tom.7. contra ſecundam Gaudentij epiſtolam lib.1.cap.26.*

*23.q.6.c. Vides.* Vides itaque iam (vt opinor) non eſſe conſiderandũ quod quiſque cogitur, ſed quale illud ſit, quo cogitur, vtrum bonum an malum: nõ quo quiſque bonus poſſit eſſe inuitus, ſed timẽdo quod nõ vult pati, vel relinquit impedientẽ animoſitatem, vel ignoratam cõpellitur cognoſcere veritatẽ, vt timens vel reſpuat falſum, de quo contendebat, vel quærat verum quod neſciebat, & volens teneat iam, quod nolebat. Superfluò hoc fortaſſe diceretur quibuſlibet verbis, ſi nõ tam multis oſtenderetur exemplis. Nõ illos aut illos homines, ſed multas ciuitates videmus fuiſſe Donatiſtas, nunc eſſe Catholicas, deteſtari vehementer Diabolicam ſeparationem, diligere ardenter vnitatem. Quæ tamen timoris huius, qui tibi diſplicet, occaſionibus, catholicæ factæ ſunt per leges Imperatorum, à Conſtantino, apud quem primum veſtri vltrò Cæcilianum accuſauerunt, vſque ad præſentes Imperatores, qui iudicium illius, quem veſtri elegerunt, quem iudicibus Epiſcopis prætulerunt, iuſtiſſimè contra vos cuſtodiendum eſſe decernunt. *Tom.2.epiſt.48.prope medium, ad Vincentium.*

*Multa ciuitates factæ catholicæ, timore legum Imperialium.*

Quod autẽ vobis videtur inuitos ad veritatem nõ eſſe ** Matt.22. Marc.12.* cogendos, erratis * neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, cùm coguntur inuiti. ** Ionæ 3.* Nunquid enim pœnitentiam Niniuitæ* inuiti egerũt, quia hoc Rege ſuo compellente fecerunt? Iam enim Propheta iram Dei vniuerſæ ciuitati, eam triduo perambulans, prænunciauerat. Quid igitur opus erat regis imperio, vt humiliter ſupplicaretur Deo, qui non intuetur ora, ſed corda, niſi quia erant in eis quidam qui nec curarent, nec crederent prædicta diuina, niſi territi poteſtate terrena? Iſta igitur iuſſione regiæ poteſtatis, contra quam voluntarius fit veſter occaſus, multiſque ad ſalutem, quæ in Chriſto præſtatur occaſio, qui etſi violenter adducuntur ad cœnam tanti patrisfamilias, & compelluntur intrare, intus tamen inueniunt, vnde ſe lætentur intraſſe. *Tom.7. contra 2. Epiſt. Gaudentij, lib.2.cap.17.*

*Multi violẽter ad Eccleſiã pertrahuntur, qui tamen intus inueniũt, vnde ſe intraſſe lætentur.*



Cur enim cùm datum ſit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniãtur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſeruare leuius eſt animam Deo, quàm fœminam viro? Aut ſi ea, quæ nõ contemptu, ſed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideò negligenda ſunt? Melius eſt quidem, quis dubitauerit, ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit (quod experimentis probauimus & probamus) prius timore & dolore cogi, vt poſtea poſſint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opere ſectari. Proponunt nobis quidam ſententiam cuiuſdam ſecularis auctoris, qui dixit: Pudore & libertate liberos retinere, ſatius eſſe credo, *Terentius in Adelphis.* quàm metu. Hoc quidem verum eſt, ſed ſicut meliores ſunt, quos dirigit amor, ita plures ſunt, quos corrigit timor. Nam vt de ipſo auctore iſtis reſpondeatur, apud illum etiam legunt: Tu niſi malo coactus, rectè facere neſcis. Porrò autem ſcriptura diuina & propter illos meliores dixit: * *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Et propter hos inferiores, ** 1. Ioan.4.* qui plures ſunt, ait: * *Verbis non emendabitur ſeruus durus, ſi enim & intellexerit, non obediet.* ** Prouer.29.* Cùm dixit, verbis eum non emendari, non eum iuſſit deſeri, ſed tacitè admonuit, vnde debeat emendari: alioquin non diceret, verbis non emendabitur, ſed tantummodo diceret: non emendabitur. Alio quoque loco dicit: Non ſolùm ſeruum, ſed etiam filium indiſciplinatum plagis eſſe coërcendum: & magno fructu. Nam tu quidem, * inquit, ** Prouer.23.* percutis eum virga, animam verò eius liberabis à morte. Et alibi dicit: * Qui parcit baculo, odit filium ſuum. ** Prouer. 13* *Tom.2. Epiſt.50. ad Bonifacium Comitem.*

*Meliores ſũt quos dirigit amor, ſed plures quos corrigit timor.*

*Seruus durus non emendatur verbis.*

FINIS LIBRI PRIMI.

# CONFESSIONIS AVGVSTINIANÆ LIBER SECVNDVS, NOVEM CApita complectens.

## DE PECCATO ORIGINALI.

### CAP. I.

I. *Primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe.*

** Gen. 3. Adam per peccatũ gratia nudatus: * Rom. 7.*

COgnouerunt * quia nudi erant, nudati ſcilicet ea gratia, qua fiebat, vt nuditas corporis nulla eos lege * peccati, menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognouerunt, quod fœlicius ignorarent, ſi Deo credentes & obedientes nõ committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 14. cap. 17.*

** Gene. 3. Carnis inobedientia pœna reciproca inobedientiæ erga Deum.*

Carnalis inobedientia, quæ in ipſo motu eſt, etiamſi habere non permittatur effectum, non erat in illis tũc primis hominibus, quando * nudi erant, & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis, domina carnis, inobediens extiterat Domino ſuo, vt pœna reciproca inobedientem experiretur carnem famulam ſuam, cum ſenſu quodam confuſionis & moleſtiæ ſuæ. *Tom. 7. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 22. Vide & ſuper Gen. lib. 11 cap. 32.*

Si peccato non fuiſſet dehoneſtata natura, abſit vt opinemur tales futuras fuiſſe nuptias in paradiſo, vt in eis ad prolem ſeminandam non natura voluntatis, ſicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua



ad loquendum, ſed æſtu libidinis membra genitalia mouerentur, nec ſicut nunc fit, virginitatis integritas ad concupiſcendos fœtus, vi turbidi vitiaretur ardoris, ſed obſequeretur imperio tranquilliſſimæ charitatis. Et eo modo non eſſet dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non eſſet etiam matris gemitus parientis. Hæc ideò non creduntur, quia in iſta mortalitatis conditione inexperta ſunt. In deterius quippe vitio mutata natura, non inuenit primæ illius puritatis exemplum: ſed fidelibus loquimur, qui nouerunt credere diuinis eloquiis, etiam nullis adhibitis ex parte veritatis exemplis. Quomodo enim nunc oſtendam ſine vllis parentibus de puluere hominem factum, eíque de ſuo latere coniugem? Et quod oculus iam non inuenit, fides credit. Sic ergo & primarum nuptiarum ſine libidinis paſſione tranquillitas. *Tom. 7. de pecca. orig. cap. 35.*

*Natura in deterius vitio mutata, non inuenit primæ puritatis, quæ in paradiſo fuit, exemplum.*

Die quo * peccauit Adam in anima mortuus eſt. Sicut enim corpus viuit ex anima: ita anima vt beatius viuat, viuit ex Deo. Ergo deſerta anima à Deo, iure dicitur mortua prima morte, ex qua tres poſtea ſecutæ ſunt mortes. Vt enim hæ ſequerentur, primò præceſſit deſertio Dei, ſecundùm quam eo die, quo peccauit, Adam mortuus eſt. *Tom. 4. dial. 65. quæſtionum, q. 32.*

** Gene. 2. Adã peccãdo in anima mortuus eſt.*

Si quis per offenſam præuaricationis Adæ, non totum, id eſt, ſecundum corpus & animam in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduerſatur ſcripturæ dicenti: * *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Et, * Neſcitis quoniam cui obeditis, & à quo quis ſuperatur, eius ſeruus addicitur? *Tom. 3. de Eccleſ. dogmat. cap. 38.*

** Ezech. 18. * 2. Pet. 2. Rom. 16. Ioan. 8.*

Per velle malum rectè perdidit poſſe bonũ, quia per poſſe bonum potuit vincere velle malum. Quem iuſtè Deus iam delicto captiuum, voluntati deprauatæ dimiſit, vt hæc eidem eſſet pœna in non faciendo quod vellit, qui ſemper ſi obediens fuiſſet, ſufficere potuiſſet, ad omne quod voluiſſet. *Tom. 3. hypog. lib. 3. poſt initium.*

*Quomodo Adã peccãdo perfectã perdiderit libertatem.*

Quando peccauit Adam non obediens Deo, hic eius corpus, quanuis eſſet animale atque mortale, gratiam

*Adã peccando, gratiam*

*perdidit, qua corpus eius animæ omni ex parte obediebat.*

perdidit, qua eius animæ omni ex obediebat. Tunc ille extitit beſtialis motus pudendus hominibus, quem in ſua erubuit nuditate. *Tom.7. de pecc. mer. & remiſſione, lib. 1. cap. 16.*

** Gene. 1.*

*Deus creauit hominem iuſtum & ſanctum.*

Ad imaginem * & ſimilitudinem ſuam creauit eum, quia iuſtum, & ſanctum, & verum, ſicuti eſt, creauit: ad ſimilitudinem, quia immortalem & æternum condidit eum, niſi peccaſſet: ſed ſtatim vt peccauit imaginem & ſimilitudinem perdidit. *Tom. 4. dialog. ad Oroſ. Similem planè ſententiam ex lib. 6 de Gen. ad lit. explicat, lib. 2. Retract. cap. 24. his verbis:* Quod dixi, Adam imaginē Dei, ſecundùm quam factus eſt, perdidiſſe peccato, non ſic accipiendum eſt, tanquam in eo nulla remanſerit, ſed quòd tam deformis, vt reformatione opus haberet. *Plura de prædeſt. & gratia, cap. 13. et de ciuit. Dei, lib. 14. c. 10.*

## II. *Primum hominem Adam incurriſſe per offenſam præuaricationis, iram & indignationem Dei, atque adeò mortem ipſam, quam illi Deus fuerat comminatus.*

** Gen. 2.*

*Tā corporis quàm animæ mors, ſiue prima, ſiue ſecunda, ex peccato Adæ eſt.*

CVM requiritur, quam mortem Deus* primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent: vtrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam quæ ſecunda dicitur: reſpondendum eſt, omnes. Prima enim conſtat ex duabus: ſecunda ex omnibus tota. Sicut enim vniuerſa terra ex multis terris, & vniuerſa Eccleſia ex multis Eccleſiis conſtat, ſic vniuerſa mors ex omnibus: quoniam prima conſtat ex duabus, vna animæ, altera corporis: vt ſit prima totius hominis mors, cùm anima ſine Deo, & ſine corpore ad tempus pœnas luit: ſecunda verò, vbi anima ſine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiſo conſtituerat, de cibo vetito: * *Quacunque die ederitis ex eo, morte morietmini,* non tantùm primæ mortis partem priorem, vbi anima priuatur Deo: nec tantùm poſteriorem, vbi corpus priuatur anima: nec ſolùm ipſam totā primam, vbi anima à Deo & corpore ſeparata punitur: ſed quicquid mortis eſt vſque ad nouiſſimam, quæ ſecunda dicitur,

** Gen. 2.*



& qua eſt nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib 13. cap 11.*

Alienatus (*Adam*) à vita, non ſolùm quam fuerat, ſi præceptū ſeruaſſet, cum Angelis accepturus, ſed ab illa etiam, quā ducebat in paradiſo fœlici quodam corporis ſtatu, ſeparari vtique debuit, à ligno vitæ, ſiue quòd ex ipſo illo ſubſiſteret fœlix ille ſtatus corporis, ex re viſibili, virtute inuiſibili: ſiue quòd in eo eſſet Sacramētum viſibile inuiſibilis ſapientiæ. Alienandus inde vtique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tanquā excommunicatus, ſicut etiā in hoc paradiſo, id eſt, Eccleſia ſolent à Sacramētis altaris viſibilibus, homines diſciplina Eccleſiaſtica remoueri. *Tom. 3. de Gen. ad lit. lib. 11. ca. 40.*

*Fœlix ſtatus corporis humani, virtute inuiſibili in paradiſo ſubſiſtebat.*

*Vſus excommunicationis in Eccleſia.*

Cum primus homo conditus eſſet à Deo, & libero arbitrio muneratus, præceptúmque ei poſitū eſſet, ſi cuſtodiſſet * quæ ei Deus præceperat, morte non corporis neque animæ mulctaretur, ſed ille inobediens mādato Dei, atque elatus ſuperbia, ſuaſioni ſerpentis obediens, Dei præcepta contempſit. Et hæc cauſa extitit vt mortis periculum incurreret, & ab illo vno homine omnis humana natura vitioſa atque peccato obnoxia, mortalis exiſteret. Apoſtolus Paulus* *per vnum hominē* inquit, *peccatū intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Tom. 4. dial. 65. quæſtionum, q. 4.*

** Gene. 2.*

*Adā niſi peccaſſet, neque corporis neque animæ morte mulctatus fuiſſet.*

** Rom. 5.*

Qui dicunt, Adam ſic creatum, vt etiam ſine peccati merito moreretur non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ, profectò illud quod in lege dictum eſt: * *Qua die ederitis, morte moriemini,* non ad mortem corporis, ſed mortem animæ, quæ in peccato fit, referre conantur. Qua morte mortuos ſignificauit Dominus infideles, de quibus ait: * *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Quid ergo reſpondebunt, cùm legitur hoc Deum primo homini etiam poſt peccatum increpando, & damnando dixiſſe: * Terra es, & in terram ibis? Neque enim ſecundùm animam, ſed quod manifeſtum eſt, ſecundùm corpus terra erat, & morte eiuſdem corporis erat iturus in terram. Quanuis enim ſecundùm corpus terra eſſet, & corpus, in quo creatus eſt, animale geſtaret, tamen ſi non peccaſſet

** Gen. 2.*

** Matth. 8. Luc. 8.*

** Gen. 3.*

*Adā ſi non peccaſſet, in corpus fuerat*

*ſpirituale mutãdus, & ſine mortis periculo beãdus.*

in corpus fuerat ſpirituale mutandus,& in illam incorruptionem,quæ fidelibus ac ſanctis promittitur,* ſine mortis periculo tranſiturus. *Tom.7.de peccat.mer. & remiſſ.lib.1.cap.2.*

*1.Cor.15.
*2.Cor.15.

*In paradiſo hominem nõ fuiſſe ſenectute grauãdũ, etiam in animali & mortali corpore.*

* *Deut.*29.

Proinde ſi non peccaſſet Adam, non erat exſpoliãdus corpore, ſed ſuperueſtiendus immortalitate , & incorruptione,vt abſorberetur*mortale à vita,id eſt, ab animali in ſpiritale trãſiret. Neque enim metuendum fuit, ne dum fortè diutius hîc viueret,in corpore animali,ſenectute grauaretur, & paulatim veteraſcendo perueniret ad mortem.Si enim Deus Iſraëlitarum veſtimentis* & calceamentis præſtitit, quod per tot annos non ſunt obtrita,quid mirum, ſi obedienti homini eiuſdem potentia præſtaretur , vt animale ac mortale habens corpus,haberet in eo quẽdam ſtatum, quo ſine defectu eſſet annoſum,tempore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem ſine media morte venturus?Sicut enim hæc ipſa caro, quam nunc habemus , non ideo non eſt vulnerabilis,quia non eſt neceſſe, vt vulneretur , ſic illa non ideo non fuit mortalis , quia non erat neceſſe , vt moreretur.Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali , etiã illis qui ſine morte hinc tranſlati ſunt,fuiſſe conceſſam.Neque enim Enoch * & Elias * per tam longam ætatem ſenectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam ſpiritualem qualitatem corporis cõmutatos , qualis in reſurrectione promittitur,quæ in Domino prima præceſsit : niſi quia iſti fortaſſe nec his cibis egent,qui ſui conſumptione reficiunt,ſed ex quo tranſlati ſunt,ita viuunt,vt ſimilem habeant ſatietatem*illis quadraginta diebus,quibus Elias ex calice aquæ,& ex collyride panis,ſine cibis vixit: aut ſi & his ſuſtentaculis opus eſt , ita fortaſſe in paradiſo paſcuntur,ſicut Adam , priuſquàm propter peccatum * exinde exire meruiſſet.Habebat enim,quantum exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem , contra defectionem,& de ligno vitæ ſtabilitatem,contra vetuſtatem.*Ibidem,cap.11.& 3.Lege quæ ibidem ſequuntur.*

* *Gen.*5.
* 4. *Reg.*2.

*Enoch & Elias iam olim trãslati, quã habeãt tot ſeculis viuendi rationem.*

* 3.*Reg.*19.
* *Gen.*3.

*Adam de ligno vitæ ſtabilitatem habebat cõtra vetuſtatem.*

Corruptio*corporis,quæ aggrauat animam,nõ peccati primi eſt cauſa, ſed pœna:nec caro corruptibilis animam peccatricem,ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem. *Tom.5.de ciuit.Dei,lib.14.ca.3.*

* *Sap.* 9.



### *III. Primum hominem Adam, cum morte captiuitatem ſub diaboli poteſtate , qui mortis deinde habuit imperium,præuaricando meruiſſe.*

QVid eſt autem:* *Et reliquit illum in manu conſilij ſui:* niſi dimiſit eum in poſſibilitate liberi arbitrij ſui? In manu enim poſſibilitas intelligitur . Ipſa eſt prima gratia,tqua primus homo ſtare potuiſſet,ſi ſeruare mandata Domini voluiſſet . Hac ergo per inobedientiam deſolatus homo,iudicio iuſto factus eſt ſerpentis , * id eſt, Diaboli(cui maluit obedire , quàm Deo)captiuus. Et ideo ſcriptum eſt : * A quo enim quis ſuperatus eſt, huic & ſeruus addictus eſt.Et iterum:* Omnis qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati.*Tom.7.lib.3.hypognoſt.prope initium.*

* *Eccl.*15.
* *Gen.*3.
* 2.*Pet.*2.
* *Ioan.* 8.
*Rom.*6.

Quia ergo contemptus eſt Deus iubens,qui hominẽ * creauerat,qui ad ſuam imaginem eum fecerat,qui cæteris animalibus præpoſuerat, qui in paradiſo cõſtituerat, qui rerum omnium copiam ſalutíſque præſtiterat, qui præceptis nec pluribus,nec grandibus,nec difficilibus onerauerat , ſed vno breuiſſimo atque leuiſſimo ad obedientiæ ſalubritatẽ adminiculatus fuerat,quo ſuper eam creaturam cui libera ſeruitus expediret, ſe eſſe dominum commonebat : iuſta damnatio ſubſequuta eſt: talis quidem damnatio,vt homo,qui cuſtodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne ſpiritalis,fieret etiam mente carnalis : & quia ſua ſuperbia ſibi placuerat , Dei iuſtitia ſibi donaretur : nec ſicut affectabat in ſua eſſet omni modo poteſtate , ſed à ſeipſo quoque diſſentiens,ſub illo, cui peccãdo cõſenſit,pro libertate,quam concupiuerat , duram miſerámque ageret ſeruitutem, mortuus ſpiritu volens , & corpore moriturus inuitus, deſertor æternę vitæ,etiam æterna niſi gratia liberaret, morte damnatus.*Tom.5.de ciuit.Dei,lib.14.cap.15.*

* *Gen.*1.

*Homo futur' etiã carne ſpiritalis, peccando factus eſt & mente carnalis.*

*Superbiẽs Adam, pro libertate, quã concupiuit, duram ſub Diabolo meruit ſeruitutem.*

De primo homine,patre generis hùmani,quòd eum (*Chriſtus*) apud inferos ſoluerit, Eccleſia ferè tota conſentit : quod eam non inaniter crediſiſſe credendum eſt,vndecunque hoc traditum ſit, etiamſi canonicarum

*Traditio Eccleſiæ habet, quòd Chriſtus apud in-*

*ferос primū parentem ſol uerit, quāuis expreſſa non habeatur hac de re ſcriptu ræ actoritas.*

ſcripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas: quanquam illud, quod in libro Sapientiæ ſcriptum eſt: * Hæc illum, qui primus factus eſt patrem orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit ei virtutem continendi omnia: magis pro hac ſententia, quàm pro vllo alio intellectu facere videatur. *Tom.2.epiſt.99.ad Euodium.*

** Sap.10.*

Modus autem iſte, quo traditus eſt homo in Diaboli poteſtatem, non ita debet intelligi, tanquā hoc Deus fecerit, aut fieri iuſſerit, ſed quòd tantùm permiſerit, iuſtè tamen. Illo enim deſerente peccantem, peccati aúctor illicò inuaſit. Nec ita ſanè Deus d.ſeruit creaturā ſuam, vt non ſe illi exhiberet Deum creantem & viuificantem, & inter pœnalia mala etiam bona malis multa præſtantem. Non enim continuit * in ira ſua miſerationes ſuas, nec hominē à lege ſuæ poteſtatis amiſit, quando in Diaboli poteſtate eſſe permiſit: quia nec ipſe Diabolus à poteſtate omnipotentis alienus eſt, ſicut neque à bonitate. Nam & maligni angeli vnde qualicunque ſubſiſterent vita, niſi per eum, qui viuificat omnia? Si ergo commiſsio peccatorum per iram Dei iuſtum hominem ſubdidit Diabolo, profectò remiſsio peccatorum, per reconciliationem Dei benignam, eruit hominem à Diabolo. *Tom.3.de Trinita.lib.13. cap.12. Idem fuſè docet Tom.7.contra Iulianum, lib.3 cap.2.3.4.*

** Pſal.76.*

*Commiſsio peccatorū iuſtum hominē ſubdit Diabolo.*

### IIII. *Adæ præuaricationem non ſibi ſoli, ſed eius quoque propagini nocuiſſe.*

SI peccatum primorum hominum ſolis obfuit illis, & nemini noſtrûm: quēadmodum quæ in illos pro peccato lata eſt, in nos ſententia pertranſiuit, in quos non tranſiuit & culpa? Niſi fortè ſecundùm vos (*intelligit Pelagianos*) iniuſtus Deus, qui expertes eorum delicti, paſſus eſt nos eorum pœnæ aſtringi vinculo. Hæc eſt enim in illis poſt peccatum diuina ſententia, poſtquam ſcilicet ſuaſor ad præuaricandum maledictus eſt ſerpēs. Mulieri autē dixit Deus: * *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum. In triſtitia partes filios, & ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui.* Et Adæ dixit: *Quoniam audiſti vocem mulieris tuæ, & manducaſti*

*Sicut ſententia pro peccato primorum parentum la ta in nos pertranſiuit, ita & culpa.*

** Gen.3.*



*de ligno, de quo præceperam tibi, de hoc ſolo ne manducares: maledicta terra in operibus tuis, in mœroribus manducabis ex illa omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi, & edes fœnum agri. In ſudore vultus tui edes panē tuum, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia terra es, & in terram ibis.* Hac nos pœnæ ſententia colligatos, ipſa ſibi natura humana, totum per orbem terrarum diffuſa, teſtimonium perhibet, dum ſe paternis cruciatibus ſanctæ legis teſtimonio peruidet laborare. Quod qua iuſtitia, ſi hæredes parentum peccati non ſumus, patimur? *Et paulò pòſt.* Audis per vnum * hominem peccatum intraſſe in mundū, & per peccatum mortē, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo omnes peccauerunt: & audes dicere hæretice, Adæ peccatum nulli niſi ſoli nocuit ipſi? Et verè tunc ſoli nocuit, cùm ſolus eſſet ipſe & Eua mulier eius: ſed in illis vnis omnes eramus, quia natura humani generis erant, ſicut in nobis omnibus illi iam ſunt, quia natura eorum ſumus. *Tom.7.hypognoſt. lib.2.*

** Rom.5.*

*Hæreticus eſt, qui ſoli Adæ peccatum eius aſſerit nocuiſſe.*

** Gen 3.*

A duobus primis (*Adam & Eua*) admiſſum eſt * tam grande peccatū, vt in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in poſteros obligatione peccati, & mortis neceſſitate trāſmiſſa. Mortis autem regnum in homines vſque adeò dominatum eſt, vt omnes in ſecundam quoque mortē, cuius nullus eſt finis, pœna debita præcipites ageret, niſi inde quoſdam indebita Dei gratia liberaret. *Tom.5.de ciuit.Dei, lib.14.cap.1.*

*Peccato primorum parētum natura humana in deterius mutata.*

Vulnere originalis peccati in Adam omnium hominum corrupta & mortificata eſt natura, vnde omnium concupiſcentiarum morbus inoleuit: verùm & potens & ſingulare remedium eſt mors Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus eſt. *Tom.7.ad articulos ſibi falsò impoſitos, Artic.1.*

*Ex peccato Adæ omniū concupiſcentiarum morbꝰ in natura humana inoleuit.*

Si quis ſoli Adæ præuaricationem ſuam, non etiam eius propagini aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tātùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autē & peccatū, quod mors eſt animæ, per vnū hominē in omne genus humanū tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: * Per vnum hominē intrauit peccatū

*Non tātùm pœnā, ſed & peccatum, quod eſt mors animæ ab Adam in poſteros tranſmitti, quare ſatendum.*

** Rom.5.*

in mundum. *Tom.3.de Eccleſiaſticis dogmatibus,cap.39.*

Veruntamen ſecundùm iſtam ſuam calliditatẽ, non inueniunt quid ad hoc reſpondeant, quod exorcizantur & exſufflantur infantes:hoc enim proculdubiò fallaciter fit, ſi Diabolus eis non dominatur:ſi autem dominatur,& ideo non fallaciter exorcizãtur,& exſufflantur.Per quid dominatur,niſi per peccatum, princeps vtique peccatorum? *Tom.2.epiſt.105.ſub finem,ad Sixtum.*

*Ex Eccleſiæ exorciſmo et exſufflatione colligit Auguſtinus peccatum originis paruulis ineſſe.*

Nos certè cauſam, cur ſub Diabolo ſit, qui naſcitur, donec renaſcatur in Chriſto, peccati ex origine dicimus eſſe contagium.Vos autem,qui hoc negatis,ea ſaltem,quæ aperta ſunt,intuemini,cur nonnulli etiam dæmonem patiantur infantes, niſi fortè & ipſos, aut eſſe, aut ſub Diabolo eſſe negabitis. *Tom.7.lib.3.contra Iulianum Pelag.cap.5.*

*Nõ mirum, ſub Diabolo naſci infantes, cùm & ipſorum quidã à Dæmone vexentur.*

### *V. Acceptam à Deo ſanctitatem, iuſtitiam, & innetentiam, quam perdidit Adam, non ſibi ſoli, ſed etiam nobis perdidiſſe.*

FIrmiſsimè credendũ eſt,in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem poſsibilitatem & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerantis erexerit:liberum autem arbitrium ille perpeſſus, dum ſuis inconſultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demerſus eſt.Et nihil quẽadmodum exinde ſurgere poſſet inuenit, ſuáque in æternum libertate deceptus huius ruinæ latuiſſet oppreſſu,niſi eum pòſt Chriſti,pro ſua gratia,releuaſſet aduentus,qui per nouæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium ſui baptiſmatis lauacro purgauit. *Tom.3.de Eccleſiaſt.dogmatibus,cap.22.*

*In præuaricatione Adæ omnes homines naturalẽ innocentiam perdiderunt.*

Cùm tanta bona homini Diabolus abſtuliſſet,pudicitiam,cõtinentiam,charitatem,immortalitatem,eúmque turpem ac nudum reddidiſſet, obſitum ſuis pannis, deridens eum, ſuo dominio obſtrinxit, atque ex illo vinculo omnem prolem eius ſibimet obligauit. Turpes enim pannos ſuſcepit Adam, quando à Diabolo exſpoliatus pudicitia, accinctus eſt impudicitia: amiſſa temperantia,intemperãs effectus eſt:perdita charitate, malus inuentus eſt: exſpoliatus immortalitate, morti propinatus eſt.Quid perdidit,& quid accepit?Ad hoc enim per turpiſſimos pannos ſuos poſteros obligauit.Renunciemus huic damnoſæ hæreditati,pupilli effecti ſumus,antequàm exactor veniat tam peſſimæ hæreditati renunciemus. *Tom.6.conc.contra Iud.Pag.& Art.cap.2.*

*Turpiſſimis malitiæ atq; intemperantiæ pãnis poſteros ſuos Adã obligauit.*



Libertas periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino:* Si filius vos liberauerit,tunc verè liberi eritis:vtique liberi ad bene iuſtéque viuendum. *Tom.7.contra duas epiſt.Pelag.lib.1.cap.2.*

*Libertas habẽdi plenam cum immortalitate iuſtitiam,in paradiſo periit.*

In Paradiſo enim, etiamſi non omnia poterat ante peccatum,quicquid tamen non poterat, non volebat: & ideo poterat omnia quæ volebat. Nunc verò ſicut in eius ſtirpe cognoſcimus, & diuina ſcriptura teſtatur, * homo vanitati ſimilis factus eſt. Quis enim enumeret,quàm multa,quæ non poteſt, velit, dum ſibiipſi, id eſt,voluntati eius,ipſe animus eius eóque inferior caro eius non obtemperat? Ipſo namque inuito, & animus plerumque turbatur, & caro dolet,& veteraſcit, & moritur,& quicquid aliud patimur, quod non pateremur inuiti,ſi voluntati noſtræ noſtra natura omnimodo atque ex omnibus partibus obediret. *To.5.de ciuitate Dei, lib.14.cap.15.*

** Pſal.143.*

*Poſt peccatũ ipſe animus, ipſáq; caro hominis voluntati non obtẽperant.*

In Paradiſo caro non concupiſcebat aduerſus ſpiritum,nec ibi erat iſta pugna,vbi pax ſola,ſed facta tranſgreſſione,poſtquam homo noluit ſeruire Deo,& donatus eſt ſibi,nec ſibi ſic donatus eſt, vt poſſit ſaltem poſſidere ſe,ſed ab eo poſſeſſus,à quo deceptus, cœpit caro concupiſcere aduerſus ſpiritum: & hoc in bonis. Nam in malis non habet, contra quem cõcupiſcat.Ibi enim concupiſcit aduerſus ſpiritum,vbi eſt ſpiritus. Quod enim ait,* *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem,* noli putare, ſpiritui hominis tantundem datum.Nam ſpiritus Dei eſt,qui pugnat in te aduerſum te,id eſt,aduerſus illud,quod eſt in te contra te. Noluiſti enim ſtare ad Dominum,cecidiſti.Fractus es quomo

** Gal.5.*

do vas, quando de manu hominis in terram cadit. Fractus es. Et quia fractus es, ideo contra te es. *Tom. 10. de verb. Dom. ſerm. 43.*

*Quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, naturaliter ſequitur in naſcentibus cæteris.*

** Gen. 2.*

Pro magnitudine culpæ illius naturam damnatio mutauit in pœnis, vt quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris. Neque enim homo ita ex homine, ſicut homo ex puluere. Puluis namque homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod eſt terra, non hoc eſt caro, quamuis* ex terra facta ſit caro. Quod eſt autem parens homo, hoc eſt & proles homo. In primo igitur homine, per fœminam in progeniem tranſiturum, vniuerſum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinā ſententiam ſuæ damnationis excepit. Et quod homo factus eſt, non cùm crearetur, ſed cùm peccaret & puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem. *Tom. 5. de ciuitat. Dei, lib. 13 cap. 3. Eadem fermè repetit eiuſdem libri cap. 15.*

*Quod homo factus eſt, cū peccaret & puniretur, hoc genuit, quantum attinet ad peccati & mortis originem.*

*Catalogus malorum ex naturæ corruptione proficiſcentium.*

Quid eim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodā ſinu ſuſcipit, vt homo ab illo liberari, ſine labore, dolore, timore nō poſſit? Quid amor ipſe tot rerū vanarum atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam vtriuſque ſexus tot ſtupra, atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere, ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, periuria, oppreſſiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falſa teſtimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita iſta hominum non recedit? Verùm hæc hominum ſunt malorū, ab illa tamen erroris & peruerſi amoris radice veniētia, cū qua omnis filius Adā naſcitur. *Ibi. li. 22. ca. 22.*

Si quem mouet, cur aliis peccatis ſic natura non mu-



retur humana, quemadmodum illa duorum primorum hominum præuaricatione mutata eſt, vt tantæ corruptioni, quantam videmus atque ſentimus, & per hanc ſubiaceret morti, ac tot & tantis, támque inter ſe contrariis perturbaretur & fluctuaret affectibus, qualis in paradiſo ante peccatum, licet in corpore eſſet animali, vtique non fuit: ſiquis hoc mouetur, vt dixi, non ideo debet exiſtimare leue ac paruum fuiſſe illud cōmiſſum, quia in eſca factum eſt, nō quidem mala nec noxia, niſi quia prohibita. Neque enim Deus quicquam mali in illo tantæ fœlicitatis paradiſo crearet atque plantaret. Sed obedientia commendata eſt in præcepto, quæ virtus in creatura rationali, mater quodammodo eſt omnium cuſtóſque virtutum: quandoquidem ſic facta eſt, vt ei ſubditam eſſe ſit vtile: pernicioſum autem ſuam, non eius, à quo creata eſt, facere voluntatem. Hoc itaque de vno cibi genere non edendo, vbi aliorum tanta copia ſubiacebat, tam leue præceptum ad obſeruandū, tam breue ad memoria retinendum, vbi præſertim nōdum voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna tráſgreſſionis poſtea ſubſequutum eſt, tantò maiore iniuſtitia violatum eſt, quanto facilore poſſet obſeruātia cuſtodiri. *Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 14. cap. 12. Idem ferè habes ſuper Pſalm. 70. enar. 2.*

*Rationalis creatura ſic facta eſt, vt ei ſubditam eſſe ſit vtile.*

## VI. *Adam per inobedientiam inquinatum, eodem inobedientiæ peccato non tantùm mortem & pœnas corporis, ſed & peccatum in omne genus humanum transfudiſſe.*

*Naſcitur homo ex Adam malus atque carnalis.*

** Gen. 3.*

Vnuſquiſque quoniam ex damnata propagine exoritur, primò ſit neceſſe eſt ex Adam malus atque carnalis: quòd ſi in Chriſto renaſcendo profecerit, poſtea erit bonus & ſpiritalis. *To. 5. de ciuit. Dei, li. 15. ca. 1.*

Omnes enim fuimus in illo vno, quando omnes ille vnus corrupit, qui per fœminam* lapſus eſt in peccatum, quæ de illo facta eſt ante peccatum. Nondum erat nobis ſigillatim creata & diſtributa forma, in qua ſinguli viueremus, ſed iam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur: qua ſcilicet propter peccatum vitiata, & vinculo mortis obſtricta, iuſtéque damnata, non

*Natura humana propter peccatũ Adæ vitiata, iuſtéque dãnata.*

alterius conditionis homo ex homine naſceretur: ac per hoc à liberi arbitrij malo vſu, ſeries huius calamitatis exorta eſt, quæ humanum genus origine deprauata, velut radice corrupta, vſque ad ſecundæ mortis exitum, quæ non habet finem (ſolis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur) miſeriarum connexione perducit. *Ibidem, lib.13.cap.14.*

Nos certè, quod nemo Chriſtianus ambigit, & anima & corpore mortui ſumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati, ac per hoc & corpore propter peccatum. *Et paulò poſt.* Mors autem animæ impietas eſt, & mors corporis corruptibilitas, per quam fit & animæ à corpore abſceſſus. *Tom.3 de Trinit. lib.4.cap.3.*

* *Geneſ.1.*

Benedictionem illam quam Deus protulerat ante peccatum, dicens: * *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*: nec poſt peccatum voluit inhibere, manſitque in ſtirpe damnata donata fœcunditas, nec illam vim mirabilem ſeminum, imò etiam mirabiliorem qua efficiuntur & ſemina, inditam corporibus humanis, & quodam modo intextam vitium peccati non potuit auferre, quo nobis impacta eſt neceſſitas mortis: ſed vtrunque ſimul currit, iſto quaſi fluuio atque torrente generis humani malum, quod à parentibus trahitur, & bonum quod à creatore tribuitur. In originali malo duo ſunt, peccatũ atq; ſupplicium. In originali bono alia duo, propagatio & confirmatio. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib.22.cap.24.*

*In originali malo duo ſunt, peccatũ atque ſupplicium.*

* *Iob.14.* — * *Rom.5.* — * *Ibidem.*

Viciatæ radicis macula ita propaginis traduce per generationum ſarmenta diffuſa eſt, * vt nec infans quidem vnius diei à culpa ſit primæ præuaricationis alienus, niſi per indebitam Saluatoris gratiam fuerit liberatus. Quòd ſi nec hic quidem ſine peccato eſt, qui proprium habere non potuit, conficitur vt illud traxerit alienum, de quo Apoſtolus dicit: * *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Quod qui negat, negat profectò primùm nos eſſe mortales. Si enim, vt dicit Apoſtolus, * per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, mors intrare non potuit, niſi intrante peccato. Et quoniam mors non natu-



ræ conditio, ſed pœna peccati, ſequatur neceſſe eſt pœna peccatum. Quia verò in omnes homines mors pertranſiit, in omnes neceſſe eſt pertranſiſſe peccatum. *To. 7. de prædeſt. & gratia, cap.3.*

*Si in omnes homines mors pertranſijt, in omnes neceſſe eſt pertranſiſſe peccatum.*

His verbis meis ex libro meo abs te poſitis, ita reſiſtendum putaſti, vt diceres hanc formam etiam in homine malo debuiſſe ſeruari, quæ ſeruatur in diabolo, ne quiſquam damnetur, niſi ex vitiis propriæ voluntatis, atque ideò nullum ſit originale peccatum: alioquin opus eius, vt dicis, qui etiam diabolum bonum condidit, non poteſt approbari. Reſpond. Auguſtinus. Adiuuare te fortaſſe hoc argumentum, ſi vt homo ita diabolus gigneret filios, eóſque paterno peccato negaremus obnoxios. Nunc vero aliud eſt ille, qui * homicida erat ab initio, quia hominem ab initio, quo eſt homo inſtitutus, occidit per fœminæ * ſeductionem, & in veritate per liberum arbitrium non ſtetit, cadénſque deiecit hominem: & aliud eſt, quod * per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Vbi euidenter expreſſum eſt, exceptis cuiuſque hominis propriis, commune omnibus hominibus originale peccatum. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib.6.cap.9. Lege & Epiſt.157.ad Optatum.*

* *Ioan.8.* — * *Gen.3.* — * *Rom.5.*

*Exceptis cuiuſque hominis propriis, commune eſt omnibus hominibus originale peccatum.*

Poſt peccatum exul effectus ſtirpem quoque ſuam (*loquitur de Adamo*) quam peccando in ſe tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnationis obſtrinxit: vt quicquid prolis ex illo & ſimul damnata, per quam peccauerat, coniuge, per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt, naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloréſque diuerſos ad illud extremum cum deſertoribus Angelis vitiatoribus & poſſeſſoribus & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. *Sic per vnum hominem* * *peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Mundum quippe appellauit in eo loco Apoſtolus, vniuerſum genus humanum. *Tom 3. Enchirid.cap.26.*

*Peccatũ Adæ quanti mali cauſa.*

* *Rom.5.*

Commendat, inquit Apoſtolus, ſuam charitatẽ Deus in nobis, quoniã cùm adhuc peccatores eſſemus, Chri-

ſtus pro nobis mortuus:multò magis iuſtificati nunc in
ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. De hac
*Epheſ.2.* ira dicit:* Eramus & nos natura filij iræ ſicut & cæteri.
*Hier.20.* De hac ira dicit Hieremias Propheta:*Maledictus dies
ille, in quo natus ſum. De hac ira dicit ſanctus Iob:
*Iob 3.* * *Pereat dies ille, in quo natus ſum.* De hac ira autem dicit
*Iob.14.* idem ipſe: * Homo enim natus ex muliere, breuis vitæ
& plenus iracundiæ, ſicut flos fœni decidit, fugit autem
ſicut vmbra, & non ſtabit. Nónne & huius curam feci-
ſti, & hunc feciſti intrare in conſpectu iudicum? Quis
enim erit mundus à ſordibus? Ne vnus quidẽ, etſi vnius
diei fuerit vita eius ſuper terram. De hac re dicit liber
*Eccli. 14.* Eccleſiaſticus: * Omnis caro ſicut veſtis veteraſcit: te-
*Eccli.25.* ſtamentum enim à ſeculo: morte morieris. Itémque ip-
ſe:* A muliere, inquit, initium eſt peccati, & propter il-
*Eccli.1.* lam morimur omnes. Et alio loco,* Occupatio magna
creata eſt omni homini, & iugum graue ſuper filios
Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in
diem ſepulturæ in matrem omnium. De hac ira dicit
*Eccle.1.* Eccleſiaſtes:* vanitas vanitatum & omnia vanitas: quæ
abundantia hominis in omni labore ſuo, quo ipſe labo
*Rom.8.* rat ſub ſole? De hac ira vox Apoſtolica eſt: *Omnis
creatura vanitati ſubiecta eſt. De hac ira plangit Pſal-
*Pſal.38.* miſta:*Ecce veteres poſuiſti dies meos, & ſubſtãtia mea
tanquam nihilum ante te, veruntamen vniuerſa vanitas
*Pſal.89.* omnis homo viuens. De hac re plangit & alius:* Quæ
pro nihilo habentur eorum anni erunt: Manè ſicut her
ba tranſeat, manè floreat & prætereat, veſpere decidat,
dureſcat, & areſcat. Quoniam defecimus in ira tua & in
dignatione tua conturbati ſumus. Poſuiſti iniquitates
noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illumi-
natione vultus tui. Quoniã omnes dies noſtri defece-
rũt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea me-
ditabuntur. Nemo liberabitur ab hac ira Dei, niſi per
mediatorẽ concilietur Deo. Vnde dicit etiam ipſe me-
*Ioan.3.* diator:* Qui nõ credit Filio, non habebit vitam: ſed ira
Dei manet ſuper eũ. *To.7. contra Iulianũ Pelag. li.6. cap.12.*

Audes te agmini ſanctorum Patriacharum, Prophe-
tarum, Apoſtolorum, martyrum, ſacerdotúmque miſ-
cere, (*Alloquitur Iulianũ negantẽ originale peccatũ*) cùm tibi
dicant Patriarchæ, etiam paruulis natis oblata ſacrifi-



cia pro peccatis, eò quòd non ſit mundus à ſordibus *Iob.24.*
nec * infans diei vnius ſuper terram. Cùm tibi dicant *Pſal.50.*
Prophetæ:* In iniquitatibus concepti ſumus: Cum ti- *Gal.3.*
bi dicant Apoſtoli: * *Quicunque baptizati ſumus in
Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*: vt exiſti-
memus nos mortuos quidem eſſe peccato, viuere au-
tem Deo in Chriſto Ieſu: Cùm tibi dicant martyres,
ſecundum Adam carnaliter natos, colluuionem mor-
tis antiquæ prima natiuitate contrahere, vnde paruulis
in baptiſmo dimittantur non propria, ſed aliena pec-
cata: Cùm tibi dicãt Sacerdotes, carnali voluptate cõ-
cretos, prius ſubire delictorum contagium, quàm vitæ
huius haurire munus. His te conſociari præſumis, quo-
rum fidem debellare conaris? *Ibidem, cap.13.* *Rom.5.*

Ego per vnum hominem * in mundum intraſſe pec-
catum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homi
nes pertrãſiſſe, in quo peccauerunt oẽs, ab initio con- *Auguſtini*
uerſionis meæ ſic tenui ſemper, vt teneo. Extant libri, *& omnis*
quos adhuc laicus recentiſſima mea conuerſione con- *Eccleſiæ de*
ſcripſi, etſi nondum ſicut poſtea ſacris literis eruditus, *originali*
tamen nihil de hac re iam tunc ſentiens, &, vbi diſpu *peccato con-*
tandi ratio popoſcerat, dicens, niſi quod antiquitus di- *ſtans ſentẽ-*
ſcit & docet omnis Eccleſia: in has videlicet magnas *tia.*
manifeſtáſq; miſerias, in quibus homo * vanitati ſimi- *Pſal. 143.*
lis factus eſt, vt dies eius ſicut vmbra prætereãt, & ſit vni *Pſal.38.*
uerſa* vanitas oĩs homo viuẽs, merito peccati origina- *Ioan.8.*
lis genus humanũ fuiſſe collapſum: vnde nõ liberat, niſi *Ioan.14.*
qui dixit:* veritas liberabit vos: &,* Ego ſum veritas: &,
Si vos filius liberauerit, tũc verè liberi eritis. *Ibidẽ, cap.4*

Negare peccatũ originale, propria hæreſis Pelagiano
rũ eſt. *To.6. de hæreſ. ad Quoduultdeum. hær. 88. lege & li-
brũ de peccato originali contra Pelag. & Celeſtiũ. Libros
ſex contra Iulianum. De peccat. mer. & remiſſ. librum
primum, & contra duas Epiſt. Pelag. lib.4. cap.4. & ſeq.
De nupt. & concupiſc. lib.2. cap.29.*

*Meminerit hîc lector, Chriſtum ſine peccato originali
natum, quoniam & abſque virili ſemine conceptus ſit:
ſed neque ad hæc neceſſariò ſequi, ſanctiſſimam virginem
Mariã originali peccato obſtrictã fuiſſe: reuocanda namq;
ſunt in mentem verba illa Augu. Tom.7. de natura & gra
tia, cap. 36.* Excepta itaque ſancta virgine Maria, de

qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. *Sed & de Chriſto ſicut & aliis innumeris penè in locis ita loquitur. Tom.7.de pecc.mer.& remiſſ.lib.1.cap.29.* Solus ſine peccato natus eſt, quem ſine virili complexu non concupiſcentia carnis, ſed obedientia mentis virgo concepit. Sola noſtro vulneri medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emiſit.

### *VII. Peccatum originale ab Adamo in omnes homines transfuſum, verè peccatum & mortem animæ eſſe.*

** Rom.6.*

NVnquid dicturi ſumus * peccato mortuum fuiſſe Ieſum, quòd nullum habuit vnq̃? Abſit. Et tamen quod mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel. Mors enim eius peccatum noſtrum ſignificauit, quos vtique ipſa mors accidit, cui morti mortuus, id eſt, vt mortalis non eſſet vlterius, peccato dicitur mortuus. Quod ergo ipſe ſignificauit in ſimilitudine carnis peccati, hoc per eius gratiam nos agimus in carne peccati: vt quomodo ille moriẽdo ſimilitudini peccati, peccato mortuus prædicatur, ita quicunque in illo fuerit baptizatus, idem peccato, cuius in Chriſto ſimilitudo, non veritas, eidem rei, cuius illa fuerit ſimilitudo, moriatur. Et quomodo in illius vera carne vera mors fuit, ſic fiat in veris peccatis verè remiſſio. Totus itaque iſte Epiſtolæ Apoſtolicæ locus ſi te ab iſta prauitate nõ corrigit, nimis obduruiſti. *Tom.7.cõtra Iulianum Pelag.lib.6.cap.1.*

*In Chriſto ſimilitudo peccati, in aliis verò nondum renatis, verũ peccatum.*

** Rom.5.*

Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm * adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Hoc tu dictum, exceptis paruulis, vis putari. Vbi ſi abs te quæram, ſi nõ ſunt inter peccatores habẽdi, quomodo pro eis mortuus eſt, qui pro peccatoribus mortuus eſt? Reſpondebis non pro ſolis peccatoribus mortuum, quamuis ſit etiã pro peccatoribus mortuus. Quod quidem nuſq̃ legis in diuinis auctoribus, mortuũ ſcilicet eſſe Chriſtũ etiã pro eis qui nullũ omnino habuerunt peccatũ. Sed attẽde q̃ validis teſtimoniis vrgearis. Tu dicis etiã pro peccatoribus mortuũ, ego dico non niſi pro peccatoribus

*Chriſtus nõ niſi pro peccatoribus mortuus.*



mortuũ, ita vt reſpondere cogaris, ſi nullo peccato paruuli obſtricti ſunt, nõ eſſe pro paruulis mortuũ. Dicit enim ad Corinthios: * *Quoniã vnus pro omnibus mortuus eſt.* Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt. Nullo modo hic negare permitteris, non niſi pro his qui mortui ſunt, mortuũ fuiſſe Ieſũ. *In eodẽ cap.*

** 2. Cor.5. Chriſtus pro paruulis etiam mortuus.*

Vide quia cõſequẽs eſſe voluit, vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt. Quia ergo nõ in corpore, reſtat vt in peccato eſſe mortuos omnes, ſi pro omnibus Chriſtus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui ſe non negat aut dubitat eſſe Chriſtianum. *In eodem capite.*

Quemadmodum in Chriſto vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorũ: & quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera iuſtificatio. Ait enim: * *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Dixerat enim ſuperius: * *Vbi enim abũdauit peccatum, ibi ſuperabundauit gratia.* Et ideò quæſtionem ſibiipſi proponit, vtrum propter abundantiam gratiæ conſequendam, in peccato ſit permanendum? Sed reſpondit, *Abſit*: Atque ſubiecit: *Si enim mortui ſumus peccato, quomodo viuemus in illo?* Deinde vt oſtenderet nos mortuos eſſe peccato: *An ignoratis*, inquit, * *quoniam quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Si ergo hinc oſtendimur mortui eſſe peccato, quia in morte Chriſti baptizati ſumus, profectò & paruuli, qui baptizantur in Chriſto, peccato moriuntur, quia in morte ipſius baptizantur. Nullo enim excepto dictũ eſt, quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Et ideo dictũ eſt, vt probaretur mortuos nos eſſe peccato. Cui aũt peccato paruuli renaſcendo moriuntur, niſi quod naſcẽdo traxerunt? Ac per hoc etiã ad ipſos pertinet, quod ſequitur, dicens: *Cõſepulti enim ſumus illi per baptiſmum in mortem: & quemadmodum ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Si enim cõplantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: hoc ſciẽtes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt euacuetur corpus peccati, vt vltrà nõ ſeruiamus peccato. Qui

** Rom.6.*
** Rom.5.*
*De conſecr. diſ.4.ca.vt oſtenderet.*
** Rom.6. Gal.3.*
*Ex Apoſtolo probat, nos vero peccato obnoxios naſci.*

enim mortuus eſt, viuificatꝰ eſt à peccato. _Et paulò pòſt._ Atque vt oſtẽderet mortuos nos eſſe peccato, ſubiecit: * _An ignoratis quoniam quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte illius baptizati ſumus?_ Sic itaque totũ iſtum locum cõcluſit, vt cœpit. Mortem quippe Chriſti ſic inſinuauit, vt etiã ipſum mortuũ diceret eſſe peccato. Cui peccato? niſi carnis, in qua erat nõ peccatum, ſed ſimilitudo peccati, & ideò nomine appellat peccati. Baptizatis itaque in morte Chriſti, in qua non ſolùm maiores, verùm etiam paruuli baptizantur, ait: * Sic & vos, id eſt, quemadmodum Chriſtus, ſic & vos, exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, viuere autem Deo in Chriſto Ieſu. _Tom. 3. in Enchirid. ad Laurent. cap. 52._

_* Rom. 6. Gal. 3._ — _* Rom. 6._

## _VIII. Peccatum originale, quantum ad actum commiſsionis pertinet, vnum atque idem eſſe omnium, Adæ ſcilicet tranſgreſsionem._

POteſt mouere, quomodo intelligi oporteat quod dictum eſt: * Maſculus qui nõ circuncidetur carne præputij ſui octauo die, interibit anima illa de genere ſuo, quia teſtamentum meum diſſipauit: Cùm hæc nulla culpa ſit paruuli, cuius dixit animam perituram, nec ipſe diſſipauerit teſtamentũ Dei, ſed maiores qui eum circuncidere non curant. Niſi quia etiam paruuli non ſecundũ vitæ ſuæ proprietatẽ, ſed ſecundũ cõmunẽ generis humani originem, omnes * in illo vno teſtamentum Dei diſſipauerunt, in quo omnes peccauerũt. _Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 16. cap. 27._

_* Gen. 17._ — _* Rom. 5._ — _Secundũ cõmunẽ generis humani originem in Adam omnes peccauerunt._

Cum enim lex euidentior poſtea data ſit, & dicat Apoſtolus: * Vbi autem non eſt lex, nec præuaricatio: quo pacto quod legitur in pſalmo verum eſt: * Præuaricatores æſtimaui omnes peccatores terræ: niſi quia omnes legis alicuius præuaricatæ ſunt rei, qui aliquo peccato tenentur obſtricti? Quamobrem ſi etiã paruuli, quod vera fides habet, naſcuntur non propriè, ſed originaliter, peccatores, vnde illis gratiam remiſſionis

_* Rom. 4._ — _* Pſal. 118._ — _Paruuli quomodo præuaricatores._



peccatorum neceſſariam confitemur, profectò eo modo, quo ſunt peccatores, etiam præuaricatores legis illius, quæ in paradiſo data eſt, agnoſcuntur: vt verum ſit vtrumque quod ſcriptum eſt: * _Præuaricatores æſtimaui omnes peccatores terræ_: &, * _Vbi lex non eſt, nec præuaricatio._ Ac per hoc quia circuncìſio ſignum regenerationis fuit, nõ immeritò paruulũ propter originale peccatum, quo primũ Dei diſſipatũ eſt teſtamentũ, generatio diſperdet, niſi regeneratio liberet. Sed intelligenda ſunt hæc diuina verba, tanꝗ dictum ſit: * Qui nõ fuerit regeneratus, interibit anima illius de genere eius, quia teſtamentum meum diſſipauit, quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccauit. _Ibidem._

_* Pſal. 118._ — _* Rom. 4._ — _Circumciſio regenerationis olim ſignum._ — _* Gen. 17._

Quod dicunt, infantem, morte præuentũ nõ baptizatum, perire non poſſe, quoniam ſine peccato naſcitur: nõ hoc dicit Apoſtolus: & arbitror eſſe melius, vt Apoſtolo potius, quàm illis credamus. Dicit enim ille doctor gentium, in quo Chriſtus loquebatur: * _Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt._ Et paulò pòſt dicit: Nam iudicium quidẽ ex vno delicto in condemnationẽ, gratia autẽ ex multis delictis in iuſtificationem. Proinde iſti, quem fortè inuenerint infantem, non ex illius vnius hominis concupiſcentia procreatũ, ipſum dicam illi damnationi nõ eſſe obnoxium, nec per Chriſti gratiam ab illa damnatione eſſe liberandum. Quid eſt enim, ex vno delicto in cõdemnationẽ, niſi illo delicto, quo deliquit Adam? _Tom. 2. epiſt. 89. quæſt. 3 ad Hilarium._

_In eos qui dicũt infantem ſine peccato naſci._ — _* Rom. 5._ — _Delicti, quo deliquit Adã, omnis homo reus cenſetur._

Illud vnum, quo eſt obligata propago carnalis, quæ ab illo primo homine originem ducit, ſufficere dicit (_Apoſtolus_) ad condemnationem. Ideò non eſt ſuperfluus Baptiſmus paruulorum, vt qui per generationem illi condemnationi obligati ſunt, per regenerationem ab eadẽ condemnatione liberentur. _Infrà._ Ideò ſequitur & dicit: * Si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnũ, multò magis qui abundantiã gratiæ & iuſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Itaque ſicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita

_* Rom. 5._

per vnius iuſtificationem, in omnes homines ad iuſtificationem vitæ: ſicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores cõſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam, iuſti conſtituuntur multi. Quid ad iſta dicturi ſunt, aut quid eis reſtat, niſi vt Apoſtolum erraſſe contendant? *Et infrà.* Per vnum * hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Sicut ab illo vno homine, ſic ab eodem peccato infantes immunes eſſe non poſſunt, niſi ab eius reatu, per Chriſti Baptiſmum, reſoluantur. *Ibidem.*

** Rom. 5.*

*Infantes ſicut ab vno homine Adam, ſic ab eodẽ Adami peccato immunes nõ ſunt, antequã baptizẽtur.*

Quãuis & in illo peccato vno, * quod per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertranſiit, propter quod etiam paruuli baptizantur, poſſint intelligi plura peccata, ſi vnum ipſum in ſua quaſi membra ſingula diuidatur. Nam & ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potius eſſe quàm in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegium, quia Deo non credidit: homicidium, quia ſe præcipitauit in mortem: & fornicatio ſpiritalis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina perſuaſione corrupta eſt: & furtum, quia cibus prohibitus vſurpatus eſt: & auaritia, quia plus quàm ſibi ſufficere debuit, appetiuit: Et ſi quid aliud in hoc vno admiſſo, diligenti conſideratione inueniri poteſt. *Tom.3. in Enchirid.ad Laurentium, cap.45.*

** Rom. 5.*

*In vno Adæ peccato poſſunt intelligi plura peccata.*

Ex voluntate peccatum eſt. Quærit fortè (*Pelagius*) vtrum & originale peccatum? Reſpondeo, prorſus & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis ſeminatum eſt, vt & in illo eſſet, & in omnes trãſiret. *Tom.7. de nupt. & concupiſ. lib.2. cap.28.*

** Rom.5.*

*Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum * & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Vnde nec illud liquidè dici poteſt, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat: In quo omnes peccauerunt. Nec ſic dicuntur iſta aliena peccata, tanquam omnino ad paruulos non pertineant: ſiquidem in Adam tunc peccauerunt, quando in eius natura illa inſita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt: ſed dicuntur aliena, quia nondum ipſi agebãt vitas proprias;

*In Adã omnes peccauerũt, quãdo quicquid erat in futura propagine, vita & natura vnius hominis cõtinebat.*



ſed quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat. *Tom.7 de peccat. mer. & remiſs. lib.3. cap.7.*

### *IX. Adæ peccatum propagatione, non imitatione transfuſum eſſe.*

Illud diligentius intuere, quod ait Apoſtolus: * ob vnius delictum multos mortuos. Cur enim ob vnius illius, & non potius ob delicta ſua propria, ſi hoc loco intelligenda eſt imitatio, non propagatio? Sed attende quod ſequitur: Et non ſicut per vnum peccantem, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Nunc dicant, vbi locum habeat in his verbis illa imitatio. Ex vno, inquit, in condemnationem, quo vno, niſi delicto? Hoc enim explanat, cùm adiungit: Gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Cur ergo iudicium ex vno delicto in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in iuſtificationem? Nónne ſi nullum eſt originale delictum, non ſolùm ad iuſtificationem gratia, ſed etiam iudicium ad condemnationem ex multis delictis, homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, & non etiam iudicium multa delicta condemnat. Aut ſi propterea ex vno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius vnius imitatione commiſſa ſunt: eadem cauſa eſt, cur ex vno delicto etiam ad iuſtificationem duci intelligantur, quia omnia delicta, quæ iuſtificatis remittuntur, ex illius vnius imitatione cõmiſſa ſunt. Sed hoc videlicet non intelligebat Apoſtolus, cùm dicebat, * *Iudicium quidem ex vno delicto in condemnationem, gratia verò ex multis delictis in iuſtificationem.* Imò verò nos intelligamus Apoſtolum, & videamus ideò dictum ex vno delicto in cõdemnationem, quia ſufficeret ad condemnationem, etiamſi non eſſet in hominibus niſi originale peccatũ. *Tom.7. de pecca. merit. & remiſsione, lib.1. cap.12. Similia inuenies Tom.2. Epiſt 89. ad Hilarium, quæſt.3.*

** Rom. 5.*

*Multi mortui ob vnius delictũ, non imitatione, ſed eius propagatione.*

** Rom.5.*

Nam ſi propterea cæteri ob alterius delictum mortui ſunt, quia illum in delinquendo præcedentem, ſubſequentes imitati ſunt: ille quoque & multò magis ob

alterius delictum mortuus eſt, quem diabolus delinquendo ita præceſſerat, vt ei delictum etiam ipſe ſuaderet: Adam verò nihil ſuaſit imitatoribus ſuis, & multi qui eius imitatores dicuntur, eum fuiſſe & tale aliquid commiſiſſe, vel non audierunt, vel omnino non credunt. Quanto ergo rectius, ſicut iam dixi, diabolum principem conſtituiſſet Apoſtolus, à quo vno peccatum & mortem per omnes tranſiſſe diceret, ſi hoc loco non propagationem, ſed imitationem dicere voluiſſet? *Et paulo poſt.* Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ. Hoc vnius delictum, ſi imitationem attendamus, non erit niſi diaboli, ſed quia manifeſtum eſt de Adam, non de diabolo dici, reſtat intelligenda non imitatio, ſed propagatio peccati. *Ibidem, cap. 13. Lege & cap. 15.*

*Quare Apoſtoli locus, per vnius delictum in omnes homines &c. Ro. 5. de imitatione non ſit intelligendus.*

Exponant nobis (*Pelagiani*) quare iudicium * ex vno delicto ducat in condemnationem, cùm ex multis delictis homines damnandi veniant ad iudicium? Aut ſi propterea ita dictum putant, quia initium peccati ex Adam factum eſt, quod imitati cæteri ſunt, vt ſic ex vno illo delicto in iudicium condemnationémque traherentur, qui eum imitando multa peccarunt, cur non etiam de gratia & iuſtificatione ſic dictum eſt? Cur non dixit ſimiliter: Et gratia ex vno delicto in iuſtificationem? Sicut enim hominum multa delicta, inter illud vnum, quod imitati ſunt, & iudicium quo puniuntur, media reperiuntur, ab vno quippe ad multa venerunt, vt à multis ad iudicium damnationémque ducerentur: Sic eadem multa delicta, inter hoc ipſum vnum, cuius imitatione commiſſa ſunt, & gratiam qua dimittuntur, eodem modo media ſunt, quoniam ex illo vno ad multa venerunt, vt ex multis ad gratiam iuſtificandi venirent. Cùm ergo in vtroque, id eſt, & iudicio & gratia, quod attinet ad vnum, & multa delicta, vna eademque ratio ſit, dicant iſti nobis, quare iudicium dixerit ex vno delicto ducere in condemnationem, gratiam verò ex multis delictis in iuſtificationem: aut acquieſcant, ideò ſic eſſe dictum, quia in hac cauſa duo conſtituuntur homines: Adam, ex quo conſiſtit generatio

** Rom. 5.*



carnalis, & Chriſtus, ex quo regeneratio ſpiritalis. Sed quia tantùm ille homo, iſte autem & Deus & homo, nō quomodo illa generatio, vno delicto obligat, quod eſt ex Adam, ita iſta regeneratio vnum delictum ſolum ſoluit, quod eſt ex Adam. Sed illi quidem generationi ſufficit ad condemnationem vnius delicti connexio: quicquid enim poſteà homines ex malis ſuis operibus addūt, non pertinet ad illam generationem, ſed ad humanam conuerſationem: huic autem regenerationi non ſufficit illud delictum tantummodo ſoluere, quod ex Adam trahitur, ſed quicquid etiam poſteà ex iniquis operibus humanæ conuerſationis accedit. Ideò iudicium * ex vno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. *Tom. 2. Epiſt. 89. ad Hilarium, quæſt. 3.*

** Rom. 5.*

Peccatum ergo protoplaſti omnes trahimus, nō morum imitatione, ſed ſeminis conceptione, ſicut ſcriptum eſt: * Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Conſtant etiam & imitatione morum peccata, imitando ſcilicet malos. Sed vt quis imitetur malos, naturæ eſt initium deprauatæ, qua factus eſt malus, & malitioſus, non natura à Deo conditus malus. Ob hoc enim & natura filij iræ, ab Apoſtolo iam baptizati * fuiſſe dicimur. Omnis enim carnaliter naſcens, natura filius iræ rectè dicitur, quia natura eſt protoplaſti, quæ prior in illo, propter delictum iram iudicis Dei iuſtè ſuſcepit. *Tom. 7. hypog. lib. 2. Vide & de verbis Apoſt. ſerm. 14.*

*Peccatū protoplaſti omnes trahimus non morum imitatione, ſed ſeminis cōceptione.*

** Pſal. 50.*

** Epheſ. 2.*

### *X. Propagatos ex ſemine Adam, iniuſtitiam quæ ineſt vnicuique propria, ea propagatione contrahere.*

Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali naſci, impietati ſubditum, mortíque ſubiectū, & ob hoc natura iræ filiū naſci. De qua Apoſtolus dicit: * Eramus enim & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. *Tom. 3. de fide ad Petrum, cap. 26.*

*De conſecr. di. 4. cap. firmiſſimè.*

** Epheſ. 2.*

Quod dicis alienis peccatis alterum obnoxium non teneri, intereſt quatenus rectè poſſit intelligi. Neque

*2.Reg.24. nunc ago, quod peccauit Dauid, & * pro peccato eius tot hominum millia ceciderunt: & quod de anathemate contra interdictum,* quia vſurpauit vnus, in eos qui hoc non fecerant, nec factum fuiſſe nouerant, vindicta proceſſit. Alia diſputatio eſt, neque nunc terrere nos debet, de hoc genere peccatorum ſiue pœnarũ. Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena, & rurſus modo quodam reperiuntur & noſtra. Aliena quippe proprietate ſunt actionis, noſtra ſunt contagione propaginis. Quod ſi falſum eſſet, profectò graue iugum * ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, nullo modo iuſtum eſſet. *Et paulò pòſt.* Iubes vt aſſeram, quemadmodum in Chriſto, id eſt, in virtute eius, creatos paruulos ſibi audeat diabolus vendicare. Tu aſſere, ſi potes, quomodo ſibi non obſcurè, ſed apertè vendicet paruulos, quos immundi ſpiritus vexant. Si ei traditos dicis, videmus ambo ſupplicium, tu dic meritum. Ambo cernimus pœnam, tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi, cùm Deum iuſtum ambo fateamur, demonſtra iſta pœna dignam, ſi potes, in infantibus culpam. *Tom.7. lib.6. contra Iulianum Pelag. cap.4.*

*Ioſue.7.*

*Primorũ parentũ peccata, aliena ſũt proprietate actionis, noſtra verò contagione propaginis.*

*Eccl.40.*

Quod autem dixi, Nulli naturæ nocere peccata, niſi ſua: ideò dixi, quoniam iuſto qui nocet, non ei verè nocet, quandoquidem etiam mercedem eius auget in cœlis: ſibi autem peccando verè nocet, quia propter ipſam voluntatem nocendi, recipiet id quod nocuit. Poſſunt ſanè Pelagiani ad ſuum dogma trahere iſtam ſententiam, & ideò dicere, paruulis aliena non nocuiſſe peccata, quia dixi, nulli naturæ nocere peccata, niſi ſua, non intuentes ideò paruulos, qui vtique pertinent ad humanam naturã trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccauit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata, niſi ſua. *Tom.1. retract. lib.1. cap.10.*

An verò ideò prauitas iſta (*peccatum originale*) corripienda non eſt in homine, quia non eius propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? Imò verò corripiatur, & in ſingulis, quod eſt omnium. Non enim propterea cuiuſquam nõ eſt, quòd ab ea nullus immunis eſt. Peccata quidem iſta originalia ideò dicuntur aliena, quòd ea ſinguli de parentibus trahunt, ſed non ſine cauſa dicuntur & noſtra, quia in illo vno omnes, ſicut dicit Apoſtolus,* peccauerunt. *Tom.7. lib. de corrept. & gratia, cap.6.*

*Peccatũ originale ſinguli de parẽtibus trahunt.*



*Rom.5.*

Nulla, inquiunt, ratione conceditur, vt Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena. Remittit, ſed ſpiritu regeneratis, non carne generatis. Imputat verò nõ iam aliena, ſed propria: Aliena quippe erant, quãdo hi qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione iam eorum ſunt, quibus nondum ſpiritali regeneratione dimiſſa ſunt. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.3. cap.8.*

## XI. *Quomodo intelligendum ſit illud Apoſtoli ad Rom.5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.*

VOlunt ex verbis Apoſtoli in ſuum ſenſum homines detorquere: Vbi enim ait Apoſtolus: * *Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & propter peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit:* ibi volunt intelligi non peccatum pertranſiſſe, ſed mortem. Quid eſt ergo quòd ſequitur: In quo omnes peccauerunt? Aut enim in illo vno homine peccaſſe dicit omnes Apoſtolus, de quo dixerat, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: aut in illo peccato, aut certè in morte. Non enim mouere debet, quia non dixit, in qua, ſed in quo omnes peccauerunt. Mors quippe in Græca lingua generis maſculini eſt. Quodlibet ergo eligant, aut enim in illo homine peccauerunt omnes, & ideo dictum eſt, quoniam quando ille peccauit, in illo erant omnes: aut in illo peccato peccauerunt omnes, quia generaliter omnium factum eſt, quod naſcentes tracturi erant omnes, aut reſtat vt dicant, quòd in illa morte peccauerint omnes. Sed hoc quemadmodum poſſit intelligi non planè video. In peccato enim,* moriuntur omnes, non in morte peccant. Nam peccato præcedente, mors ſequitur, non morte præce-

*Rom.5.*

*θάνατος.*

*1.Cor.15.*

dente, peccatum. Aculeus quippe mortis eſt peccatum, id eſt, aculeus cuius punctione fit mors, non aculeus quo pungit mors. Sicut venenum ſi bibitur, appellatur poculum mortis, quòd eo poculo facta ſit mors, non quòd morte ſit poculum factum, aut à morte ſit datum. Quòd ſi propterea non poteſt illis verbis Apoſtoli peccatum intelligi, in quo omnes peccauerunt, quia in Græco vnde tranſlata eſt Epiſtola, peccatum fœminino genere poſitum eſt, reſtat vt in illo primo homine peccaſſe omnes intelligantur: quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit, vnde peccatum naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſoluitur. Nam & ſic ſanctus Hilarius intellexit quod ſcriptum eſt, In quo omnes peccauerunt: ait enim, in quo, id eſt, in Adam, omnes peccauerunt. Deinde addidit: Manifeſtum in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati ſunt ſub peccato. *Tom. 7. contra duas Epiſtol. Pelag. lib. 4. cap. 4.*

*ἁμαρτία.*

*In primo homine, peccaſſe oẽs intelliguntur, quia in illo, quaſi in maſſa, fuerunt oẽs, quã do ille peccauit.*

*Hilarius.*

*Ambroſius ſuper Lucã.*

** Rom. 5.*

*Culpa Adæ mors omniũ eſt.*

Omnes, inquit (*beatus Ambroſius*) in Adam morimur: quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum * & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Illius igitur culpa mors omnium eſt. Item loco alio in eodem Euãgelio. Caue ergo, inquit, ne ante nuderis, ſicut Adam nudatus eſt, mandati cæleſtis cuſtodia deſtitutus, & exutus fidei veſtimento, & ſic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidiſſet humanum, niſi Samaritanus ille deſcendens vulnera eius acerba curaſſet. Rurſus in opere ipſo, alio loco: Fuit, inquit, Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt &c. *Tom. 7. cont. Iulianum Pelag. lib. 1. cap. 2.*

*Periјt Adã & in illo omnes periẽrũt.*

** Rom. 5.*

De illis quoque Apoſtolicis verbis, in quibus impudentia mirabili, imò dementia, reſiſtis fundatiſſimæ fidei, vbi ait: * Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: fruſtra alium ſenſum nouum atque diſtortum, & à vero abhorrentem moliris exſculpere, affirmans ea loquutione dictum eſſe, *in quo omnes peccauerunt*: ac ſi diceretur,



propter quod omnes peccauerunt: ſicut dictum eſt: * In quo corrigit iunior viam ſuam: vt ſcilicet non in vno homine omnes homines peccaſſe intelligantur originaliter, & tanquam in maſſæ vnione communiter, ſed propterea quia primus hominum ille peccauit, id eſt, cùm imitantur illum, non cùm generantur ex illo. Non ergo huic ſenſui conuenit illa loquutio, ita dictum eſſe, in quo, velut dictũ eſſet, propter quod. Nam propter hoc quiſque peccat, quod ſibi proponit vt peccet, vel quoquo modo quod illi eſt cauſa peccãdi. Quis verò ab omni humano ſenſu tam ſit abſurdus, vt dicat, propter hoc fecit homo iſte homicidium, quia in paradiſo Adam de ligno prohibito cibũ ſumpſit: cùm iſte latrocinando occiderit hominem, nihil de Adam cogitans, ſed propter hoc vt aurum quod ferebat, auferret? *Et paulò pòſt.* Sed, inquis, ſi de peccati traduce loquebatur, nuſquam congruentius diceret, ideo pertranſiit peccatum, quia omnes ſunt de coniugum voluptate generati, & adderet, in eo tranſiit, in quo ex tabida primi hominis carne fluxerant. Nec vides eodem modo tibi dici poſſe: ſi de imitatione peccati Apoſtolus loquebatur, nuſquam congruentius diceret, ideò pertranſiit peccatum, quia primi hominis præceſſit exemplum: & adderet, in eo tranſiit, in quo omnes illius vnius imitatione peccauerunt. Aliquo enim iſtorum duorum modo loqueretur Apoſtolus hoc loco, ſi ad tuum, vel meum loqueretur arbitrium. Quia ergo nec illud dixit quod tu, nec illud quod ego, nunquid vis vt credamus in his eius verbis, nec originale ſecundùm Catholicos, nec imitatorium ſecundùm Pelagianos intelligendum eſſe peccatum? Puto quod nolis. Remoue igitur iſta quæ poſſunt ex vtraque parte momentis æqualibus dici, & ſi tibi placet ſine contentione quid Apoſtolus dixerit intueri, aduerte, vt hoc diceret, quid agebat, & inuenies per vnum hominem reconciliationem Deo, eorum qui ex condemnatione totius generis liberantur gratis. Ille eſt primus * Adam factus ex terra, iſte eſt ſecundus Adam factus ex fœmina. *Ibidem, lib. 6. cap. 12.*

** Pſal. 118.*

*Pelagiana dementia eſt, Apoſtoli verba, à propagatione peccati Adã, ad eius imitationem detorquere.*

** 1. Cor. 15.*

Si Apoſtolus (*loquitur de hoc eodem Pauli loco: Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum &c.*) peccatū illud commemorare voluiſſet, quod in hunc mundum, non propagatione, ſed imitatione intrauerit, eius principē, non Adam, ſed diabolum diceret, de quo ſcriptum eſt: * *Ab initio diabolus peccat*. De quo etiam legitur in libro Sapientiæ: * *Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum*. Nam quoniam iſta mors ſic à diabolo venit in homines, non quòd ab illo fuerint propagati, ſed quòd eum fuerint imitati, continuò ſubiunxit: Imitantur autem eum qui ſunt ex parte eius. Proinde Apoſtolus cùm illud peccatum ac mortem * commemoraret, quæ ab vno in omnes propagatione tranſiſſet, eum principem poſuit, à quo propagatio generis humani ſumpſit exordium. Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam tranſgrediuntur mandatum Dei: ſed aliud eſt quòd exemplum eſt voluntate peccantibus, aliud quòd origo eſt cum peccato naſcentibus. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.1. cap.9. Vide & Serm. 14. de verbis Apoſtoli.*

** 1.Ioan.3.*

** Sap.2.*

** Rom.5.*

*Adam & exēplum eſt volūtate peccātibus, & origo cū peccato naſcentibus.*

## *XII. Peccatum originis ex voluntario actu Adæ cōſequutum, iuſtè filiis eius imputari.*

Hic occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim, ſi Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus, neſcientes quid nobis eſſet faciendum: deinde vbi nobis inciperent aperiri præcepta iuſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ, neſcio qua neceſſitate, non valeremus? Quibus breuiter reſpondetur vt quieſcant, & aduerſus Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam, ſibi Domino ſeruientem, auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras: neq; illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. *Et paulò poſt.* Vt autem de illo primo coniugio, & cum ignorantia, & cum difficultate, & cum mortalitate naſcamur, quoniam illi cùm peccauiſſent, & in errorem & in ærumnam & in mortem præcipitati ſunt, rerum moderatori ſummo Deo iuſtiſsimè placuit, vt & in ortu hominis originaliter appareret iuſtitia punientis, & in prouectu miſericordia liberantis. Non enim damnato primo homini ſic adempta eſt beatitudo, vt etiam fœcunditas adimeretur. Poterat enim & de prole eius quanuis carnali & mortali, aliquod in ſuo genere fieri decus ornamentúmque terrarū. Iam verò vt meliores gigneret quàm ipſe eſſet, non erat æquitatis: ſed ex conuerſione ad Deum vt vinceret quiſque ſupplicium, quod origo eius ex auerſione meruerat, non ſolum volentem non prohiberi, ſed etiam adiuuari oportebat: Sic enim rerum creator oſtendit, quāta facilitate potuiſſet homo, ſi voluiſſet, retinere, quod factus eſt, cùm proles eius potuit etiam ſuperare quod nata eſt. *Tom.1. de libero arbit. lib.3. cap.19. & 20.*



*Summo Deo iuſtiſsimè placuit, vt in ortu hominis originaliter appareret iuſtitia punientis.*

Deus hominem voluntate peccantem, iuſto iudicio cum ſtirpe damnauit: & ideo ibi quicquid etiam nondum erat natum, meritò eſt in præuaricatrice radice damnatum, in qua ſtirpe damnata tenet hominem generatio carnalis, vnde ſola liberat regeneratio ſpiritalis. *Tom.7. de peccat. orig. cont. Pelag. & Celeſt. cap.38.*

*Deus hominē voluntate peccantē iuſto iudicio cū ſtirpe dānauit.*

Quod dixi, nuſquā ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum, poſſunt Pelagiani pro ſe dictum putare, propter paruulos, quos ideò negant habere peccatum, quòd eis in baptiſmate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis vtuntur. Quaſi verò peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id eſt, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, vſquā eſſe potuerit niſi in voluntate, qua voluntate commiſſum eſt, quando diuini præcepti eſt facta tranſgreſſio. *Tom.1. lib.1. retract. cap.15.*

*Peccatū originis quo ſenſu dici poſsit voluntariū.*

Explica, inquis, quomodo peccatum perſonæ illi iuſtè

poſsit aſcribi, quæ nec voluit peccare nec potuit. Aliud eſt perpetratio propriorum, aliud alienorum contagio peccatorum, quantum quidem ad ſuæ cuiuſque vitæ pertinet actionem. Nam ſi vos ſententiam rectam, in veſtrum tortum ſenſum torquere nolletis, audiretis Apoſtolum hoc breuiter explicantem*, qui vnum dixit fuiſſe in quo omnes peccauerunt. In illo vno mortui ſunt omnes, vt moreretur vnus pro omnibus.* *Vnus enim pro omnibus mortuus eſt.* Ergo omnes mortui ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Nega igitur Chriſtum etiam pro paruulis mortuum, vt eximas eos de numero mortuorum, hoc eſt, de contagio peccatorum. Quî fieri poteſt, inquis, vt res arbitrij, conditioni ſeminum miſceatur? Si fieri non poſſet, non eſſet vnde paruulos nondum de corpore egreſſos mortuos decerneremus. Quia ſi Chriſtus & pro ipſis mortuus eſt, ergo & ipſi mortui ſunt. Quomodo? ſi vnus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui ſunt. Audíſne Iuliane? Hæc Apoſtoli verba non mea ſunt. Quid à me quæris, quo ſit factum modo, cùm videas factum eſſe quocunque modo, ſi Apoſtolo credis aliquo modo, qui de Chriſto & de his, pro quibus mortuus eſt, mentiri potuit nullo modo. *Tom.7.cont.Iulianum Pelag.lib.6.cap.4.*

** Rom. 5.*

** 2. Cor. 5.*

*Pro paruulis Chriſtus mortuus nõ eſſet, ſi peccatum originale paruuli non haberent.*

Et ſiquidem in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet, ſicut impiorum nulla eſt Angelorum, nónne meritò fieret, vt natura, quæ Deum deſeruit, quæ præceptum ſui creatoris, quod cuſtodire facillimè poſſet, ſua malè vtens poteſtate, calcauit atque tranſgreſſa eſt, quæ ſui in ſe creatoris imaginem, ab eius lumine contumaciter auerſa, violauit, quæ ſalubrem ſeruitutem ab eius legibus malè libero abrupit arbitrio, vniuerſa in æternum deſereretur ab eo, & pro ſuo merito pœnam penderet ſempiternam? Planè ita faceret, ſi tantùm iuſtus, non etiam miſericors eſſet, ſuámque indebitam miſericordiam multò euidentius in indignorum potius liberatione monſtraret. *Tom. III. in Enchirid. ad Laurent. cap. XXVII. Plura de Ciuitate Dei, lib. XXI. cap. XII. Et de libero arbit. lib. III. cap. XIX. & XX.*

*Meritò natura humana, ſua malè vtẽs poteſtate, & à creatoris ſui lumine cõtumaciter auerſa, in æternũ vniuerſa deſereretur ſi iuſtus tantùm, & non etiã miſericors eſſet Deus.*



## XIII. *Adæ peccatũ per humanæ naturæ vires vel remedium aliud, tolli non poſſe, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Certus ſum, animam nulla Dei culpa, nulla Dei neceſſitate vel ſua, ſed propria voluntate in peccatum eſſe collapſam: nec liberari poſſe de corpore mortis huius vel ſuæ voluntatis virtute, tanquam ſibi ad hoc ſufficiente, vel ipſius corporis morte, ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum: nec omnino vllam eſſe animam in genere humano, cui non ſit neceſſarius ad liberationem * mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Quæcunque autem ſine gratia mediatoris & ſacramẽto eius in qualibet corporis ætate de corpore exierit, & in pœna futuram, & in vltimo iudicio recepturam corpus ad pœnam. Si autem poſt generationem humanam, quæ facta eſt ex Adam, regeneratur in Chriſto, ad eius pertinens ſocietatem, & requiem poſt mortem corporis habituram, & corpus ad gloriam recepturam. Hæc ſunt quæ de anima firmiſſimè teneo. *Tom. 2. Epiſt. 28. ad Hieronymum.*

*Anima in peccatũ propria voluntate lapſa.*

*Cuius animæ neceſſarius mediator Chriſt⁹.*

** 1. Tim. 2.*

Certi ſumus omni animæ, etiam paruuli infantis, neceſſariam eſſe liberationem ex obligatione peccati, eámque nullam eſſe, niſi per Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum. *Ibidem.*

*Liberationẽ à peccato etiam paruulo, per Chriſtum neceſſariam.*

Illud enim vnum peccatum, quod tam magnum in loco & habitu tantæ fœlicitatis admiſſum eſt, vt in vno homine originaliter, atque (vt ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur, non ſoluitur ac diluitur, niſi per vnum * mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, qui ſolus potuit ita naſci, vt ei non opus eſſet renaſci. *Tom.3. in Enchirid. cap.48.*

** 1. Tim. 2.*

Cùm factus eſt Adam, homo ſcilicet rectus, mediatore opus non erat: cùm verò genus humanum peccata longè ſeparauerunt à Deo, per mediatorem, qui ſolus ſine peccato natus eſt, vixit & occiſus eſt, reconciliari nos oportebat Deo, vſque ad carnis reſurrectionem in vitam æternam: vt & humana ſuperbia per humilitatem Dei argueretur ac ſanaretur, & demonſtraretur homini, quàm longè à Deo receſſerat, cùm per

*Poſt peccatũ opus fuit mediatore, non in ſtatu innocentiæ.*

*Ex mediatore qui eſſet*

*Deus & homo, quàm multa cõmoda ſint conſequuta.*

incarnatum Deum reuocaretur, & per hominẽ Deum exemplum obedientiæ contumaci homini præberetur, & vnigenito ſuſcipiente formam ſerui, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panderetur & carnis etiam reſurrectio redemptis promiſſa in ipſo redemptore præmonſtraretur, & per eãdem naturam, quam ſe decepiſſe lętabatur, Diabolus vinceretur: nec tamen homo gloriaretur, ne iterum ſuperbia naſceretur. *Ibidem, cap.* 108.

*Chriſtus mediator ſanguine ſuo ſoluens peccata & reconciliãs nos Deo.*
* *Ioan.* 1.

Receſſeramus à maieſtate Dei, & peccato noſtro offenderamus eum, miſſus eſt filius mediator, qui ſanguine ſuo ſolueret peccata noſtra, quibus ſeparabamur à Deo, & interpoſitus redderet nos ei & reconciliaret, à quo auerſi in peccatis noſtris & delictis tenebamur. Ipſe eſt caput noſtrum, ipſe eſt Deus æqualis Patri, verbum Dei, per quod* facta ſunt omnia: Sed Deus vt crearet, homo vt recrearet: Deus vt faceret, homo vt reficeret. *Tom.8. concione ſecunda, in Pſal.* 90.

*Chriſtus medius arbiter inter nos & Deum.*
* 1. *Tim.* 2.
* *Gal.* 3.

Nonne inimici Dei eramus, & malam cauſam habebamus aduerſus Deum? Quis finiret cauſam iſtam malã, niſi ille medius arbiter? Qui niſi venerat, miſericordiæ perierat iter: de quo Apoſtolꝰ dicit: *Vnus enim Deus,* * *vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Si non homo, non mediator, quia æqualis patri Deus: dicit in alio loco: * Mediator autem vnius non eſt, Deus autem vnus eſt inter duos mediator. Ergo Chriſtus mediator inter hominem & Deum, non quia Deus, ſed quia homo: non quia Deus æqualis Patri, ſed ſi æqualis Patri, non mediator. Vt autem ſit mediator, deſcendat à ſuperiore ad inferiorem, ab æqualitate Patris: faciat quod ait Apoſtolus: * *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Fundat ſanguinem ſuum, deleat chirographũ noſtrum, componat pacem inter nos & Deum, noſtram voluntatem corrigens ad iuſtitiam illius, ſententiam flectens ad miſericordiam. *Ibi. concione quarta in Pſal.* 104.

* *Philip.* 2.
*Chriſti mediatoris officium.*
* 1. *Cor.* 13.

*Sicut in Adam * omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificabuntur.* Per hanc enim Apoſtolicam, diuinam, clarámque ſententiam, ſatis euidenter elucet, neminem ire in mortem, niſi per Adam, neminem ire in vitam æternam, niſi per Chriſtũ. Hoc eſt quippe omnes, & om-



*Spiritali regeneratione opus habent quicũque ad Chriſtũ peruenire volũt.*

nes, quia ſicut omnes homines per primam, hoc eſt, per carnalem generationem pertinent ad Adam: ſic omnes homines ad ſecundam, id eſt, ſpiritalem regeneratiõe veniunt, quicunque ad Chriſtum perueniunt. Ideò ergo dictum eſt, & hîc omnes, & ibi omnes: quia ſicut omnes qui moriuntur, non niſi in Adam moriuntur: ita omnes qui viuificabuntur, non niſi in Chriſto viuificabuntur. Ac per hoc quiſquis nobis dixerit, quenquam in reſurrectione mortuorum viuificari poſſe niſi in Chriſto, tanquam peſtis communis fidei deteſtandus eſt. *Tom.* 2. *Epiſt.* 28. *ad Hieronymum. In eandem ſententiam multa leguntur Epiſt.* 55. *ad Dardanum, reſp.* 2.

Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis, quiſquis carnaliter generatur, regenerari ſpiritaliter opus habet, vt non ſolùm ad regnum Dei perducatur, verùm etiam à peccati damnatione liberetur: Simul itaque peccato & morti primi hominis obnoxij naſcuntur in carne, & ſimul iuſtitiæ vitæque æternæ ſecundi hominis ſociati, renaſcuntur in Baptiſmo. *To.* 7. *de peccat. mer. & remiſſ. lib.* 1. *ca.* 26. *Lege & contra duas Epiſt. Pelag. lib.* 4. *cap.* 4

### XIIII. *Concupiſcentiam pœnam eſſe & effectum peccati originalis.*

*Inobedientia reciproca inobedientia pœna.*
*Anima Dominũ ſuo arbitrio deſerens, famulũ ad ſuũ arbitriũ nõ tenet.*
* *Gal.* 5.

SEnſerunt (*primi parentes*) nouum motum inobedientis carnis ſuæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ. Iam quippe anima, libertate in peruerſum propria delectata, & Deo dedignata ſeruire, priſtino corporis ſeruitio deſtituebatur. Et quia ſuperiorem Dominum ſuo arbitrio deſeruerat, inferiorem famulum ad ſuum arbitrium nõ tenebat: nec omnino habebat ſubditam carnem, ſicut ſemper habere potuiſſet, ſi Deo ſubdita ipſa mãſiſſet. Et tũc ergo caro cœpit concupiſcere aduerſus ſpiritũ, * & ſpiritus aduerſus carnem: cum qua controuerſia nati ſumus, trahentes originem mortis in membris noſtris: vitiatáque natura, contentionem eius ſine victoria de prima præuaricatione geſtantes. *Toni.* 5. *de ciuit. Dei, lib.* 13. *cap.* 13.

In illius peccati originalis pœna, quid inobedientiæ, niſi inobedientia retributa eſt? nam quæ hominis eſt

*Quia noluit*

*homo quod potuit, vult iam quod nō poteſt.*

alia miſeria, niſi aduerſus eum ipſum inobedientia eius ipſius, vt quoniam, quod potuit noluit, quod non poteſt velit? *Ibidem, lib. 14. cap. 15.*

*Motus impudens corporis reciproca eſt inobedientiæ pœna.*

** Gen. 3.*

Gratia remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde eſſet indecens nuditas: & fecit attentos, reddiditque confuſos. Hinc eſt, quod poſteaquàm mandatum Dei aperta tranſgreſſione violarunt, ſcriptum eſt de illis: *Et aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt quia nudi erant, & conſuerunt folia fici, & fecerunt ſibi campeſtria. Aperti ſunt, inquit, oculi amborum, non ad videndum: nam & anteà videbant: ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, in quod ceciderant. *Ibidem, cap. 17.*

*Primis parētibus quomodo oculi aperti.*

Proinde confuſi inobedientia carnis ſuæ, tanquam teſte pœna inobedientiæ ſuæ conſuerunt folia fici, & fecerunt ſibi campeſtria, id eſt, ſuccinctoria genitalium. *Ibidem, paulò infrà.*

*Nuptiæ in paradiſo fuiſſent abſque voluntatis et libidinis rixa.*

Hunc reniſum, hanc repugnantiam, hanc voluntatis & libidinis rixam, vel certè ad voluntatis ſufficientiam, libidinis indulgentiam, proculdubiò niſi culpabilis inobedientia pœnali inobedientia plecteretur, in paradiſo nuptiæ non haberent, ſed voluntati membra illa vt cætera cuncta ſeruirent. *Ibidem, cap. 23.*

*Prima hominis natura in paradiſo non habuit, propter quod aduerſus ſe ipſa pugnaret.*

Procreandi cauſa cōmixtio corporum aliter, quàm nunc eſt, fuiſſet, ſi nemo peccaſſet. Abſit enim, vt honeſtiſſima illa fœlicitas in paradiſo commotæ libidini ſemper obtemperaret: abſit vt illa pax animi & corporis haberet aliquid, propter quod aduerſus ſeipſam prima hominis natura pugnaret. Si ergo ibi nec ſeruiendum libidini, nec aduerſus eam bellandum fuit, aut non ibi fuit, aut non talis, qualis nunc eſt, fuit. Nunc enim libidini neceſſe, vt repugnet, qui ſeruire noluerit: neceſſe eſt vt ſeruiat, qui pugnare neglexerit, Quorum duorum vnum eſt moleſtum, etſi laudabile: alterum turpe & miſerabile. Itaque in hoc ſeculo vnum horum caſtis eſt neceſſarium, in paradiſo autē vtrumque à beatis fuerat alienum. *Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 5. cap. 10.*

*Languorem cōcupiſcētiæ culpa meruit, natura non habuit.*

Languorem iſtum culpa meruit, natura non habuit: quam ſanè culpam per lauacrum regenerationis Dei



gratia fidelibus iam remiſit, ſed ſub eiuſdem medici manibus adhuc natura cum ſuo languore confligit. *Tom. 3. de continentia, cap. 7.*

Languor eſt quippe iſte, id eſt, illa inobedientia, de qua in libro decimo quarto diſſeruimus, primæ inobedientiæ ſupplicium. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 15. cap. 6. Vide ibidem lib. 13. cap. 23 & 24. Item Tom. 7 de nupt. & concupiſ. lib. 1. cap. 1. 6. 18. & ſeq. Item contra duas epiſt.* Pelag. *lib. 1. cap. 16. & lib. 2. cap. 14.*

# CAPVT SECVNDVM, DE CONCVPISCENTIA IN Renatis.

## I. *In renatis manere concupiſcentiam, quam peccati fomitem Theologi appellant.*

*Euacuatur per Baptiſmum concupiſcētia, non vt non ſit, ſed ne obſit.*

IN paruulis certè gratia Dei per Baptiſmum eius, qui venit in ſimilitudine carnis peccati, id agitur, vt euacuetur caro peccati. Euacuatur autem non vt in ipſa viuente carne concupiſcentia coſperſa & innata, repentè abſumatur, & nō ſit, ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato. Nā ſi poſt Baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti peruenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eámque adiuuante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam eius ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit. Nam nec grandibus hoc præſtatur in Baptiſmo, niſi fortè miraculo ineffabili omnipotentiſſimi creatoris, vt lex peccati, quæ ineſt in membris * repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non ſit, ſed vt quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum eſt, cùm eidem concupiſcentiæ ſubiecta mente ſeruiret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur. Ipſa verò ſoluto reatus vinculo, quo illam diabolus animam retinebat, & interclusione deſtructa, quæ hominem à ſuo creatore ſeparabat, maneat in certamine, quo corpus noſtrum* caſtigamus, & ſeruituti ſubiicimus, vel ad vſus licitos & neceſſarios relaxanda, vel continentia cohibenda. *Tom. 7. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 1. cap. 39.*

*Cōcupiſcentia in renatis, niſi fortè miraculo ineffabili non penitus extinguitur.*

** Rom 7.*

*Concupiſcentia ſoluto reatus vinculo ad certamen manet.*

** 1. Cor. 9.*

Si autem quæritur, quomodo iſta cõcupiſcentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuerſorũ facta eſt remiſſio peccatorum, quandoquidem per ipſam ſeminatur, & cum ipſa carnalis gignitur proles parentis etiã baptizati: aut certè ſi in parẽte baptizato poteſt & eſſe, & peccatum non eſſe, cur eadem ipſa in prole peccatũ ſit? Ad hæc reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo: non vt non ſit, ſed vt in peccatũ non imputetur. Quanuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra, proficiente renouatione * interioris hominis de die in diẽ, cùm exterior induerit incorruptionem: non enim ſubſtantialiter manet, ſicut aliquod corpus aut ſpiritus, ſed affectio eſt quædam malæ qualitatis, ſicut lãguor. Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur, cùm ſit, ſicut ſcriptum eſt: * *Propitius Deus omnibus iniquitatibus noſtris*, ſed donec fiat & quod ſequitur: *Qui ſanat omnes languores tuos, qui redimet de interitu vitam tuam:* manet in corpore mortis huius carnalis concupiſcentia. Cuius vitioſis deſideriis, ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, *ne regnet * peccatum in noſtro mortali corpore*, quæ tamen concupiſcentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus. *Tom. 7. de nuptiis & concupiſ. lib. 1. cap. 25.*

*Dimittitur concupiſcẽtia in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatũ non imputetur.*

* 2. *Cor.* 4.

*In baptizato nihil remanet, quod nõ remittatur.*

* *Pſal.* 102.

* *Rom.* 6.

*Concupiſcẽtia quotidiè minuitur in proficientibus & continentibus.*

Percipitur in Baptiſmate Chriſtiano perfecta nouitas, & perfecta ſanitas ab eis malis noſtris, quibus eramus rei, non ab eis, cum quibus adhuc confligendum eſt, ne ſimus rei, cùm & ipſa in nobis ſint, nec aliena ſed noſtra ſint. Nam & vinolentiæ, cõſuetudini vtique malæ, quam ſibi homines fecerunt, non naſcendo traxerunt, reſiſtunt poſt Baptiſmum, ne eos ad mala ſolita pertrahat: & tamen malo reſiſtitur, dum concupiſcentiæ per continentiam denegatur, quod per cõſuetudinem concupiſcitur. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 6. cap. 7.*

*In Baptiſmate perfecta ſanitas & nouitas ab eis malis quibus eramus rei, non ab eis, cum quibus confligendũ eſt.*

Iámne diſcernis, iámne perſpicis, iámne reſpicis, & in Baptiſmate fieri omnium remiſſionem peccatorũ, & cum baptizatis quaſi ciuile bellum interiorũ remanere vitiorũ? Non enim talia ſunt vitia, quæ iam peccata dicenda ſint, ſi ad illicita opera ſpiritum concu-



piſcentia non trahat, & concipiat, pariátque peccatum. Nec tamen extra nos ſunt, quibus vincendis, cùm in hoc certamine proficienter laboramus, inſtandum eſt: noſtra ſunt, paſſiones ſunt, vitia ſunt, frænanda, cohibẽda, ſananda ſunt, ſed dũ curãtur, infeſta ſunt. Etſi nobis ad meliora proficientibus magis magiſque minuũtur, tamen dum hîc viuitur, eſſe non deſinunt. Diſcedente hinc anima pia, peribunt, in ſurgente corpore non redibunt. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 2. prope initiũ.*

*Concupiſcẽtia ſi nõ cõcipiat, pariátque peccatũ, peccatũ ipſa dicẽda non eſt.*

Quicquid illa concupiſcentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, ſiue in factis, ſiue in dictis, ſiue in cogitationibus, totum deletum eſt ſacro Baptiſmate, omnia debita deleuit vna indulgentia. Reſtat ergo cum carne conflictus, quia deleta eſt iniquitas, ſed manet infirmitas, ineſt, titillat delectatio illicitæ concupiſcentiæ: pugna, reſiſte, noli conſentire, & impletur hîc: Poſt * concupiſcentias tuas non eas. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, Serm. 6. Plura ibidem, ſerm. 5. & 12.*

*Quicquid eſt peccatorũ, ſacro Baptiſmate deletur.*

* *Eccl.* 18.

### *II. Concupiſcentiam in Renatis, malum quidem, non tamen verè & propriè peccatum eſſe.*

*Cõcupiſcentia in regeneratis non eſt peccatũ, quando illi ad illicita opera nõ conſentitur.*

Concupiſcentia iam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque vt ea perpetrent, à regina mente membra nõ dantur, vt ſi non fit quod ſcriptum eſt, * Non concupiſces: fiat ſaltem, quod alibi legitur, * Poſt concupiſcentias tuas non eas. *Tom. 7. libro primo de nuptijs & concupiſcentia, cap. 23.*

* *Exod.* 20.

* *Eccl.* 18.

Tu autem (*alloquitur Iulianum*) qui putas, quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorũ caret, non omnibus malis. Nunquid caret corruptione corporis? An non eſt malum, quod aggrauat animam, & errauit qui dixit: * Corpus enim corruptibile aggrauat animam? Nunquid caret ignorãtiæ malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala? An paruum malum eſt, per quod homo non percipit ea, quæ Dei ſunt? *Et paulò pòſt.* Horum itaque

*Quid adhæc qui cõcupiſcẽtiã in baptiZatis relictã, verũ eſſe peccatũ, quaſi ex Auguſtini ſentẽtia docent?*

* *Sap.* 9.

malorum præteritus omnis reatus ſacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renaſcentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur, veritate magis magiſque lucente: concupiſcentia minuitur, charitate magis magiſque feruente. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 6. cap. 5. prope finem.*

* Rom. 6.

*Diluitur obiectio eorũ, qui Concupiſcentiam poſt Baptiſmum peccatum eſſe dicunt.*

* 1. Ioan. 3.

*In baptiſmo plena & perfecta remiſſio peccatorum.*

* Rom. 8.

Lex peccati (*loquitur de concupiſcentia*) quòd etiã peccatũ appellat Apoſtolus, cũ dicit: * *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs eius*: non ſic manet in membris eorum, qui ex aqua, * & ſpiritu renati ſunt, tanquam non ſit eius facta remiſſio, vbi omnino plena & perfecta fit remiſſio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus ſeparabamur à Deo, ſed manet in vetuſtate carnis tanquam ſuperatum & peremptum, ſi non illicitis conſenſionibus quodammodo reuiuiſcat, & in regnum proprium dominationémque reuocetur. Ab hac autem vetuſtate carnis, in qua eſt lex iſta peccati, vel peccatum iam remiſſum, vſque adeò Spiritus vita diſcernitur, in cuius nouitate baptizati per Dei gratiam renaſcuntur, vt parum fuerit Apoſtolo dicere, tales non eſſe in peccato, niſi etiã diceret, in ipſa illos carne non eſſe, antequam ex hac mortali vita migrarent. *Qui enim in carne, inquit, * ſunt, Deo placere non poſſunt: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Tomo 7. lib. 2. de pecc. meritis & remiſſ. contra Pelag. cap. 28.*

*Baptiſma dat omnium peccatorum indulgentiã & aufert crimina nõ radit.*

Dicimus enim Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Ibidem, *lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 13.*

Sed tu (*alloquitur Iulianum*) tanquam in cœlo iam inter angelos immortaliter habitãs, verba infirmitatis & mortalitatis irrides, & ea exponens non ſecundùm meũ ſenſum, ſed ſecundùm dolum tuum, dixiſſe me affirmas, quòd gratia non perfectè hominem nouum faciat. Nõ hoc dico. Attende quod dico: Gratia perfectè hominem nouum facit, quandoquidẽ ad corporis



immortalitatem plenamque fœlicitatem ipſa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantùm attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantùm ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus * aggrauat animam. *Tom. 7. lib. 6. contra Iulianum Pelag. cap. 5.*

*Gratia perfectè innouat hominẽ ab omnibus omnino peccatis.*

* Sap. 9.

### III. *Concupiſcentiam in Renatis ab Apoſtolo peccatum Rom. 7. appellari, quoniam ex peccato facta ſit, & ad peccatum inclinet.*

NObis pudendum eſt, quòd imperio noſtro caro non ſeruit: quia hoc fit per infirmitatem, quã peccando meruimus, vocaturque * peccatum habitans in membris noſtris. Sic eſt autem hoc peccatũ, vt ſit pœna peccati. *Tom. 7. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 22.*

* Rom. 7.

*Cõcupiſcentia in renatis non eſt peccatum, quando illi ad illicita opera non conſentitur.*

* Exod. 20.

* Eccle. 18.

*Sicut locutio dicitur lingua, & Scriptura manus, ſic cõcupiſcẽtia nominatur peccatum: quia peccato facta eſt.*

Nam ipſa quidem concupiſcentia iam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque vt ea perpetrent, à regina mente mẽbra non dantur, vt ſi non fit quod ſcriptum eſt * Non concupiſces: fiat ſaltem quod alibi legitur: * Poſt concupiſcentias tuas non eas. Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta eſt, & peccatum ſi vicerit, facit reum, reatus eius valet in regenerato. Quem reatum Chriſti gratia per remiſſionẽ omnium peccatorum in regenerato, ſi ad mala opera ei quodammodo iubenti non obediat, valere non ſinat. Sic autem vocatur peccatum (*loquitur de concupiſcentia*) quia peccato facta eſt, cùm iam in regeneratis non ſit ipſa peccatũ: ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua: & manus vocatur ſcriptura, quã facit manus: Itémque ſic vocatur peccatum, quia peccatum ſi vincit, facit: ſicut vocatur frigus pigrum, nõ quòd à pigris fiat, ſed quod pigros faciat. *Tom. 7. de nuptiis & concupiſcentia, lib. 1. cap. 23.*

* Rom. 7.

*Concupiſcẽtia peccatũ ab Apoſtolo dicitur.*

*Iam non ego * operor illud, ſed id quod in me habitat peccatum.* Iam enim motus deſideriorum malorum nõ ipſe operabatur, quibus non conſentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine, quod in illo habitabat, ipſam nuncupabat concupiſcentiam, quia

*quia peccato facta eſt, & ad peccatū ſibi cōſentientem trahit.*

peccato facta eſt, & ſi conſentientem traxerit atque illexerit,concipit paritque peccatum. *Tom.7.contra Iulianum Pelag.lib.6.cap.11.*

*Cōcupiſcentia peccatū dicitur,quòd ex ea oriantur peccata omnia.*

** Rom.6.*

Peccati nomine appellat,vnde oriuntur cuncta peccata,id eſt,ex carnali concupiſcētia. Quicquid enim eſt peccatorum in dictis,in factis, in cogitationibus, non exoriuntur,niſi ex mala cupiditate,non exoriuntur,niſi ex illicita delectatione. Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtamus,ſi non conſentiamus, ſi membra velut arma non miniſtremus, non regnat* peccatum in noſtro mortali corpore.Peccatum enim in hac vita regnū perdit,in alia perit. *Tom.10.de verbis Apoſtoli,ſerm.6.*

*Concupiſcētia vocatur peccatū,non vtique quia peccatū, ſed quia peccato facta ſit.*

*Peccati deſcriptio.*

*Baptizatorū filij peccatū originis contrahunt.*

Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo vel fallere,cum qua neceſſe eſt,vt etiam baptizatus, & hoc ſi diligentiſſimè proficit,& ſpiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiamſi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum eſt,ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur:ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit.Peccata autem ſunt, quæ ſecundùm carnis concupiſcentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur,cogitantur:quæ tranſacta etiam reos tenent, ſi non remittantur.Et iſta ipſa carnis concupiſcentia in Baptiſmo ſic dimittitur, vt quanquam tracta ſit à naſcentibus,nihil noceat renaſcentibus.Ex quibus tamen ſi filios carnaliter gignunt,rurſus trahitur, rurſúſque & nocitura naſcentibus,niſi eadem forma renaſcentibus remittatur,& inſit nihil obfutura vitæ futuræ, quoniā reatus eius generatione tractus, regeneratione dimiſſus eſt.Et ideo iam non ſit peccatum, ſiue quòd peccato facta ſit,ſiue quòd peccandi delectatione moueatur,etſi ei, vincente delectatione iuſtitiæ,non conſentiatur. *Tom.7. contra duas epiſtolas Pelagianorum, lib.1. cap.13.*

### *IIII. Concupiſcentiam, quæ Paulo dicitur malum inhabitans,Lex membrorum vel carnis,Lex peccati,vel peccatum, regeneratos reos non facere.*

REſtat oſtendere,vtrum ſicut verum eſt, reatu manere peccata,quæ præterierunt actu:ita ſit verum, quòd



** Rom.7.*

*Concupiſcētia manet in homine, quāuis eius reatus regeneratione ſit tranſactus.*

** Pſal.101.*

quòd concupiſcentia maneat actu, & prætereat reatu. Quod tamen fieri non poſſe volens oſtendere, hoc dixiſti, quod ego non dixi. Ego enim de concupiſcentia dixi,quæ eſt in membris,repugnans* legi mentis,quāuis reatus eius in omnium peccatorum remiſſione trāſierit:ſicut è contrario ſacrificium idolis factū, ſi deinceps non fiat,præterit actu,ſed manet reatu,niſi per indulgentiam remittatur.Quiddam enim tale eſt ſacrificare idolis,vt opus ipſum cùm ſit,prætereat, eodémque præterito, reatus eius maneat,venia reſoluendus.Tale eſt carnis concupiſcentia,vt maneat in homine, ſecum per continentiam confligente, quanuis eius reatus,qui fuerat generatione contractus, iam ſit regeneratione tranſactus.Actu enim manet, non quidem abſtrahendo & illiciendo mentem, eiuſque cōſenſu concipiendo & pariendo peccata: ſed mala, quibus mens reſiſtat, deſideria commouendo. Ipſe quidem motus actus eius eſt,quanuis mente non conſentiente non ſit effectus. *Et paulò pòſt.* Hoc vitium non poteſt niſi reatu tenere hominem (*ante Baptiſmum*) quanuis eiuſdem mali bono vſu de caſtis coniugibus procreatum. Qui reatus,quanuis eo manente malo,ſoluitur in remiſſione omnium peccatorum per Dei gratiam, qua liberamur ab omni malo,cùm Dominus non ſolùm propitius ſit * omnibus iniquitatibus noſtris, verùmetiam ſanat omnes languores noſtros. *Tom.7. contra Iulianū Pelag.lib.6.cap.8.*

*Poſt actum peccati remanet culpa, quouſq; remittatur.*

*Vt liberemur à peccato,non ſatis*

In eis ergo,qui regenerātur in Chriſto, cùm remiſſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum,vtique neceſſe eſt,vt reatus etiam huius, licet adhuc manentis concupiſcentiæ,remittatur, vt in peccatum, ſicut dixi, non imputetur.Nam ſicut eorum peccatorū, quæ manere non poſſunt,quoniam cùm fiunt,prætereunt,reatus tamen manet,& niſi remittatur,in æternum manebit,ſic illius concupiſcentiæ quando remittitur, reatus aufertur.Hoc eſt enim,non habere peccatum,reum nō eſſe peccati. Nam ſi quiſquam, verbi gratia, fecerit adulterium,etiamſi nunq̄ deinceps faciat,reus eſt adulterij, donec reatus ipſius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quanuis illud quod admiſit,iam

*eſt à peccato deſiſtere.* non ſit, quia cum tempore, quo factum eſt, præteriit. Nam ſi à peccando deſiſtere, hoc eſſet, nō habere peccatum, ſufficeret vt hoc nos moneret ſcriptura: * Fili peccaſti, non adiicias iterum. Non autem ſufficit, ſed addidit, Et de priſtinis deprecare, vt tibi remittantur. Manent ergo, niſi remittantur. Sed quomodo manent ſi præterita ſunt, niſi quia præterierunt actu, manent reatu. *Tom.7.lib.1.de nuptiis & concupiſcentia, cap.26.*

** Eccl.21.*

*Aduertat hîc prudens Lector, conſtare hinc ex Auguſtini ſententia, primùm, regeneratos in Chriſto remiſsionem accipere omnium peccatorum: deinde reatum concupiſcentiæ auferri, cùm remittitur originis peccatum: tum, non habere peccatū, & reum nō eſſe peccati, vnum & idem eſſe. Ex his quis non videat, quantum hallucinentur illi, qui Auguſtini ſententiam eſſe dicunt: Concupiſcentiam poſt Baptiſmum relictam, verum eſſe peccatum. Nec vnquam dixit Auguſtinus, quod ipſi in Auguſtina Confeſsione fingunt: Peccatum in Baptiſmo remitti, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Sed dixit: Concupiſcentiā carnis remitti in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Vide Lector. Tom.7.de nuptiis & concupiſ.lib.1.cap.25.*

Nec mireris, quod dixi, manente cōcupiſcentiali lege peccati, reatū eius ſolui per gratiam ſacramēti. Sicut enim facta, & dicta, & cogitata iniqua, quantum ad ipſos motus animi & corporis pertinet, iam præterierunt & nō ſunt: eis tamen præteritis, & nō iam exiſtentibus reatus eorū manet, niſi peccatorū remiſſione ſoluatur: ſic cōtra in hac nō iam præterita, ſed adhuc manēte lege concupiſcentiæ, reatus eius ſoluitur, & nō erit, cùm fit in Baptiſmo plena remiſſio peccatorum. Denique ſi cōtinuò cōſequatur ab hac vita migratio, nō erit omnino quod obnoxium hominē teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant. Sicut ergo non eſt mirum, præteritorum dictorum, factorum atque cogitatorum reatum manere ante peccatorum remiſſionē: ſic cōtrà, nō debet eſſe mirū, manētis cōcupiſcētiæ reatū præterire poſt peccatorū remiſſionē. *To.7.de peccat.mer.& remiſ.li.2.cap.28.*



Lex quippe iſta * peccati, quæ in membris eſt corporis mortis huius, & remiſſa eſt regeneratione ſpiritali, & manet in carne mortali. Remiſſa ſcilicet, quia reatus ſolutus eſt ſacramento, quo renaſcuntur fideles. Manet autem, quia operatur deſideria, contra quæ dimicāt & fideles. Hoc eſt omnino, quod funditus ſubruit hæreſim veſtram. *Tom.7.contra Iulianum Pelagia. lib. 2. poſt initium.*

** Rom.7.*

Ecce quantam nos pugnam cū mortuis habere peccatis, ille ſtrenuus Chriſti miles, & Eccleſiæ fidelis Doctor oſtendit. Quomodo enim peccatum * mortuum eſt, cùm multa operetur in nobis, reluctantibus nobis? Quæ multa? niſi deſideria * ſtulta & noxia, quæ conſentientes mergunt in interitum & perditionem, quæ vtique perpeti, eiſque non cōſentire, certamen eſt, conflictus eſt, pugna eſt. Quorum pugna? niſi boni & mali, non naturæ aduerſus naturam, ſed naturæ aduerſus vitium iam mortuū, ſed adhuc ſepeliendum, id eſt, omnino ſanandum. Quomodo ergo mortuū dicimus hoc peccatum in Baptiſmate, ſicut etiam iſte vir dicit, & quomodo habitare in membris fatemur, & multa operari deſideria reluctantibus nobis, quibus non cōſentiendo reſiſtimus, ſicut etiam hic vir fatetur, niſi quia mortuum eſt in eo reatu, quo nos tenebat, & donec ſepulturæ perfectione ſanetur, rebellat & mortuum? Quamuis iam non eodem modo appelletur peccatum, quo facit reum, ſed quòd ſit reatu primi hominis factum, & quòd rebellando nos trahere nititur ad reatum, niſi adiuuet nos gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ne ſic etiam mortuum peccatum rebellet, vt vincendo reuiuiſcat, & regnet. In hoc bello laborantes quàmdiu vita humana * tentatio eſt ſuper terram, non ideò ſine peccato non ſumus, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris * repugnans legi mentis, etiam non ſibi ad illicita conſentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam conſentiremus ad malum. Sed in quibus ab illo rebellante, & ſi non lethaliter, ſed venialiter, tamen vincimur, in

** Rom. 6. & 7.*

** 1.Tim.6.*

*Soluitur obiectio ex Apoſtolo ducta, qua etiā recētes hæretici probare nituntur, concupiſcentiā poſt Baptiſmum eſſe peccatū ſiue culpam.*

** Iob.7.*

** Rom.7.*

*Eſt ergo diſcrimen inter lethale*

*& veniale peccatum.* ** Matt.6.*

his contrahimus, vnde quotidie dicamus, * Dimitte nobis debita noſtra. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib.2. circa finem.*

### *V. Concupiſcentiam baptiZatis non conſentientibus, & viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus, non nocere.*

*Aliud eſt, habere mala deſideria, aliud eis cõſentire.* ** Eccle. 18.* ** Ibidem.* *Viuentis in gratia, glorioſa ſunt aduerſus cõcupiſcentias certamina.* *Quid ſit, tradi hominem deſideriis ſuis.* ** Ioan.8. 2.Pet.2.*

ALiud eſt, habere mala deſideria cordis, aliud, tradi eis, vtique vt conſentiendo eis poſſideatur ab eis, quod fit, cùm diuino iudicio traditur eis. Alioquin fruſtra dictum eſt:* Poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi iam quiſque reus eſt, quòd tumultuantes & ad mala trahere nitentes ſentit eas, nec eas ſequitur, ſi non eis traditur: exercens aduerſus eas glorioſa certamina, ſi viuit in gratia. Quid tibi enim videtur, qui obſeruat, quod ſcriptum eſt: * Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius (quod quid eſt aliud, quàm deſideria eius mala?) faciet te gaudium inimicis & inuidis tuis? Nũquid iam iſte reus eſt, habendo tales animæ concupiſcentias, quas ei præſtare non debet, ne in gaudium veniat Diabolo, & angelis eius, qui ſunt inimici atque inuidi noſtri? Cùm ergo dicitur homo tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus à Deo, cedit eis atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur. A quo * enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. *Tom.7. contra Iulianum Pelagianum, lib.5. cap.3.*

** Iacob.1.* *Illud Iacobi.1. Vnuſquiſque tẽtatur à cõcupiſcẽtia ſua &c. quomodo intelligẽdum.* *Cõcupiſcentia diſcernitur à peccato, vt pariẽs à partu.*

Cum dicit Apoſtolus Iacobus:* Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: profectò in his verbis partus à pariente diſcernitur. Pariẽs enim eſt concupiſcentia, partus peccatum. Sed concupiſcentia non parit, niſi conceperit: non concipit, niſi illexerit, hoc eſt, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis aſſenſum. Quod ergo aduerſus eã dimicatur, hoc agitur, ne cõcipiat, pariatque peccatũ. *Ibidẽ, cap.5.*

Abſit à mente Chriſtiana, quæ in Deo ſuo fidit, in eóque ſpe poſita, eius adiutorio nititur: abſit, inquam, vt mens talis quibuſlibet carnis voluptatibus ad conſenſum turpitudinis cedat. Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribun-



dis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua mouetur: quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentiẽtis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis? *Tom.5. de ciuitat. Dei, lib.1. cap.25.*

*Cõcupiſcentiæ motus ſine culpa eſt in corpore non conſentientis.* *Non in deſideriis carnis, ſed in conſenſione voluntatis peccamus.* ** Rom.6.*

Non in ipſo deſiderio prauo, ſed in noſtra conſenſione peccamus. Ad hoc valet, quod dicit idem Apoſtolus:* Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentiis eius. Hîc enim oſtendit eſſe deſideria, quibus non obediendo, peccatum in nobis regnare non ſinimus. *Tom.4. expoſitione quarundam propoſitio. ex epiſt. ad Rom. propoſ.17.*

In eo enim eſt damnatio, quòd obtemperamus & ſeruimus deſideriis carnalibus. Si autem exiſtant, & nõ deſint talia deſideria, non tamẽ his obediamus, nõ captiuamur, & ſub gratia ſumus. *Ibidem, propoſit.45.*

** Rom.8.*

Nulla ergo * condemnatio eſt nunc his, qui ſunt in Chriſto Ieſu: Satis oſtendit, condemnationem nõ eſſe, ſi exiſtant deſideria carnalia, ſed ſi eis ad peccandum obediatur. Quod contingit his, qui ſub lege conſtituti ſunt, nondum ſub gratia: nam ſub lege conſtituti, non ſolùm repugnantem habent concupiſcentiam, ſed etiã captiui ducuntur, cùm obtemperãt. Non autẽ contingit his, qui mente ſeruiunt legi Dei. *Ibidem, propoſit.47.*

** Galat.5.* *Concupiſcẽtiis carere nõ iam certamen, ſed certaminis præmium eſt.*

Non pati aduerſitatem carnis, ſed duci à carne damnatio eſt. Et ideò, *Quòd ſi ſpiritu*, inquit, * *ducimini, non adhuc eſtis ſub lege.* Nam & ſuperius non ait, Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis non habueritis: ſed, ne perfeceritis. Quippe non eas omninò habere, non iam certamen, ſed certaminis præmium eſt, ſi obtinuerimus victoriam perſeuerando ſub gratia. *Tom.4. expoſitio. epiſt. ad Gal. cap.5.*

Obeſſet iſta carnis concupiſcentia, etiam tantũmodo quòd ineſſet, niſi peccatorum remiſſio ſic prodeſſet, vt quæ in eis eſt, & nato & renato, nato quidem & ineſſe & obeſſe, renato autem ineſſe quidem, ſed non obeſſe poſſit. *Tom.7. de pecc. orig. cap.39.*

** Rom. 6.* *Differunt regnare peccatum, &*

Cæterum qui tanguntur huiuſmodi motibus, & immobiles & in maiore charitate conſiſtunt, nõ ſolũ non eis exhibentes * mẽbra corporis ad malè operandum, ſed neque nutu conſenſionis ad exhibendũ cõſentien-

*ipſum habitare in mortali corpore.*

tes,non hæc agunt, & ideò regnum Dei poſſidebunt. Non enim iam regnat peccatum in eorũ mortali corpore,ad obediendum deſideriis eius,quanuis habitet in eorum mortali corpore peccatum, nondum extincto impetu conſuetudinis naturalis. *Tom. 4. expoſitio. ad Galat.cap.5.*

*Non peccatis, in quo peccatũ non regnat.*

Aliud eſt enim non peccare, aliud, non habere peccatum.Nam in quo peccatum non regnat,non peccat: id eſt,qui non obedit deſideriis eius.In quo autem nõ exiſtunt omninò iſta deſideria,non ſolùm non peccat, ſed etiam non habet peccatum. *Ibidem, cap.5. Lege & in Pſalmum 118.concione 3.*

### *VI. Carnis concupiſcentiam, mortem, aliáſque pœnas in baptizatis ad agonem eſſe relictas.*

*Ad recipiẽdã iuſtitiã, poſt peccatum,laboribus & moleſtiis homo niti debet.*

*Primi homines,iuſtè poſtea viuẽdo meritò per Chriſti ſanguinem creduntur ab extremo ſupplicio liberati.*

CAro quæ primò facta eſt,non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delicias paradiſi ſeruare iuſtitiam.Vnde ſtatuit Deus, vt poſt eius peccatum propagata caro peccati,ad recipiendam iuſtitiam, laboribus & moleſtiis niteretur. Propter hoc etiam de paradiſo eiectus Adam,contra Eden habitauit,id eſt, cõtra ſedem delitiarum : vt ſignificaret, quòd in laboribus, qui ſunt delitiis contrarij, erudienda eſſet caro peccati,quæ in delitiis obedientiam non ſeruauit, anteq̃ eſſet caro peccati.Sicut ergo illi primi homines,poſtea iuſtè viuendo,vnde meritò creduntur per Domini ſanguinem ab extremo ſupplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradiſum reuocari:ſic & caro peccati etiamſi remiſſis peccatis homo in ea iuſtè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti,quam traxit de propagine peccati.*Tom.7.de peccat. mer.& remiſſ.lib.2.cap.34.*

*Actus concupiſcẽtiæ ſine reatu eſt, ſi mens non conſentit.*

* *Rom.6.*

Agit aliquid concupiſcentia carnis,& quando nõ exhibetur ei vel cordis aſſenſus vbi regnet, vel membra velut arma,quibus impleatur,quod iubet:actus manet, reatus præterit:agit autem,quid?niſi ipſa deſideria mala & turpia? Non enim ſi bona & licita eſſent, eis obedire prohiberet Apoſtolus,dicẽs:* *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis eius.* Non enim ait, ad habenda deſideria eius: ſed



*Concupiſcentiæ motus maiores, vel minores, vt maior vel minor interioris hominis profectus.*

ad obediendum deſideriis eius:vt quoniam ſunt in aliis maiora,in aliis minora,prout quiſque in hominis interioris nouitate profecerit,in hoc agonem iuſtitię pudicitiæque ſeruemus,ne illis obediamus. *Tom.7.de nuptiis & concupiſ.lib.1.cap.27.*

*Soluto reatu, in baptizatis, relinquitur concupiſcentia ad agonem.*

In grandibus autem baptizatis,in quibus iam ratione vtentibus quicquid eidem concupiſcentiæ mens ad peccandũ conſentit,propriæ voluntatis eſt, deletis peccatis omnibus, ſoluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat,ad agonem interim manet (*concupiſcẽtia*) non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura,donec abſorbeatur*mors in victoria, & pace perfecta nihil quod vincatur exiſtat. *Tom.7. de peccator. merit.& remiſſ.lib.2.cap.4.*

*Concupiſcentia nõ nocet, ſibi non conſentientibus.*

* *1.Cor.15.*

*Si remittuntur in Baptiſmo cũcta peccata, & relinquitur concupiſcentia, neceſſum eſt,concupiſcentiam relictam non eſſe peccatum.*

Non poterunt ibi eſſe peccata., vbi ſpiritus non dico non conſentit concupiſcentiæ carnis,ſed nec concupiſcit*aduerſus carnem,quia nec caro aduerſus eum, illa ineffabili ſalute perfecta, quæ nũc non fit in Baptiſmo, vbi remittuntur quidem cuncta peccata,ſed remanent carnalium concupiſcentiarum mala, cum quibus poſt Baptiſmum,ſi tamen proficiunt, exerceant ſiue coniugati glorioſa, ſiue continentes glorioſiora certamina, quod & ipſe confiteris.*Tom.7.contra Iulia.Pelag.lib.6.*

*Galat.5.

*Cõtinentium certamina cũ concupiſcentia glorioſiora, quàm cõiugatorum.*

Quanuis enim & ipſa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit,tamẽ bonus eius vſus glorioſiſſimos martyres fecit. Et ideò non ſolùm ipſa, ſed omnia ſeculi huius mala, dolores laboréſque hominum,quanquam de peccatorum, & maximè de peccati originalis meritis veniãt,vnde facta eſt & ipſa vita vinculo mortis obſtricta,tamen & remiſſis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro veritate certaret,& vnde exerceretur virtus fidelium: vt nouus homo per Teſtamentum nouum, inter mala huius ſeculi, nouo ſeculo præparetur, miſeriam, quam meruit vita iſta damnata,ſapienter tolerans,& quia finietur, prudenter gratulans,beatitudinem verò,quam liberata vita futura ſine fine habitura eſt,fideliter & patienter expectans. *Tom.3 de Trinitate,lib.13.cap.16.*

*Pœnarum ex originis peccato relictarum bonus ſat ſit eſſe vſu.*

Qui autẽ dicunt: Si peccato mors iſta corporis acci-

*pœnis relictis poſt peccatũ remiſſum, erudimur, exercemur, proficiẽtes in agone iuſtitiæ.*

diſſer, non vtique poſt remiſſionem peccatorum, quam redemptor noſter nobis tribuit, moreremur: non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſoluit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, vt per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone iuſtitiæ. Poſſet enim & alius hoc nõ intelligens, dicere. Si propter peccatum dixit Deus homini: * In ſudore vultus tui edes panem tuum, & ſpinas & tribulos pariet tibi terra, quare & poſt remiſſionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aſpera parit etiam terra fidelium? *Et paulò pòſt.* Verùm quia & tales non deſunt, quemadmodum eis hac quæſtione propoſita reſpondemus, dicentes, ante remiſſionem eſſe illa ſupplicia peccatorum, poſt remiſsionem autem, certamina exercitationéſque iuſtorũ: ita & illos, quos de morte corporis ſimiliter mouet, reſpondere debemus, vt eam & peccato accidiſſe fateamur, & poſt peccatorum remiſsionem, vt magnus timor eius à proficiẽtibus ſuperetur, ad certamen nobis relictam eſſe non dedignemur. *Tom.7. de pecc. mer. & remiſſ. lib.2. cap.33. & 34. Vide & Tom.5. de ciuitate Dei, lib.13. cap.4. & libr.22. cap. 23.*

* *Gen.3.*

*Dura & aſpera huius vitæ, ante remiſsionẽ, ſupplicia ſunt peccatorum: poſt remiſsionem, certamina exercitationeſq; virtutum.*

Baptizatus es, mundatus es, vnctus es oleo, reſtauratum eſt corpus tuum ad priorem ſtatum primi illius hominis ante peccatum: noli poſtmodum malè ſecurus eſſe, ad agonem produceris, cõtra Diabolum vitiorum principem dimicabis, in arena huius mundi: vtræque partes, Chriſti ſcilicet, & Diaboli, infinita populi multitudo te ſpectat luctantem, & quis nam vincat vide omnem turbam in vna intentione pendentem. Non de te triũphet pars Diaboli. Si vis vincere, noli de te præſumere: ſed illi aſſigna victoriæ gloriam, qui tibi donat, vt victoriæ feras palmam. Vis vincere? Caput prius contere inimici, excludendo de corde tuo ſuggeſtiones Diaboli. Vis vincere? Manus tuæ fortes inueniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, non nutent veſtigia tua, frequentãdo ſpectacula, & deſerendo Eccleſiam. Sed vt hanc etiam in tam magno agone, in tam grandi luctamine poſſis implere victoriam, mittat tibi Dominus * auxilium de ſancto, & de Syon tueatur te.

**Pſal.19.*



*Tom.9. de cataclyſ. cap.2. Plura Tom.4. de continentia, cap.3.*

# DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO. CAP. III.

## *I. Liberum arbitrium non eſſe rem de ſolo titulo, aut titulum ſine re.*

*In anima liberũ eſt arbitriũ, vt ſeruiat Deo, volũtate non neceſsitate.*

ET quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent. *Tom.1. de vera religione, cap.14.*

*Abſurdaquæ cõſequerẽtur, ſublato libero arbitrio.*

Quod liberum arbitrium, ſi non dediſſet Deus, iudicium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet, nec meritum rectè faciendi, nec præceptum diuinũ, vt ageretur pœnitentia de peccatis: nec ipſa intelligẽtia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum donauit, quia qui non voluntate peccãt, non peccant. *Et paulò pòſt.* Peccata, vt dixi, niſi libera voluntas eſſet in nobis, peccata non eſſent. Si quis enim, verbi cauſa, ligaretur ab aliquo cæteris membris, & de manu eius falſum ſcriberetur, ſine eius propria volũtate: quęro ſi hoc iudici pateſieret, poſſit hũc hominem falſitatis crimine condemnare? *Tom. 6. in diſputatione 2. contra Fortunatum.*

*Peccata ſine libera voluntate peccata non eſſent.*

Libera voluntate faciunt homines conſuetudinem, quam cùm fecerint, facilè ſuperare non poſſunt. Ipſi ergo ſibi de ſeipſis fecerũt, quòd contraria* lex habitet in membris eorum. Sed qui concipiunt timorem Dei, ſubdunt ſe & per liberum arbitrium ſubdunt ſe ſanandos optimo medico, & ſicut bono curatori, ita & miſericordi creatori, per humilitatem cõfeſſionis & pœnitẽtię ſanantur. *Tom.6. in actis cũ Fœlice Manich. lib.2. cap.8. Lege & c.12.*

* *Rom.7.*

*Impij per liberũ arbitriũ ſubdunt ſe ſanãdos medico Deo, & per humilitatem pœnitentiæ ſanantur.*

Niſi libero arbitrio intelligeremus atque ſaperemus, non nobis præciperetur, dicente Scriptura: * Intelligite ergo, qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquãdo ſapite. Eo ipſo quippe, quo præceptum & imperatum

* *Pſal. 93.*

*Obediẽtiam noſtrã requi-*

*rit Deus, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio.*

eſt, vt intelligamus atque ſapiamus, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio. *Tom.2.epiſt.46.ad Valentinum.*

Non eſt ita vt loqueris (*dixerat Pelagianus ab Auguſtino negari liberum arbitrium*) quicunque iſta dixiſti, non eſt ita, multum falleris, vel fallere meditaris, non liberũ negamus arbitriũ, ſed ſi * vos filius liberauit, verè liberi eritis. *Et paulò poſt.* Liberum in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium cõditorem vtrique dicimus: non hinc eſtis Celeſtiani & Pelagiani, liberũ autem quenquam eſſe ad agendum bonum ſine adiutorio Dei, & non erui paruulos à poteſtate tenebrarũ, & ſic transferri in regnum Dei, hinc eſtis Celeſtiani & Pelagiani. *Tom.7.de nuptijs & concupiſ.lib.2.cap.3. Idem fermè habes lib.3.cont. Iulianum Pelag.cap.1.*

*Ioan.8.

*Pelagiani nõ damnantur, quòd liberũ arbitriũ aſſerant, ſed quòd credãt, illud ſine Dei auxilio ad benè agendum ſufficere*

Neque voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia iuuatur, ſed ideò iuuatur, quia non tollitur. *Tom.2.epiſt.89. ad Hilarium, quæſt. ſecunda.*

Quod autem ait (*Apoſtolus*):* Non enim quod volo, hoc ago, ſed quod nolo hoc facio, cõſentio legi, quoniam bona eſt: ſatis quidem lex ab omni criminatione defenditur. Sed cauendũ, ne quis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita eſt. Nunc enim homo deſcribitur ſub lege poſitus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus ſuis iuſtè viuere conatur, ſine adiutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet vt credat liberè, & accipiat gratiã, vt iam illo, qui eam donat liberante & adiuuãte non peccet: atque ita deſinat eſſe ſub lege, ſed cũ lege vel in lege, implens eam charitate Dei, quod timore non poterat. *Tom. 4. in expoſit. quarundam propoſit. ex epiſt. ad Rom. propoſ.44. Idem fermè legitur, Tom.4. ad Simplicianum lib.1. quæſt.1.*

*Rom.7.

*In libero arbitrio habet homo vt credat liberè, & accipiat gratiã, qua adiutus, nõ peccet, ſed legem impleat.*

Neque fideles fiunt, niſi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiunt, qui eorũ à poteſtate tenebrarũ liberauit arbitriũ. *Tom.2.epiſt.107.ad Vital. prope initiũ.*

*Sine libera volũtate homo rectè facere non poteſt.*

Si homo aliquod bonum eſt, & non poſſet niſi cùm vellet, rectè facere, debuit habere liberam voluntatem, ſine qua rectè facere non poſſit. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dediſſe creden-



dum eſt. Satis ergò cauſæ eſt, cur dari debuerit, quoniã ſine illa homo non poteſt rectè viuere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi poteſt, quia ſi quis ea vſus fuerit ad peccandum, diuinitus in eum vindicatur. *Et paulò poſt.* Deus cùm peccantẽ punit, quid videtur tibi aliud dicere, niſi, cur non ad eam rem vſus es libera volũtate, ad quã tibi eam dedi, hoc eſt, ad rectè faciendũ? Deinde illud bonũ, quo commendatur ipſa iuſtitia in damnandis peccatis, rectéque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatũ eſſet, aut rectè factũ, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & pœna iniuſta eſſet, & præmiũ, ſi homo voluntatem non haberet liberam. *Tom.1.lib.2.de Libero Arbitrio, cap.1. Lege & lib.1. caput vltimum.*

*Ergò & in peccatis, & in rectè factis homo liberũ habet arbitrium.*

Animam irrationalẽ quidem (*clamat veritas*) peccare non poſſe, quia nec præcepta rationis poteſt accipere, neque ad beatitudinem peruenire, ſed in ſuo gradu ſeruare ordinẽ naturæ, quem acceperit. Rationalẽ autem quia poteſt rectè factorum rationabilia præcepta percipere, & rectè factis ad æternam beatitudinẽ peruenire, ſi hoc peccando noluerit, iuſtè ad inferiora damnari, quia inter ipſam & Deum non ſeparat, niſi voluntas praua. *Tom.6.de fide, contra Manich.cap.44.*

*Anima rationalis ab irrationali libero differt arbitrio.*

Datum eſt enim animæ liberum arbitrium, quod qui nugatorijs rationibus labefactare conãtur, vſque adeò cæci ſunt, vt ne iſta ipſa quidẽ vana atque ſacrilega propria voluntate ſe dicere intelligant: nec tamen ita liberum arbitrium animæ datum eſt, vt quodlibet eo moliens vllam partem diuini ordinis legiſque perturbet. Datum eſt enim à ſapientiſſimo atque inuictiſſimo totius creaturæ Domino. Sed iſta vt videnda ſunt, videre paucorum eſt, neque ad hoc quiſquam, niſi vera religione fit idoneus. *Tom.1.de quantitate animæ, cap.36.*

*Nugatores & cæci ſunt, liberum negantes arbitrium.*

Non eſt ergò indignum, vt Deus dicat: *Ite in ignem æternũ, eis, qui eius miſericordiam per liberũ arbitriũ reſpuerũt: & dicat: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, eis, qui per liberum arbitrium fidem eius ſuſceperunt, peccata ſua confeſſi ſunt, pœnitentiam egerunt, diſplicuerunt ſibi quales fuerũt: & quales per eum facti ſunt, illi placuerũt. *To.6 in actis cũ Felice Manich. li.1.c.8.*

*Matt.25.

*Per liberum arbitrium, auxiliante Deo, ſuſceptio fidei, peccatorum confeſsio & pœnitentia peragitur: igitur non ſolùm in retinenda, ſed etiam in acquirenda iuſtitia coope ratio noſtra locum habet.*

Rationalis creatura cùm creatorem Deum ſuum con tumaci inobedientia deſerit, & per ſuum liberum arbitrium peccatis ſe inuoluit. per illius iuſtũ iudicium ſupplicio miſera afficitur. *Tom. 6. contra Secund. Manich. cap.* 19.

## *II. Liberum arbitrium, quantumuis per præuaricationem Adæ viribus attenuatum, & inclinatum, non tamen penitus amiſſum eſſe, aut extinctum.*

*Liberum arbitriũ, gratia Dei adiutum, valet ad bene piéque viuendum. I. Retract. cap. 6*

PEccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere, in hominibus ſubditis Diabolo: ad bene autem piéque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta. *Tom. 7 lib. 2. contra duas epiſtolas Pelag. cap.* 5.

Ego dico peccatum non eſſe, ſi non propria voluntate peccetur, hinc eſſe & præmium, quia propria voluntate rectè facimus: aut ſi pœnam meretur, qui peccat inuitus, debet & præmium mereri, qui bene facit inuitus. *Tom. 6. contra Fortunatum Manich. diſp.* 2.

*Peccato primi hominis periit libertas illa, quæ fuit in paradiſo, non tamen ſimpliciter libertas.*

Quis autem noſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenã cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino: * Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtique liberi ad bene iuſtéque viuẽdum. *Tom. 7. contra duas epiſtolas Pelag. lib. 1. cap.* 2.

** Ioan. 8.*

Quod autem ait: * *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*: hęc enim inuicem aduerſantur, vt non ea quæ vultis, faciatis: putant hîc homines liberum voluntatis arbitrium negare Apoſtolum nos habe-



re. Nec intelligunt hoc eis dictum, ſi gratiam fidei conceptam tenere nolunt, per quam ſolam poſſunt ſpiritu * ambulare, & cõcupiſcẽtias carnis nõ perficere. Si ergo nolunt eam tenere, non poterunt ea, quæ volunt, facere Volunt enim operari opera iuſtitiæ, quæ ſunt in lege, ſed vincuntur à concupiſcentia carnis, quam ſequendo, deſerunt gratiam fidei. Vnde & ad Romanos dicit: * Prudentia carnis inimicitia in Deum: Legi enim Dei nõ eſt ſubiecta, neque enim poteſt. Cùm enim charitas * legem impleat, prudentia verò carnis commoda temporalia conſectando, ſpiritali caritati aduerſetur, quomodo poteſt legi Dei eſſe ſubiecta? *Tom. 4. in epiſt. ad Galat. cap. 5. circa medium.*

** Galat. 5. Liberum arbitrium non repugnare illis Apoſtoli verbis: vt nõ ea quæ vultis, faciatis. * Ibidem. * Rom. 8. * Rom. 13. Charitas legem implet.*

*Stoici liberas poſuerũt voluntates.*

Stoici laborauerunt cauſas rerum ita diſtinguere, vt quaſdam ſubtraherent neceſſitati, quaſdam ſubderent: atque in his, quas eſſe ſub neceſſitate noluerunt, poſuerunt etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſſent liberæ, ſi ſubderentur neceſſitati. Si enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis: manifeſtum eſt, voluntates noſtras, quibus rectè vel perperàm viuitur, ſub tali neceſſitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non vtique faceremus. Quò primitus pertinet ipſum velle: nã ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt. Non enim vellemus ſi nollemus. Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe vt ita ſit aliquid vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus: Neceſſe eſt Deum ſemper viuere, & cuncta præſcire: ſicut nec poteſtas eius minuitur, cum dicitur, mori fallíque non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, vt potius ſi poſſet, minoris eſſet vtique poteſtatis. Rectè quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod ſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Vnde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt. Sicut etiam cum dicimus, neceſſe eſt, vt cũ volumus, libero velimus arbitrio: & verum proculdu-

*Voluntates noſtræ, quibus rectè vel perperàm viuitur ſub cogente nulla neceſſitate ſunt.*

*Liberũ arbitrium neceſsitati non ſubiicitur, quæ adimat libertatem.*

bio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubiicimus, quæ adimit libertatem. Sunt igitur noſtræ voluntates, & ipſæ faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret ſi nollemus. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 5. cap. 10.*

*Motus voluntatis, niſi in hominis poteſtate eſſet, neque laudandus eſſet, neque culpãdus.*

Motus quo huc aut illuc volũtas cõuertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poteſtate, neque laudãdus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cùm ad inferiora detorquet quaſi quẽdam cardinem voluntatis: neque omnino monendus eſſet, vt iſtis neglectis æterna vellet adipiſci, atque vt malè nollet viuere, vellet autem bene. Hoc autem monendum nõ eſſe hominem quiſquis exiſtimat, de hominum numero exterminandus eſt. *Tom. 1. lib. 3. de lib. arb. cap. 1.*

*Voluntas noſtra in noſtra poteſtate atque libera eſt.*

Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis. Nõ enim eſt nobis liberũ, quod in poteſtate non habemus, aut poteſt nõ eſſe, quod habemus. *Ibid. cap. 3.*

*Et peccatũ, & rectè factum in libero voluntatis arbitrio eſt.*

Voluntas eſt animi motus cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiſcendum. *Tom. 6. de duabus animabus, contra Manich. cap. 10.*

Meritum pœnæ, peccatum: & meritum præmij rectè factum eſt: nec peccatum nec rectè factum imputari cuiquam iuſtè poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate. Eſt igitur & peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio. *Tom. 4. 83. quæſt. q. 24.*

*Eſſe in homine liberũ arbitriũ, per ſcripturas ſanctas à Deo reuelatum.*

Reuelauit autem nobis (*Deus*) per ſcripturas ſuas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitriũ. Quomodo autem reuelauerit, commemoro vos, non humano eloquio, ſed diuino. Primùm quia ipſa diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perueniret. *Tom. 7. de gratia & libero arbitrio, cap. 2.*

*Ex præceptis homini à Deo propoſitis liberum probatur arbitrium.*

*Probatur liberum arbitrium locis pluribus veteris Teſtamenti.*

Ipſe ab initio * fecit illũ, & reliquit illũ in manu conſilij ſui. Si volueris, cõſeruabis mãdata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignẽ & aquam, ad quodcunque volueris extẽdere manum tuã. In conſpectu vita & mors, & quodcũque placuerit, dabitur ei. Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberũ humanæ voluntatis arbitriũ.



Quid illud, quòd tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, ſi nõ eſt liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Pſalmus dicit, * quòd in lege Domini fuit volũtas eius, nónne ſatis indicat, voluntate ſua hominem in lege Dei conſiſtere? Deinde tam multa mandata, quæ ipſam quodam modo nominatim conueniunt voluntatem: ſicut eſt, * *Noli vinci à malo*: & alia ſimilia: ſicut ſunt: * *Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus*: Et, * *Noli repellere conſilia matris tuæ*: Et, * *Noli eſſe ſapiens apud teipſum*: Et, *Noli deficere à diſciplina Domini*: Et, *Noli negligere legem*: Et, * *Noli abſtinere benefacere egẽti*: Et, * *Noli fabricare in amicum tuum mala*: Et, * *Noli intendere fallaci mulieri*: Et, * *Noluit intelligere, vt bene ageret*: Et, *Noluerunt accipere diſciplinam*: & innumerabilia talia, in veteribus libris diuinorum eloquiorũ quid oſtendunt, niſi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In libris etiam nouis Euangelicis & Apoſtolicis, quid aliud oſtenditur, vbi dicitur: * *Nolite vobis condere theſauros in terra*: Et, * *Nolite timere eos, qui occidũt corpus*: Et, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*: Et, * *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*: Et quod dicit Apoſtolus Paulus, * *Quod vult faciat, non peccat ſi nubat: qui autem ſtatuit in corde ſuo non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc ſtatuit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, benè facit.* Itẽ dicit, * *Si autem volens hoc facio, mercedem habeo.* Et alio loco: * *Sobrij eſtote, iuſti, & nolite peccare.* Et iterum: * *Vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi.* Et ad Timotheũ dicit: *Cùm enim in deliciis egerint in Chriſto, nubere volunt.* Et alibi: *Sed & omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Et ipſi Timotheo: * *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt.* Et ad Philemonem: *Ne bonum tuum velut ex neceſſitate eſſet, ſed ex voluntate.* Seruos etiam ipſos monet, vt Dominis ſuis ex animo ſeruiant, cum bona voluntate. Item Iacobus: * *Nolite itaque errare, fratres mei, & nolite in perſonarũ acceptione habere fidẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & nolite detrahere de alterutro.* Item Ioannes in epiſtola ſua: * *Nolite diligere mundum*: & cætera huiuſmodi, nempe vbi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum, vel

** Eccleſ. 15.*
** Pſal. 1.*
** Rom. 12.*
** Pſal. 31.*
** Prouer. 1.*
** Prouer. 3.*
*Ibidem.*
** Hebr. 3.*
** Prouer. 3.*
** Ibidem.*
** Prouer. 5.*
** Pſal. 35.*
** Pſal. 77.*

*Probatur liberum arbitrium variis locis noui Teſtamenti.*

** Matth. 6.*
** Matt. 10.*
** Matth. 16.*
** Luc. 20.*
** 1. Cor. 7.*
** 1. Cor. 9.*
** 2. Cor. 8.*
** 1. Tim. 5.*
** 2. Tim. 3.*
** 1. Tim. 4.*
** Iacobi 2.*
** 1. Ioan. 2.*

non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demõſtratur arbitrium.* Nemo ergò Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cùm peccat. Neque cùm aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt boni operis merces, ab eo, de quo dictum: * Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Ibidẽ paulò poſt.*

** Mat.16. Rom.2.*

** Nemo cùm peccat, Deum accuſet, ſed ſeipſum. Nemo cùm aliquid ſecundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quid ad hæc, qui Deum peccati auctorem eſſe blaſphemant, & qui liberum arbitrium poſt peccatum rem eſſe de ſolo titulo docent, aut in actionibus, quæ ſunt ſecundum Deum, nihil agere, nihil cooperari Deo adiuuanti, ſed tantùm pati vel agi affimant?*

*Eſt igitur liberum arbitrium circa opera tã pia quàm mala.*

Iam diximus & probauimus per diuinas ſcripturas, eſſe liberum arbitrium, Deum autem eſſe liberi arbitrij iuſtum iudicem, remuneratorem fidelium, eíque ſe ſubiicientium, & volentium ſanari. *Tom.6.de actis cum Felice Manichæo, lib.2.cap.8.*

*Ex libro contra Secundinum intelligitur, Manichæos ſenſiſſe, ad conſenſionem cogi voluntatem ab obiecto.*

*Liberum arbitrium negans, Catholicus non eſt.*

Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negauerit, Catholicus non eſt: & quiſquis ſic eſſe dixerit, quod ſine Deo bonũ opus, id eſt, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſſit, Catholicus eſt. Quibus enim dicitur in pſalmis, niſi liberum arbitrium habentibus: * *Venite filij, audite me, timorem* Domini docebo vos? Item à Domino in Euangelio diſcipulis: * *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea.* Et item: * *Vos amici mei eſtis ſi feceritis, quæ ego mando vobis.* Et ab Apoſtolo Corinthiis: * Hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: nunc verò & facto perficite, vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi. *Et paulò poſt.* Quomodo autem vnicuique * ſecundùm ſua opera redderetur in die iudicij, niſi liberum eſſet arbitrium? *Et iterum.* In omni itaque opere ſancto prior eſt

** Pſal.33. * Matth.7. * Ioan.15. * 2.Co.8. * Matth.16. Rom.2.*

*In omni opere ſancto operatur Deus, cooperatur homo.*



eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrij: id eſt, operatur Deus, cooperatur homo. *Tom.7.Hypog.lib.3.circa mediũ.*

*Hominibus ineſſe liberũ arbitriũ, certa fide credẽdum.*

Liberum arbitrium hominibus eſſe, certa fide credimus, & prædicamus indubitanter. *Ibidem, prope finem.*

*Fides ſana Catholica liberum arbitrium ſiue in vitã malã, ſiue in bonã non negat.*

Quantum potuimus, egimus cum iſtis & veſtris & noſtris fratribus, vt in fide ſana Catholica perſeuerẽt. Quæ neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam, neque tãtum ei tribuit, vt ſine gratia Dei valeat aliquid, ſiue vt ex malo conuertatur in bonum, ſiue vt in bono perſeueranter proficiat, &c. *Et paulò poſt.* Attendite quid per Salomonem moneat Spiritus ſanctus: Rectos curſus, inquit, fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in ſiniſtram, auerte autem pedem tuum à via mala. Vias enim quæ à dextris ſunt nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet. In his verbis ſanctæ Scripturæ, conſiderate fratres, quia ſi non eſſet liberum arbitrium, nõ diceretur: Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in ſiniſtram. *Tom.2.Epiſt.47.ad Valentinum.*

** Prouer.4.*

## *III. In poteſtate hominis eſſe facere vias ſuas malas.*

AVt facite * arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Cùm ergò dicit, aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat nõ naturam. Nemo enim niſi Deus facere arborem poteſt, ſed habet vnuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala: non quia mala ipſa quæ eliguntur, aliquam habeant in ſeipſis ſubſtantiam: ſed quia Deus omnia quæ condidit, gradibus ſuis condidit, generibúſque diſtinxit, cæleſtia & terrena, immortalia atque mortalia, & omnia bona in ſuo genere condidit: Animam habentem liberum arbitrium, ſub ſeipſo (*Deus*) & ſupra cætera collocauit: vt ſi ſeruiret ſuperiori, dominaretur inferiori: Si autem offenderet ſuperiorem, pœnam ex inferiore ſentiret, ipſe ſecurus & certus in ſe tanquam Deus: Hoc ergo Dominus dicens: aut facite illud, aut facite illud, oſtendit eſſe in po

** Matt.12.*

*Homo non natura, ſed libero arbitrio, mala ſit arbor, vel bona, Deo ſimul iuuante.*

*Anima liberũ habens arbitrium qua lege Deo ſubiecta & cæteris præpoſita ſit.*

teſtate,quod facerent.Et quia ſi bonum eligerent, præmium eius acciperent:ſi malum eligerent , pœnam eius ſentirent. *Tom.6.in actis cum Felice Manichæo,lib.2.cap.4.*

Multum fallitur homo qui conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ, & quod illa deſiderat , decernens facere & ſtatuẽs,putat ſibi adhuc eſſe dicendũ,nõ* ego operor illud,etiãſi oderit quia cõſentit. Simul enim eſt vtrũq;, & ipſe odit,quia malũ eſſe nouit:& ipſe facit,quia facere ſtatuit. Iã verò ſi & illud addat ,quod Scriptura prohibet,dicens:* Neque exhibueritis membra veſtra arma iniquitatis peccato:vt quod facere ſtatuit in corde, etiam corpore compleat,& ideo dicat,* Non ego operor illud , ſed quod habitat in me peccatum : quia cùm id decernit & facit,& diſplicet ſibi,tantum errat, vt nec ſeipſum agnoſcat:quando cùm ex toto ipſe ſit , & corde ſtatuente & corpore implente , adhuc ſeipſum eſſe non putat *Tom.7.de nuptiis & concupiſcentia,li.1.ca.28.*

* *Rom.7.*
* *Rom.6.*
* *Rom.7.*

Qui cogitur neceſſitate aliquid facere,nõ peccat.Qui autẽ peccat,libero arbitrio peccat. Nihil mali fecit, qui nihil ſua voluntate fecit.*To.6.contra Fortunatũ. Manich. diſp.1.*

Quòd ſi eam(*voluntatem*) exagitat & inflãmat fallacibus viſis & ſuaſionibus immundis diabolicus ſpiritus: & maligna conſpiratione ſociatus, efficit hominis volũtatem,vel errore dementem,vel appetitu cuiuslibet mũdanæ delectationis ardentem : quæcunque videtur intolerabilia mirabiliter ſuſtinere, non tamen ideo etiam voluntas mala ſine inſtigatione alterius immundi ſpiritus, ſicut voluntas bona ſine adiutorio ſancti ſpiritus non poteſt eſſe.Nam eſſe poſſe volũtatem malam etiam ſine aliquo ſpiritu ſeducente vel incitante, in ipſo diabolo ſatis oſtenditur: qui per nullum alium diabolum propria voluntate factus diabolus inuenitur. Voluntas itaque mala ſiue cupiditate rapiatur, ſiue timore reuocetur,ſiue lætitia diffundatur, ſiue triſtitia contrahatur: atque in his omnibus perturbationibus animi,quæcunque ſunt aliis vel alio tempore grauia , contẽnat & perferat:poteſt &ſine alterius ſpiritus inſtinctu ſeipſam ſeducere,& defectu à ſuperioribus in inferiora lapſando, quanto iocundius æſtimauerit , quod adipiſci appetit,

*Voluntas ſeipſam ſine maligni ſpiritus*





vel amittere metuit , vel adeptum gaudet , vel amiſſum dolet , tanto tolerabilius perferre , quod ſibi minus eſt ad patiendum,quàm illud ad fruendum.*Tom.4.de patientia,cap.14.*

*inſtinctu ſeducere poteſt.*

Totum quod vocatur malum in hominibus , peccatum eſt,aut pœna.Peccatum fit ab anima rationali , cui liberum voluntatis arbitrium eſt.Et pœna infligitur iuſtitia Dei , quæ nihil facit iniuſtè. Aduerſus hæc , ſolita cæcitate Manichæi latrãt,& cùm conuincuntur,naturã non eſſe malum,ſed in poteſtate eſſe hominis,facere bene aut malè,dicunt non eſſe animæ liberam voluntatẽ, & non vident cæcitatem ſuam . Quis enim non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei,cui liberum non eſt,quod præcipitur facere:& iniquum eſſe, eum damnare,cui nõ fuit poteſtas,iuſſa complere?Et has iniuſtitias & iniquitates miſeri non intelligunt Deo ſe aſcribere. Sed quid verum eſt,niſi & Dominum dare pręcepta,& animas liberæ eſſe voluntatis,& malum naturam non eſſe, ſed eſſe auerſionem à Dei præceptis , & eſſe iuſtum Dei iudicium,quo damnet peccantes?*Tom.6.de fide contra Manic. cap.9.& 10.*

*Stultum eſt, præcepta dare ei,cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere:et iniquum eſt, eum dãnare, cui non fuit poteſtas iuſſa complere.*

## IIII.*Liberum hominis arbitrium non ſubeſſe fato.*

NAti ſunt duo * gemini,antiqua Patrum memoria, vt de inſignibus loquar , ſic alter poſt alterum , vt poſterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum vita fuerunt moribúſque diuerſa,tanta in actibus diſparilitas,tanta in parentum amore diſſimilitudo,vt etiam inimicos eos inter ſe faceret ipſa diſtantia . Nunquid hoc dicitur,quia vno ambulante, alius ſedebat : & alio dormiente,alius vigilabat:alio loquente,alius tacebat:quæ pertinent ad illas minutias,quæ non poſſunt ab eis cõprehendi,qui conſtitutionem ſyderum,qua quiſque naſcitur,ſcribunt , vnde Mathematici conſulantur ? Vnus duxit mercenariam ſeruitutem, alius non ſeruiuit:vnus à matre diligebatur,alius non diligebatur : vnus honorem,qui magnus apud eos habebatur,amiſit,alter adeptus eſt.Quid de vxoribus,quid de filiis,quid de rebus, quanta diuerſitas?*Tom.5.de Ciuitate Dei,lib.5.cap.4.*

* *Gen.25.*

*Exemplo Iacob & Eſau refellitur fatum.*

Quid eſt hoc, quòd vno tempore, vno momento, ſub vna eadémque cæli poſitione concepti diuerſa habent fata, quæ illos perducant ad diuerſarum horarum natiuitatem, & vno momento temporis ſub vna eadémque cæli poſitione, de duabus matribus duo pariter nati, diuerſa fata habere non poſſunt, quæ illos perducant ad diuerſam viuendi vel moriendi neceſſitatem? *Ibidem, cap.5.*

*Fatum refellitur exẽplo geminorũ diuerſi ſexus.*

Quanquam & in ipſis geminorũ conceptibus, vbi certè amborum eadem momenta ſunt temporum, ſæpè fit, vt ſub eadem conſtellatione fatali, alter concipiatur maſculus, alter fœmella. Nouimus geminos diuerſi ſexus: ambo adhuc viuunt, ambo ætate vigent adhuc. Quorum cùm ſint inter ſe ſimiles corporum ſpecies, quantum in diuerſo ſexu poteſt: inſtituto tamen & propoſito vitæ ita ſunt diſpares, vt præter actus, quos neceſſe eſt à virilibus diſtare fœmineos, ille in officio comitis militat, & à ſua domo penè ſemper peregrinatur: illa de ſolo patrio, & rure proprio nõ recedit. Inſuper, quod eſt incredibilius, ſi aſtralia fata credantur: non autem mirum, ſi voluntates hominum, & Dei munera cogitẽtur: Ille cõiugatus, illa virgo ſacra eſt: Ille numeroſam prolẽ genuit, illa nec nupſit. At enim plurimùm vis horoſcopi valet. Hoc quàm nihil ſit, iã ſatis diſſerui. *Ibid. cap.6.*

*Pulchrũ experimentum cõtra fatum.*

Nec illud volunt aduertere, quòd electo ad ſeminandum agrum die, tam multa grana in terram ſimul veniunt, ſimul germinant, exorta ſegete ſimul herbeſcunt, pubeſcunt, flaueſcunt, & tamen inde ſpicas cæteris coæuas, atque vt ita dixerim, congerminales, alias rubigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines auellunt. Quomodo iſtis alias conſtellationes fuiſſe dicturi ſunt, quas tam diuerſos exitus habere conſpiciunt? An eos pœnitebit his rebus dies eligere, eáſque ad cæleſte negabunt pertinere decretum, & ſolos ſyderibus ſubdent homines, quibus ſolis in terra Deus dedit liberas voluntates? *Ibidem, cap.7. Idem docet fuſè toto illo capite.*

*Propter iuſtũ Dei iudicium ab omni neceſsitatis vinculo liberum arbitrium vindicandum eſt.*

Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium volũtatis, quo vel bene vel malè viuitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus: quantò minus illius temporalem generationem ſub aſtrorum conditione credimus factam qui eſt æternus vniuerſorum creator & Dominus? Itaque illa ſtella, quam viderunt * magi Chriſto ſecundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimoniũ famulabatur: nec eum ſubiiciebat imperio, ſed indicabat obſequio. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib.2. cap.5.*

*Ergo arbitrium noſtrũ à coactione, & à neceſsitate liberũ eſt. Quid ad hæc, qui ſeruum arbitrium inuexerunt?*

** Matth. 2.*

*Contra Mathematicos, qui actiones humanas fato ſubiiciũt.*

Adde quia non ſolùm Chriſtus nõ habuit, quod appellas fatum: ſed nec tu, aut ego, aut ille, aut quiſquam hominum. Veruntamen ſeducti ſeducunt, & proponũt fallacias hominibus. Tendunt ad capiendos homines, & hoc in plateis. Nam qui tendunt ad capiendas feras, vel in ſyluis, vel in ſolitudine, id agunt. Quàm infeliciter vani ſunt homines, quibus capiendis in foro tenditur? Nummos accipiunt, cùm ſe homines hominibus vendunt: dãt iſti nummos, vt ſe vanitatibus vendant. Intrant enim ad Mathematicum, vt emant ſibi dominos, quales Mathematico dare placuerit: vel Saturnum, vel Iouem, vel Mercurium, vel ſi quid aliud ſacrilegi nominis. Intrauit liber, vt nummis datis ſeruus exiret. Imò verò non intraret, ſi liber eſſet, ſed intrauit, quò eum dominus error, & domina cupiditas traxit. *Tom.9. tract.8. in Euang. Ioan.*

*Non conſentire Diabolo, in noſtra eſſe poteſtate voluit ille, qui fecit nos.*

Itaque aut fortunam, aut fatum inueniunt quod accuſent, aut Diabolum, cui non conſentire in poteſtate noſtra eſſe voluit, qui nos fecit: aut aliam naturam inducunt, quæ non ſit ex Deo, fluctuantes miſeri & errantes potius, quàm confitentes Deo, vt eis ignoſcat. Non enim oportet ignoſci, niſi dicenti, Peccaui. *To.8. in Pſal. 7. ſub finem. Idem oſtendit Tom.7. lib.2. contra duas Epiſtolas Pelag. cap.7. Item Tom.3. de doct. Chriſt. lib.2. cap.21.22.*

### *V. Liberum arbitrium non velut inanime quoddam, nihil omnino agere, aut merè paſsiuè ſe habere, ſed adiuuanti Deo cooperari.*

*Niſi lib. arbit. aliquid ageret in opere pio, non diceretur adiuuari.*

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Cùm adiuuari nos vult, nec ingratus eſt gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adiuuatur, etiam per ſeipſum aliquid agit. *Tom. 8. in Pſal.78.*

Pertinet ad nos, vt boni ſimus, accipere, & habere

quod dat, qui de ſuo bonus eſt. Quo quiſque neglecto, de ſuo malus eſt. *Tom.2. Epiſt.54. ad Macedonium.*

* *Epheſ.3.*

Petit (*Apoſtolus ab Epheſijs**) vt non infirmẽtur: quod non faceret, niſi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim reſponderent: Quid nos petis, quod in poteſtate non habemus? nunquid non viderentur iuſtum ſibi reddidiſſe reſponſum? Et tamen Apoſtolus niſi ſciret, eſſe in eis voluntatis propriæ conſenſionem, vbi & ipſi aliquid agerẽt, nõ diceret, peto. Et ſi diceret iubeo, niſi eos noſſet adhibere poſſe iuſſioni ſuæ voluntatẽ, ſine cauſa hoc verbũ de ore eius procederet. *To.10. de verbis Apo. Ser.7.*

*Voluntatis propriæ conſenſione, homo aliquid agit.*

Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant vnius corporis pulchritudinem, qua viſa vnus eorum ad illicitè fruendum moueatur, alter in volũtate pudica ſtabilis perſeueret, quid putemus eſſe cauſæ, vt in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quã illa res fecit, in quã facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis, nã eam nõ fecit in ambobus quãdoquidẽ amborũ non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? cur nõ & illius, an verò animus? Cur non vtriuſque? Ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt alterum eorum occulta maligni ſpiritus ſuggeſtione tentatum? quaſi non eidem ſuggeſtioni, & qualicunque ſuaſioni propria voluntate conſenſerit. Hanc igitur conſenſionem, hanc malam quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus. Nam vt hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat, atq; cõſentiat: alter idẽ qui fuerat, perſeueret: quid aliud apparet, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Vnde? niſi propria voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis & animæ affectio, amborũ oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo: ambobus pariter inſtitit occulta tẽtatio. *To.5. de Ciuit. Dei lib.12. ca.6.*

*In duobus ſimiliter omninò affectis et tentatis, quorum alter peccato reſiſtit, alter conſentit, maximè cernitur libertas arbitrij.*

* *1 Ioan.3.*

Omnis qui habet* ſpem hãc in ipſo, caſtificat ſemetipſum, ſicut & ipſe caſtus eſt. Videte quemadmodum nõ abſtulit liberum arbitrium, vt diceret, caſtificat ſemetipſum. Quis nos caſtificat niſi Deus? Sed Deus te nolentem non caſtificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, caſtificas temetipſum. Caſtificas te, non de

*Quomodo in eodem opere*



te, ſed de illo, qui venit, vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideò & tibi aliquid tributũ eſt, vt dicas ſicut in Pſalmo:* Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus eſto, aliquid agis. Nam ſi nihil agis, quomodo ille adiuuat? *Tom.9. in epiſt. Ioan. tract.4.*

*pio Deus ſimul & liberum arbitriũ agat.*

* *Pſal.26.*

Nec ideò tamen de hac re (*de domanda concupiſcentia mala*) ſolis votis agendum eſt, vt non ſubinferatur adnitendo etiam noſtræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noſter Deus dicitur. Nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſpontè conatur, quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationẽ voluntatémque nõ condidit, ſalutẽ noſtram Deus operatur in nobis. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.2. cap.5.*

*Adiuuari nõ poteſt, niſi qui ſponte aliquid conatur.*

*Nõ ſicut in lapidibus inſenſatis, Deus in homine ſalutẽ operatur.*

Omne (*inquit*) datum * optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, ſine quo nihil poſſumus facere, ſed ipſe in nobis facit opera, non tamen omnino ſine nobis. Cooperatores * quidem Dei ſumus, ſicut dicit Apoſtolus. Vult ſiquidem Deus, vt eum oremus, & vt ei aduenienti & præſtolanti ad oſtium aperiamus ſinum volũtatis noſtræ, & ei conſentiamus. *Tom.9. Scalæ paradiſi, cap.10.*

* *Iacob.1.*

*Deus in nobis facit opera bona, non tamen nobis non cooperãtibus.*

* *1.Cor.3.*

Fit vt per ignorantiam vel infirmitatem, non exertis aduerſus concupiſcentiam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tantò magis & crebrius, quantò deteriores, tantò minus & rarius, quantò meliores ſumus. *Tom.7. de pecc. mer. & remiſſ. lib.1. cap.39.*

Ne verò homo in vltimam fæcem deſidiæ reſolutus, arduum virtutis iter, & quanuis adiuuante gratia Dei, non niſi labore gradiendum, inerti ſibi crederet poſſe deferri, & nullius laboris induſtriam ſtudio ſui profectus adhiberet: ita inter ſe atque homines Deus tempora officiáque diſtribuens, ordinauit, vt vocatione ipſius bonorum principia ſumeremus, vocati autẽ atq; illuminati, vias mandatorum eius boni ingenii intelligentia noſceremus, & eas libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen ſi ipſius fulti adiutorio continua deuotione ſequeremur, in fine rurſus non repugnantem mandatis ſuis, ſubiectam

*Hominis eſt vias mãdatorũ Dei, libero vel eligere vel relinquere arbitrio.*

in nobis obedientiam coronaret. Liberum verò quod ab eo habemus arbitrium, prono ad nequitiam lapſu fluit,& cùm ad virtutis indolem,Dei auxilio deſerente,nihil poſsit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute ſubſiſtit. Trahit enim Lex * in membris nata peccati: & Deus à leni * iugo mandatorum ſuorum leuiq́ue ſarcina recedentes, atque in peccati duriſſimã ſeruitutem libero à iuſtitia volũtatis arbitrio defluentes,ſecundùm ſuam iuſtitiam derelinquit.Eos verò qui vocationis munus congrua pietate ſuſceperint, qui carnalibus non ſubiugantur illecebris, qui iactante vitio,auaritiæ facibus,vento ſuperbiæ caruerũt, & quantum in homine eſt, Dei in ſe bona ſeruantes,ad ſpiritalia exercitia omne ſtudium contulerunt, & in agone * huius vitæ certantes adiuuat,& coronas vincentibus largitur æternas:ipſe rurſus delinquentes deſerit, reſiſtentes indurat, contemnentes condemnat. *Tom.7. de prædeſt. & gratia,cap.9.*

** Rom.7. * Mat.11. 1.Ioan.5.*

** 2.Tim.2. In agone huius vitæ certantes Deus adiuuat, & coronas vincentibus largitur æternas. Penes liberũ arbitriũ parare locũ Deo vel Diabolo. Deus adiutor noſter nõ eſſet,niſi & nos aliquid ageremus.*

In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum: Deo, an Diabolo.Cùm parauerís,qui poſſidebit, ipſe imperabit.*Tom.10.lib.quinquaginta Homil.Homil.16.*

Prorſus hoc credite ſic, vos agere bona voluntate: quia vultis,vtique agitis: non enim adiutor eſt ille, ſi nihil agatis.Non enim cooperator eſt ille,ſi nihil operamini. *Tom.10. de verbis Apoſtoli, ſerm.13. Idem habet de perfectione iuſtitiæ,cap.vltimo,verſus finem. Pertinet etiã huc ex capite 5.de Iuſtificatione art.4.& 5.*

### *VI. Cum libertate arbitrij nec pugnare Dei præſcientiam,nec prædeſtinationem.*

QVoquo modo ſe habeant tortuoſiſſimæ concertationes & diſputationes Philoſophorum:nos vt confitemur ſummum & verum Deum, ita voluntatem ſummámque poteſtatem ac præſcientiam eius confitemur. Nec timemus,ne ideò voluntate non faciamus, quod voluntate facimus: quia id nos facturos ille præſciuit,cuius præſcientia falli non poteſt. *Tom.5.de Ciuit.Dei,lib.5.cap.9.*

Si dicitur Pharaonem non potuiſſe mutari, quia eum præſciuerat Deus non eſſe mutãdũ.Reſpondetur,



Dei præſcientiam non cogere hominem, vt talis ſit, qualem præſciuit Deus: ſed præſcire talem futurum, qualis futurus eſt, quanuis eum non ſic fecerit Deus. Quem ſi cogeret eſſe, hoc vtique cogeret, quod non eſt.Porrò ſi hoc præſcierat futurum eſſe, quod non eſt, præſcientia non eſt. Quod de Deo quàm impiè dicatur, aduertit quiſque, qui peccatis ſuis inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum eſſe præſcierit. *Tom.7.de prædeſt.& gratia,cap.15.*

*Dei præſciẽtia nõ cogit hominem vt talis ſit,qualem illum futurũ præſciuit.*

Euodius. Nondum video,quomodo ſibi non aduerſentur hæc duo:Præſcientia Dei de peccatis noſtris, & noſtrum in peccando liberum arbitrium. Nam & iuſtum Deum neceſſe eſt fateamur,& præſcium. Sed ſcire vellem,qua iuſtitia puniat peccata,quæ neceſſe eſt fieri: aut quomodo non ſit neceſſe fieri,quæ futura eſſe præſciuit. Aut quomodo non creatori deputandum eſt, quicquid in eius creatura fieri neceſſe eſt.Auguſtinus. Vnde tibi videtur aduerſum eſſe liberum arbitrium noſtrum præſcientiæ Dei? Quia præſcientia eſt, an quia Dei præſcientia eſt? Euodius. Quia Dei potius. Auguſtinus.Quid ergo,ſi tu præſcires peccaturum eſſe aliquem, non eſſet neceſſe vt peccaret? Euodius. Imò neceſſe eſſet vt peccaret. Non enim aliter eſſet præſcientia mea,niſi certa præſcire. Auguſtinus. Non igitur,quia Dei præſcientia eſt,neceſſe eſt fieri, quæ præſcierit: Sed tantummodo quia præſcientia eſt, quæ ſi non certa prænoſcit, vtique nulla eſt.Euodius. Conſentio. Sed quorſum iſta? Auguſtinus. Quia, niſi fallor,non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires.Neque ipſa præſcientia tua peccare eum cogeret,quanuis ſine dubio peccaturus eſſet.Non enim aliter id futurum eſſe præſcires. Sicut itaque non ſibi aduerſantur hæc duo, vt tu præſcientia tua noueris, quod alius ſua voluntate facturus eſt: ita Deus neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iuſtus quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim memoria tua non cogis facta eſſe quæ præterierunt: ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædã quæ feciſti, meminiſti, nec

*Præſcientia Dei peccatis non adfert neceſsitatẽ.*

*Exẽplo declaratur Dei præſciẽtia liberum arbitrium non tolli.*

tamen quæ meminiſti omnia feciſti: ita Deus omnia quorum ipſe auctor eſt præſcit, nec tamen omniũ quæ præſcit, ipſe auctor eſt: quorum autem non eſt malus auctor, iuſtus eſt vltor. *Tom.1.de lib.arbit.lib.3.cap.4.*

*In ordine cauſarũ qui Deo certus eſt, etiã noſtræ voluntates cõtinẽtur, liberè tamen agentes.*

Non eſt conſequens, vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideò nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quippè noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiúſque præſcientia continetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt. Atque ita qui omnes rerum cauſas præſciuit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit. *Ibidem.*

*Prædeſtinatio, qua Deus conſtituit homini donum aliquod ſupra naturã tribuere, nõ impedit, quò minus homo liberè præſtet ea quæ ad illud donum obtinẽdum vel conſeruandum pertinent.*

Sicut ille, quem caſtum futurum eſſe præſciuit, quanuis id incertum habeat, agit, vt caſtus ſit: ita ille quem caſtum futurũ prædeſtinauit, quanuis id incertum habeat, non ideò non agit, vt caſtus ſit, quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe, quod erit: imò etiam gaudet eius charitas, nec inflatur, tanquàm id non acceperit. Non ſolùm ergo prædicatione prædeſtinationis ab hoc opere non impeditur, verùm hoc adiuuat vt cùm * gloriatur, in Domino glorietur. Quòd autem dixi de caſtitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perſeuerãtia, & ne pergam per ſingula, hoc de omni obedientia, qua obeditur Deo, veraciſſimè dici poteſt. *Tom.7.de bono perſeuerantiæ, cap.17.*

** Hier.9. 1.Cor.1. 2.Cor.10.*

*Retẽta præſciẽtia Dei nõ cogimur voluntatis arbitriũ tollere: nec contrà, hoc poſito, illam negare.*

Non ergo propterea nihil eſt in noſtra volũtate, quia Deus præſciuit, quid futurum eſſet in noſtra voluntate. Non enim qui hoc præſciuit, nihil præſciuit. Porrò ſi ille, qui præſciuit, quid futurum eſſet in noſtra volũtate: non vtique nihil, ſed aliquid præſciuit: profectò & illo præſciente, eſt aliquid in noſtra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium: aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas eſt, negare præſciũ futurorũ: ſed vtrũque amplectimur, vtrunque fideliter & veraciter confitemur. Illud vt benè credamus, hoc vt benè viuamus. Malè autem viuitur, ſi de Deo nõ bene creditur. Vnde abſit à nobis eius negare præſcientiã, vt liberi eſſe velimus, quo adiuuante ſumus liberi, vel eri-



mus. Proinde nõ fruſtra ſunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes, quia & ipſas futuras eſſe præſciuit, & valent plurimùm, quantum eas valituras eſſe præſciuit: & preces valent ad ea impetrãda, quæ ſe precantibus conceſſurum eſſe præſciuit: & iuſta præmia bonis factis, & peccatis ſupplicia conſtituta ſunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit: Imò ideò non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat: quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit, qui ſi nolit omnino, non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiã hoc ille præſciuit. *Tom.5.de ciuit.Dei, lib.5.cap.9.*

*Quomodo leges, obiurgationes, exhortationes, laudes, vituperia, præmia, ſupplicia, preces, cum diuina conſtent præſcientia.*

*Quomodo diuina præſcientia non tollat libertatem hominis, cũ peccat vel benè agit: ſed potius eam confirmet.*

## *VII. Liberum arbitrium quid in Adamo ante peccatum potuerit.*

LIberum arbitrium quod homini datum eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autem nouiſſimum eò potentius erit, quò peccare nõ potuerit. Verùm hoc quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ. *Tom.5. de ciuitate Dei, libro 22.cap.30.*

*Liberũ arbitriũ in Adamo potuit peccare, & potuit non peccare.*

Nam vt calcatius liberum arbitrium cum poſſibilitatis bono, quo valeret implere quod voluiſſet Adam, factum eſſe intelligas, audi quid dicit Scriptura ſancta in libro Eccleſiaſtico: * Deus, inquit, ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum: Appoſui tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem eſt vita & mors, bonum & malum, & quod voluerit, dabitur illi. Quid eſt autem: & reliquit illum in manu conſilij ſui: niſi dimiſit eum in poſſibilitate liberi arbitrii ſui? In manu enim poſſibilitas intelligitur: Ipſa eſt prima gratia, qua primus homo ſtare potuiſſet, ſi ſeruare mandata Domini voluiſſet. *Tom.7.lib.3.hypog.prope initium.*

*Adamus iuſtitia originali ornatus poterat bona velle, & quæ voluiſſet efficere.*

** Eccle.15.*

*In homine protoplaſto fuit liberum*

Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione, vel diſcernendo quid eligat, quídue recuſet, puto quòd nomen accepit; vel ideò liberum arbitrium dictum,

*arbitrium integrum, hoc eſt, poſſibilitas agendi quod voluiſſet.*

quòd in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi quod velit poſſibilitatem, quod eſt vitalis& rationalis animæ motus. Sed huiuſmodi, vt antè iam dixi, fuit in homine protoplaſto, cùm ante peccatum maneret illæſus.

*Ibidem paulò infrà.*

*Adamus ante peccatũ quicquid voluit potuit, quia quicquid non potuit, noluit.*

In paradiſo enim, etiam ſi non omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat, & ideò poterat omnia quæ volebat. Nunc verò, ſicut in eius ſtirpe cognoſcimus, & diuina Scriptura teſtatur,* Homo vanitati ſimilis factus eſt. *Tom.5.de Ciuitate Dei, lib.14. cap.15.*

**Pſal.143.*

Per velle ergo malum rectè perdidit poſſe bonum qui per poſſe bonum potuit vincere velle malũ. Quem iuſtè Deus iam delicto captiuum, voluntati deprauatæ dimiſit, vt hæc eidem eſſet pœna in non faciendo quod velit, qui ſemper, ſi Deo fuiſſet obediens, ſufficere poſſet ad omne bonum quod voluiſſet. *Tom.7. hypognoſt. lib.3. prope initium.*

### *VIII. Liberum arbitrium ad perſiſtendum in bono, etiam in natura integra gratia indiguiſſe.*

*Liberum arbitrium ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non, niſi adiuuetur à Deo.*

QVid valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non, niſi adiuuetur à Deo. *Tom.9.de cantico nouo.cap.8.*

*Vt non poteſt ſalus accepta ſine Dei gratia cuſtodiri, ita nec amiſſa, ſine Dei gratia reparari.*

Natura enim humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare, quam perdidit? *Tom.2.Epiſt.106.ſub finem, ad Bonifacium.*

**Gen.2.*
**Eccleſ.7.*
*Deus quare permiſerit*

Creatus eſt * primus homo in natura ſine culpa, in natura ſine vicio, creatus eſt * rectus, non ſe fecit rectũ. Quid ſe autem fecerit, notum eſt, cadens à manu figuli fractus eſt. Regebat enim eũ ipſe, qui fecerat, voluit deſerere à quo factus erat, permiſit Deus, tanquam dicẽs: Deſerat me, & inueniat ſe, & miſeria ſua probet, quia nihil poteſt ſine me. Hoc modo ergò oſtendere voluit Deus homini, quid valeat liberum arbitrium ſine Deo. *Tom.10. Serm.11.de verbis Apoſtoli.*



*primum hominem cadere.*

*Ad iuſtitiã retinendam non ſufficiebat in paradiſo liberum arbitrium.*

Sine gratia nec in paradiſo vllum meritum eſſe potuiſſet. Quia etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutũ, non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur. Sicut enim mori eſt in hominis poteſtate cùm velit: nemo eſt enim, qui nõ ſeipſum, vt nihil aliud dicam, vel non veſcendo poteſt occidere: ad vitam verò tenendam voluntas non ſatis eſt, ſi adiutoria ſiue alimentorum, ſiue quorumque tutaminum deſint: ſic homo in paradiſo ad ſe occidendum, relinquendo iuſtitiam, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iuſtitiæ, parum erat velle, niſi ille, qui eum fecerat, adiuuaret. *Tom.3. In Enchirid.cap.106.*

*Meritũ bonum eſt, in adiuta diuinitus voluntate recta.*

Sic erat inſtitutus (*primus homo*) vt ſi de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret: ſi autem creatorem atque adiutorem Deum ſuperbè ſibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adiuta diuinitus voluntate recta: malum verò in deſerente Deum voluntate peruerſa. *Tom.5.de Ciuit.Dei, lib.14.cap.27. Lege & de corrept. & gratia, cap.12.*

### *IX. Deum non operari mala opera, ita vt bona: verùm illa permiſſiuè tantùm, hæc propriè & per ſe.*

*Volũtas mala non eſt à Deo.*
**Rom.9.*

NVſquam legimus in ſanctis Scripturis: Non eſt voluntas niſi à Deo. Et rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt volũtas niſi ab illo, quoniam mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus, id eſt, ſi non habeat poteſtatem. Porrò cùm voluntas mala poteſtatem accipit, implere quod intendit, ex iudicio Dei venit, * apud quem non eſt iniquitas. Punit enim etiam iſto modo, nec ideò iniuſtè, quia occultè. *Tom.3.de ſpir.& lit.cap.31.*

*Deteſtanda eorum opinio, qui Deum peccati faciũt auctorem.*
**Pſal.24.*

Deteſtanda & abominanda opinio eſt, quæ Deum cuiuſquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem, cuius prædeſtinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iuſtitiam eſt.* Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. Adulteria enim ma-

tronarum,& corruptelas virginum non inſtruere nouit ſancta diuinitas,ſed damnare: nec diſponere, ſed punire. Quæ mala homines cùm admittunt, ſuis concupiſcentiis & cupiditatibus ſeruiunt,quas ab illa prima voluntariæ præuaricationis labe traxerunt. Cum autem declinant à malo, & faciunt bonum à Domino greſſus hominis diriguntur, vt viam eius velit. Propter quod dicit Apoſtolus:* Oramus autem ad Dominum, vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt,faciatis. Non ergò caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates precantium, prædeſtinatio Dei aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit: ſed planè prædeſtinauit iudicium ſuum, quo vnicuique*retributurus eſt prout geſſit, ſiue bonũ, ſiue malum. Quod iudicium futurum non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent. Erit autem iudicium manifeſtiſſimè: & omnis homo quem diſcretio diuinæ ſententiæ in ſiniſtra* conſtituerit parte, damnabitur, quòd non Dei, ſed ſuam executus eſt voluntatem. *Tom.7.ad Artic.ſibi falsò impoſitos,Art.*10.

**1. Cor.13.*

*Deus neque excitator,neque ſuaſor eſt mali, neque ad illud impellit.*

**Matt.16. Rom.2.*

*Iudicium futurum non eſſet,ſi homines Dei voluntate peccarent.*

Nefas eſt Deo aſcribere cauſas talium ruinarum: qui etſi ex æterna ſcientia præcognitum habet, quid vniuſcuiuſque meritis retributurus ſit: nemini tamẽ per hoc quod falli non poteſt,aut neceſſitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.Si ergo à iuſtitia & pietate quis deficit,ſuo in præceps fertur arbitrio, ſua concupiſcentia trahitur,ſua perſuaſione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus ſanctus. Nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit: cuius ope ſcimus multos ne laberentur,retentos,nullos autem vt laberentur,impulſos.*Ibid, Art*,13.

**Matt. 25.*

*Præſcientia Dei non eſt cauſa peccatorum.*

Vbi ergò commemoratio operum*.Iudæ malorum à ſancto fit Spiritu in Pſalmis priuſquã eſſet,præſcitus eſt, nõ factus, quòd talis aduerſus Dei Filium futurus eſſet. Si enim factus eſſet, inculpabilis eſſet, & Dei opificio reputaretur, non Iudæ: Iniuſtè etiam in eum prolata ſententia damnationis eſſet.Sed abſit hoc à ſummo bono iudice, auctore omnium bonorum Deo,damnatore verò cunctorũ malorum,quia mala Iudæ, vt dixi, preſciuit,non prædeſtinauit,vel fecit,& tamẽ in quibus pre-

**Pſal.40. Act.1.*

*Mala Iudæ præſciuit Deus, non*



ſciuit,iudicio iuſto tradens eum*in reprobum ſenſum, vt impleret permiſit. Et ideò permiſit, quia per Spiritum ſanctum eum periturum antè prædixit:* Quia ſicut Chriſtum oportebat pati per Iudam, præcinente Spiritu ſancto per Prophetas:ita oportebat*Iudam perire,eodẽ ſancto Spiritu prædicente. *Tom.7.lib.6.Hypo.*

*prædeſtinauit, vel fecit.*

**Rom. 1.*

**Luc.24.*

**Pſal. 40. Act.1.*

Tenenda eſt igitur inconcuſſæ huius diſputationis Regula, quæ diuinis teſtimoniis claruit, Peccatores in malis propriis, antequàm eſſent in mundo, præſcitos eſſe tantùm, non prædeſtinatos: pœnam autem eis eſſe prædeſtinatam, ſecundùm quòd preſciti ſunt. *Ibidem, circa medium. plura, de peccatorum meritis & remiſſ.lib.2.cap.17. Et de ordine,lib.2.cap.7.*

*Peccatorum mala præſcita,pœna prædeſtinata.*

## *X. Per liberum arbitrium ſine gratia Dei præcepta impleri non poſſe.*

ILlud verò,quod dicunt,ſufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamſi Dei gratia, & Spiritus ſancti dono ad opera bona non adiuuetur,omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandum.Qui enim hoc aſſerunt, à gratia Dei penitus alieni ſunt: qui ignorantes Dei iuſtitiam,ſicut de Iudæis dicit Apoſtolus,* & ſuam volentes conſtituere,iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti:Plenitudo*quippe Legis non eſt niſi caritas. Et vtique caritas* Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per nos ipſos,nec viribus propriæ voluntatis, ſed per Spiritum ſanctum,qui datus eſt nobis. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, ſi diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petendo & faciendo. *Tom. 2. Epiſt. 89.quaſt. 2. ad Hilarium.*

**Rom.10.*

**Rom.13.*

**Rom.5.*

*Damnat hîc Auguſtinus, Chriſtiane Lector, Pelagianos,qui omnia mandata Dei ex caritate à nobis impleri poſſe ſine gratia dicebãt:Caritatẽ enim virib⁹ noſtris abſq; dono Dei aſſerebãt acquiri. Quare immeritò aduerſarij quoſdã ex Theologis Scholaſticis pelagianiſmi accuſant: cùm eorũ nemo doceat,ſine Dei gratia omnia Dei mãdata ſeruari poſſe,ſed fortè,aliquod,illúdque nõ ex caritate,ſed tantùm(vt ipſi loquuntur)ſecundùm ſubſtantiam actus.*

*Pelagianam autem hæreſim in hunc modum eſſe accipiendam, paulò pòſt, cùm recitabitur agnoſces.*

*Phreneticis comparātur, qui ad faciēdam iuſtitiā, gratiam Dei neceſſariam non eſſe contendunt.*

Phrenetici cùm ſint inſani, adeò ſe ſanos putant, vt nec medicum quærant, & tanquam importunum inſuper cædant: Sicut iſti Chriſtum inſana ſuperbia quodāmodo cædunt, cuius gratiæ tàm benignum adiutorium ad faciendam iuſtitiam, dato legis præcepto, neceſſarium non eſſe contendunt. Deſinant ergò ſic inſanire, & ad hoc ſe intelligant habere, quantum poſſunt, liberum arbitrium, non vt ſuperba voluntate reſpuant adiutorium, ſed vt pia voluntate inuocēt Dominum. Hæc enim voluntas libera tantò erit liberior, quantò ſanior: tantò autem ſanior, quantò diuinæ miſericordiæ gratiæque ſubiectior. *Ibidem.*

*Eſt igitur gradus in iuſtitia: nā qui amplius percipit Spiritū ſanctū, magis poteſt ſeruare Dei mandata.*

**Ioan.14.*
**Rom.10.*

Etſi alia cauſa quærenda eſt, non nunc eius inquiſitione in longiorem, quàm oportet modum ſermo iſte mittendus eſt: dum tamen conſtet, ſine Spiritu ſancto Chriſtum nos * diligere, & mandata eius ſeruare non poſſe, & id nos poſſe atque agere tantò minus, quantò illum percipimus minus: tantò autem amplius, quantò illum percipimus amplius. *Tom.9.tract.74.in Euang.Ioā.*

Pelagiani cùm profiteantur ſe eſſe Chriſtianos, ipſi gratiæ Chriſti ſic aduerſantur, vt ſe humanis viribus diuina exiſtiment implere mādata: ac ſic etiam ipſi* ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, non quidem nomine, ſed tantùm errore Iudaizantes. Hoc genus hominum capita ſibi inuenerat Pelagium & Celeſtium, impietatis huius aſſertores acerrimos. Qui recenti iudicio Dei, per diligentes & fideles ſeruos eius etiam Catholica cōmunione priuati ſunt, & propter cor impœnitēs, adhuc in ſua damnatione perſiſtunt. *Tom. 2. Epiſt. 200. prope initium, ad Aſellicum Epiſcopum.*

*Pelagius & Celeſtius Catholica communione priuati.*

*Quid igitur mirum, ſi caritas dicatur forma fidei, cùm ſit ei agendi principium?*

Pelagianorum eſt Hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima à Pelagio monacho exorta, quē magiſtrum Celeſtius ſic ſecutus eſt, vt ſectatores eorum Celeſtiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ, qua prædeſtinatî ſumus, in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, & qua eruimur de poteſtate tenebrarum, vt in eum credamus, atque in regnum ipſius transferamur,

propter



propter quod ait:* Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, & qua * diffunditur caritas in cordibus noſtris, vt fides* per dilectionem operetur, in tantum inimici ſunt, 1. vt ſine hac poſſe hominem credant facere omnia diuina mandata: cùm ſi hoc verum eſſet, fruſtrà Dominus dixiſſe videretur: * Sine me nihil poteſtis facere. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei, ad eius mandata faciēda, correptioni eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens: 2. Ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitriū, facilius poſſint implere per gratiam. Dicēdo vtique, vt facilius poſſint, voluit credi, etiamſi difficilius, tamen poſſe homines ſine gratia facere iuſſa diuina. 3. Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura. 4. Ad hoc tantùm ipſo adiuuante per ſuam legem atque doctrinam vt diſcamus, quæ facere, & quæ ſperare debeamus. Nos autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur. 5. Caritatem autem dari negant, qua piè viuitur: vt ſcilicet cùm ſit Dei donum * ſcientia, quæ ſine caritate inflat, non ſit Dei donum ipſa caritas, quæ vt ſcientia non inflet, ædificat. 6. Deſtruunt etiam orationes, quas facit Eccleſia, ſiue pro infidelibus, & doctrinæ Dei reſiſtentibus, vt conuertantur ad Deum: ſiue pro fidelibus, vt augeatur eis fides, & perſeuerent in eo. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes. 7. ſecundum merita noſtra dari. *Tom. 6. de Hæreſibus, hæreſi 88.*

**Ioan.6.*
**Rom.5.*
**Gal.5.*
*1. Credūt Pelagiani, poſſe ab homine ſine gratia omnia diuina mādata fieri.*
**Ioan.15.*
*2. Adhoc dari gratiā hominibus, dixit Pelagius, vt quæ facere per liberū arbitriū iubemur, facilius poßint impleri per gratiā: ergò ſecundùm Pelagiū gratia datur nō ad neceſsitatem, ſed ad facilitatem bene operandi.*
*3. Gratiā ſine qua nihil poſſumus facere, dixit Pelagius eſſe vires ipſas liberi arbitrij.* *4. Cū viribus liberi arbitrij putauit Pelagius, ad omnia præſtāda, quæ Deus præcipit, tantùm requiri doctrinam, vel ſcientiam legis, quam ſcientiā donū eſſe Dei cōfitebatur.* **1.Cor.8.* *5. Caritatem non eſſe Dei donū, ſed viribus liberi arbitrij acquiri poſſe. 6. Cōuerſionem ad Deū, fidē, eiuſque augmentū, & perſeuerantiā non à Deo, ſed à ſeipſis homines habere contendit Pelagius, vnde & preces tollit, quas ad id impetrandum facit Eccleſia.*

*7. Gratiam, qua liberamur ab impietate, dicebat Pelagius, ſecundùm merita noſtra dari.*

*Placuit, Chriſtiane lector, huc adſcribere Pelagianam hæreſim, cùm vt ex ea ſine fuco diſcas, quomodo intelligenda ſint, quæ proximè recitata fuerunt teſtimonia, tum vt ſine vllo ſtudio partium expendas, num aduerſarij, qui nos toties Pelagianiſmi accuſant, Pelagianam hæreſim ſatis intelligant. Nos ſeptem illa pronunciata Pelagianorum, quibus ipſorum hæreſis tota nititur, & numeris ſuprà notantur, conſtanter negamus. Nos neminem ſine excitante & adiuuante Dei gratia iuſtificari poſſe dicimus. Nos liberum noſtrum arbitrium excitanti & adiuuanti Deo aſſentiri poſſe, & cooperari, ſicque per fidem ſpem & caritatem ad iuſtitiam præparari, non iuſtitiam mereri docemus. Nos iuſtum hominem ex caritate bona opera Deo adiuuante efficere poſſe, ac illa Dei eſſe dona, & ſimul vitam æternam mereri profitemur. Quid hæc cum Pelagianis? Videant aduerſarij, ne Pelagianos imprudenter inſectando, Bardeſaniſtæ fiant, vel Manichæi, vel Abaylardiſtæ, qui liberum hominibus ademerunt arbitrium. Videant etiam, ne Chriſto iniuriã faciant, qui amicis ſuis, quibus caritatis donum & Spiritum ſanctum ſuo ſanguine meruit, donum merendi mereri nequiuerit. Sed de his poſteà.*

** Gen. 6.*

Quid ſignificat, quòd arca * in longitudine habuit trecentos cubitos, & in latitudine quinquaginta, & in altitudine triginta? Sancta Eccleſia, vt faciat mandata Dei, adiuuatur ſpiritu Dei, dicente Pſalmographo: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Niſi dilatatum cor habuiſſet, viam Domini minimè cucurriſſet. Et vnde dilatatur cor, niſi per caritatem ſpiritalem? Hinc & beatus Apoſtolus ſimili pſalmographo voce conſentit: * Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Vnde quæſo dilatatum eſt? Gratia, inquit, * Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Ergò accepto Spiritu ſancto operatur Eccleſia cum dilatatione præcepta Dei, quæ ſine gratia Spiritus ſancti nequaquam poterit operari. Hunc enim Spiritum ſeptiformem * Scriptura ſancta commemorat & commendat. Septies ergo ſeptem fiunt quadraginta nouem, & addito vno vt compleatur numerus, fiunt

*Eccleſia vt faciat mandata Dei adiuuatur ſpiritu Dei.*

** Pſal. 118.*

** 2 Cor. 6.*

** Rom. 5.*

** Iſa. 11.*



quinquaginta. Vnde & Dominus * aſcendens in cœlum, quinquageſimo * die miſit Spiritum ſanctum, vt corda credentium dilataret. Trecenti verò cubiti ſignificant decem præcepta legis, decies enim triginta, fiunt trecenta. Sed hæc præcepta non poſſunt impleri, niſi caritate faciente, id eſt, Spiritu ſancto, qui ſignificatur in latitudine quinquaginta cubitorum. Idcirco arca vtrunque numerum habet. Nam & ipſa opera bona propter ſupernum finem facit Eccleſia, quod ſignificant triginta cubiti altitudinis. *Tom. 4. 65. quæſt. q. 53.*

** Luc. 24.*

** Act. 2.*

*Præcepta impleri nõ poſſunt, niſi caritate faciente.*

*XI. Non omnia opera, quæ ante iuſtificationem ab infidelibus vel aliis peccatoribus fiunt, verè eſſe peccata aut odium Dei promereri.*

QVędã facta (*loquitur de operibus impiorũ*) vel legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ ſecũdùm iuſtitiæ regulã non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiã meritò rectéque laudamus. *Tom. 3. de Spir. & lit. cap. 27.*

Sicut non impediunt à vita æterna iuſtum, quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur. *Ibidem, cap. 28.*

*Sine aliquibus bonis operibus difficillimè vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur.*

Polemo ergò ſi ex luxurioſo continens factus ita ſciret, cuius eſſet hoc donum, vt eum abiectis ſuperſtitionibus gentium piè coleret, non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſapiens & ſalubriter religioſus exiſteret: quod ei non tantùm ad præſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futuram immortalitatem valeret. *Tom. 2. Epiſt. 130. ad Circenſes.*

*Polemo ethnicus ex luxurioſo continẽs factus nõ ſine Dei dono.*

Non debemus improbare iuſtitiã hominis, quæ prius eſſe cœpit, quàm coniungeretur Eccleſiæ, ſicut eſſe cœperat iuſtitia Cornelij, priuſquam ipſe eſſet in plebe Chriſtiana: quæ neque ſi improbaretur, dixiſſet ei Angelus: *Acceptæ ſunt eleemoſynæ tuæ, & exauditæ ſunt orationes tuæ, neque ſi ſufficeret ad capeſſendũ regnum cœlorum, vt ad Petrum mitteret, moneretur. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donaſt. lib. 4. cap. 23.*

*Iuſtitiã hominis needũ Eccleſiæ coniuncti, non improbandã eſſe exemplo Cornelij docetur.*

Neque enim & Cornelij* gẽtilis hominis orationes nõ ſunt exauditę, aut eleemoſynæ non ſunt acceptæ. Imò

** Act. 10. Ibidem.*

*Cornelij gentilis hominis eleemoſynæ et orationes, antequã Eccleſiæ incorporaretur exauditæ ſunt & acceptæ.*

& angelũ ad ſe mitti,& miſſum meruit intueri,per quem poſſet vtique ſine hominis alicuius acceſſu cuncta neceſſaria diſcere. Sed quoniam quicquid boni in orationibus & eleemoſynis habebat, prodeſſe illi non poterat, niſi per vinculum Chriſtianæ ſocietatis & pacis incorporaretur Eccleſiæ, iubetur mittere ad Petrũ, & per illum diſcit Chriſtum,per illum etiam baptizatus,Chriſtiano populo,conſortio quoque communionis adiungitur,cui ſola bonorum operum ſimilitudine iungebatur.Pernicioſè quippè contemneret bonum,quod nondum habebat,ſuperbiens ex illo,quod habebat. *Ibidem, lib.1.cap.8.*

*Iuſtitia legis ſine ſuo præmio non relinquitur.*

**Rom. 4.*

*Aliud eſt non iuſtificari, aliud non iuſtificari apud Deum.*

*Iuſtitia legis, quæ nõ iuſtificat apud Deum temporale habet præmiũ, non ergò peccatũ eſt, vel odiũ Dei promeretur.*

Eſt iſta quædam in operibus Legis iuſtitia,quando ſine ſuo præmio relicta non eſt:vt qui fecerit ea, viuat in eis. Vnde & ad Romanos dicit: * Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non ad Deum. Aliud eſt ergò non iuſtificari, aliud non iuſtificari apud Deum. Qui omnino non iuſtificatur,nec illa ſeruat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis iuſtificatur, non apud Deum iuſtificatur, quia temporalem inde expectat viſibilémque mercedem. Sed tamen eſt etiam iſta, vt dixi quædam,vt ſic dicam, terrena, carnaliſque iuſtitia.Nam & ipſe Apoſtolus eam iuſtitiam vocat,cùm alibi dicit. * Secundùm iuſtitiam, qua in lege eſt conuerſatus,ſine querela. *Tom.4. expoſ. Epiſt.ad Galat.cap 3.*

**Philip. 3.*

*Quantũ valeant ciuiles etiã ſine vera religione virtutes, Deus in conſtituẽdo, augendo, conſeruandóque Romano imperio ſatis oſtendit.*

Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus, etſi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam ciuitatem poſſet ſalubri religione perducere, cuſtodientes tamen quandam ſui generis probitatem,quæ poſſet terrenæ ciuitati conſtituendæ, augendæ, conſeruãdæque ſufficere. Deus enim ſic oſtendit in opulentiſſimo & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent ciuiles etiam ſine vera religione virtutes, vt intelligeretur,hac addita fieri homines ciues alterius ciuitatis,cuius rex veritas,cuius lex caritas, cuius modus æternitas. *Tom.*[illegible]*. Epiſt.5.ad Marcellinam,verſus finem.*

*Quod ergò Auguſtinus ſæpenumero diſputat, vt cõtra duas epi. pelag.lib.1.cap.3. & alibi, peccata eſſe quæcunque ab infideli-*



*bus fiunt. id ita accipiendum eſt, vt ex infidelitatis praua quadam contagione, non in Dei, ſed in laudem propriam diriguntur. Nam & ipſe Tom.7.contra Iulianum Pelag. lib.4.cap.3. verſus finem explicat ſe in hunc modum:* Si gentilis nudum operuerit, nunquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt? Prorſus inquantum non eſt ex fide, peccatum eſt: non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire peccatum eſt: ſed tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum. *Quid? quod eodem capite, cùm virtutes gentilium negaſſet eſſe bonas, & Iulianus bonas eſſe contrà contenderet:* Scito, *inquit*, nos illud bonum hominum dicere,illam voluntatem bonam, illud opus bonum,per quod ſolum homo poteſt,ad æternum Dei donum regnúmque perduci. *Arbitrandum igitur eſt eum, qui infidelium laudabiles actiones ex ſeipſis peccata eſſe neget, bonas inſuper, dummodo non beatæ vitæ meritorias, eſſe concedat, non ſenſiſſe id,quod quidam ex Auguſtino docere conantur,eas verè eſſe peccata, atque odium Dei promereri.*

**Epheſ.4.*

Siquis autem non habens caritatem, quæ pertinet ad vnitatem* ſpiritus & vinculum pacis, quo Catholica Eccleſia congregata connectitur, in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem,nuditatem,perſecutionem, pericula, carceres,vincula,tormenta, gladium vel flãmas, vel beſtias,vel ipſam crucem timore gehennarum & ignis æterni,nullo modo iſta culpanda ſunt, imò verò & hæc laudanda patientia eſt. Non enim dicere poterimus, melius ei fuiſſet,vt Chriſtum negando,nihil eorum pateretur,quæ paſſus eſt confitendo: ſed exiſtimandũ fortaſſe tolerabilius ei iudicium futurũ, quàm ſi Chriſtum negando cuncta illa vitaret:vt illud, quod ait Apoſtolus:Si tradidero corpus vt ardeã, caritatem autem non habeam,nihil mihi prodeſt: nihil prodeſſe intelligatur ad regnum cœlorum obtinendũ, nõ ad extremi iudicij tolerabilius ſuppliciũ ſubeundum. *Tom.4.de pat.cap.26.*

*Sunt ergo aliqua bona opera in his, qui ſunt ſine caritate.*

*Timore gehennæ Chriſtũ in tormẽtis nõ negare, etſi abſque caritate ab*

Neque enim hoc non eſt bonum, vt credat homo æterno ſupplicio ſe eſſe puniendũ, ſi negauerit Chriſtũ, vt pro iſta fide qualecumque ſuppliciũ perferat, & contemnat humanum. Proinde ſicut negandum non eſt, etiam hoc eſſe donũ Dei,ita intelligendum eſt,alia eſſe

*ſalutem non proſit, donum tamē Dei eſt.*

Dei dona filiorum illius Hieruſalem, quæ *ſurſum libera eſt mater noſtra. *Ibidem, cap. 27.*

*Gal. 4.

*Habet ergò voluntas humana libertatem idoneam ad volēdum & efficiendum opera vitæ præſentis, tam bona quàm mala.*

Eſſe fatemur liberũ arbitriũ omnibus hominibus, habens iudiciũ rationis, nõ per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere: ſed tãtùm in operibus vitæ pręſentis, tã bonis quã etiã malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur: id eſt, velle laborare in agro, velle mãducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domũ, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad pręſentem pertinet vitam, quæ omnia non ſine gubernaculo diuino ſubſiſtũt, imò ex ipſo & per ipſum ſunt, vel eſſe cœperunt. Malis verò dico, vt eſt velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere, res alienas velle diripere, Deum viuentem in ſecula blaſphemare, velle turpiter viuere, velle maleficia diſcere, velle inebriari & luxurioſè viuere, velle quicquid nõ licet, vel non expedit operari. *To.7. hypog. lib. 3 poſt initiũ*

## *XII. Per liberum arbitrium ſine gratia, hominem nullo modo poſſe, coram Deo iuſtam vitam inchoare aut perficere.*

GRatia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ, quod fides vera & Catholica tenet, ſemper Eccleſia puſillos cum magnis à morte primi hominis, ad vitam ſecundi hominis transfert: non ſolùm peccata delendo, verumetiam ad non peccandum rectéque viuendum, eos qui iam vti poſſunt voluntatis arbitrio, ſic adiuuando, vt niſi adiuuet, nihil pietatis atque iuſtitiæ, ſiue in opere ſiue etiam in ipſa voluntate habere poſſimus. Deus quippe *operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. *Tom.2. epiſt.106. ad Paulinũ, prope initiũ.*

*Nihil pietatis atque iuſtitiæ in opere vel in voluntate, ſine Dei auxilio eſſe poteſt.*

*Philip. 2.

*Ioan. 15.

Siquis per naturę vigorẽ bonũ aliquod, quod ad ſalutẽ pertinet vitæ ęternæ cogitare, vt expedit, aut eligere, ſiue ſalutari, id eſt, Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & in credendo veritatem, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis:



* Sine me nihil poteſtis facere. Et illud Apoſtoli: *Non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Tom 3. de Eccleſ. dogmat. cap. 44.*

*2. Cor. 3.

Liberum arbitrium perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non eſt liberum arbitrium, vt non peccemus, ſed tamen, vt peccare nolimus. Gratia verò efficit, vt non tantùm velimus rectè facere, ſed etiam poſſimus, non viribus noſtris, ſed liberatoris auxilio, qui nobis etiã perfectã pacẽ in reſurrectione tribuit, quæ pax perfecta bonã voluntatẽ cõſequitur. *Tom. 4. expoſ. quorundã propoſ. ex epiſt. ad Romanos, propoſitione 18.*

*In nobis ante gratiam, non eſt liberum arbitrium, vt nõ peccemus: ſed tamen vt peccare nolimus.*

Quis non videat, & venire quenquam (*ad Chriſtum*) & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolùm, ſi non venit: non autem poteſt, niſi adiutum eſſe, ſi venit. Et ſic adiutum, vt non ſolùm quid faciendum ſit, ſciat, ſed quod ſcierit, etiam faciat. *To.7. de gratia Chriſti, contra Pelag. cap. 14.*

*Gratia efficit, vt poſſimus etiam rectè viuere.*

Gratiam Dei, * qua charitas diffunditur in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ſic cõfiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omninò nihil boni ſine illa, quòd ad pietatem pertinet, verámque iuſtitiam fieri poſſe nõ dubitet. Non quomodo iſte, qui cũ dicit propterea dari gratiam, vt quod à Deo præcipitur facilius impleatur, quid de illa ſentiat ſatis oſtendit: ſcilicet quòd etiam ſine illa, etſi minus facilè, fieri tamen quod diuinitus pręcipitur, poteſt. In libro quippe ad virginem ſacram, quod & ſuprà commemoraui, cùm dicit diuinam mereamur gratiam, vt facilius nequam ſpiritui, ſancti ſpiritus auxilio reſiſtamus: ſignificat profectò quid ſapiat. Vt quid enim hoc verbum interpoſuit, facilius? An verò non erat integer ſenſus, vt nequam ſpiritui, ſancti ſpiritus auxilio reſiſtamus? Sed quãtũ detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volẽs vtiq. credi tãtas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam ſine auxilio Spiritus ſancti, etſi minus facilè, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur. Item in primo libro pro libero arbitrio: Cùm autem tam forte, inquit, tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitriũ, quod ge-

*Rom. 5.

*Nihil boni, quod ad pietatem verámque iuſtitiã pertinet, ſine gratia Dei fieri poteſt.*

*Sententia Pelagij de libero arbitrio et gratia.*

neraliter naturę humanæ creator inſeruit,rurſus pro eius inæſtimabili benignitate, quotidiano ipſius munimur auxilio. Quid opus eſt hoc auxilio, ſi tam forte, tam firmum eſt,ad non peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hîc vult intelligi, ad hoc eſſe auxilium,vt facilius fiat per gratiam, quod etſi minus facilè,tamen putat fieri præter gratiam.Item in eodem libro alio loco: Vt quod per liberum,inquit,homines facere iubentur arbitrium,facilius poſſint implere per gratiam.Tolle facilius, & non ſolùm plenus,verùm etiam ſanus eſt ſenſus,ſi ita dicatur: vt quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, poſſint implere per gratiam. Cùm autem facilius additur,adimpletio boni operis etiam ſine Dei gratia poſſe fieri,tacita ſignificatione ſuggeritur. Quem ſenſum redarguit, qui dicit:* Sine me nihil poteſtis facere. *Tom.7.de gratia Chriſti,contra Pelag. cap.27.& ſeq.*

** Ioan.15.*

*Cyprianus ad Quintū.*

*Non igitur negādum eſt liberum arbitrium, Auguſtini Cyprianique ſententia,quanuis Deo totū tribuendum ſit, quod rectè viuitur.*

Nunquid ſanctus (Cyprianus) tam memorabilis Eccleſiarum in verbo veritatis inſtructor,liberū arbitrium negat eſſe in hominibus,quia Deo totū tribuit,quod rectè viuimus? Nunquid legem Dei culpat, quando non ex ipſa iuſtificari hominem ſignificat, quandoquidem quod illa iubet,non à Domino Deo precibus impetrandū eſſe declarat?Nunquid ſub nomine gratiæ fatū aſſerit,quãuis dicat in nullo gloriandū,quãdo noſtrū nihil ſit?Nunquid ſicut iſti,Spiritum ſanctum adiutorium ita credit eſſe virtutis, tanquam ipſa virtus,quæ ad hoc adiuuatur,oriatur ex nobis,quãdo noſtrum nihil eſſe aſſerēs,propter hoc Apoſtolum dixiſſe cõmemorat:*Quid enim habes,quod non accepiſti? virtutémque excellentiſſimam,hoc eſt,patientiam,nõ à nobis dicit incipere, ac deinde adiuuari ſpiritu Dei,ſed ab ipſo caput, ab ipſo originem ſumere? Poſtremò, nec propoſitū bonum, nec ſtudium virtutis, nec mentes bonas ſine gratia Dei incipere & eſſe in hominibus confitetur, cum dicit, in nullo gloriãdum,quãdo noſtrū nihil ſit.Quid tam in libero abitrio conſtitutum,quam quod lex dicit:*non adorandum idolum,nec mœchandum, non homicidiū perpetrandum? Iſta autem ſunt atque huiuſmodi crimina, quæ ſi quiſquam commiſerit, à corporis Chri-

** 1.Cor.4.*

** Exod.20. Deut.5.*



ſti communione remouetur.Et tamen ſi beatiſſimus Cyprianus his non committendis exiſtimaret noſtram ſufficere voluntatem,nõ ſic intelligeret, quod in oratione Dominica dicimus * Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, vt hoc nos petere aſſeueraret, ne intercedente aliquo grauiore delicto,dum abſentes & non cõmunicantes à cæleſti pane prohibemur,à Chriſti corpore ſeparemur.Reſpondeāt certè hæretici noui,quid bonorum meritorum præcedat in hominibus inimicis nomini Chriſtiano. Non ſolùm enim non habēt bonum, ſed habent etiam peſſimum meritum. Et tamen etiam ſic Cyprianus intelligit,quod in oratione dicimus:Fiat voluntas tua,ſicut in cælo & in terra: vt & pro ipſis,qui propter hoc,terra,intelliguntur, oremus. Oramus ergo non ſolùm pro nolentibus,verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus.Quid ergo petimus, niſi vt fiāt ex nolentibus volentes,ex repugnantibus cõſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo,niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt:* Præparatur voluntas à Deo? Diſcant ergo eſſe Catholici, qui dedignantur ſi quid mali non faciunt,& ſi quid boni faciunt,non in ſeipſis,ſed in * Domino gloriari. *Tom.7. contra duas epiſtol. Pelag. lib.4. cap.9.*

*Ad euitanda crimina ſola non ſufficit volũtas noſtra.*

** Matth.6.*

*Cypri. in expoſitione orationis Dominicæ.*

*Oratur in Eccleſia pro nolentibus et repugnantibus,vt volētes & conſentientes fiant.*

** Prou.8.*

** 1.Cor.1. 2.Cor.10.*

Vides vtique,inquit Ambroſius, quia vtique Domini virt⁹ ſtudiis cooperatur humanis,vt nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quicquam incipere ſine Domino. Et ideò iuxta Apoſtolū *Siue mãducatis,ſiue bibitis omnia in Dei gloriã facite.Vides quemadmodum ſanctus Ambroſius,etiam illud quod ſolēt homines dicere,nos incipim⁹, & Deus perficit, his verbis abſtulit,dicens neminem quicquam vel incipere ſinę Deo? *Tom.7.de gratia Chriſti contra Pelag.cap.44.*

*Supra Lucã lib 2.cap.12.*

*Vbique Domini virtus ſtudiis humanis cooperatur.*

** 1.Cor.10.*

Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatē, de qua loquebatur Apoſtolus:* Si non ſumus idonei cogitare aliq̃d quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficiētia noſtra ex Deo eſt:profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis,quod ſine cogitatione non poſſumus,ſed ſufficientia noſtra, qua credere incipimus,ex Deo eſt. Quocirca ſicut nemo ſibi ſufficit ad incipien-

** 2.Cor.3.*

*Sicut initiũ & perfectio boni operis, ſic et initiũ et perfectio fidei, à Deo eſt.* * *Ioan.1.*

dum vel perficiendum quodcunque opus bonum, quod iam iſti fratres, ſicut veſtra ſcripta indicant, verum eſſe conſentiunt: vnde in omni opere bono incipiendo & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt: quoniã fides ſi non cogitetur, nulla eſt, & non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *To.7.de prædeſtinatione Sanctorũ, cap.2.*

*Ex plenitudine Chriſti ſinguli pro modulo ſuo tanquã particulas gratiæ accipiunt.* * *Ioan.3.* * *1.Cor.15.* *Chriſtus fidelibus occultiſſimã gratiã præbet.* * *Iacob 4.* *Donũ maximũ Spiritus ſanctus.* * *Rom.3.* * *Rom.5.* *Gratia, quia gratis datur.* *Gratia donũ eſt poſt delictorũ veniã.* *Per gratiæ cõmunicationẽ homo hærens Domino vnus cum eo ſpiritus eſt.* * *1.Cor.6.*

### *XIII. Gratiæ nomine non tantùm externum Dei fauorem, ſed etiam donum animæ, quo intrinſecus exornetur, intelligi.*

VTrum autem legerimus in ſcripturis ſanctis, gratiam pro gratia, forſitan quæritis: ſed habetis Euãgelium ſecundum Ioannem tanta luce clariſſimum, vbi Ioannes Baptiſta de Domino Chriſto dicit: *Nos omnes ex plenitudine eius accepimus pro modulo noſtro tãquam particulas noſtras, vt bene viuamus, ſicut Deus partitus eſt menſuram fidei, quia vnuſquiſque * proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic, & ipſa eſt gratia: Et inſuper accipiemus * & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur. *Tom.7.de gratia & lib.arbit.cap.9.*

Ille, in quo omnes* viuificabuntur, præterquam quod ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui ſpiritus occultiſſimã fidelibus gratiã, quã latẽter infundit & paruulis. *To.7.de pecc.merit. & remi.lib.1.cap.9.*

Deus ſuperbis* reſiſtit, humilibus dat gratiam. Gratia quippe Dei, donum Dei eſt. Donũ autẽ maximum ipſe Spiritus ſanctus eſt, & ideò gratia dicitur. Cùm enim omnes* peccaſſent, & egerent gloria Dei, quia per vnum *hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt, ideo gratia, quia gratis datur. Ideò gratis datur, quia non quaſi merces redditur poſt diſcuſſionem meritorum, ſed donum datur poſt delictorum veniam. *To.10.de verb. Dom.ſer.61.*

Legimus iuſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultam communicationẽ & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quiſquis hæret Domino vnus ſpiritus eſt. *Tom.7.de pecc.merit. & remiſ.lib.1.cap.10.*

Conſtat Gratiã Dei promiſſam eſſe teſtamento nouo



* *Ezech.36.* *Gratia eſt, per quã ſcribuntur leges Dei in cordibus hominũ.* * *Rom.5.* * *1.Timot.1.*

etiam per Prophetam: * eandémque gratiam in eo definitam, vt ſcribantur leges Dei in cordibus hominum, perueniántque ad eam cognitionem Dei, vbi non docebit vnuſquiſque ciuẽ ſuũ, vel fratrem ſuum dicẽs: Cognoſce Dominũ: quia omnes cognoſcent eum, à minore, vſque ad maiorem eorũ. Hoc donum ſpiritus ſancti eſt, quo* diffunditur caritas in cordibus noſtris. Charitas non quælibet, ſed charitas Dei, de corde* puro, & cõſcientia bona, & fide nõ ficta. *To.3.de ſpiritu et lit.cap 28.*

* *Rom.5.*

Apoſtolus quoque Paulus, Dilectio, inquit, * Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Nullum eſt iſto Dei dono excellentius. Solum eſt quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. *To.3.de Trinit.lib.15.cap. 17.ſub finem.*

*Gratia donũ effuſum in homines ad concupiſcentias tentationéſq; vincendas.* * *Epheſ.4.*

Siue ergo gratiã dixerit (*Pelagius*) eſſe liberũ arbitriũ, ſiue gratiã eſſe remiſſionẽ peccatorũ, ſiue gratiã eſſe legis præceptũ, nihil eorũ dicit, quod per ſubminiſtrationẽ Spiritus ſancti pertinet ad concupiſcentias tẽtationéſque vincendas, quem ditiſſimè effudit in nos, qui aſcendit in cælum, & captiuauit* captiuitatem, dedit dona hominibus. *To 2.epi 95.ad innocẽtium Papam, prope initiũ.*

### *XIIII. Gratiam Dei, aliam præuenientem, aliam adiuuantem eſſe.*

* *2.Cor.3.* * *Pſalm.58.* * *Pſalm.22.* * *2.Cor.8.*

BEnedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis: in qua ſi nos non præuenit Deus, non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſine illo *nihil poſſumꝰ facere, ꝑfectò nec incipere, nec perficere, quia vt incipiamus dictũ eſt: * Miſericordia eius præueniet me: vt perficiamus dictum eſt: *Miſericordia eius ſubſequetur me. *Et paulò poſt.* Hominis propoſitũ bonũ adiuuat quidẽ ſubſequẽs gratia, ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia. Studiũ quoque hominis, ꝙ dicitur bonũ, quãuis cũ eſſe cœperit, adiuuetur gratia, non tamẽ incipit ſine gratia, ſed ab illo inſpiratur, de quo dicit Apoſtolus: * Gratia autẽ Deo, qui dedit idẽ ſtudiũ ꝓ vobis in corde Titi. Si ſtudiũ quiſq; vt pro aliis habeat Deus dat: vt pro ſeipſo habeat, quis alius eſt daturus? *Tom.7.contra duas epiſt. Pelag.lib.2.ca.9.*

** Ioan.13.* · ** Prou.8.* · *Deus vt velimus operatur incipiẽs, qui volenti bus cooperatur perficiẽs.* · ** Philip. 1.* · ** Philip. 2.* · ** Rom.8.*

Animam meam* pro te ponã. Putabat enim ſe poſſe,quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtã etſi paruam dare cœperat charitatem,niſi ille,qui * præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.Propter quod ait Apoſtolus: * Certus ſum,quoniam qui operatur in vobis opus bonum,perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus,& ſic volumus,vt faciamus, nobiſcum cooperatur:tamẽ ſine illo vel operante,vt velimus,vel cooperante cum volumus,ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo vt velimus,dictum eſt:* Deus eſt enim,qui operatur in nobis & velle. De cooperante illo,cum iam volumus,& volendo facimus: Scimus, inquit,* quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid eſt omnia?niſi & ipſas terribiles ſæuáſque paſſiones?Sarcina quippè illa,quæ infirmitati grauis eſt, leuis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit, * eſſe ſuam ſarcinam leuem: qualis Petro fuit, quando paſſus eſt pro Chriſto,non qualis fuit, quando * negauit Chriſtum. *Tom.7.de gratia & lib.arbit.cap.17.*

*Sarcina, quæ infirmi tati grauis eſt,leuis effi citur charitati.* · ** Matt. 11.* · ** Matt.26. Marc. 14. Luc.22. Ioan.18.* · ** Philip. 1.*

Cum diuinitus adiuuatur homo,non tantùm ad capeſſendãm perfectionem adiuuatur, quod ipſe poſuiſti (*Iulianum alloquitur*) vtique volens intelligi eum per ſe incipere ſine gratia,quod perficit gratia:ſed potius quod Apoſtolus loquitur: * Vt qui in vobis bonum opus cœpit,perficiat vſque in finem. *Tom.7.contra Iulianum Pelag. lib.4.cap.3. Idem habes de gratia & libero arbit.cap.17.*

** Gen.25.* · ** Rom.9.*

A Deo homines nullis exiſtentibus meritis vocari, & vocatos, vt boni aliquid operentur, Dei adminiculis indigere,ſumpto de veteribus literis Apoſtolus monſtrat exemplo, poſtquàm illam de duobus * geminis electionem, omni repulſa laude meritorum, ad Dei gratiam iudiciúmque contulerat, videns quid impia poſſet blaſphemare garrulitas, dixit: * Nunquid iniquitas eſt apud Deum?Et ſequitur:Abſit:Et quaſi diceretur ei:Vnde probas?Parum putauit auctoritatem valere ſuæ doctrinæ,niſi ſententiam ſuam etiam legis do-



** Exod.33.* · *Miſericordia,qua vocamur ad rectè viuendũ, non ſufficit, ſi deſerat, qui vocauit.*

ceret exemplo. Sic enim intelligi voluit, quod Moſes dixerat: * Miſereor cuius miſerebor: & miſericordiã præſtabo,cui miſericors fuero: vt primam miſericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ ſola ad rectè viuendum non ſufficit,ſi deſerat, qui vocauit. *Tom.7.de prædeſt.& gratia,cap.10.*

** 1.Cor.15.* · ** Ibidem.* · ** Pſal.118.*

Gratia Dei,inquit (*Apoſtolus*) * ſum id quod ſum. Hæc eſt prima miſericordia, quam liberæ voluntatis opera conſequuntur. Sed vt Apoſtoli Pauli vocationẽ bona opera ſequerentur,quid ait?Et gratia eius in me vacua non fuit.Quid enim feciſti?Plus(inquit*)omnibus laboraui.Ne multum ſuperbias, ô liberi defenſor arbitrij,audiens Paulum de ſuis laboribus gloriantem. Attende quod ſequitur:Non ego autem,ſed gratia Dei mecum. *Et paulò pòſt.* Da mihi * intellectum, & ſcrutabor legẽ tuã, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Parum erat, quod ad ſcrutandam legem popoſcerat intellectum, niſi etiam ad cuſtodiendam neceſſarium ſignificaret auxilium,dicẽs:Et cuſtodiam illam in toto corde meo,quaſi diceret,Tunc cuſtodiam illam in toto corde meo,ſi tu dederis intellectum. *Ibidem,cap.11.*

### *XV. Liberum arbitrium neque à præueniente, neque ab adiuuante gratia deſtrui.*

ARbitrium volũtatis humanæ nequaq̃ deſtruimus, quando Dei gratiam, qua ipſum adiuuatur arbitrium,non ſuperbia negamus ingrata,ſed grata potius pietate prædicamus.Noſtrum enim eſt velle,ſed voluntas ipſa etiam mouetur vt ſurgat,& ſanatur vt valeat,& dilatatur vt capiat,& impletur vt habeat. *Tom.4.de bono viduitatis,cap.17.*

** Phil.2.* · *Diluitur eorum obiecti,qui in operibus pijs liberũ arbitriũ nihil agere dicũt. Igitur operari poteſt homo ſuam ſalutem.*

Non enim,quia dixit,* Deus eſt qui operatur in vobis & velle & operari,pro bona voluntate: ideò liberũ arbitrium abſtuliſſe putandus eſt.Quod ſi ita eſſet, nõ ſuperius dixiſſet:Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini.Quando enim iubetur,vt operentur,liberum eorum conuenitur arbitrium: ſed ideo cum timore & tremore, ne ſibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tanq̃ ſuis extollantur operibus. *Tom.7.de gratia & libero arbitrio,cap.9.*

*Sicut nec lex per fidẽ, ſic nec liberũ arbitriũ per gratiam euacuatur.*
* *Rom.3.*

Liberum ergo arbitriũ euacuamus per gratiam? Abſit,ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex* per fidem,ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur,ſed ſtatuitur.Neque enim lex impletur, niſi libero arbitrio,ſed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrij,per liberum arbitrium iuſtitiæ dilectio, per iuſtitiæ dilectionem legis operatio. *Tom.3.de ſpiritu & litera,cap 30.*

* *Ioan.3.*
* *Rom.3.*

*In cogitationibus & actionibus piis liberum arbitriũ nequaquam à gratia ſeparandum.*
* *Ioan.15.*

*Nec Dei gratia negãda,nec liberũ arbitriũ in operibus ſalutaribus à gratia ſeparandum.*

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio Ioannis Apoſtoli, * non venit, vt iudicaret mundum, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum. Poſteà verò ſcribit Apoſtolus Paulus:* Iudicabit Deus mundum,quando venturus eſt, ſicut tota Eccleſia in Symbolo confitetur,iudicare viuos & mortuos.Si igitur nõ eſt Dei gratia, quomodo ſaluat mundum? Et ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo iudicat mundũ? Proinde librum vel epiſtolam meam, quam ſecum ad vos ſupradicti attulerunt, ſecundum hanc fidem intelligite,vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendatis,vt à Dei gratia ſeparetis, tanq̃ ſine illa vel cogitare aliquid,vel agere ſecũdum Deum vlla ratione poſſimus, quod omnino non poſſumus. Propter hoc enim Dominus cùm de fructu iuſtitiæ loqueretur,ait diſcipulis ſuis:* Sine me nihil poteſtis facere. *Et paulò pòſt.*Credite diuinis eloquiis,quia & liberum eſt hominis arbitrium,& gratia Dei,ſine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti poteſt ad Deũ, nec proficere in Deo. *Tom.2. Epiſt.46.ad Valentinum.*

Ipſa etiam ratio, quæ de iis rebus (*gratia & libero arbitrio*) à talibus,quales ſumus,iniri poteſt,quemlibet noſtrum quærentem vehemẽter anguſtat,ne ſic defendamus gratiam, vt liberum arbitriũ auferre videamur: rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, vt ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur. *Tom.7.de peccat.mer.& remiſſ.lib.2.cap.18.*

*Facit hoc contra hæreticos præſentes, & contra Pelagianos,quorum illi gratiam adeò efferunt, vt liberum arbitrium tollant, hi contrà liberum arbitrium ita extollunt,vt gratiæ Dei ſint ingrati.*



Non ergo arbitriũ voluntatis tollimus, ſed Dei gratiam prædicamus. Cui enim proſunt iſta (*auxilia Dei*) niſi volenti?ſed humiliter volenti, non ſe de voluntatis viribus,tanquam ad perfectionẽ iuſtitiæ ſola ſufficiat, extollenti. *Tom.7.de nat.& gratia.cap.33.*

### *XVI. Liberum arbitrium à gratia ſanari, iuuari, & perfici.*

*Per gratiã Dei fit & augetur bona volũtas, vt diuina mãdata implere poßit.*
* *Eccleſ.15.*

*Adiuuatur volũtas, vt faciat,quod iubetur: ergo Dei auxiliũ nõ tollit vim actiuam liberi arbitrij, ſed adiuuat.*
* *Pſal.36.*
* *Philip.2.*

*Igitur homo facit op⁹ bonũ: nõ tamen ſibi illud tribuere debet, ſed Deo,qui fecit,vt facere poſſet.*
* *Ezech.36*

GRatia Dei ſemper eſt bona,& per hanc fit,vt ſit homo bonæ voluntatis,qui prius fuit volũtatis malæ. Per hanc etiam fit,vt ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit,augeatur,& tam magna fiat,vt poſſit implere diuina mandata,quæ voluerit,cùm valde perfectéq; voluerit. Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt, * Si volueris,conſeruabis mandata: vt homo qui voluerit: & non potuerit,nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret,vt habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur, vt faciat quod iubetur:tunc enim vtile eſt velle,cùm poſſumus, & tunc vtile eſt poſſe, cùm volumus. Nam quid prodeſt,ſi quod non poſſumus,volumus: aut ſi quod poſſumus,nolumus? *Tom.7.de gratia & libero arbitrio.ca.15.*

Certum eſt enim,nos mandata ſeruare, ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt,vt tantum velimus,quantum ſufficit,vt volendo faciamus.Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui, quòd præparatur voluntas à Domino, de quo dictũ eſt:*A Domino greſſus hominis dirigentur,& viã eius volet,de quo dictũ eſt:*Deus qui operatur in vobis & velle,& operari. Certũ eſt nos facere,cùm facimus,ſed ille facit,vt faciamus,præbẽdo vires efficaciſſimas volũtati,qui dixit,*Faciã vt in iuſtificationibus meis ambuletis,& iudicia mea obſeruetis & faciatis. Cùm dicit:faciã vt faciatis:quid aliud dicit, niſi auferam à vobis cor lapideũ,vnde non faciebatis, & dabo cor carneum vnde faciatis? Et hoc quid eſt,

*Cor obediēs benè facit, ſed vt obediens ſit facit Deus.*
** Pſal. 140*
** Pſal. 38.*

niſi auferam cor durum, vnde non faciebatis: & dabo cor obediens, vnde faciatis? Ille facit, vt faciamus, cui dicit homo,* Pone Domine cuſtodiam ori meo: hoc eſt enim dicere, Fac vt ponam cuſtodiā ori meo, quod beneficium Dei iam fuerat conſecutus, qui dixit:* Poſui ori meo cuſtodiam. *Ibidem, cap. 16.*

** Matt. 16. Rom. 2.*
*Falluntur ergo & fallunt, qui liberum arbitrium, Dei gratiæ, nihil cooperari docent.*

Etiam hoc tamen indicauerunt, quòd plures veſtrū non ita ſentiant, ſed liberum arbitriū adiuuari fateantur per Dei gratiam, vt rectè ſapiamus atque faciamus, vt cùm venerit Dominus * reddere vnicuique ſecundū opera eius, inueniat opera noſtra bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Hoc qui ſentiunt, benè ſentiunt. *Tom. 2. epiſt. 46 ad Valentinum.*

** Pſal. 72.*
*Elegās gratiæ & liberi arbitrij cum ſeſſore & eius iumento comparatio.*
*Liberū arbitriū vulneratum viuit in hōie, nō ergo per peccatū penitus extinctū eſt.*
** Zach. 11.*
*Liberū arbitriū domatur à gratia*
** Ioan. 14.*
** Iſai. 31.*
** 1. Cor. 12.*
** Pſal. 142*

Rectè namque arbitror liberum arbitrium comparari iumento: vnde & dictum eſt: * Velut iumentū factus ſum apud te: gratiam verò ſeſſori: quia ſicut iumentum animal viuaciſſimum vt dometur ad opus homini neceſſarium, de armento vagum apprehenditur, & incipit per curam domantis ſe, ad eius proficere voluntatem: ita & liberum arbitrium, quod vulneratum viuit in homine, gratia Dei apprehenditur de armento luxuriæ ſeculi, in quo ſub paſtore Diabolo vagabatur per incongruas voluntates. Paſtorem Diabolum dixi ſecundum Zachariam prophetam, de eo dicentem: * O paſtor & idolum. Apprehenditur ergo gratia, vt dixi, ad domandum liberum arbitrium, vt & malæ conuerſationis depoſita feritate humilietur, vt ad obedientiam dum in opus domino neceſſarium corrigatur, & ita per eius ſemper curam incipiat in Dei proficere voluntatem. Sicut enim iumentum illud, dum in via dirigitur, vt iter rectum, ſiue leniter, ſeu curſim, ſecundum ſedentis in ſe voluntatem, poſſit incedere, quoaduſque ad locum perueniat deſtinatum: ita & liberum arbitriū dum in via, id eſt, in Chriſto, quia ipſe ait: * Ego ſum via, veritas, & vita, cœperit eſſe, gratiæ regimine regitur, vt in ſemitis * recto corde, ſiue patientia charitatis, ſiue feruente ſpiritu, id eſt, ſecundum diuiſiones * gratiarum ſpiritus, qui per gratiam ſingulis diuidit ſicut vult, poſſit ambulare, quoaduſque ad promiſſum regnum cœlorum perueniat. Ideo in Pſalmis ait: * Spiritus tuus bonus



bonus deducet me in terram rectam. Et vt illud, cùm aliquoties ſub ſeſſore paſtum largioribus cibariis incūbens fræno, curſu extollitur, ſeſſoris flagello cæditur, vt ſecundùm eius ambulet voluntatem: ſimiliter & liberum arbitrium, dum homo gratiæ Dei immemor in proſperis efficitur, & tanquam de ſui poſſibilitate gloriatus extollitur, eius flagello corripitur, cùm in variis tribulationibus & afflictionibus paululum ſubiugatur, vt humiliatus homo in ſua infirmitate, ad gratiæ recurrat auxilium. Sicut ergo homo ſedens in iumento, cùm peregerit iter quod inceſſit, dicit: Feci hodie, vtputa, triginta miliaria, cùm illo ſedente, iumentum cucurrit triginta miliaria, ſed non ea cucurriſſet, niſi à ſeſſore tam directum in via, quàm gubernatum fuiſſet. Rectè ergo ſeſſor, quem gratia figurat, dicit, feci triginta miliaria. Ipſe enim fecit, qui iumentum facere fecit, & tamen vtriſque labor itineris imputatur: ita & gratia & liberum arbitrium peragit ſine dubio iter fidei liberum, dum Dei Chriſtianus facit præcepta, ſed non, vt ſuprà dixi, ſine gratia dirigente vel gubernante: propter quod dicitur in Pſalmis:* Dirige in conſpectu tuo viam meam: Et,* A Domino greſſus hominis diriguntur. Itaque nec gratia ſine libero arbitrio facit hominē habere beatam vitam: nec liberum arbitrium ſine gratia. *Tom. 7. Hypog. contra Pelag. lib. 3. vltra medium.*

*Et gratia, & liberum arbitrium, iter fidei peragit.*
** Pſal. 5.*
** Pſal. 36.*

### *XVII. Liberum arbitrium, præueniente gratia excitari atque præparari, ſubſequente verò, vt & perficere bonum, & in eo perſeuerare poſſit, corroborari.*

*Poteſt voluntas noſtra à Deo ſanata & adiuta ſecūdū Dei viuere voluntatem.*
** Ezech. 36*
*Volūtas ho-*

Viciato ergo libero arbitrio, totus homo eſt viciatus, per quod abſque adiutorio gratiæ, quod Deo placeat, nec valet incipere, nec perficere ſufficit. Præuenitur autem medicina, id eſt, Chriſti gratia, vt ſanetur, & reparetur in eodem viciata atque præparetur voluntas, quæ ſemper indigens adiutorio, illuminante gratia ſaluatoris, poſſit tam Deum cognoſcere, quàm ſecundum eius viuere voluntatem. Cùm enim dicit per Prophetā Dominus:* Et dabo in vos cor nouū & ſpiritum nouū: quid aliud ſignificat, niſi volūtates homi-

num lapſas præuaricatione veteris hominis, per Chriſtum nouum hominem reparari, & præparari ad Dei voluntatem, ſicut ſcriptum eſt:* Præparatur voluntas à Domino. Iterum Apoſtolus Paulus,* Deus (inquit) eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate. *Tom. 7. lib. 3. hypognoſt. circa principium.*

*minis lapſa in præuaricatione Adæ per Chriſtũ reparanda.*
** Philip. 2.*
** Pſal 36.*

Nullos videtur attendiſſe, cùm dixit,* & ipſe faciet niſi eos qui dicũt, nos facimus, id eſt, nos ipſi nos ipſos iuſtificamus: vbi quidẽ operamur & nos, ſed illo operante, cooperamur, quia miſericordia eius * præuenit nos. Præuenit autem vt ſanemur, quia & ſubſequetur, vt etiam ſanati vegetemur. Præuenit vt vocemur, ſubſequetur, vt glorificemur. Præuenit vt piè viuamus, ſubſequetur, vt cum illo ſemper viuamus, quia ſine * illo nihil poſſumus facere. Vtrunque enim ſcriptum eſt, &, * Deus meus miſericordia eius præueniet me: &,* Miſericordia tua ſubſequetur me per omnes dies vitæ meæ. *Tom. 7. de natura & gratia, cap. 32.*

*Operante Deo nos cooperamur.*
** Pſal. 58.*
*Præuenietis & ſubſequẽtis gratiæ neceſſitas.*
** Ioan. 15.*
** Pſal. 58.*
** Pſal. 22.*

Quod ait (*Apoſtolus*) * *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, non tollit liberum voluntatis arbitrium, ſed non ſufficere dicit, velle noſtrum, niſi adiuuet Deus. *Et poſt pauca.* Neque velle poſſumus, niſi vocemur, & cùm poſt vocationẽ voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus & vires currẽtibus præbeat, & perducat, quò vocat. *Tom. 4. expoſ. in epiſt. ad Rom. cap. 62.*

** Rom. 9.*
*Illud Apoſtoli, Nõ eſt volẽtis &c. non tollit liberum arbitrium.*

Ille facit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Ieſu, qui fecit hominẽ principem fidei, & perfectorem Ieſum. *Tom. 7. de prædeſtinatione Sanctorum, lib. 1. cap. 15.*

** Rom. 9.*

Non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis: ac per hoc ſi rectè dictum eſt: * Non volẽtis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id volũtas hominis ſola nõ implet, cur non & è cõtrario rectè dicitur, nõ miſerentis eſt Dei, ſed volẽtis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola nõ implet? Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat: reſtat, vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currẽtis, ſed miſerẽtis eſt Dei,

*Bonũ opus quare totum Deo tribuatur, licet voluntas noſtra ī eo aliquid efficiat.*
*Bona volũtas præcedit multa Dei dona, nõ ta-*



* vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandã, & adiuuat præparatã. Præcedit enim bona volũtas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam vtrũque legitur in ſacris eloquiis, &,* Miſericordia eius præueniet me, &, * Miſericordia eius ſubſequetur me. Nolentem præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. *Tom. 3. Enchirid. cap. 32.*

*men omnia, ſiquidem & ipſa donum Dei eſt.*
** Pſal. 58.*
** Pſal. 22.*
*Deus nolẽtẽ præuenit, vt velit, volẽtem ſubſequitur, ne fruſtra velit.*

# CAPVT QVARTVM
## DE FIDE ET OPERIBVS.

### I. *Quid ſit fides.*

QVID EST fides, niſi credere, quod non vides? Fides ergo eſt, quod non vides credere: veritas, quod credidiſti videre. *Tom. 9. in Euãgel. Ioannis, Tract. 40.*

*Fidei veritatíſque diſcrimen.*

De hac enim fide nũc loquimur, quam adhibemus, cùm aliquid credimus, non quam damus, cùm aliquid pollicemur: nam & ipſa dicitur fides. Sed aliter dicimus, non mihi habuit fidem: aliter autem, nõ mihi ſeruauit fidem. Nam illud eſt, non credidit, quod dixi: illud, non fecit, quod dixit. Secundum hanc fidem, qua credimus, fideles ſumus Deo: ſecũdum illãm verò, qua fit, quod promittitur, etiam Deus ipſe fidelis eſt nobis. Hoc enim dicit Apoſtolus: * Fidelis Deus, qui non ſinit vos tentari ſuper id, quod poteſtis. *Tom. 3. de ſpir. & litera. cap. 31.*

*Nominis fidei duplex acceptio.*
** 1. Cor. 10.*

*Neutra fidei acceptio fidei ſpeciali hæreticorum conuenit: nam altera Dei verbis credimus tantùm: ſecundum alteram Deus nobis fidelis dicitur. At fides ſpecialis humana perſuaſione nititur, mihi ſcilicet remiſſa eſſe peccata, vel mihi Deum eſſe propitium.*

Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur, nam quid magnum eſt, ſi id creditur quod videtur, ſecundum illam eiuſdem Domini ſententiam, quando diſcipulũ arguit, dicẽs:* Quia vidiſti me, credidiſti: beati qui nõ viderũt, & credũt. Et neſcio vtrũ credere dicẽdus eſt quiſque quod videt: nam ipſa fides in epiſtola quæ ſcri-

*Laus fidei, credere quod non vides.*
** Ioan. 20.*

*Fides ergo definita ad Heb. 11. eſt fides rerum, quæ creduntur, non vana quædam fiducia.*

** Ioan. 14.*

** Ioan. 20.*

bitur ad Hebræos, ita eſt definita: * Eſt autem fides ſperantium ſubſtantia, & conuictio rerum, quæ nõ videntur. Quapropter ſi fides eſt rerum quæ creduntur, eadémque fides earum rerum eſt, quæ non videntur: quid ſibi vult, quod Dominus ait: * *Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis?* Nónne potius dicendum fuit: Et nunc dixi vobis, priuſq̃ fiat, vt credatis, quod cùm factũ fuerit, videatis? Nam & ille, cui dictum eſt: * Quia vidiſti, credidiſti, non hoc credidit, quod vidit, ſed aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominẽ, credidit Deũ. *Tom. 9. in euãg. Ioan. Tract. 89. Lege & Tom. 2. epiſt. 112. ad Paulinũ, vſque ad cap. 5.*

*Fidei primũ officium.*

Fidei primum & maximum officium eſt, vt in verum credatur Deum. *Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 4. cap. 20.*

** Hebr. 11.*

Nec fides omninò dicenda (*quæ præſenti et viſibili præmio nititur*) quandoquidẽ fides ita definita eſt: Fides * eſt ſperantiũ ſubſtantia, & conuictio rerũ, quæ non videntur: vnde etiã in eadem, vbi & hoc ſcriptũ eſt, ad Hebræos epiſtola, cùm cõſequenter enumeraſſet quoſdam, qui Deo fide placuerũt: Secũdũ fidẽ (inquit) mortui ſunt hi oẽs, cùm non accepiſſent promiſſiones, ſed longè eas vidẽtes, & ſalutãtes, & cõfitentes, quia hoſpites & peregrini ſunt ſuper terram. *Tom. 7. de peccat. merit. remiſſ. lib. 2. cap. 31. Vide Tom. 10. Homil. 32.*

*Nituntur, pie Lector, recentes hæretici deſcriptionẽ fidei ab Apoſtolo traditam, fiduciæ vel fidei à ſe cõfictæ, quã ſpecialem vocant, adaptare. Eſt autẽ ſpecialis fides apud illorũ pleroſque (diſsident enim ab inuicem) certa firmáque perſuaſio, vel potius confidentia, qua quiſque certò ſtatuit confidítque, Deum peccata per Chriſtum ſibi remiſiſſe, propitiũ atque beneuolũ eſſe patrem, & ſalutem æternã conceſſurũ. Sed fruſtrà id tentãt homines callidi, maximè ſi Auguſtini expoſitionẽ ſequãtur. Primũ enim per ὑπόστασιν vel ſubſtantiam nihil aliud Apoſtolus cum Auguſtino intelligit, quàm ipſum donũ vel habitum fidei, qui ſcilicet tum propter firmum aſſenſum, quem in nobis generat, tum propter certitudinem rerum creditarum, quæ fallere poſſunt neminem, efficit, vt res ſperatæ ſiue promiſsiones Dei iam nũc in nobis quodammodo ſubſiſtant, mentiſque oculis quodammodo cernantur. Deinde, ἐλπιζομένων, quod verbum eſt medium, & vulgatus interpres paſsiuè, rerum ſperandarum, vertit, Auguſtino licuit actiuè, ſperantiũ, transferre. Qua in re fidem à ſpe manifeſtè ſeiungit: ad quam ſpem bona omnis fiducia potius referenda eſt. Denique, ἔλεγχος quod Auguſtinus conuictionem (non coniunctionem, vt mendoſa quædam habent exemplaria) vertit, non aliud eſt hoc loco, quàm oſtenſio vel argumentum, quo intellectus propter grauiſsimam, & nunquam fallentem Dei auctoritatem conuictus, veriſsima eſſe credit, quæ ab eo dicuntur, quamuis interim nec ſenſibus, nec menti ſint euidentia. Cùm igitur & ὑπόστασις ſiue ſubſtantia, & ἔλεγχος ſiue argumentum, vel, vt Auguſtinus loquitur conuictio, ad intellectum potius, quàm ad voluntatem pertineant, manifeſtum eſt non hîc definiri fiduciam vel fidem ſpecialem hæreticorũ, quæ potius ad ſpem in voluntate locatam referri debet. Huc accedit, quòd fides ideò dicitur ἔλεγχος, rerum non apparentiũ, quòd ſit rerum, quæ propter diuinam auctoritatem credendæ ſint, & fallere nequeant: at quòd hic vel ille veniam acceperit peccatorum, quòd Deum habeat amicum, quòd ſit perſeueraturus vel futurus ſaluus, nullum Dei verbum, nulla Dei expreſſa auctoritas extat, qua id fide credere conuincamur. Nec id ſine cauſa, cùm manifeſtum ſit, huic perſuaſioni vel fiduciæ frequenter errorẽ ſubeſſe, quod manifeſtum faciunt contraria inter ſe hæreticorum ſectæ, quibus tamen cõmune eſt, huiuſmodi fallaciis peccatorum veniam vel ſalutem ſibi certò polliceri. Iam verò quis nõ videat, non ex Auguſtini tantùm ſententia locis citatis, Baſilij item concione in Pſal. 115. Bernardi epiſt. 191. Chryſoſt. hom. 21. & 22. in epiſt. ad Hebræos, Theophylacti, Anſelmi, Sedulij, & aliorum in cõmentarijs ſuper eandem Epiſtolam: ſed etiã ex ipſius Apoſtoli verbis, non fiduciam hæreticorum, ſed generatim fidem rerum credendarum deſcribi? Illa enim fides deſcribitur, de qua paulò antè citatus fuerat locus ille Abacuc 2. Iuſtus ex fide viuit: fides inquam illa, qua credimus ſecula verbo Dei aptata fuiſſe: qua Noë reſponſo acce-*

*pto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ: quæ credimus eſſe Deum: quæ denique illuſtrati veteres ſancti, multa præclaráque fecerunt opera. Quæ omnia quomodo vanæ illi fiduciæ adaptari poſſint, nouatores viderint. Quantò rectius & magis conſentaneè cùm ſcripturis omnibus, tum Apoſtolo, Catholici fidem referunt ad iuſtitiam, miſericordiam, ſapientiam, & potentiam Dei, atque ad alia omnia, quæ de illo per ipſam reuelantur: ad eius item promiſſiones, comminationes, præcepta, & prohibitiones? In quem ſenſum fides nihil aliud eſt, quàm donum Dei, quo intellectus à voluntate inductus, firmiſſimè aſſentitur rebus omnibus, quas Deus per omnes ſacras ſcripturas & Eccleſiæ traditionem reuelat, quantumuis obſcuræ & difficiles illæ ſint, ſiue præteritæ, ſiue futuræ.*

### *II. Quæ ſit materia ſeu obiectum fidei.*

*Fidei catholicæ ſumma: vnde cōſtat eius obiectū non eſſe ſpeciale illud, quod recentes hæretici fingunt, ſed latius patere.*

Catholica Fides explicanda eſt. Eſt autem hæc, Deum Patrem omnipotentem vniuerſam creaturam feciſſe atque conſtituiſſe per Filium ſuum vnigenitum, id eſt, ſapientiam & virtutem ſuam, conſubſtantialem ſibi & coæternam in vnitate Spiritus ſancti, & ipſius conſubſtantialis & coæterni. Hanc ergo Trinitatem dici vnum Deum, eúmque feciſſe & creaſſe omnia quæ ſunt, in quantū ſunt, Catholica diſciplina dici iubet, ita vt iubet: ita vt creatura omnis ſiue intellectualis, ſiue corporalis, vel quod breuius dici poteſt ſecundum verba diuinarum ſcripturarum, ſiue inuiſibilis, ſiue viſibilis, non de Dei natura, ſed à Deo ſit facta de nihilo. *Et paulò pòſt.* Eſſe autem omnia, quæ fecit, bona * valde, mala verò non eſſe naturalia, ſed omne quod dicitur malum, aut peccatum eſſe, aut pœnam peccati. Nec eſſe peccatum, niſi prauum liberæ voluntatis aſſenſum, cùm inclinamur ad ea, quæ iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere: id eſt, non in rebus iſtis, ſed in vſu earum * illegitimo. *Et iterum.* Renouari hominem * per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrū, cum ipſa ineffabilis ac incommutabilis Dei ſapientia, plenum totúmque hominem ſuſcipere * dignata eſt,

** Gen.1.*

*Peccatum quid?*

** aliâs legitimo.*

** Epheſ. 4.*

** Philip.2.*



& naſci de* Spiritu ſancto, & virgine Maria, *crucifigi, ſepeliri, * & reſurgere, * & aſcēdere in cœlum, quod iam factum eſt: & venire * ad iudicandos viuos & mortuos in fine ſeculi, & reſurrectionem* mortuorum in carne, quod adhuc futurum prædicatur: datum eſſe Spiritum *ſanctum credentibus in eum: conſtitutam ab illo matrem Eccleſiam, quæ Catholica dicitur, ex eo quia vniuerſaliter perfecta eſt, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffuſa eſt, remiſſa eſſe pœnitentibus priora peccata, & vitam æternam cœlorumque regnum promiſſum *Tom.3. de Geneſ. ad lit. imperfect. cap.1.*

**Matt.1. *Marc.15. *Ioan.20. *Act.1. *Matt.13. *1.Cor 15. *Act.2.*

*Eccleſia Cathol. à Chriſto inſtituta in nullo claudicat.*

Eſt autē fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata quantum res paſſa eſt breuitate ſermonis, vt incipientibus atque lactentibus eis, qui in Chriſto renati ſunt, nondum ſcripturarum diuinarum diligentiſſima & ſpiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum conſtitueretur: proficientibus & ad diuinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate ſurgentibus, quod multis verbis exponēdo eſſet perficiendū. *To.3, de Fide & Sym.c.1.*

*Pœnitētibus peccata in Eccleſia remitti fide credendum, non autem fidem ſpecialem habentibus.*

Fides in Eccleſia breuiſſimè traditur, in qua cōmendātur æterna, quæ intelligi à carnalibus nondum poſſunt, & temporalia, & præterita, & futura, quæ pro ſalute hominum geſſit, & geſtura eſt æternitas diuinæ prouidentiæ. *Tom.3. de agone Chriſtiano, cap.13.*

*Fidei Catholicæ ſumma in ſymbolo cōprehenſa. Vide Lector nū ibi fidem ſpecialem reperias.*

Eſt itaque fides & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, non mala. Eſt etiam fides & præteritarum rerum, & præſentium, & futurarum. Credimus enim mortuum,* quod iam præteriit. Credimus ſedere* ad dexteram Patris, quod nunc eſt. Credimus venturum* ad iudicandum, quod futurum eſt. Item, Fides & ſuarum rerum eſt, & alienarum. Nam & ſe quiſque credit aliquando cœpiſſe, nec fuiſſe vtique ſempiternum, & alia atque alia: nec ſolùm de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verùm etiam de angelis credimus. ***Tom.3. in Enchirid. cap.** 8. Plura de Trinitate, lib.4. cap.18. **Et lib.** 13. cap. 2. & de fide & ſymbolo, per totum.*

*Sub fidem in Eccleſia tradi tam æterna cadunt, & temporalia, & horum quædam præterita, quædam futura.*

*Fides bonarum & malarū eſt rerum. Item præteritarum, præſentium, & futurarum. *Marc.15. Mat.26. *Mat.24. Fides & ſuarum rerum eſt & alienarum.*

### *III. In myſteriis diuinis fidem antecedere, rationem ſubſequi debere.*

EGo credere ante rationem, cùm percipiendæ rationi non ſis idoneus, & ipſa fide animum excolere excipiendis ſeminibus veritatis, non ſolùm ſaluberrimum iudico, ſed tale omnino, ſine quo ægris animis ſalus redire non poſſit. *Tom.6.de vtilit.credendi, cap. 14.circa initium.*

*Qui nō ſunt purgata mēte, prius oportet credant, quàm intelligant.*

Priuſquam mens noſtra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valemus: quoniam veriſſimè dictum eſt per Prophetam:* Niſi credideritis, non intelligetis. *Tom.3 de agone Chriſtiano, cap.13.*

*Iſa.7. *Ioan.17. *Matt.7. *Luc.11.*

*Ad inueniendū Deū, exigitur Fides.*

Ipſe quoque Dominus noſter & dictis & factis ad credendum primò hortatus eſt, quos ad ſalutem vocauit. Sed poſtea cùm de ipſo dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait:* Hæc eſt autem vita æterna, vt credant: ſed hæc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verū, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. Deinde iam credentibus dicit:* *Quærite & inuenietis.* Nam neque inuentum dici poteſt, quod incognitum creditur, neque quiſquā inueniendo Deo fit idoneus, niſi anteà crediderit, quod eſt poſteà cogniturus. *Tom. 1.de lib. arbitrio, lib.2.cap.2.*

*Ioan.6.

Nam et prima hæreſis in diſcipulis Chriſti velut ad duriciem ſermonis ipſius facta eſt. Cùm enim diceret: *Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam in ſe: illi non intelligentes, dixerunt ad inuicem: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Dicentes quia durus eſt ſermo hic, ſeparauerunt ſe ab illo: remanſit cum aliis duodecim. Cùm ei ſuggeſsiſſent, illos in ſermone eius fuiſſe ſcandalizatos: Nunquid & vos, ait, vultis abire? Et Petrus: Verbum vitæ æternæ habes, ad quem ibimus? Intelligite, obſecramus vos, & paruuli diſcite pietatem. Nūquid Petrus intelligebat ſecretum illius ſermonis Chriſti? Nondum intelligebat: ſed bona eſſe verba, quæ non intelligebat, piè credebat. *Tom.8.in pſal.54.circa finem.*

Propter interiores oculos, quorum cæcitas eſt Deum non intelligere, vt aperiantur & magis magiſque ſere-



nentur, fide mundentur corda: Da mihi, inquit,* intellectum, vt diſcā mandata tua. Quamuis enim niſi aliquid intelligat, nemo poſſit credere in Deum, tamen ipſa fide qua credit, ſanatur, vt intelligat ampliora. Alia ſunt enim, quæ niſi intelligantur, non credimus, & alia ſunt, quæ niſi credamus, non intelligimus. Nam cùm fides ſit ex* auditu, auditus autem per verbum Dei, quomodo credit prædicanti fidem, qui vt alia taceam, linguam ipſam, quam loquitur, nō intelligit? Sed niſi eſſent rurſus aliqua, quæ intelligere non poſſumus, niſi antè credamus, Propheta non diceret:* *Niſi credideritis, non intelligetis.* Proficit ergò noſter intellectus ad intelligenda quæ credat, & fides proficit ad credenda, quæ intelligat, & eadem ipſa, vt magis magiſque intelligantur, in ipſo intellectu proficit mens. *Tom.8. in pſal.118.conc.18.*

*Pſal.118.

*Fide ſanamur, vt intelligamus ampliora.*

**Rom.10.* *Iſa.7.*

Tu verò qui fidem meam labefactare conaris, certam ſcientiam trade, ſi potes, vt id quod credidi, temerè me credidiſſe conuincas. Duo ſunt, quæ mihi profers: vnum cùm dicis, Spiritum ſanctum eſſe qui loquitur: & alterum, cùm dicis, manifeſta eſſe quæ loquitur. Vtrunque abs te ſine vlla dubitatione cognoſcere debui. Sed non ſis auarus, vnum horum doce: Oſtende hunc eſſe Spiritum ſanctum, & credam vera eſſe, quæ dicis, etiamſi neſciam: aut oſtende vera eſſe, quæ dicis, & credam Spiritum ſanctum eſſe, etiamſi neſciam. Nunquid æquius aut beneuolentius tecum agi poteſt? Sed tu nec hoc, nec illud oſtendere vales. Nihil aliud elegiſti, niſi laudare quod credidiſti, & irridere quod credo. Cùm igitur ego viciſſim laudauero quod credo, & quod credis irriſero, quid putas nobis eſſe iudicandum, quídue faciendum, niſi vt eos relinquamus, qui nos inuitant certa cognoſcere, & poſtea imperant, vt incerta credamus: & eos ſequamur, qui nos inuitant prius credere, quæ nōdum valemus intueri, vt ipſa fide valētiores facti, quod credimus intelligere mereamur: non iam hominibus, ſed ipſo Deo intrinſecus mentem noſtram firmante atque illuminante? *Tom. 6.contra Epiſtolam Manichæi, cap. 14. Super hac eadem re plura Epiſtola. 221. ad Conſentium. Item de vtilitate credendi, cap.8.& deinceps.*

*Hæretici nos inuitāt certa cognoſcere, & poſtea imperant vt incerta credamus. Catholici autem nos inuitant prius credere quę nōdū valemus intueri, vt ipſa fide valētiores effecti quod credim⁹ intelligere mereamur.*

### IIII. Fidem rectam ad ſalutem neceſſariam eſſe.

*Iuſtus eſt, nō qui fidem habet, ſed qui ex fide viuit.*

ABſit vt ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit iuſtus, abſit autem vt ſit iuſtus verè, niſi viuat ex fide: Iuſtus *enim ex fide viuit. *To.7. contra Iulianum Pela. lib.4 ca.3.*

** Rom.1. Abac. 2. Act. 10.*

Solet dici, ideò credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de*Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt eleemoſynæ & exauditæ orationes antequam crediſſet in Chriſtū, nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat. Nā quomodo inuocabat in quem nō crediderat. Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, nō ad eum ędificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus. *Tom.7. de prædeſt. ſanctorum, cap.7.*

An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergò Deo. Neque enim bono poteſt non placere, quod bonum eſt. Et vbi erit quod ſcriptum eſt: † *Sine fide impoſsibile eſt Deo placere? Et paulò pòſt: Omne enim,* *velis, nolis, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Et ideò Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permāſerint, diſponit excidere, Quia ſine*fide impoſſibile eſt placere Deo. *Ibidem.*

*† Heb.11. * Rom.14. * Heb.11.*

*Cenſet Auguſtinus, vt etiā ſuprà annotatū eſt, nō quidē omnia opera infideliū eſſe propriè peccata, ſed vel omnia opera ex infidelitatis vicio profecta, eſſe peccata: vel nulla opera extra fidē in bonis his numeranda eſſe, quæ vitam æternā promerētur: vel ad verā iuſtitiam conducunt. Alioqui dictū illud Apoſtoli: Quicquid non eſt ex fide peccatum eſt, Chryſoſt. Ambroſ. & Theophylactus ſic accipiunt, vt quicquid contra conſcientiam admittitur, peccatum eſſe intelligant.*

** Matt. 6.*

*Sine intētione bonæ fidei totum corpus quod operibus veluti membris conſtat, tenebroſum eſt.*

*Si oculus* tuus nequam eſt, totū corpus tuum tenebroſum erit: ſi autem oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuū lucidum erit,* & hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque quod facit, & per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, eius, quæ per dilectionem*operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc



eſt, plenum nigredine peccatorum. *Ibidem.*

** Gal.5.*

*Nullū munus acceptū eſſe poteſt Deo abſque fidei ſynceritate.*

Quodlibet munus offerimus Deo, ſiue prophetiam, ſiue doctrinam, ſiue orationem, ſiue hymnum, ſiue pſalmum, & ſiquid tale aliud ſpiritalium donorum animo occurrerit, acceptum eſſe non poteſt Deo, niſi fidei ſynceritate fulciatur, & ei fixæ, immobili atque firmæ imponatur, vt poſſit integrum atque illibatum eſſe quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare, id eſt, veram fidem, blaſphemias pro laude dixerunt, terrenis videlicet opinionibus grauati, votum ſuum tanquā in terram proiicientes, *Tom.4. de ſer. Domini in monte. li.1.*

Neceſſaria eſt ergò fides, vt beatitudinem conſequamur, omnibus humanæ naturæ bonis, id eſt, & animæ & corporis. Hanc autem fidem in Chriſto eſſe definitam, qui in carne reſurrexit * à mortuis, non moriturus vlterius: nec niſi per illum, quemquam liberari à Diaboli dominatu per remiſſionem peccatorum. *Tom.3. de Trinit. lib.13. cap.20.*

** Rom.6.*

*Per originale peccatum in Adam omnium hominū corrupta & mortificata eſt natura.*

Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata eſt natura, & vnde omnium concupiſcētiarum morbus inoleuit, verum & potens & ſingulare remedium eſt, mors Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus eſt. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam precij, & quod ad vnam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramēto pertranſeunt, redēptionis alieni ſunt. *To.7. ad articulos ſibi falsò impoſitos, Articulo primo. Lege in hanc ſententiam plura, cap. de iuſtificatione, Titul.6. & 7.*

*Quod ad magnitudinem & potentiam precij pertinet, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mūdi.*

### V. Fidem rectam non eſſe aliam, atque Catholicam fidem.

*Chriſtiana fides ad ſummum apicem ſapientiæ veritatiſque perducēs, non*

SI in vobis eſſet caritas, qua de nunc agitur, vel etiāſi fuerit aliquādo, quantam cognoſcēdæ veritatis magnitudo deſiderat, aderit Deus, qui oſtendat vobis, neque apud Manichæos eſſe Chriſtianam fidem, quæ ad ſummum apicem ſapientiæ veritatiſque perducit, qua perfrui nihil eſt aliud, niſi beatè viuere, neque eſſe

*Apud hæreticos, ſed in ſola Catholica diſciplina.*

vſpiam niſi in catholica diſciplina. *Tom 1. de moribus Eccl. Cathol. cap. 18.*

*Vera fides apud Catholicam Eccleſiam.*

Apud Catholicam fidem, dilectiſſimi, noueritis tãtùm eſſe veram fidem, germanam pacem, perpetuam ſalutẽ. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt. Si quis ab ea diſceſſerit, atque in hæreticorum errorem ſe tradiderit, vt fugitiuus ſeruus iudicabitur, non vt filius adoptiuus: nec ad vitam æternam reſurget, ſed potius ad damnationem. *Tom. 6. contra Iudæos Pagan. & Arria. cap. 20.*

*Ad hæreticorum ſectas cõfugiens, Eccleſia Catholica relicta, ſeruus eſt fugitiuus, & damnationis reus.*

Fides enim noſtra, id eſt, fides vera, fides recta, fides Catholica, nõ opinione præſumptionis, ſed teſtimonio lectionis collecta, nec hæretica temeritate incerta, ſed Apoſtol. veritate fũdata hoc inſinuat, hoc nouim⁹, hoc credimus. Hoc etſi non videmus oculis, nec adhuc corde, quandiu fide mundamur, ipſa tamen fide rectiſſimè ac robuſtiſſimè retinemus. *Tom. 10. de verbis Domini, ſerm. 63.*

*Fides vera et Catholica, non hæretica temeritate incerta, ſed Apoſtolica veritate fundata.*

Ego Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam ſcientiam peruenturum præſumo. *Tom. 6. de vtilitate credendi, cap. 14. Plura in commendationem Catholicæ fidei reperies in præfatione operi præfixa.*

### *VI. Fidei qualecunque nomen extra Eccleſiam eſſe poſſe, charitatem non poſſe.*

*Etſi extra eccleſiã eſſe poſſet vnius Dei cultus, eadem fides et Baptiſmus, tamen hæc non niſi in Eccleſia prodeſſe poſſunt.*

DEus vnus colitur ignoranter etiam extra Eccleſiam, nec ideò non eſt ipſe, & fides vna habetur ſine charitate etiam extra Eccleſiam, nec ideò non eſt ipſa. Vnus enim Deus, vna fides, * vnum Baptiſma, vna incorrupta Catholica Eccleſia, non in qua ſola vnus Deus colitur, ſed in qua ſola vnus Deus piè colitur: nec in qua ſola vna fides retinetur, ſed in qua ſola vna fides cum charitate retinetur. Nec in qua ſola vnus Baptiſmus habetur, ſed in qua ſola vnus Baptiſmus ſalubriter habetur. *Tom. 7. contra Creſconium, lib. 1. cap. 29.*

** Epheſ. 4.*

*Feſta martyrum.*

*Paſchæ ſolennitas.*

(*In multis erant mecum*) Baptiſmum habebamus vtrique, in eo erant mecum. Feſta Martyrũ celebrabamus, erant ibi mecum. Euangelium vtrique legebamus, erãt in eo mecum. Paſchæ ſolennitatem frequentabamus, erãt ibi mecum, ſed non omnino mecum. In ſchiſmate non mecum. In hæreſi non mecum. In multis mecum,



in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum. Etenim fratres videte, quàm multa enarrauit Apoſtolus Paulus: Vnum dixit, ſi illud defuerit, fruſtra ſunt alia. Si linguis hominum loquar & angelorum, ait, * ſi habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem ſcientiam, ſi montes transferam, ſi diſtribuam omnia mea pauperibus, ſi tradam corpus meũ ita vt ardeat. Quàm multa enarrauit? His omnibus multis deſit vna charitas: illa numero plura ſunt, hæc pondere maior eſt. Ergo in omnibus Sacramentis mecum, in vna charitate nõ mecum. *Tom. 8. in Pſal. 54. circa finem.*

** 1. Cor. 13.*

His nos Apoſtolicis verbis (*charitatem * autem non habeam, nihil ſum*) commendantibus eminentiam charitatis, vobis ſolemus oſtendere, quomodo non proſit hominibus, quamuis in eis ſint vel ſacramenta, vel fides, vbi charitas non eſt, vt cùm ad Catholicam veritatem venitis, intelligatis quid vobis conferatur, & quantum ſit quod minus habebatis. *To. 7. cõtra lit. Petil. lib. 2. ca. 77.*

** 1. Cor. 13.*

*Sacramenta etiam integra ſine charitate non proſunt.*

Quid prodeſt homini vel ſana fides, vel ſanum fortaſſe ſolum fidei Sacramentum, vbi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis, per cuius ſolius peremptionem etiam illa integra trahuntur ad mortẽ? *Tom. 7. de baptiſ. contra Donatiſt. lib. 1. cap. 8.*

### *VII. Fidem eſſe donum Dei.*

INitium fidei noſtræ ex quo eſt, niſi ex ipſo eſt? Neque enim hoc excepto, ex ipſo ſunt cætera, ſed ex * ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. *Et paulò pòſt.* Vobis * donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo. Vtrunque oſtendit Dei donum, quia vtrũque dixit eſſe donatum. Nec ait, vt plenius & perfectius credatis in eum, ſed vt credatis in eum. Nec ipſum miſericordiam * conſecutum dixit, vt fidelior ſed vt fidelis eſſet, quia ſciebat, nõ ſe initium fidei ſuæ priorem * dediſſe Deo, & retributum ſibi ab illo eius augmentum, ſed ab eo ſe factum fidelem, à quo & Apoſtolus factus eſt. Nam ſcripta ſunt etiam * fidei eius initia, ſuntque Eccleſiaſtica celebri lectione notiſſima. *Et iterum.* In omni opere bono incipiendo & per-

** Rom. 11.*

** Philip. 1.*

*Initium & incrementum fidei donũ eſt Dei.*

** 1. Cor. 7.*

** Rom. 11.*

** Act. 9.*

**2.Cor.3.* — *Nullus ſine Deo ſufficit bonũ opus incipere,aut perficere.* — **2.Cor.3.*

ficiendo,ſufficientia* noſtra ex Deo eſt, ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,quoniã fides ſi nõ cogitetur,nulla eſt,& non ſumus idonei*cogitare aliquid ex nobis,quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Tom 7.de prædeſtinatione ſanctorum,cap.2.*

**2.Cor.3.* — **Rom.12.* — **Epheſ.6.*

Si non ſumus idonei*cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: profectò non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſmetipſis,quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra,qua credere incipimus, ex Deo eſt. *Et paulò poſt.*Reſiſti non poteſt diuinis manifeſtiſſimis teſtimoniis,quibus & fides,vnde pietas exordium ſumit, donũ Dei eſſe monſtratur. Quale eſt illud,* quòd vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei.Et illud: * Pax fratribus,& charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.Et cætera talia.*Ibidem.*

*Fides inchoata & perfecta donum Dei.*

Fides & inchoata & perfecta donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari,quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare.*Ibidem,cap.9.*

**Ioan.6.*

Fides ad Chriſtum nos trahit, quæ niſi deſuper gratuito munere nobis daretur, non ipſe diceret: * Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, attraxerit eum. *Tom.2.Epiſt.105.ad Sixtum.*

**Cant.4.* — *A fide incipiunt, quæcũque bona ſũt merita.*

Reſtat igitur vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium,propter quod dicitur ad Eccleſiam in Cantico Canticorum,*Venies,& pertranſies ab initio fidei, non humano,quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiũt bona,quæcunque ſunt, merita,ſed gratuitum donũ Dei eſſe fateamur,ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus.*Ibidem,poſt initium.*

**1.Cor.1.* — *2.Cor.10.*

Maritus Chriſtianus eſt, vxor infidelis eſt, non orat pro vxore ſua vt credat? Vxor eſt Chriſtiana, maritus infidelis eſt, non orat mulier religioſa pro marito ſuo, vt credat?Quando hoc orat quid orat niſi vt Deus det illi fidem? Ergo donum Dei eſt fides. Nemo ſe extollat,nemo ſibi arroget, quaſi ſibi aliquid dederit. Qui gloriatur*in Domino glorietur. *Tom.10.lib.50.Homil.*



*homil.17.ſub finem.*

**1.Cor.4.* — *Poſſe habere fidẽ vel charitatem,naturæ eſt,habere verò muneris Dei eſt.*

Vt enim ſit naturæ,fidem poſſe habere,nũquid & habere?Non enim omniũ eſt fides,cùm fidem poſſe habere ſit omnium.Non autem ait Apoſtolus, Quid autem potes habere, quod non accepiſti vt poſſis habere: ſed ait:* *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Proinde poſſe habere fidem,ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum,habere autem fidem,quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.*Tom.7. de prædeſtinatione ſanctorum,cap.5.*

*In expoſit. quarundam propoſ.in Epiſt. ad Romanos.* — **1.Cor.7.* — *Fidelis miſericordiam cõſequitur, cui miſericorditer data eſt et ipſa fides.*

Itaque quod dixi: Sicut enim in his,quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, vt per munus Dei operetur:ſic in his quos damnat, infidelitas & impietas,inchoat pœnæ meritum,vt per ipſam pœnam malè etiam operentur:veriſſimè dixi.Sed fidei meritum etiam ipſum eſſe donum Dei, nec putaui quærendum eſſe,nec dixi.Et alio loco:Cuius enim miſeretur,inquam, facit eũ bene operari:& quem obdurat, relinquit eum, vt mala operetur. Sed & illa miſericordia, præcedenti merito fidei tribuitur,& iſta obduratio præcedenti iniquitati.Quod quidem verum eſt, ſed adhuc quærẽdum erat,vtrum & meritum fidei miſericordiam Dei præueniat: id eſt, vtrum iſta miſericordia ideò tantummodo fiat in homine,quia fidelis eſt, an etiam facta fuerit, vt fidelis eſſet.Legimus enim dicente Apoſtolo: * Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem:non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem,ſed data eſt etiã, vt eſſet fidelis. *Ibidem, cap.3. Lege & cap.7.8 & ſeq. Item Tom.3.de ſpiritu & lit.cap.31.33.& 34.Item,Tom.7. de bono perſeuerantiæ,cap.8.*

### *VIII.Fidem non ita eſſe donum Dei,vt propter voluntatis motum,non ſit pariter & liberi arbitrij.*

**Ioan.6.*

NEmo poteſt*venire ad me,niſi Pater qui miſit me, traxerit illũ. Magna gratiæ commẽdatio. Nemo venit niſi tractus. Quẽ trahat,& quem nõ trahat:quare illũ trahat,noli velle iudicare,ſi non vis errare.Semel accipe & intellige. Non traheris, ora vt traharis.Quid hîc dicimus fratres?Si trahimur ad Chriſtũ,ergo inuiti

credimus,ergò violentia adhibetur,non voluntas excitatur.Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere poteſt Sacramentum nolens, credere non poteſt niſi volens. Si corpore crederetur,fieret in nolentibus,ſed non corpore creditur. *Tom.9.in Euange.Ioannis,tract.26.*

*Nemo poteſt credere niſi volens.*

*Fides etiam opus in Scripturis dicitur, quare ſi per fidem iuſtificamur, per opus iuſtificamur.*

** Ioan. 6.*

*Fides diſtinguitur ab operibus, quēadmodū regnum Iudæ diſtinguebatur ab Iſrael. cùm tamen & Iudas eſſet Iſrael.*

** Rom 3.*

.Ipſam quoque fidem opus Dei dicit eſſe Ieſus, & hāc vt operemur,iubet.Dixerunt enim ad eum Iudæi:Quid faciemus,vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis:* *Hoc eſt opus Dei,vt credatis in eum quem miſit ille.* Sic ergò diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum diſtinguitur Iudas ab Iſraël, cùm & ipſe Iudas ſit Iſraël. Ex fide autem ideò dicit*iuſtificari hominem,non ex operibus:quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera,quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur. *Tom.7.de prædeſt.ſanctorum,cap.7.*

** 1.Cor.12.*

** Mar.16.*

*Bona opera, inter quæ & fides eſt, & nos facimus, & Deus facit vt faciamus.*

** Ezech.36.*

** 1. Cor.12.*

*Omnia autem hæc** *operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria vnicuique,prout vult.* Inter quæ omnia, ſicut ſcitis,nominauit & fidem. Sicut ergò, quanuis donum Dei ſit,facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis,propoſito præmio vitæ: ita donum Dei eſt & fides,quanuis & ipſa cùm dicitur:* Si credideris ſaluus eris: propoſito præmio ſalutis, exigatur à nobis. Ideò enim & hæc præcipiuntur nobis,& dona Dei eſſe monſtrātur,vt intelligatur,quòd & nos ea faciamus, & Deus facit,vt illa faciamus: Sicut per Prophetam Ezechielem apertiſſimè dicit:* quid enim apertius, quàm vbi dicit: **Ego faciam vt faciatis*? Locum ipſum Scripturæ, fratres chariſſimi attendite,& videbitis illa Deum promittere facturum ſe vt faciant,quæ iubet vt fiant. *Ibidem, capite vndecimo.*

Proinde quod continuò dixi, dicit idem Apoſtolus: *Idem Deus, qui operatur omnibus*: Nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus:Ac deinceps ſubiunxi: Quod enim credimus, noſtrum eſt, quod autem operamur bonum, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum ſanctum: profectò non dicerem, niſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem ſpiritu. Vtrumque ergo noſtrum eſt, propter



*Credere noſtrū eſt propter arbitriū voluntatis.*

** Epheſ.6.*

** Rom.5.*

** Prou.8.*

propter arbitrium voluntatis,& vtrūque tamen datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis.Neque enim ſola charitas, ſed ſicut ſcriptum eſt, * charitas cum fide à Deo patre & domino Ieſu Chriſto: Et quod paulò pòſt dixi:Noſtrum eſt credere & velle: illius autem dare credentibus & volentibus facultatē bene operandi per Spiritū ſanctum, per quem charitas*diffunditur in cordibus noſtris: verum eſt quidem, ſed eadem regula & vtrūque ipſius eſt, quia ipſe præparat* voluntatem,& vtrunque noſtrum,quia non fit niſi volentibus nobis. *Ibidem.ca.3. Locus eſt ex libro primo retractationum,cap.23.*

** Gen.15.*

** Rom.4.*

** Rom.13.*

*Cū quiſque credit, volens credit, et ideo fides in hominis poteſtate eſt.*

De illa fide quærimus,vtrum in poteſtate ſit, qua credimus Deo,vel credimus in Deum. Hinc enim ſcriptū eſt,* *Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad iuſtitiam*: Et * *Credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides ad iuſtitiam.* Vide nunc vtrum quiſque credat ſi noluerit,aut non credat ſi voluerit. Quod ſi abſurdum eſt,quid eſt enim credere niſi cōſentire verū eſſe quod dicitur, conſenſio autem vtique volentis eſt: profectò fides in poteſtate eſt. Sed ſicut dicit Apoſtolus:* *Non eſt poteſtas,niſi à Deo. Et paulò pòſt.* Cùm ergo fides in poteſtate ſit:quoniam cùm vult,quiſque credit:& cùm credit,volens credit,deinde quærendum eſt, imò recolendum eſt,quam fidem tanta conflictatione commendet Apoſtolus.*Tom.3.de ſpiritu & lit.cap.31.& 32.*

## *IX. Quomodo fides,ſpes,charitas inter ſe cohæreant, & affectæ ſint.*

*Fides prima,quæ ſubiugat animā Deo, deinde præcepta viuendi.*

*Quiſquis à fide ceciderit,à charitate etiam cadat, neceſſe eſt.*

*Scientia omnis & prophetia. fidei, ſpei & charitati militat.*

Fides eſt prima, quæ ſubiugat animam Deo, deinde præcepta viuendi,quibus cuſtoditis, ſpes noſtra firmatur & nutritur charitas,& lucere incipit,quod antea tātummodo credebatur.*Tom.3.de agone Chriſtiano, ca.13.*

Fide titubante,charitas etiam ipſa langueſcit. Nā ſi à fide quiſque ceciderit, à charitate etiam neceſſe eſt cadat.Non enim poteſt diligere,quod eſſe nō credit.Porrò ſi & credit & diligit,bene agendo,& præceptis bonorum morum obtemperando efficit, vt etiam ſperet ſe ad id,quod diligit, eſſe venturum. Itaque tria hæc ſunt, quibus & ſcientia omnis & prophetia militat,fides,ſpes charitas. Sed fidei ſuccedit ſpes, quam videbimus. Et

*Charitas, decedente fide & ſpe, manſura & augenda.*

ſpei, ſuccedit beatitudo ipſa, ad quam peruẽturi ſumus. Charitas autem etiam iſtis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus, quod nondum videmus, quantò magis cùm videre cœperimus? Et ſi ſperando diligimus, quò nondum peruenimus, quantò magis cùm peruenerimus? *Tom. 3. de Doctrina Chriſtiana, lib. 1. cap. 37.*

*Charitas fide atque ſpe maior. Aduerte Lector, ex qua fide ſpes & charitas naſcantur.*

Ex fidei confeſſione, quæ breuiter ſymbolo continetur, & carnaliter cogitata lac eſt paruulorum, ſpiritaliter autem conſiderata atque tractata cibus eſt fortiũ, naſcitur ſpes bona fideliũ, cui charitas ſancta comitatur, de qua ſcriptum eſt: * Maior omnibus iis eſt. *Tom 3. in Enchirid. cap. 114.*

** 1. Cor. 13.*

Qui rectè amat, proculdubio rectè credit & ſperat: qui verò nõ amat inaniter credit, etiam ſi ſint vera, quæ credit: inaniter ſperat, etiamſi ad veram fœlicitatem doceantur pertinere quæ ſperat: niſi & hoc credat & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, vt amet. *To. 7. contra Iulianum* Pelag. *lib. 6. cap. 117.*

*Eadẽ fides, quæ ſine dilectione nõ operatur, accedẽte illi ſpe & dilectione, bene operatur. Nec bene nec male operatur homo, niſi per bonum vel malum amorem.*

Si fides ſine dilectione ſit, ſine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei, adde illi ſpem & dilectionem, & noli cogitare, quid opereris. Ipſa dilectio vocare non poteſt. Quid enim de quoquam homine etiam malè operatur, niſi amor? Da mihi vacantem amorem & nihil operantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum, aquam fluentem in cloacã conuerte ad hortum. Quales impetus habebas ad mũdum, tales habeas ad artificem mũdi. Num nobis dicitur, nihil ametis? abſit. Pigri, mortui, deteſtandi, miſeri eritis, ſi nihil ametis. Amate, ſed quid ametis videte. Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur. Amor mundi, amor huius ſeculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrænetur, charitas excitetur. Ipſa enim charitas bene operantis dat ei ſpem bonę conſcientiæ. Spem enim gerit bona conſcientia. Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe. Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apoſtolus* Fides, ſpes, charitas. *Tom. 8. Præfat. in Pſal. 31.*

** 1. Cor. 13.*

** 1. Cor. 13.*

Iam porrò quã duabus iſtis, id eſt, fide ac ſpe * maio-





rem dixit Apoſtolus, quantò in quocunque maior eſt, tantò melior eſt, in quo eſt. Cùm enim quæritur, vtrum quiſque ſit homo bonus, non quæritur, quid credat aut ſperet, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit & ſperat. qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſunt vera, quæ credit: inaniter ſperat, etiamſi ad veram fœlicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat, niſi & hoc credat & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, vt amet. Quamuis enim ſperare ſine amore non poſſit, fieri tamen poteſt, vt id non amet, ſine quo ad id, quod ſperat, non poteſt peruenire. Tanquã ſi ſperet vitam æternam, quanuis non habeat, & non amet iuſtitiam, ſine qua nemo ad illam peruenit. Ipſa eſt autem fides Chriſti, quam commendat Apoſtolus, * quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit, vt accipiat, quærit, vt inueniat, pulſat, vt aperiatur ei. Fides nanque impetrat, quod lex imperat. Nã ſine Dei dono, id eſt, ſine Spiritu ſancto, per quem diffunditur* charitas in cordibus, iubere lex poterit, non iuuare, & præuaricationem inſuper facere, qui de ignorantia ſe excuſare non poſſit. Regnat enim carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei caritas. *To. 3. in Enchirid. ca. 117.*

*Ex maiori vel minori charitate dicitur homo magis vel minus bonus Non quid quiſque credat, aut ſperet, ſed quid amet, requirendum, vt bonus eſſe cõprobetur.*

** Gal. 5.*

*Aduertat hîc Lector eandem fidem ſine dilectione, et cum dilectione poſſe conſiſtere.*

** Rom. 5.*

Cùm diceret, caritas: (*explicat illud Pauli.* * *finis præcepti charitas de corde puro et conſcientia bona et fide non ficta*) addidit *de corde puro*: vt nihil aliud quàm id ꝙ diligendũ eſt diligatur: *Conſcientiam verò bonam* ſubiunxit propter ſpem. Ille enim ſe ad id quod credit & diligit peruenturum eſſe deſperat, cui malæ conſciẽtiæ ſcrupulus ineſt. Tertiò & fide, inquit, nõ ficta: Si enim fides noſtra mendacio caruerit, tunc & nos diligimus, quod eſt diligendum, & rectè viuendo id ſperamus, vt nullo modo ſpes noſtra fallatur. *To. 3 de doct. Chriſti. lib. 1. cap. 40.*

** 1. Tim. 1.*

Pia fides ſine ſpe et charitate eſſe nõ vult.

Pia fides ſine ſpe & ſine charitate eſſe non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere, quod nondum videt, vt viſionem & ſperet & amet. Et viſibilium quidem rerum præteritarum, quæ temporaliter tranſierunt, ſola fides eſt, quoniã nõ adhuc videnda, ſperantur, ſed facta & tranſacta creduntur: Sicut eſt illud, * quod Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit, nec iam moritur, & mors ei vltrà non dominabitur.

*Rerum quæ temporaliter tranſierunt ſola fides eſt, ſub ſpẽ enim illa non cadunt.*

** Rom. 6.*

Ea verò quæ nõdum ſunt, ſed futura ſunt, ſicut noſtrorum ſpiritalium corporum reſurrectio, ita credũtur, vt etiam videnda ſperentur *Tom. 2. epiſt. 85. ad Conſentium. Plura epiſt. 222. ad eundem.*

In his duobus (*ſymbolo & dominica oratione*) tria illa intuere, fides credit, ſpes & charitas orant. Sed ſine fide eſſe nõ poſſunt, ac per hoc & fides orat. Propterea quippe dictum eſt, * *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Quid autem ſperari poteſt, quod nõ creditur? Porrò etiam aliquid quod non ſperatur, credi poteſt. Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum, nec ſperat tamen? *Et infra.* Fides * quæ per dilectionem operatur vtique ſine ſpe eſſe nõ poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, neque vtrunque ſine fide. *Tom. 3. in Enchirid. cap. 8.*

* *Rom. 10.*
* *Gal. 5.*

## *X. Fidem charitate perfici atque vtilem reddi.*

*Fidem nõ facit vtilem niſi charitas.*

Ipſam fidem non facit vtilem, niſi charitas. Sine charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe. Propter quod & Apoſtolus Paulus, * *In Chriſto*, inquit, *Ieſu, neque circunciſio, neque præputium aliquid valet, ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Sic eam diſcernens ab ea fide, qua & Dæmones * credunt & contremiſcunt. Dilectio igitur, quæ ex Deo eſt, & Deus eſt, propriè Spiritus ſanctus * eſt, per quem diffunditur in cordibus noſtris charitas Dei, per quã nos tota inhabitat Trinitas. *Tom. 3. de Trinit. lib. 15. cap. 18.*

* *Galat. 5.*
* *Iacob. 2.*
* *Rom. 5.*
* *Rom. 8.*

*Eſt igitur in quibuſdã hominib⁹ fides, non per dilectionẽ, ſed per timorẽ operãs*

Nulli itaque dubium eſt, eam fidẽ ab Apoſtolo * commendari, qua creditur Deo. Sed adhuc eſt aliquid ad diſcernendum: quoniam & illi qui ſub lege ſunt, & timore pœnæ ſuam iuſtitiam facere conantur, & ideò non faciunt Dei iuſtitiam, quia charitas eam facit, qua non libet niſi quod licet, nõ timor, qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntate, qua mallet, ſi fieri poſſet, licere quod non licet: & illi ergo credunt Deo. Nam ſi omnino non crederent, nec pœnam legis vtique formidarent. Sed non hanc fidem commendat Apoſtolus, qui dicit: * *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Timor ergo ille ſeruilis eſt: & ideo quanuis in illo Domino credatur, non tamen iuſtitia diligitur, ſed damnatio timetur. *Tom. 3. de Spiritu & lit. cap. 32.*

* *Rom. 8.*



Neſcio quis non vult credere in Chriſtum: adhuc nec Dæmones imitatur. Iam credit aliquis in Chriſto, ſed odit Chriſtum. Habet confeſſionẽ fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ. Nam & illi qui puniri timebant, quid dicebãt? * *Quid nobis & tibi fili Dei? veniſti ante tempus perdere nos?* Adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualẽ dicit Apoſtolus Paulus, * Fides quæ per dilectionem operatur. *Tom 9. in epiſtolam Ioan. Tract. 10.*

* *Luc. 4. Mar. 1.*
* *Gal. 5.*

*Collige Lector contra hæreticos: eundem habitum fidei ſine charitate, & cum charitate conſtare poſſe, vel vt ſchola loquuntur, eundem habitum fidei prius informem, formatum fieri, accedente charitate.*

*Fides ſine amore nihil prodeſt.*

Iam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes verò ſine amore eſſe non poteſt. Denique vt ait Apoſtolus Iacobus: * *Et dæmones credunt, & cotremiſcunt*, nec tamen ſperant vel amant, ſed potius quod ſperamus & amamus credendo venturum eſſe formidant. Propter quod Apoſtolus Paulus, * *fidem quæ per dilectionem operatur*, approbat atque commẽdat, quæ vtique ſine ſpe eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe, nec ſine amore ſpes, neq; vtrunque ſine fide. *To. 3. Ench. ca. 8.*

* *Iacob. 2.*
* *Gal. 5.*

*Nec amor ſine ſpe, nec ſine amore ſpes, neque vtrunque ſine fide eſſe poteſt.*

Fides debet eſſe Chriſtianorum, non dæmoniorum. Nam ſicut dicit Apoſtolus Iacobus. *Et dæmones credunt, et contremiſcũt*: Et Dæmones dixerũt Chriſto: * *Tu es filius Dei.* Confitebantur Dæmones, quod non credebant homines. Illi tremuerunt: illi occiderũt. Quid enim, quia dixerunt Dæmones, Tu es filius Dei, ſcimus qui ſis? ideò regnaturi ſunt cum Filio Dei? Abſit. Diſcernenda eſt ergo fides Dæmonum à fide ſanctorum. Planè diſcernenda vigilanter & diligenter. Nam & Petrus * hoc dixit Domino dicenti, *quem me eſſe dicitis? Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et Dominus: *Beatus es Simon Bar Iona.* O Domine hoc tibi dixerunt & dæmones: Quare ipſi nõ ſunt beati? Quare? Quia Dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore. Ideò initium eſt à fide. Sed quali fide? Quam

* *Iacob. 2.*
* *Mar. 3. Luc. 4.*
* *Matt. 16.*

* *Gal.5.*

definiuit Apoſtolus * *Neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed Fides*. Dic quæ Fides? *Quæ per dilectionem operatur*. Hanc Dæmones non habent fidem, quæ per dilectionē operatur, ſed ſoli ſerui Dei, ſoli ſancti Dei, ſoli fide filij Abrahæ, ſoli filij dilectionis, filij promiſſionis. *Tom.10.lib.50 Homil.homil.17.*

*Charitas cæteris Spiritus ſancti donis præfertur.*

* *1.Cor. 13.*

Dantur & alia per Spiritum ſanctum munera, ſed ſine charitate nihil proſunt. Niſi ergo tantùm impertiatur cuique ſpiritus ſanctus, vt eũ Dei & proximi faciat amatorem, à ſiniſtra non transfertur ad dexteram. Nec Spiritus propriè dicitur donum, niſi propter dilectionem, quam qui non habuerit, ſi linguis* hominum loquatur & Angelorum, ſonās æramentum eſt, & cymbalum tinniēs. Et ſi habuerit prophetiam, & ſcierit omnia Sacramēta, & omnem ſcientiam, & ſi habuerit omnem fidem, ita vt montes transferat, nihil eſt. Et ſi diſtribuerit omnem ſubſtantiam ſuam, & ſi tradiderit corpus ſuum, vt ardeat, nihil ei prodeſt. Quantum ergo bonum eſt, ſine quo ad æternam vitam neminem bona tanta perducunt? Ipſa verò dilectio ſiue charitas (nam vnius rei eſt vtrunque nomen) ſi habeat eam, qui non loquitur linguis, nec habet Prophetiam, nec omnia ſcit Sacramenta, omnémque ſcientiam, nec diſtribuit omnia ſua pauperibus, vel non habendo quod diſtribuat, vel aliqua neceſſitate prohibitus, nec tradit corpus ſuum vt ardeat, ſi talis paſſionis nulla tentatio eſt perducit ad regnum, ita vt ipſam fidem nō faciat vtilem niſi charitas. *Tom.3 de Trinit.lib.15.cap.18. Huc pertinet articulus 5. cap. 8. de mandatorum obſeruatione &c.*

*Fidem nō facit vtilem niſi charitas.*

### *XI. A iuſtitia fidei opera antecedentia ipſam fidem, non autem ſubſequentia, in Epiſt. ad Rom. excludi.*

* *1.Cor 7.*

Miſericordiam * conſequutus ſum, vt fidelis eſſem. Non dixit: Miſericordiam conſequutus ſum, quia fidelis eram, ſed vt fidelis eſſem: Hinc oſtendens etiam ipſam fidem haberi, niſi Deo miſerente, non poſſe, & eſſe donum Dei. Quod apertiſſimè docet, dicens: * Gratia ſalui facti eſtis, per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donũ eſt. Poſſent enim dicere, ideò accepimus gratiam quia credidimus, tanq̃ ſibi fidē tribuentes, gra-

* *Epheſ.2. Non ſolùm gratia ſed etiam fides eſt donum Dei.*





tiam Deo. Propter hoc Apoſtolus cùm dixiſſet, per fidem, & hoc, inquit, non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Rurſus ne dicerent, ſe ſuis operibus donũ tale meruiſſe: continuò ſubiecit: Nō ex operibus, ne fortè quis extollatur: non quia negauit, aut euacuauit opera bona, cùm dicat, * Deum vnicuique reddere, ſecundũ opera eius: ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo ſunt nobis opera iuſtitiæ, à quo eſt ipſa fides, de qua dictũ eſt: * Iuſtus ex fide viuit. *Tom.7. de gratia & lib. arbit. cap.7.*

*Paulus nō negauit, ſeu euacuauit opera facta ex fide: ſed quæ fidem antecedunt.*

* *Rom. 2.*
*Matth.16.*
* *Abac.2.*

Ergo fratres * ex fide iuſtificatus eſt Abraham, ſed ſi fidem opera non præceſſerũt, tamen ſecuta ſunt. Nunquid enim fides tua ſterilis erit? Si ſterilis non es, ſterilis non eſt ipſa. Aliquid mali credidiſti, & igne malitiæ tuæ radicem tuæ fidei concremaſti. Tene ergo fidem operaturus. Sed dicis, nō hoc ait Apoſtolus Paulus, imò hoc ait Paulus Apoſtolus: * *Fides (inquit) quæ per dilectionem operatur*. Et alio loco: * *Plenitudo ergo Legis charitas*. Et alio loco: * *Omnis enim Lex in vno ſermone impletur, in eo quod ſcriptum eſt:* * *Diliges proximum tuum, tanquàm teipſum*. Vide ſi non vult te operari, qui dicit: * *Non adulterabis: Non homicidium facies. Non concupiſces*: Et ſi quod eſt aliud mandatum. In hoc ſermone recapitulatur: *Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Dilectio proximi malum non operatur: Plenitudo autem legis charitas. Tom.8. Præfat. in Pſal.31.*

*Rom.1.*
*Gal.3.*
*Rom.4.*

*In Abrahā etſi opera nō præceſſerunt fidem, tamen ſecuta ſunt.*

* *Gal.5.*
* *Rom.13.*
* *Gal.5.*
* *Leuit.19.*
*Matth.22.*
*Marc.12.*

*Paulus Apoſtolꝰ vult, vt fidē habētes operentur.*

Teipſum audi, ô Apoſtole: Certè fidem mihi hîc ſine operibus * vis cōmēdare, opus autem fidei dilectio eſt. Quia dilectio vacare non poteſt, niſi & mali nihil operetur, & quicquid poteſt boni operetur. Quid enim facit Dilectio? *Declina * à malo, & fac bonum*. Hanc ergo fidem ſine operibus cōmendas: Et alio loco dicis: * *Et ſi fidem habeam, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt?* Ergo ſi nihil mihi prodeſt fides ſine charitate, charitas autem vbi fuerit neceſſe eſt, vt operetur, fides * ipſa per dilectionē operatur. Quomodo ergo iuſtificabitur? * homo per fidē ſine operibus? Reſpondet ipſe Apoſtolus: *operantem.* * *Pſal.36.* * *1.Cor.13. Fidei cōiungēda eſſe opera ex Scripturis oſtenditur.* * *Gal.5.* * *Rom.3.*

* *Exod.20.*
*Deut.5.*
*Rom.3.*
* *Rom.3.*

*Paulus Apoſtolus nō cōmendat fidē ſine operibꝰ, ſed fidē per dilectionem*

*De operibus ante fidẽ nõ præſumẽdũ.*

Propterea hoc tibi dixi ô homo, ne quaſi de operibus tuis præſumere Videreris, & merito operum tuorum te accepiſſe fidei gratiam. Noli ergo præſumere de operibus ante fidem. *Ibidem.*

*Libẽter quidã malè intelligũt Apoſtolũ Paulũ, vt bona opera liberius negligãt, nolentes intelligere, vt benè agant.*

** Pſal. 35.*

Intendite ergo vos, alioqui malè intelligendo proiicitis vos in illam voraginem impunè peccandi, & ego liber ſum, ſicut ipſe Apoſtolus ab omnibus malè intelligentibus liber fuit. Libenter enim malè intellexerũt, ne bona opera ſequerentur. Nolite eſſe de numero talium fratres. Dicitur in quodam Pſalmo * de quodam homine tali, id eſt, de tali genere, quaſi de vno. *Noluit*, inquit, *intelligere, vt bene ageret.* Non dictum eſt, nõ potuit intelligere, vos ergo oportet, vt velitis intelligere, vt bene agatis. Intellectus enim vobis non deerit manifeſtus. Quis eſt manifeſtus intellectus? Nemo iactet bona opera ſua ante fidẽ, nemo ſit piger in bonis operibus accepta fide. *Ibidem, lege integrum locum.*

*Nemo iactet bona opera ante fidem, nemo ſit piger in operibus accepta fide.*

*Rom. 3. 4. 5. Gal. 2. 3. 5.*

*Apoſtolus fidei gratiam præponit operibus, nõ vt opera extinguat, ſed vt oſtendat nõ eſſe opera præcedentia gratiam ſed conſequẽtia.*

Multis locis hoc ſæpe teſtatur (*Apoſtolus*) fidei gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat, ſed vt oſtendat non eſſe opera præcedentia gratiam, ſed conſequentia, vt ſcilicet non ſe quis arbitretur, ideò percepiſſe gratiã, quia bene operatus eſt, ſed bene operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiã, ex quo incipit Deo credere vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. *Tom. 4. ad Simplicianum, lib. 1. quæſt. 2. Ad hunc articulum multa referri poſſunt ex ſequenti capite de iuſtificatione.*

### *XII. Per fidem non abrogari Legem, ſed firmari.*

** Rom. 3.*

*Lex quomodo ſtatuitur & firmatur per fidem.*

Dicit (*Apoſtolus*) * Legem euacuamus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus, id eſt, firmamus. Sed quemadmodum firmanda fuerat lex, niſi per iuſtitiam? Iuſtitiam autem, quæ eſt ex fide, quia ex ipſa, quæ non poterant impleri per legem, per fidem impleta ſunt. *Tom. 4. in expoſit. quarundam propoſit. ex epiſt. ad Rom. propoſ. 19.*

Lex docendo & iubẽdo quod ſine gratia impleri nõ poteſt, homini demonſtrat ſuã infirmitatem, vt quærat demonſtrata infirmitas Saluatorem, à quo ſanata vo-



luntas poſſit, quod infirma non poſſet. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat ſpiritum largiorem, diffundit ſpiritus * charitatem, implet * charitas legem. *Tom. 2. Epiſt. 144. ad Anaſtaſium.*

*Lex ducit ad fidem, fides impetrat charitatem, charitas implet legem.*

** Rom. 5.*

** Rom. 13.*

*Lex factorũ & lex fidei quomodo differant.*

Lex ergo factorũ, id eſt, operũ, per quam non excluditur illa gloriatio, & lex fidei, per quam excluditur, quomodo inter ſe differant operæprecium eſt cõſiderare, ſi tamen valemus aduertere atque diſcernere. *Et poſt pauca.* Ipſam enim dicit legem, ex qua nemo iuſtificatur, quam dicit ſubintraſſe *, vt abundaret delictum, quãtamẽ ne quiſq̃ ob hoc imperitus argueret & ſacrilegus accuſaret, defendit eam dicẽs: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum * non cognoui, niſi per legẽ: Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: * Non cõcupiſces.* Occaſione itaque accepta, peccatum per mandatum operatũ eſt in me omnẽ concupiſcentiam. Dicit etiam lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & iuſtum & bonum, ſed peccatũ vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem. Ipſa eſt litera * occidẽs, quæ dicit, *Non concupiſces*: de qua item dicit, quod paulò antè cõmemoraui: * *Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata per legem & Prophetas, iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes, qui credunt. Et deinde*: Lex ergo * factorum ipſa eſt, quæ dicit: * *Non concupiſces*: quia per illã cognitio peccati eſt. Volo igitur ſcire, ſi quis mihi dicere audeat, vtrum lex fidei nõ dicat, *Non cõcupiſces*: Si enim nõ dicit, quid cauſæ eſt, cur nõ in ea poſiti, ſecuri atque impunè peccemus? Hoc enim & illi putauerunt Apoſtolum dicere, de quibus ait: * Et ſicut dicunt, nos quidam dicere, faciamus mala, vt veniant bona, quorũ * iudiciũ iuſtum eſt. Si autẽ etiam ipſa dicit: * *Non concupiſces*: ſicut tam multa præcepta Euangelica & Apoſtolica teſtificari & clamare non ceſſant, quare lex factorum & ipſa non dicitur? *Et paulò pòſt*: Quid igitur intereſt? Breuiter dicam. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credẽdo impetrat. *Et poſt pauca*: Lege operum dicit Deus, fac quod iubeo: Lege fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Ideò enim iubet lex, vt admoneat, quid faciat fides,

** Rom. 5.*
** Rom. 7.*
** Exod. 20. Deut. 5.*
** 2. Cor. 3.*
** Rom. 3.*
** Rom. 3.*
** Exod. 20. Deut. 5.*
*Rom 7. 13.*
** Rom. 3.*
** Aliâs, damnatio iuſta eſt.*
** Exod. 20. Deut. 5.*
*Rom. 13.*

*Lex fidei, in Euangelicis & Apoſtolicis ſcriptis, iubet etiam non concupiſcere.*

id eſt, vt cui iubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: ſi autem continuò poteſt & obedienter facit, debet etiã ſcire, quo donante poſſit. *Tom. 3. de ſpir. & lit. cap. 13.*

*Nec fides legem, nec gratia liberũ arbitrium euacuat.*

** Rom. 3.*

Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur. Neque enim lex impletur niſi libero arbitrio, ſed per legem * cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ à vicio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iuſtitiæ dilectio, per iuſtitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc ſicut lex non euacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur. Quia gratia ſanat voluntatem, qua iuſtitia liberè diligatur. *Ibidem, cap. 30.*

Ad fidem præcepta compellunt, vt lex imperet, & fides impetret. *Tom. 7. de nat. & gratia, cap. 16.*

** Rom. 3.*

*Lex per fidẽ ſtatuitur, quia quod iubet lex, efficit fides.*

Legem ergo * euacuamus per fidem? Abſit: Sed legẽ ſtatuimus. Hoc efficit fides, quod lex iubet. Statuitur ergo lex per fidem, quæ fides ſi non ſit, iubet tantùm lex, & non implentes iuſſa reos tenet, vt eos gementes & non valentes implere quæ iuſſa ſunt, ad gratiam liberatoris aliquando conuertat. *Tom. 4. 83. Quæſtionum, quæſtione. 66.*

## *XIII. Quomodo intelligendum ſit Abacuc 2. Iuſtus ex fide viuit.*

*Fide promeremur Deũ: credentes ſcilicet & facientes, quæ fides credenda & faciẽda eſſe oſtendit: quod eſt ex fide viuere.*

** Rom. 4.*

Fide promeremur Deum: & qui digni non eramus, quibus peccata dimitterentur, ex eo, quia tantũ donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid eſt gratia? Gratis data. Quid eſt gratia? Gratis donata, nõ reddita. Si tibi debebatur, merces reddita eſt, non gratia donata. Si autem verè debebatur, bonus fuiſti: Si autem non merito tuo, vt verum eſt, malus fuiſti. Crediſti autem * in eum, qui iuſtificat impium. Quid eſt, *qui iuſtificat impium?* Ex impio facit pium. Cogita quid per legem imminere debebat, & quid per gratiam conſecutus ſis. Si conſecutus autem es iſtam gratiam



fidei, eris iuſtus ex fide. *Iuſtus * enim ex fide viuit*: & promereberis Deum viuendo ex fide. Cùm promerueris Deum, viuendo ex fide, accipies præmium, immortalitatem, & vitam æternam, & illa gratia eſt. Nam pro quo merito accipies vitam æternam? Pro gratia. Si enim ipſa fides gratia eſt, & vita æterna quaſi merces eſt fidei: videtur quidem Deus vitam æternam tanquã debitam reddere. Cui debitam? Fideli, quia promeruit illam per fidem. Sed quia ipſa fides gratia eſt: & vita æterna gratia eſt pro gratia. *Tom. 9. Tract. 3. in Euang. Ioannis, prope initium.*

** Abac. 2. Rom. 1. Gal. 3.*

*Vitæ, quæ eſt ex fide, redditur vita æterna tanquam merces & debitũ: ſed quia fides ex qua viuimus, gratis etiam data eſt, verè dicitur vita æterna tanquam gratia pro gratia reddi.*

Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus. Sed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt, niſi per Chriſtum, & hunc crucifixum, cuius morte mors vincitur, cuius vulneribus natura noſtra ſanatur. Ideóque iuſtus * ex fide Chriſti viuit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter & iuſtè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè ſapienterque viuit, qui fideliter viuit. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 4. ca. 3.*

*Beatitudinis appetitus omnibus hominibus inſitus, poſſe nos beatos eſſe oſtendit.*

Iuſtitia, ſecundùm quam iuſtus * ex fide viuit, quoniam per Spiritum gratiæ homini ex Deo eſt, vera iuſtitia eſt. Quæ licet non immeritò in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, parua tamẽ eſt ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum. *Tom. 7. contra duas Pelag. Epiſt. lib. 3. ca. 7.*

** Abac. 2. Rom. 1. Gal. 3.*

*Ex fide Chriſti viuitur, quando ex eius præſcripto virtutum actus exercemus.*

Dominus ait, * *Non veni ſoluere legem, ſed implere*: quia erat ablaturus timorem carnalem: Spiritalem autem charitatem daturus, qua ſola lex impleri poteſt. *Plenitudo * enim legis charitas*, vt quando fides impetrat Spiritum ſanctum, * per quem charitas Dei diffuſa eſt, in cordibus operantiũ iuſtitiam, nullo modo quiſquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter iſtos iactantes ſe de operibus legis vita refellit Apoſtolus, dum oſtẽdit opera vetuſta Sacramẽtorum vmbras futurorum fuiſſe, quas iam aduentu

** Abac. 2. Rom. 1. Gal. 3. Iuſtitia, quæ ex Deo eſt, in quibuſdã iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur. * Mat. 5. * Ro. 13. * Ro. 5. Qui ex fide viuit, carnaliũ obſerua-*

*tionem ſeruiliter alligantium, iugo liberatus eſt, & liberè per caritatẽ legis opera quæ ad bonos mores pertinent, implet.*

** Abac.2. Rom.1. Gal.3.*

** Matt.11.*

Domini liberè hæredi neceſſarias non eſſe monſtrauit. Opera verò ad bonos mores pertinentia non impleri niſi dilectione, per quam fides operatur. Vnde ſi opera legis quædam poſt fidem ſuperflua, quædam ante fidem nulla ſunt, viuat* iuſtus ex fide, vt & onus graue ſeruitutis abiiciat, leui * ſarcina Chriſti vegetatus, & iuſtitiæ metas nõ tranſgrediatur, leui iugo caritatis obtemperans. *Tom. 4. in expoſ. epiſt. ad Galat. cap. 5.*

### *X IIII. Eandem fidem eſſe antiquorum Patrum ante aduentum Chriſti, & noſtram.*

*Omnes qui vnquam fuerunt iuſti, per vnum fidei oſtium ingreſſi ſunt.*

** Luc.2. * Matt.27. * Marc.16. * Act.1.*

*Quæ nos credimus, impleta, crediderũt iuſti, qui fuerunt ante Chriſtum, implenda.*

** 2. Cor. 4. * Pſal.115.*

*Chriſtus dominus in Eccleſia ſua iunior fuit olim, nũc iam ſenuit.*

ANte aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo humilis venit in carne, præceſſerunt iuſti, ſic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum, qui venit. Tempora variata ſunt, non fides, quia & ipſa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur. Alium ſonum habet, venturus eſt, alium ſonum habet, venit. Mutatus eſt ſonus, venturus eſt, & venit: eadem tamen fides vtroſque coniungit, & eos qui venturum eſſe, & eos qui eũ veniſſe crediderunt: diuerſis quidem temporibus, ſed vtroſque per vnum fidei oſtium, hoc eſt, per Chriſtũ, videmus ingreſſos. Nos credimus Dominum noſtrum natum * ex virgine veniſſe in carne, paſſum * eſſe, reſurrexiſſe, * in cœlum * aſcendiſſe, totum hoc ſicut verba auditis præteriti temporis, impletum eſſe iam credimus. In eius ſunt fidei ſocietate nobiſcum & illi patres, qui crediderunt de virgine naſciturum, paſſurum, reſurrecturum, in cælum aſcenſurum. Illos enim oſtendit Apoſtolus, vbi ait: * Habentes autẽ eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: * Credidi propter quod loquutus ſum. *Tom. 9. in Euang. Ioan. Tract. 45.*

Ex fide Chriſti ante eius paſſionem iuſtos vixiſſe non dubium eſt, qui præſtat ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, per quem diffunditur caritas in cordibus noſtris, qua vna iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt. *Tom. 7. de nat. & grat. cap. 63.*

Dominus ipſe in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, iunior fuit primis temporibus, & ecce iam ſenuit. Noſtis



** Gal.5.*

*Credebant veteres Chriſtum venturũ, nos verò veniſſe.*

& agnoſcitis & intelligitis, quia in hoc poſiti eſtis, & ita crediditis, quia caput* noſtrum Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus. Nunquid ſoli nos? & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſeculi fuerunt iuſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderũt, quem nos veniſſe iam credimus, & in eius fide & ipſi ſanati ſunt, in cuius & nos: vt eſſet & ipſe totius caput ciuitatis Hieruſalem, omnibus connumeratis fidelibus, ab initio vſque in finem, adiunctis etiam legionibus & exercitibus angelorum, vt fiat illa vna ciuitas ſub vno Rege, & vna quædã prouincia ſub vno Imperatore. *Tom. 8. Conc. 3. in Pſal. 36.*

*Nullus homo niſi per Mediatorem Chriſtum à peccato liberatur.*

** 1. Tim. 2.*

** 2. Cor. 4. * Pſal. 115.*

*Sacramenta pro tẽporum diuerſitate diuerſa, eadem tamen fides ſemper in omnibus iuſtis fuit.*

Illa igitur fides ſalua ſit, qua credimus nullum hominem, ſiue maioris, ſiue paruulæ quamlibet & recentis ætatis, liberari à cõtagione mortis antiquę & obliteratæ, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, niſi per vnum * meditatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, cuius hominis eiuſdémque Dei ſaluberrima fide, etiam illi iuſti ſalui facti ſunt, qui priuſquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides eſt & noſtra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Vnde dicit Apoſtolus Paulus: * *Habentes autẽ eundem Spiritũ fidei, ſecundùm quod ſcriptũ eſt:* * *Credidi propter quod locutus ſum? & nos credimus, propter quod & loquimur.* Si ergò eundem ſpiritum fidei, & illi habebant, qui venturum in carne Chriſtum prænunciarunt, quem etiam illi, qui eum veniſſe nunciarunt: Sacramẽta eſſe potuerunt, pro temporum diuerſitate diuerſa, ad vnitatem tamen eiuſdem fidei concordiſſimè recurrentia. *Tom. 2. epiſt. 157. ad Optatum.*

*Hinc colligitur non in omnibus iuſtis fuiſſe perfectam cognitionem fidei, ſed in quibuſdam fuiſſe fi-*

Ab exordio generis humani quicunque in eum crediderunt eumque vtcunque intellexerunt, & ſecundum eius præcepta piè & iuſtè vixerunt, quandolibet, & vbilibet fuerunt, per eum proculdubio ſalui facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne iam venerit: ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænunciabatur, ideo

*dē,quā ſcholæimplicitam vocant.*

fides ipſa variata,vel ſalus ipſa diuerſa eſt. *Ibidem*, Epiſt. 49.*ad Deo gratias,in ſolut.quæſt* 2.

Eadem fides & in illis,qui nondum nomine,ſed reipſa fuerunt antea Chriſtiani, & in iſtis qui non ſolùm ſunt,verùm etiam vocantur, & in vtriſque eadem gratia per Spiritum ſanctum. Vnde dicit Apoſtolus: * *Habentes autem eundem Spiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt: * Credidi propter quod locutus ſum,& nos credimus,propter quod & loquimur*. To.7.*contra duas epiſt. Pelag. lib*. 3. *cap*. 4. *Plura de nupt. & concupiſc. lib*. 2. *cap*. 1.. *de pecc. orig.cap*.26.*de patientia,cap*.21.*& epiſt*.95. *ad Innocentium.*

*1. Cor.4.
*Pſal. 115.

# CAPVT QVINTVM DE IVSTIFICATIONE.

*I. Hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia coram Deo iuſtificari non poſſe.*

GEntes quæ * non cognouerunt iuſtitiam,apprehenderunt iuſtitiam: Iuſtitiam autem,quæ ex fide eſt: Iſraël autem perſequens legem iuſtitiæ,ad legem iuſtitiæ non peruenit: quare? quia non ex fide,ſed tanquam ex operibus: offenderunt enim in offenſionis lapidem, ſicut ſcriptum eſt: * Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & qui crediderit in eum non confundetur. Ipſa eſt iuſtitia ex fide,qua*credimus nos iuſtificari,hoc eſt,iuſtos fieri, gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vt inueniamur in illo non habentes noſtram iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti: quæ ex Deo iuſtitia in fide, vtique in fide, qua credimus nobis iuſtitiam diuinitus dari, non à nobis,in nobis noſtris viribus fieri. Tom. 2. epiſt. 106. *ad Bonifacium,circa principium.*

*Rom. 9.
*Pſal.117.
Iſa.8.28.
Matt. 21.
Rom.9.
1.Pet. 2.
Act.4.
*Rom. 5.

*Iuſtitia diuinitus datur, non à nobis in nobis fit noſtris viribus.*

Et quoniam lex non tam auferre potuit,quàm monſtrare peccatum, quod peccatum in ſe naſcentes paſſim



ſibi homines vendicabat,& concupiſcentiæ conſenſione poſſeſſos in æternum mergebat interitum: Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei,verbum patris* æquale & coæternum Patri,ſemetipſum exinaniuit formā,ſerui accipiens:& cùm peccatum ipſe non eſſet,factus aſſumpta carne peccatum, vt peccato carnis homine ſanato,peccatum damnaret in carne,venit quærere,quod perierat,ſanare quod ægrotabat, erigere quod iacebat, poteſtatem habens dimittendi peccata, quod non debebat donare,quod ei debebatur dimittere, deletiſque omnibus veteris culpæ maculis, quam fecerat reparare naturam. *Tom*.7.*de prædeſt.& gratia,cap*.13.

*Lex nō tam auferre potuit, quàm mōſtrare peccatum.*

*Philip.2.

Liberum arbitrium (*Recitat Auguſtinus quædam verba ex epiſtola Innocentij Papæ,ad Concil.Carthag.*) olim ille (*Adam*) perpeſſus, dum ſuis inconſultius vtitur bonis: cadens, in præuaricationis profunda demerſus, nihil, quemadmodum exinde ſurgere poſſet, inuenit, ſuaque in æternum libertate deceptus,huius ruinæ latuiſſet oppreſſu,niſi eum pòſt Chriſti pro ſua gratia liberaſſet aduentus,qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vicium ſui Baptiſmatis lauacro purgauit. Quid iſta ſedis Apoſtolicæ ſentētia clarius atque manifeſtius? *Tom*.7.*contra duas Epiſtolas Pelag.lib*.2.*ca*.4.

*Chriſtus ſui Baptiſmatis lauacro præteritum omne vicium purgat.*

Humana natura iuſtificari & redimi ab ira Dei iuſtiſſima,hoc eſt,vindicta,nullo modo poteſt,niſi per fidem & ſacramentum ſanguinis Chriſti. *Tom*. 7. *de natura & gratia,cap*.2.

Ergo neque per legem iuſtitia, neque per naturæ poſſibilitatem,ſed ex fide,& dono Dei,per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,vnum mediatorem* Dei & hominum, qui niſi in plenitudine temporis mortuus eſſet propter delicta * noſtra, & reſurrexiſſet propter iuſtificationem noſtram,profectò & antiquorum fides euacuaretur,& noſtra. *Tom*.2.*epiſt*.95. *ad Innocentium Papam. Lege totam Epiſtolam. Idem docet Epiſt*.105.*ad Sixtum, &* 106.*ad Paulinum. Præterea Tom*.7.*de gratia Chriſti,cap*.24. *& Tom*.10.*de verbis Domini,ſer*.12.*& aliis in locis.*

*Neque per legem, neque per naturæ vires iuſtitia.*

*1.Tim.2.

*Fides in mediatorem Chriſtum neceſſaria.*

*Rom.4.

### II. *Gratis iuſtificari hominem, neque quicquam eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fidem, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promereri.*

**Rom. 3.*

*Non eſt gratia, niſi gratuita.*

O*Mnes peccauerunt* & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per ſanguinem ipſius*. Quia gratis, ideò gratia. Non enim eſt gratia, niſi gratuita, quia nihil boni antè feceramus, vnde talia dona mereremur. Magis quia ne non gratis inferretur ſupplicium, ideò gratis præſtitum eſt beneficium. Nihil præceſſerat in meritis noſtris, niſi vnde damnari deberemus. Ille autem non propter noſtram* iuſtitiam, ſed propter ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis. *Tom. 8. in Pſal. 18. expoſitione 2.*

**Tit. 3.*

**Rom. 3.*

*Iuſtificari gratis quid ſit.*

Per ipſam quippe* (*homo*) iuſtificatur gratis, id eſt, nullis ſuorum operum prædecedentibus meritis: alioquin gratia* iam non eſt gratia: quandoquidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, ſed vt ea facere valeamus, id eſt, non quia legem impleuimus, ſed vt legem implere poſſimus. *Tom. 3. de Spiritu & litera, ca. 10.*

**Rom. 11.*

Si enim vllis bonis meritis datur, iam non gratis donatur, ſed debita redditur: Ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur, vbi merces, ſicut idem dicit Apoſtolus*, non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, Si autem vt vera ſit gratia, id eſt, gratuita, nihil inuenit in homine, cui meritò debeatur: quod bene intelligitur & in eo, quod dictum eſt: * *Pro nihilo ſaluos facies eos*: profectò ipſa dat merita, non meritis datur. Præuenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt. Iuſtus enim, ſicut ſcriptum eſt, *ex fide viuit. Porrò gratia non ſolùm adiuuat iuſtum, verùm etiam iuſtificat* impium. Et ideo etiam cùm adiuuat iuſtum, & videtur eius meritis reddi, nec ſic deſinit eſſe gratia, quoniam id adiuuat, quod ipſa eſt largita. *Tom. 4. de patientia, cap. 20.*

**Rom. 4.*

**Pſal. 55.*

*Gratia dat merita, non meritis datur.*

*Gratia etiā fidē præuenit.*

**Abac. 2. Rom. 1. Gal. 3.*

**Rom. 4.*

Profectò antequam gratia iuſtificetur, vt iuſtus efficiatur, impius quid eſt niſi impius? quem ſi debitum ſequeretur,





quereretur, quid eius merito niſi ſupplicium redderetur? Si ergò gratia, *iam non ex operibus eſt: alioquin gratia iam non eſt gratia. Operibus enim debitum redditur, gratia gratis datur, vnde etiam nuncupatur. Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent caritatem, quæ ſola verè benè operatur, iſti fratres noſtri, qui multum de ſuis operibus gloriantur. Caritas autem vſque adeò Dei donum eſt, vt Deus* dicatur. Qui ergò habent fidem, qua impetrent iuſtificationem, per Dei gratiam peruenerunt ad legem iuſtitiæ. *Tom. 2. Epiſt. 105. ad Bonifacium, circa principium.*

**Rom. 11.*

**1. Ioan. 4.*

Quomodo ergò iuſtificabitur homo per fidem ſine operibus? Reſpondet ipſe Apoſtolus, propterea hoc dixi tibi, ô homo, ne quaſi de operibus tuis præſumere videreris, & merito operum tuorum te accepiſſe fidei gratiam. *Tom. 8. in Pſal. 31. in præfat.*

*Nullus præſumat, merito ſuorum operum ſe accepiſſe fidei gratiam.*

Nobis vt ex aqua* & Spiritu renaſceremur, non retributum eſt pro aliquo merito, ſed gratis tributum: & ſi nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideò putare debemus, priores* nos dediſſe aliquid vt retribueretur nobis regeneratio ſalutaris. *Tom. 7. de prædeſt. Sanctorum, cap. 15.*

**Ioan. 3.*

**Rom. 11.*

Iuſtificati* igitur ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: iuſtificati autem gratis per gratiam ipſius, ne fides ipſa ſuperba ſit. Nec dicat ſibi, ſi ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quàm donatur? Non dicat iſta homo fidelis, quia cùm dixerit, vt merear iuſtificationem, habeo fidem: reſpondetur ei, *Quid enim* habes quod non accepiſti?* Cùm ergò fides impetrat iuſtificationem, ſicut vnicuique Deus* partitus eſt, etiam ipſius menſuram fidei: non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non præuia voluntate. *Tom. 2. epiſt. 106. ad Bonifacium, prope initium. Plura To. 4. 83. quæſtionum, queſt. 68.*

**Rom. 5.*

**1. Cor. 4.*

**1. Cor. 12. Rom. 12.*

*Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, pediſſequa, nō præuia volūtate.*

## III. Sine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione hominem non poſſe credere, ſperare, diligere aut pœnitere, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur.

*Philip. 2.
*Rom. 9.

*Deus eſt enim* qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*: Et alio loco: * *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: Cùm proculdubio ſi homo eius ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec peruenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei, niſi voluntate cucurrerit. Quomodo ergò non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcriptum eſt, *à Deo præparatur. *Tom 3. Enchir. cap. 32.*

*Voluntate credimus ſperamus, atque diligimus, ſed quæ à Deo præparetur.*

Puto propter regnum cœlorum eſſe dictum: * *Inclina cor meum ad teſtimonia tua*: vel, * A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius volet: vel, * Paratur volũtas à Domino: vel, *Fiat Dominus noſter nobiſcum, ſicut erat cum patribus noſtris: non derelinquat nos, nec auertat nos à ſe: Inclinet corda noſtra ad ſe, vt eamus in omnibus viis eius, vel: * Dabo eis cor cognoſcendi me, & aures audientes: vel, * Dabo eis cor aliud, & ſpiritum nouum dabo eis. Audiant etiam illud: *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Audiant: * A Domino diriguntur greſſus viri: mortalis autem quomodo intelliget vias ſuas? Audiant: * Omnis vir videtur ſibimetipſi iuſtus, dirigit autem corda Dominus. Audiant: *Crediderunt, quotquot erãt ordinati in vitam æternam. Audiant hæc & alia, quęcũque non dixi, quibus oſtenditur Deus ad regnum etiam cœlorum, & ad vitam æternam parare & conuertere hominum voluntates. *To. 7. de prædeſt. Sanctorũ, ca. 29.*

*Prou. 8.
*Pſal. 118.
*Pſal. 36.
*Prou. 8.
*3. Reg. 8.
*Ierem. 24.
*Ezech. 36.
*Ibidem.
*Prou. 20.
*Prou. 21.
*Act. 13.

Præcipitur vt credamus, vt dono accepto Spiritus ſancti, per dilectionem benè operari poſſimus. Sed quis poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt, aliqua rerum teſtificatione tangatur? Quis



habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet poteſtatem, vt vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet, cùm occurrerit? Cùm ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei: non nutu noſtro & induſtria, aut operum meritis comparatur, quia vt ſit nutus voluntatis, vt ſit induſtria ſtudij, vt ſint opera caritate feruentia, ille tribuit, ille largitur: propterea petere * iubemur vt accipiamus, & quærere vt inueniamus, & pulſare vt aperiatur nobis. *Tom. 4. ad Simplicianum, lib. 1. Queſt. 2. ſub finem.* *Matt. 11. Luc. 11.

Præuenit ergò & fidem gratia, alioquin ſi fides eam præuenit, proculdubio præuenit & voluntas, quoniam fides ſine voluntate eſſe non poteſt. Si autem gratia pręuenit fidem, quoniam præuenit voluntatem, profectò præuenit omnem obedientiam, præuenit etiam caritatem, qua vna Deo veraciter & ſuauiter obeditur, & hæc omnia, gratia in eo cui datur, & cuius hæc omnia præuenit, operatur. *Tom. 7. de bono perſeuerantiæ, cap. 16.*

*Gratia & volũtas præueniũt fidem, & omnem obedientiam.*

Gratia agitur non ſolùm vt facienda nouerimus, verùm etiam vt cognita faciamus, nec ſolùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus. *Tom. 7. de gratia Chriſti cont. Pelag. cap. 12.*

*Gratia agitur vt diligẽda credamus, & credita diligamus.*

Sicut enim non haberet homo ſapientiam, intellectum, conſilium, fortitudinem, ſcientiam, pietatem, timorem Dei, niſi ſecundùm propheticum * eloquium accepiſſet Spiritum ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſciẽtiæ & pietatis ac timoris Dei: Sicut non haberet virtutem, caritatem, continentiam, niſi accepto ſpiritu, de quo ait Apoſtolus: * *Non enim accepiſtis ſpiritum timoris, ſed virtutis & caritatis, & continentiæ*: ita non haberet fidem, niſi accepiſſet ſpiritum fidei, de quo idem ipſe dicit: * *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt*: * *Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur*. Non autem merito accepiſſe, ſed miſericordia eius, qui cuius vult, miſeretur, manifeſtiſſimè oſtendit, vbi de ſeipſo ait: * *Miſericordiam conſequutus ſum, vt fidelis*

*Iſai. 11.
*Rom. 8.
*Homo fidem non haberet, niſi accepiſſet ſpiritũ fidei.*
*2. Cor. 4.
*Pſal. 115.
*1. Cor. 7.

eſſem. Si dixerimus meritum præcedere orationis, vt donum gratiæ conſequatur: impetrando quidem oratio, quicquid impetrat euidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet, à ſeipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur, non vtique poſceretur. Veruntamen ne ſaltem orationis putarentur præcedere merita quibus non gratuita daretur gratia, ſed iam nec gratia eſſet, quia debita redderetur, etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur. Quid enim oremus, ait Doctor gentium, *ſicut oportet, neſcimus, Sed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Tom.2. Epiſt.105. ad Sixtum, prope medium.*

*Ipſa etiã oratio inter gratiæ munera computatur.*

**Rom.8.*

Iſtam aliquando gratiam (*Pelagius*) fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur, nec ſolùm reuelatur ſapientia, verumetiam & amatur, nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur. *Tom.7. de gratia Chriſti contra Pelag. & Celeſtium, cap.10.*

*Pœnitẽtia agitur per miſericordiã & adiutorium Domini.*

Ipſam denique pœnitentiam, quam proculdubio voluntas agit, Domini miſericordia & adiutorio fieri, vt agatur, in decimo eiuſdem operis libro (*ſuper Lucam, cap.96.*) beatus dicit Ambroſius, ita loquens: Bonæ lachrymæ quæ culpã lauant. Denique quod Ieſus reſpicit, plorat delictum. Negauit * primò Petrus & non fleuit, quia non reſpexerat Dominus: negauit ſecundò & non fleuit, quia adhuc non reſpexerat Dominus: negauit & tertiò, reſpexit* Ieſus, & amariſſimè fleuit. Legant iſti (*Pelagiani*) Euangelium, & videant Dominum Ieſum tunc intus fuiſſe, cum à Sacerdotum principibus audiretur: Apoſtolum verò Petrum foris & deorſum *in atrio cum ſeruis ad focum tunc * ſedentem, nunc *ſtantem, ſicut veraciſſima & concordiſſima Euangeliſtarum narratione monſtratur. Vnde non poteſt dici quod corporalibus oculis eum Dominus viſibiliter admonendo reſpexerit. Et ideò quod ibi ſcriptum eſt: *Reſpexit eum Dominus: intus actum eſt, in mente actum eſt, in voluntate actum eſt. Miſericordia Dominus latenter ſubuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia ſua viſitauit Petrũ, interioris hominis vſque ad exteriores lachrymas mouit, & produ-

**Mat.26. Marc.14. Ioan.18. *Luc.22.*

*Quibus oculis Ieſus reſpexerit Petrũ, vt amariſſimè fleret.*

**Marc.14. *Luc.22. *Ioan.18. *Luc.22.*



xit affectum. *To.7. de gratia Chriſti contra Pela. ca.45. Pœnitẽtiam à Deo dari atque donari habes & To.4. in expo. epiſ. ad Rom. inchoata circa medium. Et Tom.6. de ſancta virginitate, cap.41. & Tom.7. hypog. lib.3. circa medium.*

### *IIII. Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, aſſentiendo, Deo excitanti atque vocanti cooperari poſſe, quò ſe ad obtinendam iuſtificationis gratiã diſponat ac præparet.*

NE autẽ putetur, nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitriũ, ideò in Pſalmo dicitur, * Nolite obdurare corda veſtra. Et per ipſum Ezechielem: *Proiicite à vobis omnes impietates veſtras, quas impiè egiſtis in me, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum, & facite omnia mandata mea. Vt quid moriemini domus Iſraël dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, ſed conuertimini, & viuetis. Meminerimus Deum dicere, ſed conuertimini, & viuetis: cui dicitur: * Conuerte nos Deus: Meminerimus Deum dicere: * Proiicite à vobis omnes impietates veſtras: cùm ipſe* iuſtificet impium. Meminerimus ipſum dicere: *Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, qui dicit: * Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo vobis. Quomodo ergò quod dicit, facite vobis: hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt, niſi quia dat, quod iubet, & adiuuat, vt faciat, cui iubet? *Tom.7. de gratia & libero arbitrio, cap.15.*

**Pſal.94. *Ezech.18.*

*In iuſtificatione nõ tantũ Deũ operari, ſed etiã liberũ arbitriũ aliquid agere, ex ſcripturis pulchrè ꝓbatur.*

**Pſal.84. *Ezech.18. *Ezech.36.*

*Et Deus dat nobis cor & ſpiritum nouum, & nos ipſi eadem facimus.*

Quotquot enim * ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, nõ qui ſecundùm carnem viuunt ſuam, non qui ſecundùm ſpiritum ſuum viuunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt. Dicit mihi aliquis, Ergò agimur, non agimus. Reſpondeo, Imò & agis, & ageris. Et tunc benè agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor eſt: ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcas, agnoſce quid confitearis,

**Rom.18.*

*Attẽdãt hi qui noſtrum arbitrium in iuſtificatione, & in bonis operibus pati tantum exiſtimant*

*Si ergo liberũ arbitrium adiuuatur à Deo, debet à Deo agi, & cũ Deo aliquid agere.*

** Pſal. 26.*
** Rom. 8.*
*Ibidem.*

quando dicis: *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Adiutorem vtique inuocas Deum. Nemo adiuuatur, ſi ab illo nihil agatur. *Quotquot enim*, inquit, *ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei*, non litera, ſed ſpiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, ſed ſpiritu exhortante, illuminante, adiuuante. *Scimus*, inquit idem Apoſtolus, **quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator. ***To.10.** de verbis Apoſtoli, ſerm.13.*

*Si homo non eſſet operator, Deus nõ eſſet cooperator.*

*Perfectio iuſtitiæ etiam in hac vita eſſe poteſt.*

Hoc ergo fruſtrà dici ſatis elucebit, cùm & ipſam humanam iuſtitiam operationi Dei tribuendam eſſe, clarum erit, quanuis non fiat ſine hominis voluntate: & ideo eius perfectionem etiam in hac vita eſſe poſſibilem negare non poſſumus: quia omnia poſſibilia ſunt Deo, ſiue quæ facit ſola ſua voluntate, ſiue quæ cooperantibus creaturæ ſuæ voluntatibus à ſe fieri poſſe conſtituit. *Tom 3. de ſpiritu & litera, cap. 5.*

*Poſſunt ergò voluntates creaturarum Deo agenti cooperari.*

** Pſal. 33.*
*1. Pet. 3.*
** Philip. 2.*
** Rom. 8.*

Vt quid nobis (*inquiunt*) prædicatur atque præcipitur, * vt declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle* & operari Deus operatur in nobis? ſed potius intelligant ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe* agi, vt quod agendum eſt agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant: & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione, iuſtitiæ ſuauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eis* daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. *Tomo. 7. de corrept. & gratia, cap. 2.*

*Iuſtificatione igitur liberum arbitriũ & agitur à Deo, & cũ eodem agit.*

** Pſal. 84.*

Quid ergo? Nos benè non operamur? Imò operamur. Sed quomodo? Ipſo in nobis operante, quia per fidem locum damus in corde noſtro ei, qui in nobis, & per nos bona operatur. Audi enim vnde opereris bona: *Ipſius * enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, vt in illis ambulemus. Tom. 8. in Pſal. 144. Super illa verba: Et iuſtitia tua exultabunt, &c.*

*Nos benè operamur, deo in nobis & per nos operante.*

Alio loco (*dixi*) Niſi quiſque voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum Dominus alio loco docet, vbi ait:

** Eph. 2. Contra Adimantum Manichæum, cap. 26.*



** Matt. 12.*
** Ioan. 1.*
** Prouer. 8.*

* *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Quod non eſt cõtra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt, mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictũ eſt:* *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt, ſed præparatur * voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem. Sic intelligendum eſt & quod dixi poſtea: In noſtra poteſtate eſſe, vt vel inſeri bonitate Dei, vel excidi eius ſeueritate mereamur: quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem, quæ cùm fortis & potens præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, etiã quod difficile atque impoſſibile fuit. ***Tom. 1. Retractationum,** lib. 1. cap. 22.*

Operante in nobis Chriſto; cooperamur ſalutẽ æternam ac iuſtificationem noſtram: iuſtificat enim Deus nos in nobis, vt faciamus & nos. ***Tom. 9. tract. 72. in Euang. Ioannis.***

** Rom. 4.*

*Credenti*, inquit, **in eum, qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam.* In hoc opere facimus opera Chriſti, quia & ipſum credere in Chriſto, opus eſt Chriſti, hoc operatur in nobis, non vtique ſine nobis. *Ibidem.*

*Manifeſtũ ex his relinquitur, non modò in iuſtitia conſeruanda vel augenda, ſed etiam acquirẽda noſtrum liberum arbitrium Deo cooperari: Alioquin falſum eſſet, quod dicit Auguſtinus: Per fidem dare nos locum Deo. Et rurſum: Credere in Chriſto, opus eſſe Chriſti, quod in nobis non ſine voluntatis conſenſu operetur. Quod etiam in peccatorum deteſtatione, in actu ſpei & charitatis liberum arbitrium Deo cooperetur, conſpicuum ex ſequentibus erit.*

** Rom. 3.*
*Iuſtificamur gratis, nõ tamen ſine noſtra voluntate.*

Non itaque iuſtificati per Legẽ, nõ iuſtificati per propriam voluntatẽ, ſed iuſtificati* gratis per gratiã ipſius, non quòd ſine voluntate noſtra fiat, ſed voluntas noſtra oſtenditur infirma per legem, vt ſanet gratia voluntate-

tem, & ſanata volutas impleat legem non conſtituta ſub lege, nec indigens lege. *Tom. 3. de ſpiritu & litera, cap. 9.*

Hanc ergo iuſtificationem & habeamus, in quãtum habemus, & augeamus, in quantum minores ſumus, & perficiamus, cum illuc venerimus, vbi dicetur: *Vbi eſt mors victoria tua? *Vbi eſt mors aculeus tuus?* Sed totum ex Deo, non tamen quaſi dormientes, non quaſi vt non conemur, non quaſi vt non velimus. Sine voluntate tua non erit in te iuſtitia Dei. Voluntas quidem non eſt, niſi tua, iuſtitia non eſt, niſi Dei. Eſſe poteſt iuſtitia Dei ſine voluntate tua, ſed in te eſſe non poteſt, niſi per voluntatem tuam. Demonſtratum eſt, quid agere debeas. Iuſſit lex, non facias illud, non illud, fac hoc atque illud. Demõſtratum eſt tibi, iuſſum eſt tibi, ſi tibi eſt cor, intellexiſti quid facias, roga vt facias, ſi cognoſcis virtutem reſurrectionis Chriſti: *Traditus * eſt enim propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Quid eſt, propter iuſtificationem noſtram? Vt iuſtificet nos, & iuſtos faciat nos. Eris opus Dei non ſolùm quia homo es, ſed etiam quia iuſtus es. Melius eſt enim iuſtum eſſe, quàm te hominem eſſe. Si hominem te fecit Deus, & iuſtum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus, ſed ſine te fecit Deus, non enim adhibuiſti aliquem conſenſum vt te faceret Deus. Quomodo conſentiebas, qui non eras? Qui ergo fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te: Ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſermone 15.*

** 1. Cor. 15.*

*Sine volũtate noſtra nõ erit in nobis iuſtitia Dei.*

** Rom. 4.*

*Deus fecit neſcientẽ, iuſtificat volentem.*

### *V. Liberum arbitrium poſſe etiam diſſentire & vocanti ad iuſtitiam Deo non obedire.*

Libertati arbitrij ſui commiſſus eſt homo ſtatim in prima conditione, vt ſola vigilantia mentis annitente, etiam in præcepti cuſtodia perſeuerarct, ſi vellet in eo quod creatus fuerat, permanere. Poſtquam verò ſeductione ſerpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non eſſet ſuum quod euitaret peccatum, nec



merito indulgeretur quod non arbitrio diluiſſet. Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat, occaſione ſalutis, hoc eſt inſpiratione Dei. Vt autem cõſequatur quod eligit, vel quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe liberè confitemur. Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus: vt acquieſcamus ſaluriferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris: vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt, & cæleſtis pariter adiutorij: vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt & ignauiæ. Non tamen ad obtinendam ſine illo, qui quærẽtes facit inuenire, qui pulſantibus aperit, qui petentibus donat. Sicut ergò initium ſalutis noſtræ Deo miſerante & inſpirante habere nos credimus: ita arbitrium naturæ noſtræ ſequax eſſe diuinæ inſpirationis liberè confitemur. Igitur vt nõ labamur à bono vel naturæ vel meriti, ſollicitudinis noſtræ eſt & cæleſtis pariter adiutorij: vt labamur, poteſtatis noſtræ & ignauiæ. *Tom. 3. de Ecc. dogmat. cap. 21.*

*Initium ſalutis noſtræ Deo miſerãte habemus, vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi noſtræ poteſtatis eſt.*

Gratia Dei hominum adiuuat voluntates, qua vt nõ adiuuentur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſiue damnandi prædeſtinati ſint, propter iniquitatem ſuperbiæ: ſiue contra ipſam ſuam ſuberbiam iudicandi & erudiendi, ſi filij ſunt miſericordiæ. *Tom. 7. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 17.*

*In voluntate hominis cauſa eſt, ſi non adiuuatur à Deo.*

Sed quæ ſequuntur Euangelij verba plus vrgent, & profundiorem faciunt quæſtionem: adiungit enim & dicit: Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Eſaias: * *Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, vt nõ videant oculis & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem illos.* Dicitur enim nobis, ſi non potuerunt credere, quod peccatum eſt hominis non facientis, quod non poteſt facere? Si autem non credendo peccauerunt, potuerunt ergo credere & non fecerunt. Si ergo potuerũt, quomodo dicit Euangeliſta, propterea nõ poterant credere &c? *Paulò pòſt.* Audiſtis fratres mei propoſitã quæſtionem, nempe quàm profunda ſit cernitis: ſed reſpon-

** Eſa. 6.*

*Ioan.12.* ** Ibidem.* *Eſai.6.* *Iudæi non poterant credere Chriſto Domino, quia nolebãt.*

demus vt poſſumus. Non poterant credere, quia hoc Eſaias Propheta * prædixit: hoc autem propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſciuit. Quare autem non poterant ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per prophetam prænunciauit ille cui abſcondi futura non poſſunt. Sed aliam cauſam, inquis, dicit propheta, non voluntatis eorum. Quam cauſam dicit propheta? Quia dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, & excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe reſpondeo. Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo, non adiuuando: quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt. *To.9.tract.53.in Euang.Ioannis.*

** Matth.22.* ** Rom.9.* ** Luc.2.* ** 1.Cor.9.* ** Rom.9.*

Nemo credit non vocatus, ſed non omnis credit vocatus. *Multi enim * ſunt vocati, pauci verò electi.* Vtique ij, qui vocantem non contempſerunt, ſed credẽdo ſequuti ſunt, volentes autem ſine dubio crediderunt. Quid eſt ergo quod ſequitur, * *Igitur nõ volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*? An quia nec velle poſſumus, niſi vocati, & nihil valet velle noſtrum, niſi vt perficiamus adiuuet Deus? Opus eſt ergo velle & currere. Nõ enim fruſtra diceretur: * *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et, * *Sic currite, vt comprehendatis.* Non tamen volentis, neque * currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt quod volumus, adipiſcamur, & quò volumus, perueniamus. Noluit ergo Eſau, & non cucurrit: Sed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet, qui etiam velle & currere, vocando præſtaret, niſi vocatione contempta, reprobus fieret. *To.4.ad Simplicium, lib.1.quæſt.2.circa medium.*

*Cõſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

Viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus: ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat: neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit



ſuaſio vel vocatio, cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia * eius præuenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixit, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt: * *Quid enim habes, quod non accepiſti*: verùm etiã confirmat. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt. Accipere autem & habere vtique accipientis & habentis eſt. *Tom.3. de ſpiritu & litera, cap.34. Huc referri poſſunt multa ex ijs, quæ cap.3. de gratia & libero arbitrio ſuperius dicta ſunt.*

** Pſal.58.* ** 1.Cor.4.*

## *VI. Fidem eſſe initium, radicem, & velut fundamentum omnis iuſtificationis atque adeò bonorum omnium ſequẽtium iuſtificationem.*

** Rom.3.* *Quare fide potius quàm operibus homo iuſtificari dicatur.*

EX fide autem ideò dicit * iuſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupãtur, in quibus iuſtè viuitur. *Et paulò pòſt*: Niſi Dominus * ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam, Et dicitur à vobis (*Pelagianis*) fides eſt à nobis, cætera à Domino ad opera iuſtitiæ pertinentia: quaſi ad ædificium nõ pertineat fides, quaſi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. *Tom.7. de prædeſt. ſanctorum, cap.7.*

*Pſal.126.* *Fides ædificij ſpiritualis fundamentũ.*

Vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, quia * iuſtus ex fide viuit. *Tom.4.de ſerm. Domini in monte.*

** Abac.2.* *Rom.1.*

Audi Apoſtolum ipſum fidei diſputatorem & gratiæ magnum defenſorem: audi eum dicentem, * Pax fratribus & charitas cum fide magna. Tria dixit: Pax, Charitas, Fides. A fine cœpit, ad initium terminauit. *Et paulò pòſt*: Vnde pax & charitas? Vnde charitas cum fide? Si enim non credas, non amas. Dixit ergo Apoſtolus, ſic incipiens à fine, & veniens ad initium, pax, charitas cum fide. Nos dicamus, fides, charitas, pax: crede, ama, regna. *Tom.10.lib.50.homiliarum, homil.17.*

*Fides initiũ ab Auguſtino ponitur, ab hæreticis verò noſtris culmen & perfectio.* ** Epheſ.6.*

Primitias habemus ipſam fidem, vnde incipimus. Eccleſiæ quippè dictum eſt, * Et venies, & pertranſies ab initio fidei: & nemo incipit bene viuere, niſi à fide.

*Nemo incipit bene viuere, niſi à fide.* ** Cant.4.*

Fides ergo noſtra in primogenitis noſtris eſt. Quando cuſtoditur fides noſtra, cætera ſubſequi poſſunt. Nam quando purgantur homines, quotidiè proficiendo in melius, meliúſque viuendo, ipſo interiore homine renouato, de die in diem, ſicut dicit Apoſtolus: * Et ſi exterior noſter homo corrumpitur, interior autem renouatur de die in diem, ideò fit, quia primogenita fides viuit: de qua primogenita fide & Apoſtolus ait: * *Non ſolum autem, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes,* id eſt, dantes iam Deo primitias ſpiritus noſtri, hoc eſt, ipſam fidem tanquam primogenita noſtra, tamen in nobiſmetipſis ingemiſcimus, adoptionẽ expectantes, redemptionem corporis noſtri. *Tom. 8. in Pſalm. 134. Expoſitione myſtica.*

*2.Cor.4.* — * *Rom.8.* — *Fides initiũ vel primitiæ ſpiritus noſtri.*

Quod enim eſt initium verius Chriſtiano, quàm credere in Chriſtum? *Tom.7. de bono perſeue. cap.2.*

*Initiũ Chriſtiani, credere in Chriſtum.*

Ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primò omnium fides neceſſaria eſt: ſicut Apoſtolica docet auctoritas, dicens: * Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Conſtat ergo neminem ad veram poſſe peruenire beatitudinem, niſi Deo placeat, & Deo neminẽ poſſe placere, niſi per fidem. Fides nanque eſt bonorũ omnium fundamentum. Fides eſt humanæ ſalutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt peruenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſeculo quiſque iuſtificationis * exequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam. *Tom. 10. ſerm. 38. de temp.*

*Fidei neceſſitas oſtenditur.* — * *Heb.11.* — *Fides bonorum omniũ fundamentum.* — * *fortè conſequitur.*

Fide igitur Ieſu Chriſti impetramus ſalutẽ & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda exſpectatur in ſpe. Omnis enim qui * inuocauerit nomẽ Domini, ſaluus erit. *Tom. 3. de ſpir. & lit. cap. 29.*

* *Ioel.2.* *Act.2.* Rom.10.

## *VII. Fidem, qua iuſtificamur, eſſe fidem in vnum mediatorem Chriſtum, ſine qua nec antiqui iuſti in teſtamento veteri iuſtificari potuerunt.*

QVantælibet fuiſſe virtutis antiquos prædices iuſtos, non eos ſaluos fecit, niſi fides mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudit. Ipſorũ



enim vox eſt: * *Credidi propter quod loquutus ſum.* Vnde ait & Apoſtolus Paulus: * *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſecundum quod ſcriptum eſt: * Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* Quid eſt eundem ſpiritũ, niſi quem iuſti illi quoq; habuerunt, qui iſta dixerũt? Dicit etiam Apoſtolus Petrus: * *Quid vultis iugum imponere gentibus, quod neque nos portare potuimus, neque patres noſtri?* Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos fieri, quemadmodum & illi: hoc vos non vultis inimici gratiæ Chriſti, vt eadem gratia Ieſu Chriſti ſalui facti credantur antiqui, ſed diſtribuitis tempora ſecundum Pelagium, in cuius libris hoc legitur, & ante legem diſcitis ſaluos factos eſſe per naturam, deinde per legem, poſtremò per Chriſtum, quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius, euacuantes quod dictum eſt: * Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. *Tom. 7. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagij cap. 21.*

* *Pſal.115.* * *2.Cor.4.* * *Pſal.115.* *Idem in veteri & nouo Teſtamento fidei ſpiritus in omnibus iuſtificatis.* * *Act.15.* *Pelagiani, homines primum per naturam ſaluos fuiſſe, deinde per legẽ, poſtremò per Chriſtum ſaluari dicebant.*

Ea fides iuſtos ſanauit antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt, Mediatoris * Dei & hominum, hominis Ieſu Chriſti, fides ſanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & reſurrectionis eius. Habentes * ergo eundem ſpiritum fidei, & nos * credimus, propter quod & loquimur. *Tom. 7. de nat. & gratia, cap. 41.*

* *1.Tim.2.* * *1.Tim.2.* *Fides in Mediatorẽ, quæ ſanat nos, ſanauit & antiquos.* * *2.Cor.4.* * *Pſal.115.*

Vide quemadmodum commendat (*Apoſtolus* *) vnũ & vnum, id eſt, Adam & Chriſtum: illum ad condemnationem, hũc ad iuſtificationẽ, cùm tantò poſt Adam venerit Chriſtus in carne, vt ſciamus etiam antiquos iuſtos, quicunque eſſe potuerunt, non niſi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem ſcilicet incarnationis Chriſti, quæ illis prænunciabatur, ſicut à nobis facta annunciabatur. Ideò idem Chriſtum hominem dicit. * (*Per vnius hominis obedientiam iuſti conſtituuntur multi*) cùm ſit & Deus, ne quis exiſtimet, antiquos iuſtos per Deum tantummodò Chriſtum, id eſt, per verbum, quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis eius, qua & homo Chriſtus dicitur, potuiſſe liberari. Sententia quippe iſta deſtrui non

* Rom.5. *Per fidẽ incarnationis Chriſti etiã antiqui iuſti liberati ſunt.* * Rom.5.

** 1. Cor. 15.* poteſt, de qua & alibi dicit: * Per vnum hominē mors, & per vnum hominē reſurrectio mortuorū. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. *Et paulò pòſt*: Hæc ergo fides etiam antiquorum iuſtorum fuit. ** 2. Cor. 4.* Vnde & Apoſtolus dicit: * Habentes autem eundem ſpiritū fidei, propter quod ſcriptum eſt: ** Pſal. 115.* * Credidi propter quod loquutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur: nō diceret, Eundem ſpiritum fidei: niſi admonens etiam antiquos iuſtos habuiſſe ipſum ſpiritum fidei, hoc eſt, incarnationis Chriſti. Sed quia illis futura prænunciabatur, quæ iam facta à nobis annunciatur, & tempore veteris Teſtamenti velabatur, quæ tempore noui Teſtamenti reuelatur: ideò eius Sacraméta variata ſunt, vt alia eſſent in veteri Teſtamento, alia in nouo, cùm fides varia non ſit, ſed vna ſit: quia ſicut in Adam * omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. *Tom.2. 89. quæſt.3. ad Hilarium.*

*Sacraméta variata, fides tamen eadem in veteri & nouo Teſtaméto.*

** 1. Cor. 15.*
*1. Timo. 2.*

A gratia mediatoris (*Pelagiani*) iuſtos excludere conantur antiquos, tanquam Dei & illorum hominum non fuerit mediator homo Chriſtus Ieſus, quia nondum ex vtero virginis carne ſuſcepta, homo nondum fuit, quando illi iuſti fuerunt. Quod ſi ita eſſet, nequaquam Apoſtolus diceret: Per hominem mors, & per *1. Cor. 15.* hominem reſurrectio mortuorū. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabūtur: quandoquidem illi antiqui iuſti, ſecūdum illorum vaniloquia, ſibi ſufficiente natura, nec mediatore hominum Chriſto indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo, nec in eo viuificabuntur, ad cuius corpus & membra, ſecundum id quod propter homines homo factus eſt, non pertinere monſtrantur. *Et paulò pòſt.* Si propterea illis nō profuit incarnatio Chriſti, quia nondum facta erat, nec nobis prodeſt iudicium Chriſti de viuis & mortuis, quia nondū factum eſt. Si aūt nos per huius nondum facti, ſed futuri iudicij fidem, ſtabimus ad dexterā Chriſti, profectò illi, per incarnationis eius tunc nondum factæ, ſed futuræ fidem, membra ſunt Chriſti. *Tom.7. de pec. orig. cap. 26.*

*Antiqui iuſti per Chriſti venturi fidem, membra facti ſunt Chriſti.*

Vna ergo fides eſt, quæ omnes ſaluos facit, qui ex car-



nali generatione in ſpiritalem renaſcendo ſaluantur, terminata in eo qui venit pro nobis iudicari & mori iudex viuorū & mortuorū. *Tom.7. de pec. mer. & remiſſ. lib.2 ca.29. Vide ſupra art. vlt. cap.4. de fide & operibus.*

## *VIII. Sola fide impium non iuſtificari.*

QVare iam illud videamus, quod excutiendum eſt cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutē ſuā perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint, bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apoſtolorum non intellectis quibuſdam ſubobſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere: * Faciamus mala, vt veniant bona: quia dixerat, * Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum, vbi autē abundauit delictum, ſuperabūdauit gratia. Quod ideò verum eſt, quia legem accipientes homines, qui de ſuis viribus ſuperbiſſimè præſumebant, nec diuinum adiutorium vincendarum malarum concupiſcentiarum recta fide impetrantes, pluribus grauioribúſque delictis etiam lege præuaricata onerati ſunt. Ac ſic magno reatu compellente confugerunt ad fidem, qua miſericordiam indulgentiæ mererentur, & auxilium * à Domino, qui fecit cœlum & terram: vt diffuſa * per Spiritū ſanctū charitate in cordibus ſuis, cum dilectione agerent, quæ contra ſeculi huius concupiſcentias iuberentur, ſecundùm id quod prædictum fuit in Pſalmo: * Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt. *Tom.4. de fide & operibus, cap.14.*

*Etiam nunc perperā intellectis verbis Apoſtoli Pauli, eadem hæreſis viget.*

** Rom. 3.*
** Rom. 5.*
** Pſal. 120.*
** Rom. 5.*
** Pſal. 15.*
** Rom. 3.*

Cum dicit Apoſtolus, * Arbitrari ſe, iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis: nō hoc agit, vt præcepta ac profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur, ſed vt ſciat ſe quiſque poſſe per fidem iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum. *Ibidem.*

*Opera bona, nēpe meritoria ſequūtur iuſtificatum, non præcedūt iuſtificādum.*

Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ, Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, cōtra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer aſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe: ſicut etiam

*Epiſtolæ Apoſtolicæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ,*

*contra hæreſim de ſola fide iuſtificante potiſſimũ ſcripta.*
* *Gal.* 5.
*Paulus quẽadmodum & cæteri Apoſtoli nõ quã libet fidem, ſed eam quæ per dilectionem operatur, definiuit ſalubrẽ eſſe, planéque Euãgelicã.*
* 1. *Cor.* 13.

ipſe Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Et, fides, inquit,* *quæ per dilectionem operatur.* Vnde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeuerat, vt dicat: * Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. *Ibidem.*

Audi hæretice ſtulte & inimice fidei veritatis. Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullo liberi arbitrij merito & ipſo faciente, gubernante & perficiente vt abundent in libero arbitrio, non damnamus, quia ex his vel huiuſmodi homines Dei iuſtificati ſunt, iuſtificantur, iuſtificabuntur in Chriſto. Dãnamus verò auctoritate diuina, opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis in Chriſto iuſtificari extollitur. *Tom.7. hypognoſt. lib. 3. vltra medium.*

*Bonis operibus ex gratia & libero arbitrio profectis homines Dei iuſtificãtur, iuſtificati ſunt, & iuſtificabũtur.*
* *Iacob.* 2.
* *Matth.* 16
* *Marc.* 1.
*Luc.* 4.
* *Heb.* 12.
* 1. *Cor.* 13.
*Charitatis via eminentior.*

Incipit homo à fide. Quid pertinet ad fidem? Credere. Sed adhuc iſta fides diſcernatur ab immundis ſpiritibus. Ad fidem quid pertinet? Credere. Sed ait Apoſtolus Iacobus:* Et dæmones credunt, & contremiſcunt. Si tantùm credis, & ſine ſpe viuis, vel dilectionem non habes, & dæmones credunt, & contremiſcunt. Quid magnum eſt? Dicis Chriſtum filium Dei, hoc dixit Petrus, & audiuit:* *Beatus es Simon Bar Iona*: Hoc dixerunt Dæmones, * audierunt: obmuteſcite: Et hoc ipſum dicunt & repelluntur. Vna vox eſt, ſed Dominus radicẽ interrogat, nõ florem. Vnde dicitur ad Hebræos: * *Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans moleſtet, & per illam contaminentur multi.* Prius ergo diſcerne fidem tuã à fide dæmonis. Vnde eam diſcernis? Dæmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. Adde ergo fidei ſpem, & quæ ſpes eſt, niſi de aliqua conſcientiæ bonitate? Speíque ipſi adde charitatem. Deſuper eminentem viam habemus, dicente Apoſtolo: * *Supereminentiorem viam vobis demonſtro: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum veluti æramentum ſonans aut cymbalum tinniens*: & cætera narrat bona, & ſine charitate nihil prodeſſe



*Charitas maior fide.*
* *Gal.* 5.
*Fides per dilectionẽ operans ad ſalutem neceſſaria.*
* *Iacob.* 2.
* *Pſal.* 42.
* *Gal.* 5.
* *Marc.* 1.
*Luc.* 4.
*Si credere in Chriſtum cõplectitur ſpem & charitatẽ, quid mirũ, ſi legamus: oẽs credentes in eũ nõ perituros ſed habituros vitam æternã, & ſimilia?*

cõfirmat. Maneant ergo hæc, Fides, Spes, Charitas. Maior autem horum eſt charitas. Sectamini charitatem. Diſcernite ergo fidem veſtrã, iam eſtis de prædeſtinatis, vocatis, iuſtificatis. Paulus Apoſtolus dicit: * *Neque circuncifio aliquid valet, neque præputium, ſed fides.* Dic adhuc Apoſtole: Adde, diſcerne, quia & * *dæmones credunt, & contremiſcũt*: Ergo adde, Dæmones enim credunt & contremiſcunt, quod oderunt. Diſtingue Apoſtole, & circuncide fidem meam, & diſcerne cauſam * meam de gente non ſancta. Planè diſtinguit, diſcernit, circuncidit. *Sed fides*, inquit * *quæ per dilectionem operatur. Tom.* 10. *de verbis Apoſtoli, Serm.* 16. *Lege & quæ alia multa in eodem ſermone ſequuntur.*

Multum intereſt, vtrum quiſque credat, ipſum eſſe Chriſtum, & vtrũ credat in Chriſtum. Nam ipſum eſſe Chriſtũ, & dæmones * crediderunt, nec tamẽ in Chriſtum dæmones crediderũt. Ille enim credit in Chriſtũ, qui & ſperat in Chriſtum, & diligit Chriſtum. Nam ſi fidem habet ſine ſpe ac ſine dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit. Qui ergo in Chriſtum credit, credendo in Chriſtum veniet in eum Chriſtus, & quoquo modo vnitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non poteſt, niſi & ſpes accedat & charitas. *Tom.* 10. *de verbis Domini ſerm.* 61.

### *IX. Timorem diuinæ iuſtitiæ non eſſe malum, neque facere peccatores deteriores.*

* *Pſal.* 118.
* *Ibidem.*
* *Pſal.* 18.

QVid eſt, confige * à timore tuo, timui enim? Si enim iam timuerat, vel timebat, cur adhuc vt à timore ſuo Deus crucifigeret carnes ſuas orabat? An addi ſibi volebat timorem, vt tantũ timeret, quantum ſufficeret crucifigendis ſuis carnibus, id eſt, concupiſcẽtiis affectibúſque carnalibus? tanq̃ dicens, Perfice * in me timorem tuũ, timui enim à iudiciis tuis. Sed eſt hîc alius altior ſenſus, quantum Deus donat, ſcrutato ſinu ſcripturæ huius eruendus. *Confige*, inquit, *clauis à timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui*: hoc eſt, à timore tuo caſto, qui permanet * in ſeculum ſeculi, carnalia mea deſideria cõprimantur: à iudiciis enim tuis

timui, cũ mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi nõ poterat dare iuſtitiam. Sed hunc timorem, quo pœna metuitur, conſummata charitas * foras mittit, quæ nõ timore pœnæ, ſed delectatione iuſtitiæ liberos reddit. Timor nanque iſte, quo non amatur iuſtitia, ſed timetur pœna, ſeruilis eſt, quia carnalis eſt, & ideò nõ crucifigit carnẽ. Viuit enim peccandi voluntas, quæ tũc apparet in opere, quando ſperatur impunitas. Cùm verò pœna creditur ſecutura, latẽter viuit, viuit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat, quia nõ ſpiritaliter delectatur eius bono, ſed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem caſto ipſa quæ hunc timorem * foras mittit, peccare timet charitas, etiamſi ſequatur impunitas: quia nec impunitatem iudicat ſecuturam, quando amore iuſtitiæ peccatũ ipſum deputat pœnam. Tali timore carnes crucifigũtur, quoniam carnales delectationes, quæ legis litera vetãtur potius, quàm vitantur, ſpiritalium bonorũ delectatione vincuntur, & eadem vſque ad perfectionem creſcente victoria perimũtur. Ergo confige clauis, inquit, à timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui: hoc eſt, da mihi caſtum timorem, ad quem petendum me tanquã pædagogus timor legis ille perduxit, quo timore à iudiciis tuis timui. *Tom.8.in Pſal.118.cõcione.25.*

** 1.Ioan.4.*
*Timorẽ pœnæ cõſummata charitas foras mittit.*
*Timor ſeruilis & caſtus quomodo differant.*
** 1.Ioan.4.*
*Timor legis ſiue ſeruilis, tanquã pædagogus perducit hominẽ ad timorem caſtum, qui timor cũ charitate cõiunctus eſt.*

Non enim dedit nobis * Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & charitatis, & continentiæ. In quo ſanè Apoſtoli teſtimonio cauere debemus, ne nos arbitremur nõ accepiſſe ſpiritum timoris Dei, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum, de quo dicit Propheta Iſaias: * Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris Domini, non quo timore Petrus * Chriſtum negauit: ſed illius timoris ſpiritum accepimus, de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus: * *Eum timete, qui habet poteſtatem & animam & corpus perdere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Hoc autem dixit: ne illo timore negaremus eum, quo turbatus eſt Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cùm prius dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſtea non habent, quid faciant. Huius timoris non acce-

** 2.Tim.1.*
*De quo timore intelligendũ ſit illud Apoſtoli: nõ dedit nobis Deus ſpiritũ timoris.*
** Iſa.11.*
*Timor ergo diuinæ iuſtitiæ donum Dei eſt.*
** Matt.26. Mar.14. Luc.21. Ioan.18.*
** Luc.12.*
*Timorẽ humanũ, qualis fuit in Petro negãte Chriſtũ, auferri vult Deus à nobis.*



pimus ſpiritum, ſed virtutis * & charitatis, & continẽtiæ. *Tom.7 de gratia & libero arbitrio, cap.18.*

Cum timetur pœna, quam (*Deus*) minatur, diſcitur amari præmium, quod pollicetur, ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam vitam bona cõſcientia comparatur, vt per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere. Diſcat ad tempus eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus. Vt enim dixit Ioannes: * *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorẽ.* Dixit ſanè, & veraciter dixit: Si ergo habere non vis timorẽ, prius vide, vtrum iam perfectam habeas charitatem, quæ foras mittit timorẽ. Si verò ante iſtã perfectionẽ timor excluditur, ſuperbia inflat, charitas * ædificat. Nã ſicut in bona valetudine fames nõ faſtidio, ſed cibo pellitur: ita in bona mente timor nõ vanitate, ſed charitate pellendus eſt. *Tom.10.de tempore, ſermone* 214.

** 2.Tim.1.*
*Timore pœnæ bona vita retinetur.*
** 1. Ioan.4.*
*Videãt igitur qui fide ſpeciali omnẽ deponunt timorẽ, num ſuperbia & vanitate ſeducantur.*
** 1.Cor.8.*

Lege Dei propoſita quiſquis timuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putauerit, & fecerit quod lex iubet, non amando iuſtitiam, ſed timẽdo pœnam, fit quidem ſecundùm iuſtitiam, quæ ex lege eſt, homo ſine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium, non concupiſcit rem proximi ſui: Poteſt hoc, poteſt fortaſſis. Vnde? Timore pœnæ, quanquam qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum atque telorum & circundantis forſitan multitudinis vel obuiam euntis, etiam Leo reuocatur à præda: & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, non malitiam poſuit. Si talis es, adhuc iuſtitia tua eſt, qua iuſtitia tibi conſulis, ne torquearis. Quid magnum eſt pœnam timere? Quis eam non timet? Quis latro, quis ſceleratus, quis nefarius? Sed hoc intereſt inter timorem tuum, timorémque latronis, quòd latro timet leges hominum: & ideò facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere leges hominum: tu autem leges eius times, eius pœnam times, quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes: ergo & concupiſcentiam tuã malam, non amor tollit, ſed timor premit. Ad ouile venit lupus, latratu canum & clamore paſtorum ab

*Qui timore ſeruat legẽ Dei, ſibi cõſulit, ne torqueatur, non igitur timor ille malus eſt.*

** forte, tandem.*

ouili reuerſus eſt lupus: ipſe * tamen lupus in ouem vertatur. Facit enim & hoc Dominus: Sed ipſa eſt iuſtitia eius, non tua. Nam quandiu habes tuam, potes timere pœnam, non amare iuſtitiam. *Tom.10.de verbis Apoſtoli, ſermone 15.*

** Iſai.66. Marc.9.*

*Per timorē continet ſe impius à peccato, aſſueſcit iuſtitiæ, & incipit amare quod nō amabat.*

*Timor gehēnæ bonus & vtilis.*

Vbi vermis * eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura ſunt impiis, timent & continent ſe à peccato. Habent timorem, & per timorem continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant iuſtitiam. Cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus: & iam incipit homo iuſtè viuere. *Et paulò pòſt.* Timet, ne mittatur in gehennam, bonus eſt & vtilis iſte timor. *Tom.8.in Pſal.127.*

** 1. Ioan. 4.*

*Charitas foras mittit timorē, non Dei, neque iudicij, ſed hominū & temporaliū malorum.*

** Rom.11.*

Timor quidem non eſt in charitate, ſed perfecta, ſicut ſcriptura dicit,* charitas foras mittit timorem: ſed timorem hominum, non Dei: timorem temporalium malorum, non diuini in fine iudicij. Noli * altum ſapere, ſed time. Ama Dei bonitatem. Time ſeueritatem: vtrunque te ſuperbum eſſe non ſinit. Amando enim times, ne amatum & amantem grauiter offendas. Nam quæ grauior offenſio, quàm vt ſuperbia illi diſpliceas, qui propter te ſuperbis diſplicuit? *Tom.6.de ſancta virginitate, cap.38.*

** 1. Ioan. 4. * 2. Cor.5. * Sap.9.*

*Timor perducit ad charitatem.*

** 1. Ioan.4.*

Quapropter timeat Chriſtianus, antequam perfecta * charitas foras mittat timorem, credat & intelligat ſe peregrinari * à Domino, quādiu viuit in corpore, quod corrumpitur, * & aggrauat animam. Tantò minor fiat timor, quantò patria quò tendimus, propior. Maior enim timor debet eſſe peregrinantium, minor propinquantium, nullus peruenientium. Sic & timor perducit ad charitatem, & perfecta * charitas foras mittit timorem. *Tom.10.de tempore, ſerm.214.*

### *X. Gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, aut à peccato abſtinemus, prodeſſe ad iuſtificationem.*



** Pſal.110 Pro.1. & 9. Eccleſ.1.*

*Timor initiū: perfecta charitas finis ſapiētiæ.*

** Coloſſ.3.*

*Timore iudicij mortificantur mēbra noſtra ſuper terrā.*

*Membra cœleſtia omnia opera bona.*

COEPIT aliquis credere diem iudicii: ſi cœpit credere, cœpit & timere: ſed quia timet adhuc, nōdum habet fiduciam in die iudicii, nondum eſt in illo perfecta charitas. Nunquid tamen deſperandum eſt? In quo vides initium, cur deſperas finem? Quod initium video, inquies? Ipſum timorē: audi ſcripturam: * *Initium ſapientiæ timor Domini.* Cœpit ergo timere diem iudicii, timendo corrigit ſe, vigilat aduerſus hoſtes ſuos, id eſt, peccata ſua, incipit reuiuiſcere interius, & mortificare membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, ſicut Apoſtolus dicit, * *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram:* Spiritalia nequitiæ dicit membra ſuper terram: nam ſequitur & exponit, Auaritiam, immunditiam, & cætera, quæ illic exequitur. Quantū autē mortificat iſte, qui timere cœpit diem iudicii, membra ſua ſuper terram: tantum ſurgunt & corroborātur membra cœleſtia. Membra autē cœleſtia, omnia opera bona. Surgentibus cœleſtibus membris, incipit deſiderare, quod timebat: timebat enim ne veniret Chriſtus, & inueniret impium quem damnaret: deſiderat vt veniat, quia inuenturus eſt, quem coronet. Iam cùm cœperit deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ deſiderat amplexus ſponſi, renunciat adultero, fit virgo interius ipſa fide, ſpe & charitate. *Tom.9. in epiſtolam Ioan. Tract.9.*

*Terrore diuinæ ſeueritatis corda mortaliū ſaluberrimè quatiuntur.*

*Terrore vel timore charitas ædificanda & quomodo.*

De ipſa etiam ſeueritate Dei, qua corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificāda eſt, vt ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat, eiúſque in ſe dilectioni, etiamſi impunè poſſet, tamen diſplicere vereatur. Rariſſimè quippe accidit, imò verò nunquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus. *Tom.4.de catechizandis rudibus, cap.5.*

Præmiſſus timor in cor noſtrum, pellit inde cōſuetudinem malorum operum, & ſeruat charitati locum, qua tanquam Domina veniente, vt illa inſideat, abſcedit. *Tom.2.epiſt.120.cap.18.ad Honoratum.*

*Timor ſeruus charitati Domini locū ſeruat.*

Timor ſeruus eſt, charitas libera eſt: & vt ſic dicamus, timor eſt ſeruus charitatis. Ne poſſideat Diabolus cor tuum, præcedat ſeruus in corde tuo, & ſeruet Dominæ

venturæ locum. Fac fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore iuſtitiæ. Veniet Domina & ſeruus abſcedit, quia conſummata charitas * foras mittit timorẽ. *Tom.10. de verbis Apoſtoli, Serm.13.*

** 1. Ioan. 4.*

*Timor gehẽnæ retrahit à peccando, & legis eſt tanquã cuſtos.*

Timor iſte, quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te, & ſic volentem peccare animo inte-riore, non ſinit: eſt quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, litera eſt minans, nondum gratia iuuans. Cuſtodiat tamen timor iſte, dum non facis timendo, & veniet charitas. *Ibidem, ſermone 18.*

** 1. Ioan. 4.*

*Perfecta charitas perfectam facit iuſtitiam.*

Timor non * eſt in charitate. Quid ergo dicimus de illo, qui cœpit timere diem iudicij? Si perfecta in illo eſſet charitas, non timeret: perfecta enim charitas faceret perfectã iuſtitiam, & non haberet quare timeret: imò haberet quare deſideraret, vt tranſeat iniquitas, & veniat regnum Dei: ergo timor non eſt in charitate. Sed in qua charitate? nõ in inchoata. In qua ergo? *Sed perfecta*, inquit, * *charitas foras mittit timorem.* Ergo incipiat timor, quia *initium * ſapientiæ timor Domini.* Timor quaſi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum: quantum enim illa creſcit, ille decreſcit: & quantum ille fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor. Si autem nullus timor, non eſt quà intret charitas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur: ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intrauit, vt introduceret charitatem. *Tom.9. in Epiſtolam Ioan. Tract.9. Et multa quæ prolixè ſequuntur.*

** 1. Ioan. 4.*
** Pſal. 110. Pro. 1. & 9. Eccleſ. 1.*

*Timor locũ præparat charitati.*

*Creſcente charitate, decreſcit timor.*

*Timor introducit charitatẽ, ſicut ſeta introducit filum.*

*Quomodo iuſti legitimè vtantur lege.*

An fortè, imò verò non fortè, ſed certè ſic legitimè vtatur lege iam iuſtus, cùm eam terrendis imponit iniuſtis, vt cùm & in ipſis cœperit inolitæ concupiſcentiæ morbus, incentiuo prohibitionis & cumulo præuaricationis augeri, confugiant per fidem ad iuſtificantem gratiam, & per donum Spiritus ſuauitate iuſtitiæ delectati, pœnã literæ minantis euadant? *Tom.3. de ſpiritu & litera, cap.10.*



## XI. *Quo ſenſu Apoſtolus dicat iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus Legis.*

** Rom. 3.*

QVoniam Paulus Apoſtolus prædicans * iuſtificari hominem per fidem ſine operibus (*ſermo eſt de verbis illis Iacobi Apoſtoli, cap.2. Vis ſcire homo inanis, quia fides ſine operibus mortua eſt, &c.*) non benè intellectus eſt ab eis, qui ſic acceperunt dictũ, vt putarent, cùm ſemel in Chriſtũ crediſſent, etiãſi malè operarentur, & facinoroſè flagitioſeque viuerent ſaluos ſe eſſe per fidem. Locus iſte huius Epiſtolæ eundem ſenſum Pauli Apoſtoli quomodo ſit intelligendus exponit. Ideoque magis Abrahæ vtitur exẽplo, vacuam eſſe fidem, ſi non benè operetur, quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apoſtolus vſus eſt, vt probaret, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. Cùm enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit, Paulum Apoſtolum non ita per Abraham docere, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, vt ſi quis crediderit, non ad eum pertineat benè operari: ſed ad hoc potius, vt nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur ſe perueniſſe ad donum iuſtificationis, quæ eſt in fide. In hoc enim ſe gentibus in Chriſtum credentibus Iudæi præferre cupiebant, quòd dicebant ſe meritis bonorum operum, quæ in lege ſunt, ad Euangelicam gratiam perueniſſe: ideóque ſcandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quòd incircunciſis gentibus Chriſti gratia traderetur. Vnde Apoſtolus Paulus dicit,* poſſe hominem ſine operibus præcedentibus iuſtificari per fidem: Nam iuſtificatus per fidem, quomodo poteſt niſi iuſtè deinceps operari, quanuis antea nihil operatus iuſtè, ad fidei iuſtificationem peruenerit: non merito bonorũ operum, ſed gratia Dei, quæ vacare in illo non poteſt, cùm iam per dilectionem benè operatur. Quòd ſi cùm crediderit, mox de hac vita deceſſerit: iuſtificatio fidei manet cum illo: nec præcedentibus bonis operibus, quiá non merito ad illam, ſed gratia peruenit: nec conſequentibus, quia in hac vita non eſſe ſinitur. Vnde ma-

*Ex falſa intelligentia verborũ Apoſtoli pauli, exorta hæreſis de ſola fide iuſtificãte.*

*Locus Epiſtolæ Iacobi c.2 declarat, quæ fuerit pauli de iuſtificatione ſententia.*

*Paulus igitur tantùm opera fidẽ præcedẽtia exclusit, opera verò quæ ipſã comitãtur vel ſequũtur, neceſſaria ad ſalutẽ, quemadmodum & Iacobus exiſtimauit.*

** Rom. 3.*

*Iuſtificatus qui ſtatim moritur, ſine conſequentibus operibus ſaluus eſt, quia in hac vita eſſe non ſinitur.*

[*Rom.3.] nifeſtum eſt,quod Paulus Apoſtolus dicit:* *Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem,ſine operibus.* Non tamen ita intelligendum eſt,vt accepta fide, ſi vixerit, dicamus eum iuſtum,etiamſi malè vixerit. *Tom.4.lib.83.Quæſtionum,Quæſt.76.*

[*Rom.9. Matt.11.] Per Gratiam quippè nobis verbum* conſummans & breuians fecit ſuper terram,dicens:* *Iugum meum leue eſt, & ſarcina mea ſuauis eſt.* Quòd & paulò pòſt hîc dicitur: [*Rom.10.] * *Prope eſt verbum in ore tuo,& in corde tuo:* hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo, quia Dominus eſt Ieſus,& credideris in corde tuo,quia Deus illum ſuſcitauit à mortuis,ſaluus eris. *Corde enim* [*Ibidem.] **creditur ad iuſtitiam,ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Hoc eſt verbum conſummans & breuians, quod fecit Deus ſuper terram, qua conſummatione atque breuitate latro iuſtificatus eſt, qui defixis in cruce omnibus membris,& habens libera hæc duo: Corde credidit ad iuſtitiam,ore confeſſus eſt ad ſalutem,ſtatimque audire meruit: [*Luc.23.] **Hodie mecum eris in paradiſo*. Conſequerentur enim bona opera eius,ſi percepta gratia diu inter homines viueret.Sed tamen non ea præceſſerant, vt eandem gratiam mereretur, ex latrocinio fixus in cruce,ex cruce in paradiſum translatus. *Tomo.4.ad Simplic.lib.1. quæſt.2.circa finem.*

[*Quomodo ſine operibus latro iuſtificatus in cruce.*]

[*Epheſ.2.] Gratia ſalui* facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis,ſed Dei donum eſt, Non ex operibus, ne fortè dicas,promerui,& ideò accepi, Non putes te promerendo accepiſſe,qui non promereres,niſi accepiſſes. Gratia præceſſit meritum tuum,non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratia ex merito,emiſti,nõ gratis accepiſti. [*Pſal.55.] *Pro nihilo*,inquit,**ſaluos facies eos.* Quid eſt, pro nihilo ſaluos facies? Nihil in eis inuenis, vnde ſalues,& tu ſaluas.Gratis das,gratis ſaluas. Omnia merita præcedis, vt dona tua conſequantur merita tua. Prorſus gratis das, gratis ſaluas, qui nihil inuenis vnde ſalues,& multum inuenis, vnde damnes. *Tom.10.de verbis Apoſtoli,ſermone 15.*

[*Meritum ex gratia, non gratia ex merito.*]

[*Ioan.1.] Accepimus enim* de plenitudine eius,primò gratiam: & rurſum accepimus gratiam pro gratia. Quam gratiam primò accepimus? Fidem. In fide ambulantes in

[*Fides donũ*]



gratia ambulamus. Vnde enim hoc meruimus? Quibus noſtris præcedentibus meritis? Non ſe quiſque compalpet, redeat in conſcientiam ſuam, quærat latebras cogitationum ſuarum, redeat ad ſeriem factorum ſuorum: Non attendat, quid ſit ſi iam aliquid eſt, ſed quid fuerit, vt eſſet aliquid: inueniet non ſe dignum fuiſſe niſi ſupplicio. Si ergò ſupplicio dignus fuiſti, & venit ille,qui non peccata puniret,ſed peccata donaret: gratia tibi data eſt, non merces reddita. Vnde vocatur gratia? Quia gratis datur. Non enim præcedentibus meritis emiſti quod accepiſti. Hanc ergò accepit gratiam primam peccator, vt eius peccata dimitterentur. Quid meruit? Interroget iuſtitiam, inueniet pœnam. Interroget miſericordiam, inueniet gratiam. *Tom. 9. Tract.3.in Euang. Ioannis.*

[*Dei ſine præcedẽtibus meritis.* — *Impio qui iuſtificatur, datur gratia,nõ merces redditur.*]

Cum ergo dicit Apoſtolus,**arbitrari ſe iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus Legis:* non hoc agit, vt præcepta ac profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur, ſed vt ſciat ſe quiſque poſſe per fidem iuſtificari, etiamſi Legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum. *Tom.4.de fide & operibus,cap.14.* [*Rom.3.]

[*Opera bona nẽpe meritoria, ſequuntur iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum.*]

## *XII. Non iuſtificari hominem ſola remiſſione peccatorum, ſed etiam gratiæ & ſpiritualium donorum ſuſceptione.*

GRatia Dei non ſolùm reatus omnium peccatorum ſoluitur in omnibus,qui baptizãtur in Chriſto,quod fit ſpiritu regenerationis, verũetiam in grãdibusvolũtas ipſa ſanatur,&*præparatur à Domino,quod fit ſpiritu fidei & caritatis. *Tom.1.retract.lib.1.cap.13.* [*Prou.8.]

[*Gratia Dei voluntas ipſa ſanatur.*]

Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quod fides vera,& Catholica tenet ſemper Eccleſia,puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecũdi hominis trãsfert:nõ ſolùm peccata delẽdo,verùm etiã ad non peccandũ,rectéque viuẽdum, eos qui iam vti poſſunt volũtatis arbitrio,ſic adiuuando, vt niſi adiuuet,nihil pietatis atque iuſtitiæ,ſiue in opere,ſiue etiã in ipſa voluntate habere poſſimus. *Tomo 2. Epiſt. 106.*

[*Gratia Dei non ſolùm delet peccata, verùm etiam ad rectè viuendũ adiuuat arbitriũ voluntatis.*]

*ad Sixtum, ſtatim poſt initium. Lege & Concil. Mileuit. ca.3.*

*Gratia iuſtificans adiutorium confert ad vitanda peccata.*

Quicunque dixerit gratiam Dei, qua iuſtificamur, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium gratiæ, vt non committantur, anathema ſit. *Tom.3. de Eccleſiaſticis dog. c.28.*

Neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quæ vnuſquiſque in vita propria, vel intelligendo vel nolendo intelligere mala congregat, vel etiam inſtructus ex lege, additamento præuaricationis, exaggerat, quiſquam liberatur & iuſtificatur, niſi gratia Dei per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed prius ipſius inſpiratione fidei & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, *donec ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram & coronet nos in miſeratione & miſericordia. *Tom. 2. epiſt. 105. ad Sixtum, vltra medium.*

**Pſal.102.*

Poſt remiſſionem peccatorum niſi mũdatam domum habitet Spiritus ſanctus, nónne * cum aliis ſeptem redit ſpiritus immundus, & erunt nouiſſima hominis illius peiora, quàm erant prima? Vt autem habitet Spiritus ſanctus, nónne * vbi vult ſpirat, & * caritas Dei, ſine qua nemo benè viuit, diffunditur in cordibus noſtris, non à nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis? *Ibidem.*

**Luc.11.*
*Remiſſis peccatis caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.*
**Ioan.3.*
**Rom.5.*

Sicut ergo vulnere, verbi gratia, claudicãs ideò curatur, vt ſanato malo præterito futurus dirigatur ingreſſus, ſic mala noſtra nõ ad hoc ſolum ſupernus medicus ſanat, vt illa iam non ſint, ſed vt de cætero, rectè ambulare poſſimus, quod quidem etiam ſani non niſi illo adiuuante poterimus. *Et paulò pòſt.* Sanat ergo Deus, non ſolùm vt deleat, quod peccauimus, ſed vt præſtet etiam ne peccemus. *Tom.7 de natura & gratia, cap.26.*

*Sanat mala noſtra Deus non ſolùm vt non ſint, ſed etiam vt rectè ambulare poſſimus.*

Verùm tu à veſtro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, vt non adiuuet ad vitanda peccata, & deſideria vincenda carnalia, diffundendo * caritatem in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui ab illo datus eſt nobis, ne-

*Non ergo iuſtus in omni opere bono peccat.*
**Rom.5.*



que conſideras eum, qui dicit: * *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* & ab hoc malo non ſe liberari clamat, niſi per gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Tomo.7. contra Iulian. Pelagianum, lib.6. cap.11.*

*Gratia adiuuat diffundẽdo caritatem in cordibus noſtris.*
**Rom.7.*

## *XIII. Iuſtificari hominem iuſtitia Dei, non qua ipſe Deus iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, & qua ab eo donati renaſcimur & renouamur ſpiritu mentis noſtræ.*

Aliter intelligitur iuſtitia, qua eſt ipſe Deus iuſtus, aliter quam in nobis facit, vt nos ſimus iuſtitia eius. *Tom 8. in Pſal.150.*

Hoc agit Spiritus gratiæ, vt imaginem * Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis. Vicium quippe cõtra naturam eſt, quod vtique ſanat gratia. Propter quam Deo dicitur: * Miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccaui tibi. *Tom.3. de ſpir. & litera, cap.27.*

**Gen.1.*
**Pſal.40.*

Quid eſt hoc, iuſtitia Dei & iuſtitia hominis? Iuſtitia Dei hîc dicitur, non qua iuſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, vt iuſtus ſit homo per Deum. *Tom.9. Tract.26. in Euang. Ioannis.*

Sicut ergo quod legitur, * Domini eſt ſalus: non ea ſalus intelligitur, qua Dominus ſaluus eſt, ſed qua ſalui ſunt, quos ipſe ſaluos facit: ſic cùm legitur Dei iuſtitia, in eo quod ſcriptum eſt: Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, non eſt illa intelligenda, qua Deus iuſtus eſt, ſed qua iuſti ſunt homines, quos gratia ſua iuſtificat. *Tom.2. epiſt.120. ad Honoratum, c.30.*

**Pſal.3.*
*Nec verò aliter intelligẽdum quod apud Auguſtinũ frequentiſsimè legitur, participatione ſeu communicatione iuſtitiæ Chriſti homines ſaluos fieri, vt patet ex præcedentibus.*

Illud etiam, quòd ait: * Prædeſtinatos fieri conformes imaginis filij Dei, poteſt & ſecundùm interiorem hominem intelligi. Vnde nobis alio loco dicit: * Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate mentis veſtræ. Vbi ergo reformamur, ne conformemur huic ſeculo, ibi conformamur Dei filio. *Tomo 5. de Ciuitate Dei, lib.22. cap.26.*

**Rom.8.*

Porrò ſi propterea Chriſtus vnus eſt, in quo omnes iuſtificentur, quia nõ ſola eius imitatio iuſtos facit, ſed

**Ro.12. Vbi cõformamur huic ſeculo, ibi reformamur, in ĩteriore ſcilicet hoĩe.*

** Rom.5.*

*Sicut ergo in iuſtitia Adæ verè & intrinſecè peccatores facit, ita iuſtitia Chriſti verè iuſtos.*

per ſpiritum regenerãs gratia, propterea & Adam*vnus eſt, in quo omnes peccauerunt: quia non ſola eius imitatio peccatores facit, ſed per carnem generans pœna. *Tom.7. de pecc.mer.& rem.cap.15.*

*Iuſtitia & quæuis virtus eſt interioris hominis pulchritudo.*

Iuſtitia Dei nobis fit iuſtitia, cùm ei cohærendo iuſtè viuimus, & tantò magis, minúſue iuſti ſumus, quantò magis illi minúſue cohæremus. ***Et paulò pòſt***: Quid eſt autem aliud iuſtitia, cùm in nobis, vel quælibet virtus, qua rectè ſapientérque viuitur, quàm interioris hominis pulchritudo? Et certè ſecundùm hanc pulchritudinem magis, quàm corporis facti ſumus ad imaginem. Vnde nobis dicitur: *Nolite cõformari huic ſeculo, ſed renouamini in nouitate mentis veſtræ, ad probandum vos, quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitũ, & perfectum. *Tom.2 epiſt.85.ad Conſentium, circa finem.*

** Rom.12.*

** Rom.3.*

*Iuſtitia Dei nõ qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem.*

Iuſtitia (*inquit*)* Dei manifeſtata eſt: non dixit, iuſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cùm iuſtificat*impium. *Tom.3.de ſpiritu & litera, cap.9.*

**.Rom.4.*

*Vocatio, iuſtificatio, et glorificatio in nobis fiunt.*

** Matth.4.*

** Pſal.53.*

Prædeſtinatio noſtra non in nobis facta eſt, ſed in occulto apud ipſum in eius præſcientia. Tria verò reliqua in nobis fiunt, vocatio, iuſtificatio, & glorificatio. Vocamur prædicatione pœnitentiæ. Sic enim cœpit Dominus euãgelizare: * Agite pœnitentiam: appropinquauit enim regnum cælorum. Iuſtificamur in vocatione miſericordiæ, & timore iudicij. Hinc eſt, quod dicitur: * Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me. Non timet iudicari, qui impetrauerit antè ſaluari. Vocati renunciamus diabolo per pœnitentiam, ne ſub iugo eius remaneamus. Iuſtificati ſanamur per miſericordiam, ne iudicium timeamus. Glorificati tranſimus in vitam æternam, vbi Deum ſine fine laudamus. *Tom 8.in fine præfationis, Pſalmi* 150

** Philip.3.*

*Iuſtitiã Dei habere dicimur, quia eã ex Deo habemus.*

Cum dixiſſet (*Apoſtolus*)*Non habens meam iuſtitiã, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti: addidit, quæ eſt ex Deo. Ipſa eſt ergo iuſtitia Dei, quã ſuperbi ignorantes ſuam volunt conſtituere. Non enim propterea iuſtitia Dei dicitur, quoniam Deus iuſtus eſt, ſed quia homini ex Deo eſt. Secundùm hanc autem iuſtitiam Dei, hoc eſt, quæ ex Deo nobis eſt, nunc fides



operatur per dilectionem. *Tom.7.lib.3.contra duas Epiſt. Pelag.cap.7.*

*Fides & iuſtitia noſtræ ſunt, ſed ideo Dei & Chriſti dicuntur, quia eius nobis largitate donantur.*

Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, hoc eſt, per fidem qua creditur in Chriſtum. Sicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus, ſic & illa iuſtitia Dei, non qua iuſtus eſt Deus. Vtrunque enim noſtrum eſt, ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quòd eius nobis largitate donatur. *Tom.3.de ſpiritu & litera, cap.9.*

*Pſalm.3.*

*Iuſtitia Dei dicitur ſicut Domini ſalus.*

Hæc eſt iuſtitia Dei, quæ in Teſtamento veteri velata, in nouo reuelatur, quę ideò iuſtitia Dei dicitur, quod impertiendo eam iuſtos facit: ſicut Domini * eſt ſalus, qua ſaluos facit: & hæc eſt fides, ex qua & in qua reuelatur, ex fide ſcilicet annunciantium in fidem obediẽtium: qua fide Ieſu Chriſti, id eſt, quam nobis contulit Chriſtus, credimus ex Deo nobis eſſe pleniúſque futurum eſſe, quòd iuſtè viuimus, vnde illi ea pietate, qua ſolus colendus eſt, gratias agimus. *Ibidem, cap.11.*

Eſt enim iuſtitia Dei, quæ & noſtra fit, cùm donatur nobis. Ideò autem Dei iuſtitia dicitur, ne homo ſe putet à ſeipſo habere iuſtitiam. Sic enim dicit Apoſtolus Paulus: * *Credenti in eum qui iuſtificat impium.* Quid eſt, qui iuſtificat impium? qui ex impio facit iuſtum. *Tom.8. in Pſalm.30.concione prima, circa medium.*

** Rom.4.*

** Epheſ.4.*

** Coloſſ.3.*

*Renouamini ſpiritu*mentis veſtræ, & induite nouum hominẽ, qui ſecundùm Deũ creatus eſt.* Et alibi apertius: **Exuentes vos,* inquit, *veterem hominem cum actibus eius, & induite nouum, qui renouatur in agnitione Dei, ſecundùm imaginem eius, qui creauit eum.* Si ergo ſpiritu mentis noſtræ renouamur, & ipſe eſt nouus homo, qui renouatur in agnitione Dei ſecundùm imaginem eius, qui creauit eum, nulli dubium eſt, non ſecundùm corpus, neque ſecundùm quamlibet animi partem, ſed ſecundùm rationalem mentem, vbi poteſt eſſe agnitio Dei, hominem factum ad imaginem eius, qui creauit eum. Secundùm hanc igitur renouationem efficimur etiam filij Dei per baptiſmum Chriſti, & induentes nouum hominem, Chriſtum vtique induimur per fidem. *To.3.de Trinitate, lib.12. ca.7. Similẽ ſententiam habes de Geneſi ad literam, li.6.ca.27.*

*In baptiſmo ſecundùm rationalem mẽtem renouamur, & induimur nouũ hominem.*

Quomodo renouari* dicimur, ſi non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo * omnes moriun-

** 2.Cor.4.*

** 1,Cor.16.*

*Dū renouamur in baptiſmo, recipimus iuſtitiā, ex qua per peccatum lapſus eſt primus homo, nō ergo iuſtitia noſtra ſolùm imputatitia eſt vel externa.*

tur? Hoc planè recipimus ſecundùm quendam modū. Nō immortalitatem ſpiritalis corporis recipimus, quā nondum habuit homo, ſed recipimus iuſtitiam, ex qua per peccatū lapſus eſt homo. *To. 3. de Geneſi ad lit. 6. ca. 24.*

*Baptizatis amplior quædam iuſtitia confertur, quàm habuit Adam.*

Tanta iuſtitia donatur baptizatis, vt cùm Adam conſenſerit ad peccatum ſuadenti, non cedant iſti etiam cogenti. *Tom. 7. de peccat. meritis & remiſſ. lib. 1. cap. 13.*

## XIIII. *Gratiam, qua iuſtificamur, non eſſe fauorem Dei tantùm, ſed donum, quod per ſpiritum ſanctū diffunditur atque inhæret in cordibus noſtris.*

** Rom. 5.*
** 1. Tim. 1.*

IStam quippe gratiā, qua iuſtificamur, id eſt, qua charitas* Dei diffunditur in cordibus noſtris, in Pelagij & Celeſtij ſcriptis, nuſquam eos inueni quemadmodum confitenda eſt, confiteri. *Tom. 7. de gratia Chriſti, cap. 30.*

Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt, charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt, ſed charitas de corde * puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita. Sed maior, ſi nō habet quo creſcat, cùm de mortali exceſſerit vita. *Tom. 7. de natura & gratia, cap. 70.*

*Si eſt idem iuſtitia quod charitas, erit nō extra nos, ſed in cordibus noſtris diffuſa: neque erit æqualis in omnibus, vt hæretici nugantur, ſed quædā inchoata, quædā prouecta, et quædam maxima in hac vita, poſt mortalitatem tamen iſtam perficienda.*

** Rom. 5. Charitas diffuſa in corde credentis, lex eſt fidei. * 2. Cor. 3. Lex fidei, nēpe Charitas, in ipſo homine ſcripta eſt.*

Cum ipſa charitas* diffunditur in corde credentium, lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorem. Vide nūc quemadmodum cōſonet iſta diſcretio illis Apoſtolicis verbis, quæ paulò antè ob aliud commemorata, & diligentius pertractanda diſtuleram. Manifeſtati, inquit, *quoniam eſtis epiſtola Chriſti miniſtrata per nos, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Ecce quemadmodum oſtēdit, quia illud extra hominem ſcribitur, vt



eum forinſecus terrificet: hoc in ipſo homine, vt eum intrinſecus iuſtificet. *Tom. 3. de ſpiritu & litera, cap. 17.*

** 2. Cor. 5.*

Et paulò pòſt cùm eandem gratiam vberius in Domino Ieſu Chriſto commendans, vſque ad illud veniret indumentum iuſtitiæ fidei, quo induti non nudi inueniamur, & propter hoc ingemiſcimus* mortalitate prægrauati, habitaculum noſtrum quod de cælo eſt, ſuperindui cupiētes, vt abſorbeatur mortale à vita: vide quid adiungat: Qui autem operatus eſt nos, inquit, in hoc ipſum Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus: Et poſt pauca intulit, vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo. Hæc eſt illa iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos ab eo facti. Nemo ergo Chriſtianorum aberret ab hac fide, quæ ſola Chriſtiana eſt. *Ibidem. cap. 18.*

*Iuſti habent pignus ſpiritus, vel iuſtitiam Dei, nō qua Deus iuſtus eſt, ſed qua iuſti à Deo facti ſunt.*

** Rom. 5.*
** Pſal. 3.*

Charitas quippe Dei* dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos: ſicut iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere efficimur: & Domini ſalus, *qua nos ſaluos facit, & fides Ieſu Chriſti, qua nos fideles facit. Hæc eſt iuſtitia Dei, quam non ſolùm docet per legis præceptum, verùm etiam dat per Spiritus donum. *Ibidem, capite 32.*

*Quid igitur mirum, ſi nomen gratiæ accipiatur ſæpè in ſacris literis pro dono Spiritus ſancti, vel diuina quadam in nobis qualitate?*

*Charitate iuſtus eſt quicūque iuſtus eſt.*

Si in Abel iuſto charitas Dei, qua vna verè iuſtus eſt, quicunque iuſtus eſt, adhuc erat, ex quo poſſet & deberet augeri: quicquid minus erat, ex vicio erat. Et cui non minus ſit donec ad illam eius fortitudinem veniatur, vbi tota hominis abſorbeatur infirmitas? *Tom. 7. de natura & gratia, cap. 42.*

Ipſa enim (*charitas*) eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimáque iuſtitia. *Tom. 7. de natura & gratia, cap. 42.*

## XV. *In iuſtificatione prorſus auferri peccata mortalia, nec ita manere, vt qui iuſtificatur, partim iuſtus ſit, partim iniuſtus.*

*Baptiſmo nō renouari ho-*

BAptiſma quoque, inquiunt (*Pelagiani*) non verè homines nouos facere aſſerunt, id eſt, non plenā dare

*mines,nec plenè remitti peccata Pelagiani dixerũt:quos noui hæretici lõgè videntur hac in re ſuperaſſe.*

remiſſionem peccatorum, ſed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios ſeculi,id eſt,diaboli remanere cõtendunt.Mentiuntur,inſidiantur, tergiuerſantur. Non hoc dicimus:omnes enim homines,qui ſunt filij diaboli,etiam filios ſeculi:non autem omnes filios ſeculi,etiã filios diaboli dicimus.Abſit enim vt filios diaboli dicamus fuiſſe ſanctos Patres,Abraham,Iſaac & Iacob,& alios huiuſmodi. *Tim.7. lib.3. contra duas Epiſtolas Pelag. cap.3.*

*Baptiſmus omnia prorſus peccata tollit,non tamen infirmitatem,cui reſiſtendũ eſt.*

Baptiſmus igitur abluit quidem peccata omnia,prorſus omnia,factorum,dictorum, cogitatorum,ſiue originalia,ſiue addita, ſiue quæ ignoranter, ſiue quæ ſciẽter admiſſa ſunt:ſed non aufert infirmitatem,cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur. *Ibidem, paulò pòſt.*

** Abac.2. * Rom.1. Galat 3.*

*Venialia peccata iuſtorũ, pietate ipſius fidei continuò delentur.*

Cùm itaque iuſti omnes & antiquiores & Apoſtoli ex fide* vixerint recta,quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro,moréſque tam ſanctos cum fide habuerint,vt licet non tam perfectæ virtutis in hac vita eſſe potuerint, quàm poſt hanc vitam,quæ futura eſt, tamen quicquid peccati ex humana infirmitate ſurrepſerit,pietate ipſius fidei continuò deleretur. *Ibidem,cap.5.*

*Sãcti viri nõ comparatione ſceleratorum, ſed regula virtutũ iuſti fuerunt.*

Omnes quoque Prophetas & Apoſtolos vel ſanctos & Euangelicos & antiquos, quibus Deus teſtimonium perhibet non in comparatione ſceleratorum,ſed regula virtutum iuſtos fuiſſe non dubium eſt. *Ibidem, lib.4. cap.7.*

**Pſal.31.*

*Peccata non dicũtur tecta vel cooperta, quaſi ſint & viuant.*

*Beati quorum * remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*:non in quibus nõ inuenta ſunt peccata,ſed quorum tecta ſunt peccata.Cooperta ſunt peccata,& tecta ſunt,abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere:ſi noluit aduertere,noluit animaduertere:ſi noluit animaduertere,noluit punire:noluit agnoſcere,maluit ignoſcere. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Nec ſic intelligatis quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & viuant. Tecta ergo peccata quare dixit? vt non viderentur. Quid enim Dei erat videre peccata,niſi punire peccata? *Tom.8. enarratione 2.Pſal.31.*

XVI.Iuſti-



## *XVI. Iuſtificationis gratiam aliis maiorem, aliis minorem dari,iuxta menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & diuerſam ſuſcipientium diſpoſitionem.*

DEus natura incorporea & immutabiliter viua, qui non ſicut ſonus per moras temporum tendi & diuidi poteſt,nec ſpacio aëreo tanquam loco ſuo indiget, vbi præſentibus præſto ſit,ſed æterna ſtabilitate in ſeipſo manens,totus adeſſe rebus omnibus poteſt,& ſingulis totus:quanuis in quibus habitat,habeãt eum pro ſuæ capacitatis diuerſitate,alij amplius,alij minus,quos ipſe ſibi dilectiſſimum templum gratia bonitatis ſuæ ædificat. *Tom.2.epiſt.57.circa finem,1.quæſt.ad Dardanum.*

*In quibus habitat Deus, habẽt ipſum pro ſuæ capacitatis diuerſitate.*

Conſtat ſine Spiritu ſancto Chriſtum nos diligere, & mandata eius ſeruare non poſſe,& id nos poſſe atque agere tantò minus,quãtò illum percipimus minus:tãtò autem amplius,quantò illum percipimus amplius.Proinde non ſolùm non habenti, verumetiam habenti nõ incaſſum promittitur:nõ habenti quidem, vt habeatur: habenti autem vt amplius* habeatur. Nam niſi ab alio minus,ab alio amplius haberetur, ſanctus Heliſæus ſancto Heliæ non diceret:*Spiritus qui eſt in te,duplex ſit in me. *Tom.9.Tract.74.in Euang.Ioannis.*

*Spiritus ſanctus minus et magis percipi valet. Ergo iuſtus poteſt fieri magis iuſtus.*

**Mat.13.25 Marc.4. Luc.8.19. * 4.Reg.2. * Rom.5. *Ioan.14.*

Spiritus ſanctus ipſe eſt,de quo dicit Apoſtolꝰ:**Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum,qui datus eſt nobis.* Quomodo ergo Dominus dicit: *Si diligitis me,mandata mea ſeruate,& ego rogabo*patrem & alium paracletum dabit vobis*: cum hoc dicat de Spiritu ſancto, quem niſi habeamus,nec diligere Deum poſſumus, nec eius mandata ſeruare? Quomodo diligimus,vt eum accipiamus, quem niſi habeamus, mandata ſeruare non poſſumus? An fortè præcedit in nobis charitas,qua diligimus Chriſtum, vt diligendo Chriſtum,eiúſque mandata faciendo, mereamur accipere Spiritum ſanctum? *Paulò pòſt reſpondet.* Intelligamus Spiritum ſanctum habere,qui diligit, & habendo mereri, vt plus habeat, & plus habendo plus diligat.Iam itaque habebãt ſpiritum diſcipuli, quem Dominus promittebat, ſine quo eum

*Spiritum ſanctum habet qui diligit,et habendo meretur vt plus diligat.*

Dominum non dicebant:nec tamen eum adhuc habebant, ſicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo,& non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius. *Tom.9.ſuper Euang.Ioannis, tract.74.*

Cæteris (*ſcilicet præter Chriſtū,in quo* * *habitat omnis plenitudo diuinitatis*)ad menſuram datur, & datus additur, donec vnicuique pro modo ſuæ perfectionis propria menſura compleatur. *Ibidem,paulò poſt.*

*Coloſſ.3.*
*Spiritus datur, & datus additur.*

Cùm igitur qui vbique eſt non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Nam vnde eſt illud quod Heliſæus popoſcit, † dupliciter in eo fieret Spiritus Dei,qui erat in Helia?Et vnde in omnibus ſanctis ſunt alii aliis ſanctiores, niſi abundantius habēdo habitatorem Deum? *Tom.2.epiſt.57. circa finem primæ quæſt.ad Dardanum.*

*Non æqualiter habitat Deus, in quibus habitat.*
*† 4.Reg.2.*
*Sanctorum alij aliis ſanctiores.*

Ex(*Chriſti*) * plenitudine accepimus pro modulo noſtro tanquam particulas noſtras, vt bene viuamus:ſicut Deus partitus * eſt menſuram fidei, quia vnuſquiſque * proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic,& ipſa eſt gratia:& inſuper accipiemus * & gratiam pro gratia,quando nobis vita æterna reddetur. *Tom.7.de gratia & libero arbitrio.cap.9.*

* Ioan.1.
*Ex plenitudine Chriſti accipimus gratiæ particulas pro modulo noſtro.*
* *Rom.12.*
* 1.*Cor.7.*
* *Ioan.1.*

Induti ſunt ſancti iuſtitia, alius magis, alius minus. *Tom.2.epiſt.29. ad Hieronymum.*

## *XVII. Iuſtificatos cùm plenam & abſolutam iuſtitiam conſecuti non ſint, renouari poſt acceptam iuſtitiam de die in diem.*

IN eo quod ſcriptum eſt: * Qui natus eſt ex Deo,non peccat,& non poteſt peccare,quia ſemen eius in ipſo manet:et ſi quid aliud eo modo dictum eſt,multum falluntur(*Pelagiani*)minus conſiderando Scripturas. Non enim aduertunt,eo quoſque fieri filios Dei,quo eſſe incipiunt in nouitate Spiritus,& renouari * in interiorem hominem,ſecundùm imaginem * eius, qui creauit eos. Non enim ex qua hora quiſque baptizatur, omnis vetus infirmitas eius abſumitur,ſed renouatio incipit à remiſſione omnium peccatorum. Et in quantum quiſque ſpiritualia ſapit,qui iam ſapit,in tantum renouatur. Cætera verò in ſpe facta ſunt, donec etiam in re fiant, vſque ad ipſius corporis renouationem in meliorem ſtatum immortalitatis & incorruptionis, qua induemur in reſurrectione mortuorum. *Tom.7.lib.2.de pecc.merit.et remiſſ.cap.7.*

* 1.*Ioan 3.*
* 2.*Cor.4.*
* *Coloſſ.3.*
*In Baptizatis remiſsio peccatorum omnium, non tamē integra renouatio.*



Illo ſacroſancto lauacro inchoatur innouatio noui hominis vt proficiēdo perficiatur,in aliis citius, in aliis tardius: à multis tamen proceditur in nouam vitam, ſi quiſquam non inimicè ſed diligenter intēdat. Ipſe quippè,ſicut ait Apoſtolus, * Etſi exterior homo noſter corrumpitur,ſed interior renouatur de die in diem. *Tom.1. de moribus Manichæorum,lib.1.cap.35.in fine.*

*Inchoata in baptiſmo renouatio proficiēdo in aliis citius, in aliis tardius perficitur.*
* 2.*Cor.4.*

Si in ipſo animo, qui eſt homo interior, perfecta in baptiſmo nouitas fieret, non diceret Apoſtolus: * Etſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem. Profectò enim qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus eſt renouatus, & in quantum nondū eſt renouatus,in tantum adhuc in vetuſtate eſt. *Tom.7. lib.2. de peccat.merit.& remiſſ.cap.7.*

* 2.*Cor.4.*
*Poſt remiſſa peccata renouatur adhuc interior homo magis ac magis.*

Sanè iſta renouatio non momento vno fit ipſius cōuerſionis,ſicut momento vno fit illa in Baptiſmo renouatio remiſſione omnium peccatorum, neque enim vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur: Sed quemadmodum aliud eſt carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta eſt, reualeſcere: Itémque aliud eſt,infixum telum de corpore demere,aliud vulnus quod eo factum eſt ſecunda curatione ſanare: Ita prima curatio eſt, cauſam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam pecatorum. Secunda,ipſum ſanare languorē, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis: Quæ duo demonſtrantur in Pſalmo,vbi legitur: * Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis:Quod fit in baptiſmo. Deinde ſequitur: Qui ſanat omnes languores tuos, Quod fit quotidianis acceſſibus,cùm hæc imago renouatur. De qua re Apoſtolus loquutus eſt,dicens: * Etſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem. *Tom.3.de Trinitate,lib.14.cap.17.*

*Spiritalis gratiæ quæ in baptiſmo datur,cū infirmi corporis curatione, elegans comparatio.*
* *Pſal.102.*
* 2.*Cor.4.*

** Rom.8.*

*Quandiu ſalui nō ſumus, nec perfectè innouati ſumus.*

*Eſt ergo profectus vel incremētum in renouatione iuſtáque vita.*

** 1. Ioan. 3.*

** 1.Ioan.1.*

Primitias ſpiritus* nunc habemus, vnde iam filij Dei reipſa facti ſumus; in cæteris verò ſpe ſicut ſalui, ſicut innouati, ita & filij Dei: Re autem ipſa quia nondum ſalui, ideò nondum planè innouati, nondum etiam filij Dei, ſed filij ſeculi. Proficimus ergo in renouatione, iuſtámque vitam, per quod filij Dei ſumus: & per hoc peccare omnino nō poſſumus, donec totum in hoc tranſmutetur, etiam illud, per quod adhuc filij ſeculi ſumus: per hoc enim & peccare adhuc poſſumus. Ita fit, vt qui natus* eſt ex Deo, non peccet, *Et* ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Conſumetur ergo quòd filii carnis & ſeculi ſumus, & perficietur quòd filij Dei, & ſpiritu renouati ſumus. *Tom.7.lib.2.de pecc.merit. & remiſſ.cap.8.*

** Philip.3.*

** 2.Cor.4.*

*Perfectus viator eſſe poteſt homo in hac vita, non ipſius itineris perfectione peruentor.*

*Fratres ego* me ipſum non arbitror apprehendiſſe. Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ ante ſunt extenſus, ſecundùm intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Ipſe ſe confitetur nondum accepiſſe, nondum eſſe perfectum in plenitudine iuſtitiæ, quam adipiſci dilexit in Chriſto: ſed adhuc ſecundùm intentionem ſequi & præterita obliuiſcentem in ea, quæ antè ſunt, extendi: vt nouerimus etiam ad ipſum pertinere illud quod ait: *Etſi exterior homo noſter corrūpitur, ſed interior renouatur de die in diem, quamuis iam eſſet perfectus viator, etſi nondum erat ipſius itineris perfectione peruentor. *Ibidem, cap.13.*

** Luc.13.*

*Infirmitas in homine relicta poſt remiſſum peccatum, quotidiana renouatione minuitur.*

Dominus in Euangelio: * Ecce, inquit, eiicio dæmonia & ſanitates perficio hodie & cras, & tertio die conſummor. Poſt multum tempus quàm hoc dictum eſt, paſſus eſt Dominus. Mentiri non potuit. Intelligitur ergo ſic: Expulſio dæmoniorum remiſſio peccatorum eſt, eo vtique, quo diabolus peccatorum pater atque origo ſit, per id quod efficitur, id quod efficit. Et vtique expulſio dæmoniorum eſt remiſſio peccatorum, tanquam reſoluta cauſa, per quam hominis animam poſſidebat. Perfectio ſanitatum, dum de die in diem proficit Eccleſia, & corruptionis, cuius reatus ablatus eſt, paſſio quotidiana renouatione minuitur. Tertia conſummatur, dū reſurrectionem in ſeipſo initiandam monſtrauit Eccleſiæ, qua ad incorruptionis conſummationem, ſum-



mámque perueniat ſanitatem. *Et paulò pòſt:* Expulſio eſt dæmoniorum, remiſſio peccatorum: perfectio ſanitatū, quæ fit proficiendo poſt Baptiſmum: tertia conſummatio eſt, quam ſuæ quoque carnis immortalitate mōſtrauit, incorruptibilium beatitudo gaudiorum. *Tom.7. contra Iulianum Pelag lib.6.cap.8.*

** Epheſ. 4.*

*Fruſtra Paulus moneret baptizatos, exuere veterē hominem, & induere nouum, ſi id aut in baptiſmo perfectè factum eſſet, aut poſt baptiſmum nullus eſſet in hac vita profectus.*

Ex hoc quod (*baptizati*) in nouitate ſunt, hoc eſt, ex plena & perfecta remiſſione peccatorū, & quantumcunque illud eſt, quod ſpiritaliter ſapiunt, eíque congruos mores agunt filij Dei ſunt. Intrinſecus enim exuimus veterem hominem, & induimus nouum, quoniam ibi deponimus mendacium, & loquimur veritatem, & cætera, quibus Apoſtolus explicat, quid ſit exui veterem* hominem, & indui nouū, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Et hoc vt faciant, iam baptizatos fideléſque adhortatur, quod adhuc monendi non eſſent, ſi hoc in Baptiſmo iā perfectè factum eſſet, & tamen factum eſt. *Tom.7. de pecc.mer. & remiſſ. lib.2. cap.7.*

*Iuſtificati proficiunt in iuſtitia.*

Iuſtificati ſumus, ſed ipſa iuſtitia cùm proficit, creſcit. *Et paulò pòſt:* Vnuſquiſque veſtrum iam in ipſa iuſtificatione conſtitutus, accepta ſcilicet remiſſione peccatorū per lauacrū regenerationis, accepto Spiritu ſancto, proficiens de die in diem, videat vbi ſit, accedat, proficiat & creſcat donec conſummetur, non vt finiatur, ſed vt perficiatur. *Tom.10. de verbis Apoſtoli, ſerm.16.*

*Plena peccatorum remiſſio in baptiſmo, non tamē plena innouatio.*

** Rom. 8.*

** 2.Cor.4.*

Attendere ac meminiſſe debemus: tantummodo peccatorum omnium plenam perfectámque remiſſionem baptiſmo fieri, hominis verò ipſius equalitatem non totam continuò commutari: ſed ſpiritales * primitias in bene proficientibus de die * in diem nouitate creſcente commutare in ſe quod carnaliter vetus eſt, donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis ad firmitatem ſpiritalem incorruptionémque perueniat. *Tom. 7. de pecat. merit. & remiſſ. lib. 2. cap.27.*

## XVIII. *Propter vetuſtatem Adæ iuſtificatos dici filios huius ſeculi, animales, carnales, venundatos ſub peccato & malos: non tamen filios diaboli vel iniuſtos eſſe.*

** Rom. 7. Quomodo intelligendũ illud Apoſtoli: Ego autẽ carnalis ſum. *1. Cor. 15. Tunc homo perfectè ſpiritalis, quando etiam corpus erit ſpiritale. * Rom. 7.*

SCimus enim, inquit, * quia lex ſpiritalis eſt, ego autẽ carnalis ſum: Non ait, fui: ſed, ſum. Nunquid ergo Apoſtolus cum hæc ſcriberet, carnalis fuit, an ſecũdùm corpus hoc dicit? Adhuc enim erat in corpore mortis huius, nondum facto ſpiritali, quod alibi dicit: * *Seminatur corpus animale: ſurget corpus ſpiritale*. Tunc enim ex toto ſe, id eſt, ex vtraque parte, qua cõſtat, ſpiritalis homo erit, quãdo etiã ſpiritale corpus erit. Neq. enim abſurdũ eſt, vt ſit in illa vita etiam caro ſpiritalis, ſi potuit eſſe in hac vita, in his, qui adhuc carnalia ſapiunt, etiam ſpiritus ipſe carnalis. Sic ergo ideò dixit, *Ego autem carnalis ſum*: quia nondum ſpiritale corpus habebat Apoſtolus, ſicut poſſet dicere: Ego autẽ mortalis ſum. *Tom 7. contra duas epiſtolas Pelagian. lib. 1. capite* 10.

** Rom 7. Quare dicat Apoſtolus, ſe venundatũ ſub peccato. * Rom 8. * Sap. 9.*

Item quod adiunxit, * *Venundatus ſub peccato*: ne quiſquam eum nondum redemptum Chriſti ſanguine exiſtimet, etiã hoc ſecundùm illud poteſt intelligi, quod ait: * Et nos primitias habentes ſpiritus, & ipſi in nobiſmetipſis ingemiſcimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis Chriſti: Si enim ſecundùm hoc ſe dicit venundatum ſub peccato, quòd adhuc non eſt redemptum à corruptione corpus eius, vel venundatum aliquando in prima tranſgreſſione præcepti, vt haberet corpus corruptibile, * quod aggrauat animam: quid prohibet hîc Apoſtolũ intelligi, de ſeipſo dicere, quod ita dicit, vt etiam in ipſo poſſet intelligi, etiamſi in ſua perſona non ſe ſolum, ſed omnes accipi velit, qui ſe nouerunt ſpiritali delectatione, cum carnis affectione ſine conſenſione confligere? *Tom. 7. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 1. cap*, 10.

Omnes enim homines, qui ſunt filij diaboli, etiam filios ſeculi, non autem omnes filios ſeculi etiam filios



diaboli dicimus. Abſit enim vt filios diaboli dicamus fuiſſe ſanctos Patres, Abraham, Iſaac & Iacob, & alios huiuſmodi, quando per nuptias generabant, & eos fideles, qui vſque nunc, & deinceps adhuc generant. Non tamen poſſumus Domino contradicere dicenti: * *Filij ſeculi huius nubunt, & tradunt ad nuptias.* Quidam ergo filij ſeculi huius ſunt, & tamen filii Diaboli non ſunt: quamuis enim Diabolus ſit auctor & princeps omniũ peccatorum, non tamen filios Diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccant enim filii Dei, quoniam ſi dixerint, ſe non habere * peccatum, ſeipſos ſeducunt, & veritas in eis non eſt. Sed ea conditione peccant, qua ſunt filii adhuc huius ſeculi. *Ibidem. lib. 3. cap. 3.*

** Luc. 20. Nõ quæcũque peccata faciũt filios Diaboli. Sunt enim & in filiis Dei quædã peccata. * 1. Ioan. 1.*

Vt autem plenius intelligatur quod dicimus, audiatur ipſe Ieſus, qui filiis Dei vtique loquebatur dicens: * *Si autem vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe.* Si enim filii Dei non eſſent, non eis diceret, Pater veſter, qui in cœlis eſt. Et tamen eos malos eſſe dicit, & noſſe bona dare filiis ſuis. Nunquid inde mali, vnde filii Dei? Abſit. Sed inde mali, vnde adhuc filii ſeculi, iam tamen filii Dei facti pignore Spiritus ſancti. *Ibidem.*

** Matt. 7. Viri iuſti diuerſa ratione filij Dei & mali dicuntur.*

Turbatus eſt * præ ira oculus meus. Et innumerabilia, quibus diuinæ literæ plenæ ſunt, quæ alternis vicibus, vel exultando de Dei bonis, vel mœrendo de noſtris malis à filiis Dei dicuntur ex fide, quandiu adhuc filii ſunt etiam ſeculi pro vitæ huius infirmitate, quos tamen Deus à filiis Diaboli non ſolùm lauacro regenerationis, ſed ipſius etiam, quæ * per dilectionẽ operatur, fidei probatæ diſcernit, quia iuſtus * ex fide viuit. *Ibidem.*

** Pſal. 6. In ſacris literis quædã dicuntur de iuſtis, quatenus filij ſunt Dei, & quædã quatenus filij ſunt ſeculi. * Gal. 5. * Abac. 2. Rom. 1. Gal. 3.*

Propter hanc (*carnis inobedientiam*) fit, vt etiam de iuſtis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, ſed filii ſeculi generentur: quia & hi qui generant, ſi iam regenerati ſunt, non ex hoc generant, quo filii Dei ſunt, ſed ex quo adhuc filii ſeculi. Dominica quippè ſentẽtia eſt: * Filii huius ſeculi generant & generãtur. Ex quo itaque ſumus adhuc filii huius ſeculi, exterior homo noſter corrumpitur, ex hoc & huius ſeculi filii

*Quare iuſti procreent filios infectos peccato. * Luc. 20.*

generantur. Ex quo ſumus filii Dei, interior homo renouatur * de die in diem. Quanuis & ipſe exterior per lauacrum ſanctificatus ſit, & ſpem futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & templum Dei * meritò dicitur, ſed hoc non ſolùm propter præſentem ſanctificationem, ſed propter illam ſpem dictum eſt, de qua dicitur: * *Et nos ipſi primitias habentes ſpiritus, ingemiſcimus expectantes redemptionem corporis noſtri. Tom.7. contra Iulian. Pelag. lib.6. cap.5.*

* 2.Cor.4.
* 1. Cor.1.6. 2.Cor.6.
* *Rom.*8.

Deinde ſi prouectu concupiſcentiæ bonæ, qua concupiſcentias malas fornicandi potandíque debellat, talis efficitur, qualis recenti conuerſione nondum fuit, vt illorum in eo deſideria peccatorum minus minúſque moueantur, vt aduerſus ea mala non tanta, quanta prius exerceat, ſed minora certamina, non virtutum diminutione, ſed hoſtium, nec deficiente pugna, ſed creſcente victoria, dubitabis eum pronunciare meliorem? Vnde obſecro, niſi quia bona qualitas aucta, & mala diminuta eſt? Auctum eſt igitur, quo bonus eſſe cœpit, minutum eſt, quo malus fuit, & hoc egit poſt Baptiſmum, non peregit in Baptiſmo. Ita quanuis ibi peracta fuerit plena peccatorum remiſſio: remanſit tamen, qua proficeretur in melius, aduerſus cateruas deſideriorum malorum, in nobis ipſis vtique tumultuantium, vigilãter exerenda, & inſtanter exercenda luctatio, propter quam dicitur etiam baptizatis, * *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*: Et, *ſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*: Et, *Exuite vos veterem hominẽ. Ibidem, cap.7.*

*Malas cõcupiſcentias in dies magis debellãs dicitur melior, aucta bona qualitate & minuta mala.*
*Quare dicitur etiam baptizatis: Mortificate membra veſtra. Et: Exuite vos veterem hominem. &c.*
* Coloſ.3.
* *Rom.* 8.

### *XIX. Iuſtificato non eſſe neceſſarium vt credat certitudine fidei (cui non poteſt ſubeſſe falſum) & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.*

NOs autem dicimus ideò ſequutum eſſe, quis gloriabitur * caſtum ſe habere cor? quoniam præceſſit, cùm rex iuſtus ſederit in throno. Quantalibet enim iuſtitia ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inueniatur eſſe culpã-

* *Prou.*20.
1. *Ioan.* 1.
*Quãtalibet iuſtitia præ-*



dum, cùm rex iuſtus ſederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non poſſunt, nec illa, de quibus dictum eſt: * *Delicta quis intelligit?* Cùm ergo rex iuſtus ſederit in throno, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Aut quis gloriabitur mundum * ſe eſſe à peccato? Niſi fortè iſti qui volunt in ſua iuſtitia, nõ in ipſius iudicis miſericordia gloriari. *Tom.7. de perfectione iuſtitiæ, reſponſione.19.*

*ditus ſit homo, timere debet, ne aliquid in ſe lateat, quod ſit culpandum iudicio Dei.*

*Ecce enim * veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Quæ occulta? quæ incerta? Quia Deus ignoſcit & talibus: Nihil tam occultũ, nihil tam incertum. Ad hoc incertum Niniuitæ pœnitentiam egerunt. Dixerunt enim, quanuis poſt minas prophetæ, quanuis poſt illam vocem: * *Triduo & Niniue euertetur*: dixerunt apud ſe, petendam eſſe miſericordiam. Dixerunt ita apud ſe diſceptantes: *Quis nouit, ſi Deus flectat in melius ſententiam ſuam, & miſeretur?* Incertum erat, cùm dicitur, quis nouit. *Tom.8. in enarratione Pſalmi.* 50.

* *Pſal.* 18.
* *Prou.* 20.
1. Ioan. 1.
* *Pſal.*50.
*An ignoſcat Deus, & qualibꝰ, nihil tam occultũ, nihil tam incertũ.*
* Ionæ.3.

*Delicta quis * intelligit?* In delictis autẽ qualis ſuauitas eſſe poteſt, vbi non eſt intellectus? Quoniam delicta quis intelligit, quæ ipſum oculũ claudunt, cui ſuauis eſt veritas, cui deſiderabilia & dulcia ſunt iudicia Dei? Et ſicut tenebræ oculos, ita delicta mẽtem claudunt, nec lucem ſinunt videre, nec ſe. *Tom.8. in Pſal.*18. *expoſit.*1.

* *Pſal.*18.
*Quomodo intelligendum illud Deut.13. Tentat vos Dominus &c.*
* *Gen.*22.

Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis eum, etiam hoc genere locutionis, vt ſciat, dictum eſt, ac ſi diceretur, vt ſcire vos faciat: quoniam vires dilectionis ſuæ hominem latent, niſi diuino experimento etiam eidem innoteſcat. *Tom.4. Quæſtionum ſuper Geneſin, quæſt.57.*

*Modò enim * cognoui, quoniam times Deum tu.* Etiam iſta quæſtio ſimili locutione ſoluitur: hoc eſt enim, nunc cognoui, quoniam times Deum tu: quod ſignificat, nunc te feci cognoſcere. *Ibidem, quæſt.58.*

*Non ergo, ex Auguſtini ſententia, anteà cognouiſſe videtur Abrahã iuſtitiã ſuã, quanuis iuſtus eſſet.*
* *Pſal.*18.

Dicamus: * *Ab occultis meis munda me Domine.* Quis enim delicta intelligit? Si videntur tenebræ, intelliguntur delicta. *Tom.8. expoſ.2. Pſal.18.*

*Vt tenebræ videri, ita delicta intelligi poſſunt.*

## *XX. Hominem renatum & iuſtificatum, de arcano diuinæ prædeſtinationis vſque adeò præſumere non debere, vt certò ſtatuat ſe ex numero prædeſtinatorum eſſe.*

*Quare nullus certò ſciat, ſe prædeſtinatum eſſe.*

QVis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Sathanæ * angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus. Hinc & Apoſtolis dicebatur: * *Si manſeritis in me*: dicente illo, qui illos vtique ſciebat manſuros. Et per Prophetam: * *Si volueritis, & audieritis me*: cùm ſciret ipſe, in quibus * operaretur & velle. Et ſimilia multa dicuntur, propter huius vtilitatem ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt, timeant, dum occultum eſt, quò perueniant: Propter huius ergo vtilitatem ſecreti, credendum eſt quoſdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeuerandi vſque in finẽ, in fide, quæ * per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac iuſtè viuere, & poſteà cadere, neque de hac vita, priuſquam hoc eis contingat, auferri. *Tom.7. de corrept. & gratia, cap.13.*

** 2. Cor.12.* ** Ioan.15.* ** Eſai.1.* ** Philip.2.*

*Timendum omnibus, dũ incertũ eſt, quo ſit perueniendum.*

*Quidam de filiis perditionis in fide, quæ per dilectionem operatur, incipiũt iuſtè viuere, qui poſtea tamẽ cadunt.* ** Gal.5.*

Prædeſtinatio Dei etſi apud nos, qui dum in præſentis vitæ periculis verſamur incerta eſt, apud illum tamen, qui fecit quæ futura ſunt, incõmutabilis permanet. *Tom.7. ad artic. ſibi falſò impoſitos, art.12.*

*Prædeſtinatio in huius vitæ periculis, nobis incerta.*

Nouimus aliquos etiam perfectos ex labore multorum annorum, prolapſos in vltimo vitæ ſuæ, & periiſſe. Aliquos verò ab ineunte ætate ſua in omni ſcelere & damnabilitate vſque ad decrepitam ætatem perduraſſe, & repentè cælitus, inſpirata ſalute raptos eſſe ad requiem regni cælorum. Nouimus etiam paruulos, quibus vſus liberi arbitrij non eſt, vt de bonis aut malis eorum meritis iudicemus, parentum manibus ad gratiam ſacri baptiſmatis deportatos, & cùm in vno eorum per manus Sacerdotis myſterium fidei adimpleretur, aliquoties alterum in parentum manibus factum exanimem, fraudatum gratia ſaluatoris. Quis ſapiens



& intelligens hæc? Aut quis idoneus erit, horum reddere rationem? Dicamus cum Dauid: * *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.* Et: * *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.* Dicamus etiam cum Apoſtolo Paulo: * *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Et paulò pòſt*: Solus Dominus * ſcit, qui ſunt eius. In quantum autem poſſumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli deſperationem demus, pro inuicem oremus, in cõſpectu Dei nos humiliemus, dicentes: * Fiat voluntas tua. Ipſius erit poteſtatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare. *Tom.7. hypognoſt. lib.6. in fine.*

** Pſal.144.* ** Pſal.91.* ** Rom.11.* ** 2.Tim.2.* ** Math.6.*

*Homo regeneratus & ingrediens vias Dei ſæpe ſeducitur à Diabolo.*

Nec moueat quòd ſæpe diabolus ſeducit etiam illos, qui iam regenerati in Chriſto vias ingrediuntur Dei. Nouit * enim Dominus qui ſunt eius: ex his in æternam damnationem neminẽ ille ſeducit. Sic enim nouit Dominus vt Deus: quem nihil latet etiam futurorum, non vt homo qui hominem ad præſens videt, ſed tamen videt, cuius cor non videt: qualis autem poſtea futurus ſit, nec ſeipſum videt. *Tom.5. de Ciuit. Dei, lib.20. cap.7.*

** 2. Tim. 2.*

*Homo ſeipſum qualis poſteà futurus ſit, non videt.*

## *XXI. Perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum, neminem abſoluta & infallibili certitudine, niſi ex ſpeciali reuelatione poſſe cognoſcere.*

*Quis in hac vita dici poſſit beatus.*

QVis primos illos homines in paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum? quamuis de ſua beatitudine quàm diuturna, vel vtrum æterna eſſet, incertos? Eſſet autem æterna, niſi peccaſſent: cùm hodie non imprudenter beatos vocamus, quos videmus iuſtè ac piè, cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine vaſtante conſcientiam, facilè impetrantes peccatis huius infirmitatis diuinã miſericordiam. Qui licet de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamẽ perſeuerantia ſua reperiuntur incerti.

*Iuſti licet de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſint, de ipſa*

*tamē ſua perſeuerātia ſine Dei reuelatione ſunt incerti*

Quis enim hominum ſe in actione profectuque iuſtitiæ perſeueraturum vſque in finem ſciat, niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iuſto latentique iudicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit? *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 11. cap. 12.*

*1.Cor.10. *Rom.12. *Iob.7.

Vt perſeuerent in eo quod eſſe cœperunt, etiam pro ſeipſis orant fideles: vtile eſt quippe omnibus, vel penè omnibus propter humilitatem ſaluberrimam, vt quales futuri ſint, ſcire non poſſint: Ad hoc dicitur: * *Qui videtur ſtare, videat ne cadat*: propter huius timoris vtilitatem, ne regenerati & piè viuere incipientes, tanquam ſecuri* alta ſapiamus, quidam non perſeueraturi perſeueraturis, Dei permiſſione vel prouiſione ac diſpoſitione miſcentur, quibus cadentibus territi cum timore & tremore gradiamur viam iuſtam, donec ex hac vita, *quæ * tentatio eſt ſuper terram*, tranſeamus ad aliam, vbi iam non ſit elatio comprimenda, nec contra eius ſuggeſtiones, tentationéſque luctandum. *Tom. 2. Epiſt. 107. ad Vitalem, circa medium! Eadem habes. Tom. 7. de bono perſeuer. cap. 8.*

*Rom.12. *Philip.2.

*Vtiliſſimum nobis eſt, cum timore & tremore noſtram ipſorū ſalutem operari.*

Ideo quippe, ſicut iam ſuprà diximus, non perſeueraturi perſeueraturis, prouidentiſſima Dei voluntate miſcentur, vt eſſe diſcamus non* alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum * timore & tremore noſtrā ipſorum ſalutem operemur. Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc eſt pium, hoc verū, vt ſit humilis & ſubmiſſa confeſsio, & detur totum Deo. *Tom. 7. de bono perſeuer. cap. 13.*

*De vita æterna nemo ſecurus, niſi hac vita cōſummata.*

*Iob.7. *Matt.6.

De vita æterna, quam filiis promiſsionis promiſit, nō mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi cùm conſummata fuerit iſta vita, quæ tentatio * eſt ſuper terram, ſed faciet nos perſeuerare in ſe vſque in eius vitæ finem, cui quotidiè dicimus: *Ne nos inferas in tentationem. *Ibidem, cap. 22.*

Quotuſquiſque talis inuenitur, de cuius animo & moribus ſit in hac vita certa ſecuritas? Nam ſicut ſibi



*Nec ſibi quiſque ita notus eſt, vt ſit de ſua craſtina conuerſatione ſecurus.*

*1.Cor.4. *2.Cor.5.

*Et tamē quidam nūc hæretici, nullam admittūt dubitationē aut deſolationē: ſed certitudinem exigūt, & plenam ſecuritatem, meráque ſolatia.*

quiſque, nemo alter alteri notus eſt, & tamen nec ſibi quiſque ita notus eſt, vt ſit de ſua craſtina conuerſatione ſecurus. Proinde quanuis ex fructibus ſuis multi cognoſcantur, & alij quidem bene viuendo proximos lætificent, alij malè viuendo contriſtent, tamen propter humanorum animorum ignota & incerta, rectiſſimè Apoſtolus * admonet, vt non ante tempus quicquam iudicemus, donec veniat Dominus, & illuminet abſcōdita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo. In iis igitur huius vitæ tenebris, in quibus peregrinamur * à Domino, quādiu per fidem ambulamus, non per ſpeciem, deſolatam debet ſe Chriſtiana anima putare, ne deſiſtat orare: & Scripturarum diuinarum ſanctarúmque ſermoni diſcat, tāquam * lucernæ in obſcuro loco poſitæ, fidei oculum intendere, donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris. *Tom. 2. Epiſt. 121. cap. 2. ad Probam viduam. Lege ibidem plura in hanc ſententiam.*

*2.Pet.1. *Rom. 8. *1.Cor.2. *Rom.11. *Philip.2.

*Ad nouum etiam Teſtamentum pertinet, ſeruire Domino in timore, & exultare ei cū tremore.*

*Pſal.2.

Non enim * accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, tamen de timore comite caritatis ait: * Cum timore ac tremore multo fui apud vos. Et ea ſententia, quam commemoraui, ne aduerſus fractos oleæ ramos, inſertus ſuperbiret oleaſter, ipſe vſus eſt dicens: * Noli altum ſapere, ſed time. Ipſe omnia membra Chriſti generaliter admonens ait: * Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate: ne ad vetus teſtamentum videatur pertinere quod ſcriptum eſt: * Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. *Tom. 6. de ſancta virginitate, cap. 38.*

### *XXII. Iuſticationis gratiam non ſolis prædeſtinatis ad vitam, ſed & vocatis quoque aliis contingere.*

*Matt.22.

MVlti vocati: & non in eis, de quibus dictum eſt: * *pauci verò electi*. Et tamen, quis neget eos electos, cùm credunt & baptizantur, & ſecundùm Deum viuūt? Planè dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo, qui eos nouit non habere perſeuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, ſcitque illos ita

ſtare, vt præſciuerit eſſe caſuros. *Tomo 7. de corrept. & gratia cap. 7.*

*Rom. 9.

Videmus paruulis non niſi per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari: & eius occulto, iuſto tamen iudicio, quoniam non eſt * iniquitas apud Deum, quoſdam etiam poſt baptiſmum peſſimè viuendo perituros, in hac tamen vita quovſque pereant detineri: qui non perirent, ſi eis corporis mors lapſum eorum præueniens ſubueniret: quoniam nullus mortuus iudicatur ex bonis ſeu malis, quæ fuerat ſi non moreretur acturus: alioquin Tirij & Sidonij, *non ſecundùm ea quæ geſſerunt pœnas luerent, ſed potius ſecundùm ea, quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Euangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam, & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem. *Tom. 7. de bono perſeuerantiæ, cap. 11.*

*Nemo iudicatur ex his, quæ geſturus erat, ſi viueret: ſed ex iis quæ geſſit.*

*Matt. 11. Luc. 10.

Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi autem non donetur: inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait * vnus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc ſecretum, manſiſſent vtique nobiſcum. Quid eſt quæſo, non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent, manſiſſent vtique nobiſcum? Nónne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit: * *Omnem flatum ego feci*: vnius eiuſdémque naturæ animas acceperant? Nónne poſtremò vtrique vocati fuerant, & vocantem ſecuti, vtrique ex impiis iuſtificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Sed ſi hoc audiret ille qui ſciebat proculdubio, quod dicebat, reſpõdere poſſet & dicere: vera ſunt hæc, ſecundùm hæc omnia ex nobis erant, veruntamen ſecundùm aliam quandam diſcretionem non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Quæ nam eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non auertamus aſpectum. Clamat Scriptura * diuina, adhibeamus auditum, Non erant ex eis, quia non erant ſecundùm propoſitum vocati: non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi: non erant

*Quare huic iuſto tribuatur donum perſeuerãtiæ, illi non tribuatur inſcrutabile Dei iudiciũ.*

*1. Ioan. 2.

*Iſai. 57.

*Eſt igitur aliquis ex numero iuſtorũ, qui non eſt ex numero prædeſtinatorum.*

*1. Ioan. 2.



in eo ſortem conſecuti: non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui vniuerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. *Ibidem, cap. 8.*

Sed de hac re, id eſt, cur quidem non permanſuri in fide, & ſanctitate Chriſtiana, tamen accipiant ad tempus hanc gratiam, & dimittantur hîc viuere, donec cadant, cùm poſſint rapi de hac vita, ne malitia * mutet intellectum eorum, quod de ſancto immatura morte defuncto ſcriptum eſt in libro Sapientiæ, quærat quiſque vt potuerit. *Tom. 2. epiſt. 107. ad Vitalem, circa medium Epiſtolæ. To. 4. lib. 2. quæſt. 1. ad Simplicianum, Saulem dicit fuiſſe reprobum, quem idem ipſe iuſtum aliquando fuiſſe oſtendit.*

*Sap. 4.

## *XXIII. Iuſtificatum, ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare non poſſe.*

Aſſerimus donum Dei eſſe perſeuerantiam, qua vſque in finem perſeueratur in Chriſto: finem autem dico, quo vita ita finitur, in qua tãtummodo periculum eſt, ne cadatur. Itaque vtrum quiſque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum eſt. Si enim priuſquam moriatur, cadat, non perſeueraſſe vtique dicatur, & veriſſimè dicitur. *To. 7. de bono perſeuerant. c. 1.*

*Perſeuerãtia in bono vſque ad mortẽ, donum Dei.*

Ipſos quoque regeneratos, alios perſeuerantes vſque in finem hinc ire: alios quouſque decidant, hîc teneri: qui vtique non decidiſſent, ſi antequam laberentur, hinc iſſent: & rurſus quoſdam lapſos, quo vſque redeant, non exire de hac vita, qui vtique perirent, ſi antequam redirent, exirent. Vnde ſatis dilucidè oſtenditur & inchoandi, & vſque in finem perſeuerandi gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, ſed donari ſecũdùm ipſius ſecretiſſimã eandemque iuſtiſſimã, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem. *Ibidem, cap. 13.*

*Initium gratiæ & perſeuerantiæ donum nõ cadit ſub merita noſtra, ſed ſecretiſſima Dei voluntate donatur.*

Si dixerimus iſtam perſeuerantiam tam laudabilem tâmque fœlicem, ſic eſſe hominis, vt ei non ſit ex Deo: Illud primitus euacuamus, quod ait Dominus Petro: * *Rogaui pro te, ne deficiat fides tua.* Quid enim ei rogauit, niſi perſeuerantiam vſque in finem? Quæ

*Ex ſcripturis conuincitur perſeuerantiã ſine ſpeciali gratia Dei non haberi.*

*Luc. 22.

profectò ſi ab homine homini eſſet, à Deo poſcenda non eſſet. Deinde cùm dicat Apoſtolus: *[2.Cor.13.] *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali*: proculdubio perſeuerantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit, qui bonum deſerit, & à quo declinare non debet, inclinatur in malum, non perſeuerans in bono. Illo etiam loco vbi dicit: * [Philip.2.] *Gratias ago Deo in omni memoria veſtri, ſemper in omni prece mea pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communione veſtra in Euangelio à prima die vſque nunc, confidens hoc ipſum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu*: Quid aliud eis, quàm perſeuerantiam in bono vſque in finem, de Dei miſeratione promittit? Itémque vbi dicit: * [Col.4.] Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper certans pro vobis in orationibus, vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei: quid eſt vt ſtetis, niſi vt perſeueretis? *Et paulò pòſt*: Item Iudas Apoſtolus cùm dicit: * [Iudæ,1.] *Ei autem qui potens eſt, conſeruare vos ſine offenſione, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in lætitia.* nónne apertiſſimè oſtendit donum Dei in bono perſeuerare vſque in finem? Quid enim aliud donat, qui conſeruat ſine offenſione, vt conſtituat ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in lætitia, niſi perſeuerantiam bonam: Quid eſt etiam, quod in Apoſtolorum actibus legimus: * [Act.13.] *Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt, quotquot erant ordinati in vitam æternam?* Quis in vitam æternam potuit ordinari, niſi perſeuerantiæ dono? quãdoquidem qui perſeuerauerit * [Matt.10.] vſque in finem hic ſaluus erit. *Et iterum*: Dicimus, *inquit (*Cyprianus*) [In expoſ. dominicæ orationis.] Sanctificetur nomen tuum: non quod optemus Deo vt ſanctificetur orationibus noſtris, ſed quòd petamus à Deo, vt nomen eius ſanctificetur in nobis: cæterùm à quo Deus ſanctificatur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe [Matt.6.] dixit: * [Leuit.19.] *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum*: id petimus & rogamus, vt qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus perſeueremus. Ecce glorioſiſſimus martyr hoc ſentit, quod in his verbis quotidie fideles Chriſti petunt, vt perſeuerent in eo quod eſſe cœperunt. Nullo autem dubitante, quiſquis à Domino

vt in



vt in bono perſeueret, precatur: donũ eius eſſe talẽ perſeuerantiam confitetur. *To.7. de correp. & gratia, c.6. et 7.*

*Primus homo ſine adiutorio Dei in paradiſo perſeuerare non poterat.*

Primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolùm vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint. *Ibidem, cap. 22.*

*Sanctis in regnum Dei prædeſtinatis perſeuerãtia ita donatur, vt per hoc donum non niſi perſeuerent.*

Ac per hoc nec de ipſa perſeuerãtia boni, voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo * gloriari: qui eis non ſolùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare ſi velint: Sed in eis etiam operatur * & velle, vt quoniam non perſeuerabũt, niſi & poſsint & velint, perſeuerandi eis poſsibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippè Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideò poſsint, quia ſic volunt: ideò ſic velint, quia Deus operatur vt velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei, ſine quo perſeuerare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeuerare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt poſſent. *Ibidem ſub finem.*

*1.Cor.1. 2.Cor.10. *Philip.2.

*Sanctis Dei diuinæ gratiæ largitate donatur, perſeuerandi poſſibilitas & voluntas.*

Hinc intelligi datur etiam illis iuſtis, qui bonos pióſque mores vſque ad ſenectutis maturitatem & diem vitæ huius vltimum ſeruant, non in ſuis meritis, ſed ipſo Domino eſſe * gloriandum: quoniam qui vitæ breuitate rapuit * iuſtum, ne malitia mutaret intellectum eius, ipſe in quantacunque vitæ longitudine cuſtodit iuſtum, ne malitia mutet intellectum eius. *Tomo 7. de prædeſt. ſanctorum, cap. 14.*

*1.Cor.11. 2.Cor.10. *Sap.4.

Ec

### *XXIIII. Hominem ſemel iuſtificatum, poſſe iterum peccare & gratiam amittere.*

**3. Reg 11. Ecclef.47.*

DE Salomone autem quid dicam? niſi quia grauius ipſius fidelis & ſanctæ ſcripturæ teſtimonio * redarguitur, quàm petulantibus & nugacibus Fauſti conuiciis? Illa enim de illo, & quid boni prius habuiſſet, & quid mali, faciendo bonum in quo primùm fuerat, reliquiſſet, veraciter fideliterque locuta eſt. *Tom. 6. contra Fauſtum, lib. 22. cap. 81.*

*In perſona Salomonis mira excellentia, & mira ſubuerſio.*

Apparet in perſona huius Salomonis & mira excellentia, & mira ſubuerſio. Quod igitur in illo diuerſis temporibus extitit, prius bonum & poſterius malum, hoc in Eccleſia, in iſto adhuc ſeculo, ſimul vno tempore oſtenditur. Nam bono illius, bonos Eccleſiæ: malo autem illius, malos Eccleſiæ ſignificatos puto: tanquam in vnitate vnius areæ, ſicut in illo vno homine bonos in granis, * malos in palea: vt in vnitate vnius ſegetis *bonos in tritico, malos in zizaniis. *Ibidem, cap. 88.*

**Matt.3. Luc.3.*
**Matt.13.*

*Acceptā gratiam quādoque amittit iuſtus.*

Si autem iam regeneratus & iuſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere, nō accepi, quia acceptam gratiam Dei, ſuo in malum libero amiſit arbitrio. *To. 7. de corrept. & gratia, c. 6.*

*Perſeuerātia ſítne cuiquā data, incertū eſt ante finē.*

Non dicant homines, perſeuerantiam cuiquam datam vſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeueraſſe, cui data eſt, repertus fuerit vſque in finem. Dicimus quippè caſtum, quem nouimus caſtum, ſiue ſit, ſiue non ſit in eadem caſtitate manſurus: & ſi quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti poteſt, dicimus eum habere, quandiucunque habet, & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe. *Tom. 7. de bono perſeue. cap. 6.*

*Caſtitas, vt alia diuina munera, teneri & amitti poteſt.*

Sed quare aliis concedatur, vt ex huius vitæ periculis, dum iuſti ſunt, auferantur: alij verò iuſti, donec à iuſtitia cadant, in eiſdem periculis vita productiore teneantur: quis cognouit * ſenſum Domini? *Tom. 7. de prædeſtinat. ſancto. cap. 14.*

**Rom.11.*

Apoſtoli & omnes iuſti animale vtique corpus habebant, ſed tamen ſpiritaliter intus viuebant, renouati ſcilicet in agnitione * Dei, ſecundùm imaginem eius,

**Coloſ.3.*



qui creauit eos: non ideò tamen peccare non poterāt, ſi conſentirent iniquitati. Nam & ſpiritales poſſe cadere in tentatione peccati, oſtendit Apoſtolus, vbi ait: * *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, intendens te ipſum, ne & tu tenteris.* Hoc dixi ne cuiquam impoſſibile videatur, quod peccauit Adam, ſi ſpiritalis erat mente, quanuis animalis eſſet corpore. *Tom. 3. de Geneſi ad lit. lib. 6. cap. 28.*

*Spiritales homines poſſe cadere in tentatione peccati ex Apoſtolo docetur.*

*Gal.6.*

*Adam peccauit, etiam ſi mente erat ſpiritalis.*

Si in ſanctitate viuitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, manifeſtum eſt munus Dei, ſine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata trāſitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurū non deſerit, antequam deſerat, & facit plerunque ne deſerat, aut etiamſi diſceſſerit, vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum inueſtigare, cùm ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe, quod ſtatur, & non eſſe ab illo quod ruitur. *Tom. 7. ad articulos ſibi falſò impoſitos, artic. 14.*

*Nullus poſt Baptiſmū ſibi ſecuritatē promittat.*

Hæc dicta ſunt, ne quis poſt Baptiſmum quanuis iuſtificatus ſit à prioribus peccatis, tamen ſuperbire audeat, etiamſi nihil committat, vnde ab altaris communione ſeparetur, quaſi iam de plena ſecuritate ſe iactās, ſed potius ſeruet humilitatem, quæ penè vna diſciplina Chriſtiana eſt. Nec ſuperbiat * terra & cinis, donec iſta nox tota tranſeat, in qua * pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes, vt quærant à Deo eſcam ſibi. *Tom. 10. lib. 50. homiliarum, Homili. 50. cap. 5.*

**Eccle.10.*
**Pſal.103.*

## CAPVT SEXTVM DE LAPSIS ET EORVM Reparatione.

### *I. Quid ſit peccatum.*

PEccatum hominis eſt inordinatio atque peruerſitas, id eſt, à præſtantiore conditore auerſio, & ad condita inferiora conuerſio. *Tom. 4. libro 1. de diuerſis quæſtionibus ad Simplicium. quæſtione 2.*

*In peccato duo ſunt, auerſio à ſummo bono, & conuerſio ad condita inferiora.*

Peccatum eſt dictum vel factum vel concupitum aliquod contra æternam legem: Lex verò æterna eſt ratio diuina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetās. *Tom.6.contra Fauſtum, lib.22.cap.27.*

*Lex æterna quid.*

Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius, quàm refrænat. Eſt autem illicitum, quod lex illa prohibet, qua naturalis ordo ſeruatur. *Ibidem, cap.28.*

Peccata omnia hoc vno genere continentur, cùm quiſque auertitur à diuinis veréque manentibus, & ad mutabilia atque incerta conuertitur. *Tom.1.de libero arbitrio, lib.1.cap.16.*

Peccatū eſt retinendi voluntas, vel conſequendi quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere, quanquam ſi liberum non ſit, non eſt voluntas. Sed malui craſſius, quàm ſcrupuloſius definire eam rem. Nec hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem, neminem vituperatione ſupplicióue dignum, qui aut id velit, quod iuſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nónne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quod ſi nemo vituperatione vel damnatione dignus eſt, aut non contra vetitum iuſtitiæ faciens, aut quod non poteſt, non faciens: omne autem peccatum vel vituperandum eſt, vel damnādum, quis dubitet tunc eſſe peccatum, cùm & velle iniuſtum eſt, & liberum nolle? & ideò definitionem illam & veram, & ad intelligendum eſſe facilimam, & non modò nunc, ſed tūc quoque potuiſſe à me dici: Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequēdi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere? *Tom.6.lib.de duabus animabus, cap.11. Legitur eadem definitio & Tom.3.de Geneſi ad literam imperfecto, cap.1.*

*Peccatum eſt quando & velle iniuſtū eſt, & liberū nolle.*

Peccare quid aliud eſt, niſi in veritatis præceptis, vel in ipſa errare veritate? Quod ſi non voluntate faciunt peccatores, iniuſtè vindicātur. *Tom.6.de fide contra Manichæum, cap.8.*

*Peccatum iniuſte vindicatur niſi voluntate fiat.*

Solus defectus voluntarius eſt culpabilis, quo anima



rationalis ad ea, quæ infra illam ſunt condita, conditore ſuo deſerto, declinat affectum: hoc eſt enim quod peccatum vocatur: Cæteri autem defectus, qui nō ſunt voluntarij, vel pœnales ſunt, vt peccata puniantur, moderatrice ſumma atque ordinatrice iuſtitia: vel menſuris rerum infimarum interueniunt, vt præcedentia ſuccedentibus cedāt, atque ita omnis temporalis pulchritudo vicibus ſuis atque genere ſuo agatur. *Et paulò poſt.* Peccat anima, & peccando fit mala, ſi conſenſionem dilectionis, quam ſuperiori Deo debet, inferiori corpori adiungat. *Tom.6.contra Secundinū Manichæ.cap.15.& 16.*

*Peccat anima ſi dilectionem à Deo ad inferiora transferat.*

*AVG.* Quærere inſtitueramus quid ſit malè facere, & propter hoc omnia, quæ dicta ſunt, diximus. Quo circa licet nunc animaduertere & conſiderare, vtrum ſit aliud malè facere, quàm neglectis rebus æternis, quibus per ſe ipſam mens fruitur, & per ſeipſam percipit, & quas amans amittere non poteſt, temporalia & quæ per corpus hominis partem viliſſimam ſentiuntur, & nunquam eſſe certa poſſunt, quaſi magna & mirāda ſectari. Nam hoc vno genere omnia malefacta, id eſt, peccata, mihi videntur includi. Tibi autem quid videatur expecto cognoſcere. *EVODIVS.* Eſt ita vt dicis, & aſſentior omnia peccata hoc vno genere contineri, cùm quiſque auertitur à diuinis veréque manētibus, & ad mutabilia atque incerta conuertitur. Quæ quanquā in ordine ſuo rectè locata ſint, & ſuam quandam pulchritudinem peragant, peruerſi tamen animi eſt & inordinati, eis ſequendis ſubiici, quibus ad nutum ſuum ducendis potius diuino ordine ac iure prælatus eſt. Et illud ſimul mihi videre iam videor abſolutum atque compertum, quod poſt illam quæſtionem, quid ſit malefacere, deinceps quærere inſtitueramus, vnde male faciamus. Niſi enim fallor, vt ratio tractata monſtrauit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio. *Tom. 1. de lib. arb.lib.1.cap.16.*

*Peccatum eſt ex libero voluntatis arbitrio.*

Non eſt peccatum aliqua ſubſtantia, ſed tantùm hoc nomine perperam facti actus exprimitur. *Tom.7.de nat. & gratia, cap. 19.*

*Non deſunt hoc noſtro tempore, qui antiquum Stoicorum errorem ſecuti, virtutem nihil aliud eſſe ſentiunt, atque*

*impaſsibilitatem, ἀπάθειαν Græci vocant, ac per contrarium peccatum eſſe nihil aliud atque perturbationem ſeu animi motum: cui ſententiæ Auguſt. de ciuit. Dei, lib. 9. cap. 4. & 5. repugnans docet ſecundùm ſcripturam diuinam & Chriſtianam diſciplinam, animi paßiones à Deo regendas, moderandas, iuuãdas atque frænãdas eſſe, vt in vſum iuſtitiæ conuertantur, non vt in hac vita penitus eradicentur, atque tollantur. Non ergò quiuis animi motus inter peccata ita temerè ſunt annumerandi.*

### *II. Peccatum eſſe voluntarium, nec vlla vi aut neceßitate hominem ad illud cogi.*

*Non eſt peccatũ niſi voluntarium.*

VSque adeò peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium: & hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare, aut negandum eſt, peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem rectè negat peccaſſe animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur & veniam pœnitenti dari, & perſeuerantem in peccatis iuſta lege Dei damnari. Poſtremò ſi non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus: quibus ſublatis, Chriſtiana lex & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergò peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent. *Tom. 1. lib. de vera Religione, cap. 14.*

*Quoniam nõ dubium eſt, animas peccare, nec dubitãdum eſt, habere illas liberum arbitrium.*

*Si neceßitate Adam malo angelo cõſenſiſſet, non peccaſſet.*

Quod autem homini à peruerſo angelo perſuaſum dicitur, etiam ad hoc vtique voluntate conſenſit. Nam ſi neceſſitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur. *Ibidem, paulò infrà.*

Vſque adeò, inquam, peccatum volũtarium malũ eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Poteſt videri falſa hæc definitio, ſed ſi diligenter diſcutiatur, inuenietur eſſe veriſſima. Peccatum quippè illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum



eſt, non quod eſt etiam pœna peccati, ſicut ſuperius oſtendi, cum quædam commemorarem ex libro tertio, de Libero arbitrio. Quamuis & illa quæ immeritò nõ voluntaria peccata dicuntur, quia vel à neſcientibus, vel à coactis perpetrantur, non omnino poſſunt ſine voluntate committi, quoniam & ille qui peccat ignorans voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum. Et ille qui concupiſcente aduerſus* ſpiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult. Sed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit, niſi quod vult, liber ſcilicet iuſtitiæ, ſeruúſque peccati. Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtuntur arbitrio voluntatis, non abſurdè etiam vocatur voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractũ, factũ eſt quodãmodo hæreditarium. Non itaque falſum eſt, quod dixi: vſque adeò peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatũ, ſi non ſit voluntariũ. *To. 1. Retract. li. 1. cap. 13.*

*Qui ignorãs peccat, voluntate etiã peccat.*

* *Gal. 5.*

*Peccatũ originale quomodo voluntarium.*

Tria ſunt, quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione. Suggeſtio ſiue per memoriam fit, ſiue per corporis ſenſus, cùm aliquid videmus aut audimus, vel olfacimus, vel guſtamus, vel tangimus. Quo ſi frui delectauerit, delectatio illicita refrænanda eſt. Velut cùm ieiunamus, & viſis cibis palati appetitus aſſurgit, non fit niſi delectatione: ſed huic tamen non conſentimus, ſi eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit: *Et infrà*: Tria hæc ſimilia ſunt illi geſtæ rei, quæ in Geneſi* ſcripta eſt, vt quaſi à ſerpente fiat ſuggeſtio & quædam ſuaſio. In appetitu autem carnali tanquam in Eua, delectatio: in ratione verò tanquam in viro conſenſio: quibus peractis tanquam de paradiſo, hoc eſt, de beatiſſima luce iuſtitiæ in mortem homo expellitur, iuſtiſſimè omnino. Non enim cogit, qui ſuadet. Et omnes naturæ in ordine ſuo gradibus ſuis pulchræ ſunt, ſed de ſuperioribꝰ, in quibus rationalis animus ordinatus eſt, ad inferiora non eſt declinãdum. Nec quiſquam hoc facere cogitur, & ideò ſi fecerit, ſine iuſta defenſione punitur. Non enim hoc cõmittit inuitus.

*Peccatum nõ fit niſi conſenſione.*

* *Geneſ. 3.*

*Nemo peccare cogitur, et ideò ſi peccat, iuſtè punitur.*

*Tom.4.de ſerm. Domini in monte,li.1.*

*Definitio voluntatis.*

Peccatum quo conſentitur peccati concupiſcentiæ, non niſi voluntate committitur. Propter hoc & alio loco dixi: Non igitur niſi volũtate peccatur. Itémque alio loco ipſam voluntatem definiui dicens: Voluntas eſt animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum. Quod propterea dictum eſt, vt hac definitione volens à nolente diſcerneretur, & ſic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiſo fuerant humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc eſt, libera voluntate peccando, quia & ſcientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator ſuaſit vt hoc fieret, non coëgit. Nam & qui neſciens peccauit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt, quanuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum. Quæ voluntas vtique, ſicut definita eſt, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum. Quod enim ſi noluiſſet, non feciſſet, non coactus eſt facere. Quia voluit ergo fecit, etiamſi non quia voluit, peccauit, neſciẽs peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit. Quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum, ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, vtique volens peccat, quoniam qui poteſt reſiſtere non cogitur cedere. Qui verò cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideò facit contra præcepta iuſtitiæ, iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati, *Tom.1. Retract.lib.1.cap.15.*

** Pſalm.91.*
** Pſalm.40.*
*Tit.1.*
** Ioan.5.*
*Qui corpora cæleſtia dicũt cauſam meui tabilem peccatorũ eſſe, culpam ab hominibus in Deũ transferunt.*

Bonum eſt enim* confiteri tibi domine, & dicere: Miſerere *mei, cura animam meam, quoniam peccaui tibi. Neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, ſed meminiſſe Dominicæ vocis:* *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Quam totam illi ſalubritatem interficere conantur, cùm dicunt: De cælo tibi eſt ineuitabilis cauſa peccandi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars: ſcilicet, vt homo ſine culpa ſit, caro & ſanguis, & ſuperba putredo: culpãdus ſit autem cæli ac ſyderum creator & ordinator. Et quis eſt hic, niſi Deus noſter, ſuauitas & origo iuſtitiæ, qui reddis* vnicuique ſecundùm opera eius, & cor* contritum & humiliatum non ſpernis? *Tom.1.lib.4. Confeſſionum, cap.3.*



** Matt. 16.*
*Rom.2.*
** Pſalm. 50.*

*Diabolus neminem cogit peccare.*

Qualeſcunque poteſt Diabolus ad malum inuitare, non poteſt trahere: delectationem infert, non poteſtatẽ, conſilium ingerit, non conſlictum. *Tom.10. de tempore, ſerm.7.*

*Peccatum et rectè factũ in libero volũtatis arbitrio.*

Nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam iuſtè poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate. Eſt igitur & peccatum, & rectè factum, in libero voluntatis arbitrio. *Tom.4.lib.83.quæſtionum, Quæſtione 24.* Idem *docet ex profeſſo, lib.de duabus animabus, Tom.6. cap.10.& 11.Tom.4.ſuper Leuit.quæſt.24.* Tom.3.*de ſpiritu & lit.cap.31.* Tom.*1.de lib.arb.lib.3.cap.18.& ſeq.*

### *III.Peccatorum alia mortalia, alia venialia.*

** 1.Tim.3.*
*Multi fideles ſine crimine: nemo verò ſine peccato.*

NVllus autem in Eccleſia rectè poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus: * Si quis ſine peccato: vbi ait: Si quis ſine crimine eſt. Aut ſi dixiſſet: nullũ peccatum habentes, vbi ait, nullum crimen habentes. Multi quippè baptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, aduerſum nos inflentur, ac dirumpantur inſania. T*om.7.contra duas Epiſtolas Pelag. lib.1.cap.14. Eadem repetit in Euangelium Ioannis,* Tr*act.41.*

*Peccata quædam infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ.*

Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria eſt virtuti, imperitia contraria eſt ſapientiæ, malitia contraria eſt bonitati. Quiſquis igitur nouit, quid ſit virtus & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare, quæ ſint peccata venialia. Et quiſquis nouit, quid ſit bonitas Dei, poteſt exiſtimare, quibus peccatis certa pœna debeatur & hîc, & in futuro ſeculo. Quibus benè tractatis, probabiliter iudicari poteſt, qui non ſint cogendi ad pœnitentiam luctuoſam & lamentabilem, quanuis peccata fateantur, & quibus nulla omnino ſperanda ſit ſalus, niſi ſacrificium obtulerint Deo, ſpiritum contribulatum per pœnitentiam. T*om.4.lib. 83. quæſtionum, quæſt.26.*

*Vide lector, qualem & quantam pœnitentiam Auguſtinus exigat ab iis, qui grauiſſimè peccauerunt, vt ſalutem ſperare poſſint. Expende contrà, quàm præſenti, quàm facili ſuauique remedio recentes hæretici vtantur, quibus fide, quam ſpecialem vocant, illico quotcunque et quantacunque peccata remitti tam certum eſt, vt ea de re nefas ſit dubitare.*

*A flagitiis & facinoribus diſtinguũtur leuiora peccata. Peccatum veniale pluribꝰ modis admittitur.*

His conſtitutis, peccatum erit hominis ex fide viuentis, aliquando alicui delectationi illicitæ conſentire: non tantùm in illis horrendis facinoribus, & flagitiis perpetrandis, verùm etiam in iſtis leuioribus: vt vel aurem alicui voci, quæ audienda non eſſet, vel linguam alicui quæ dicenda non eſſet, accommodet: vel in ipſo corde aliquid ita cogitet, vt mallet licitum, quod malè delectat, & per præceptum ſcitur illicitum: etiam iſta quippe conſenſio eſt ad peccatum, quæ vtique fieret, niſi pœna terreret. *Tom.3. de ſpiritu & litera, cap.36.*

Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro ſalute quorundam mentimur. Peccatum ergo eſt, ſed veniale, quod beneuolentia excuſat, & ideò fallacia damnat. *Tom.3. in Enchirid. cap.22. Lege & cap.64.65.66.67.*

*Mendacium officioſũ peccatũ veniale.*

** 1.Ioan.1.*

** 1.Ioan.3.*

Quanuis enim Diabolus ſit auctor & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciũt quæcunque peccata. Peccant enim & filij Dei, quoniam ſi dixerint, ſe non habere* peccatum, ſeipſos ſeducunt, & veritas in eis non eſt. Sed ea conditione peccant, qua ſunt filij adhuc huius ſeculi. Qua verò gratia ſunt filij Dei, non vtique peccant, quia omnis qui natus * eſt ex Deo, non peccat. *Tom.7. contra duas Epiſtolas Pel. li.3. ca.3.*

Tunc itaque ἀπάθεια iſta erit, quando peccatũ in homine nullum erit. Nunc verò ſatis benè viuitur, ſi ſine crimine. Sine peccato autem qui ſe viuere exiſtimat, nõ id agit, vt peccatum non habeat, ſed vt veniam non accipiat. *Tom.5. de ciuitate Dei, lib.14. cap.9.*

Quæ ſint autem leuia, & quæ grauia peccata, non humano, ſed diuino ſunt penſanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipſis quoque Apoſtolis ignoſcendo fuiſſe conceſſa: quale illud eſt, quod venerabilis Paulus con-



iugibus ait:* *Nolite fraudare inuicem, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum ad ipſum reuertimini, ne vos tentet Sathanas propter incontinentiam veſtram:* quod putari poſſet non eſſe peccatum, miſceri ſcilicet coniugi, non filiorum procreandorum cauſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, vt fornicationis, ſiue adulterij, ſiue cuiuſquam alterius immũditiæ mortiferum malum, quod turpe eſt etiam dicere, quò poteſt tentante Sathana libido pertrahere, incontinentiũ deuitet infirmitas. Poſſet ergo, vt dixi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet:* *Hoc autem dico ſecundùm veniã, non ſecundum imperium.* Quis autem iam eſſe peccatũ neget, cùm dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur? Tale quiddam eſt, vbi dicit:* *Audet quiſquã veſtrum aduerſus alterum negotium habens iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? Et paulò pòſt*: Secularia igitur iudicia ſi habueritis, inquit, eos qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis dico: Sic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem & fratrem iudicare? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Nam & hîc poſſet putari, iudicium habere aduerſus alterum, non eſſe peccatum, ſed tantummodo, id extra Eccleſiam velle iudicari, niſi ſecutus adiungeret: iam quidem omnino delictum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum. Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, vt diceret, iuſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam velit à ſe iudicum ſententia remoueri: continuò talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit, atque ait:* *Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini?* Vt ad illud redeatur, quod Dominꝰ ait:* *Si quis voluerit tunicã tuã tollere, et iudicio tecum cõtẽdere, dimitte illi et palliũ.* Et alio loco:* *Qui abſtulerit,* inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaq; ſuos de ſecularibus rebus cũ aliis hominibus habere iudiciũ. Ex qua doctrina dicit Apoſtolus* eſſe delictũ. Tamẽ cũ ſinit in Eccleſia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicãtibus, extra Eccleſiã verò terribiliter vetat: manifeſtũ eſt etiã hîc, quid ſecundùm veniã concedatur infirmis. Propter

** 1.Cor.7.*

*Actus cõiugalis non prolis procreãdæ ſeu carnalis voluptatis cauſa, peccatum eſt.*

** 1.Cor.7.*

** 1.Cor.6.*

** 1.Cor.6.*

** Matth.5.*

** Luc.6.*

** 1.Cor.6.*

hæc atque huiuſmodi peccata & alia licet iis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offenſionibus, Apoſtolo Iacobo confitente, ac dicente: * *In multis enim offendimus omnes*: oportet vt quotidiè crebróque oremus Dominum atque dicamus, * *Dimitte nobis debita noſtra*: nec in eo quod ſequitur mentiamur, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Tom.3. in Enchiridio, cap.78. Idem docet de correptione & gratia. cap.3.*

* *Iacob.3.*

*Quomodo intelligendũ illud Iacobi: In multis offendimus omnes.*

* *Matt.6.*

* *Matth.5. 26.q.7.cap. Quis exiſtimaret.*

Sunt autem quædam, quæ leuiſſima putarentur, niſi in ſcripturis demõſtrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum gehennæ putaret, niſi veritas* diceret? Cui tamen vulneri ſubiecit continuò medicinam, præceptũ fraternæ reconciliationis adiungens: Mox quippe ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, & cætera. Aut quis æſtimaret, quàm magnum peccatum ſit, dies obſeruare & menſes, & annos, & tempora: ſicut obſeruant, qui certis diebus ſiue menſibus ſiue annis volunt vel nolunt aliquit inchoare, eò quòd ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta vel infauſta exiſtiment tempora: niſi huius mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait: * Timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. *Ibidem, cap.79.*

*Quomodo intelligatur hæc temporum obſeruatio vide in 4.lib.cap.de cærmoniis à tempore.*

* *Gal.4.*

Et quamuis Apoſtolus capitalia plura commemorauerit, nos tamen ne deſperationem facere videamur, breuiter dicimus quæ ſunt illa, Sacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ſuperbia, inuidia, auaritia: &, ſi longo tempore teneatur, iracundia, & ebrietas ſi aſſidua ſit, in eorum numero computatur. Quicunque enim aliqua de iſtis peccatis in ſe dominari cognouerit, niſi dignè ſe emendauerit, &, ſi habuerit ſpacium, longo tempore pœnitentiã egerit, & largas eleemoſynas erogauerit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo ait Apoſtolus,* purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine vllo remedio cruciabit. Quæ autem ſint minuta peccata, licet omnibus nota ſint, tamen quia longũ eſt, vt omnia replicentur, opus eſt, vt ex iis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus ac-

*Non igitur tã facilè cõdonãtur peccata mortalia atque docẽt hæretici.*

* *1.Cor.3.*

*Quæ ſint peccata venialia, enumeratione docetur.*

*Tranſitorio igne non expiãtur culpæ mortales, niſi cõueniẽs earum præceſſerit pœnitentia.*



cipit, quàm neceſſe ſit, ad minuta peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur, quàm oportet, aut plus tacet, quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exaſperat. Quoties cum corpore ſit ſanus, aliis ieiunãtibus prandere voluerit: aut ſomno deditus, tardius ad Eccleſiam ſurgit. Quoties excepto deſiderio filiorũ, vxorẽ ſuam cognouerit. Quoties in carcere clauſos, & in vinculis poſitos, tardius requiſierit. Quoties infirmos tardius viſitauerit. Si diſcordes ad concordiã reuocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut vxorẽ, aut filium, aut ſeruum exaſperauerit, quàm oportet. Si amplius fuerit blanditus quàm expedit. Si cuicunque maiori perſonæ aut ex voluntate, aut ex neceſſitate adulari voluerit. Si pauperibus eſurientibus cibum nõ dederit, aut nimium delitioſa, aut ſumptuoſa ſibi conuiuia præparauerit. *Tom.10. de ſanctis, ſerm.41. Lege & 2.Tom. Epiſt.89. verſus finem. Item Tom.4. de fide & operibus, cap.26. Et Tom.9. in Ioan. Tract.41. & Tom.10. lib. 50. homil. hom.50. per totum. Huc etiam pertinet antiquus Stoicorum error de parilitate peccatorum, contra quem diſputat Auguſtinus, Tom.2. Epiſt.29. ad Hieronymum.*

*Aduerte tamen Lector, hæc quæ hîc cõmemorantur, eſſe peccata venialia, quãdo vicioſus actus voluntatis non eſt admodũ intenſus, nec in re magni momenti: alioqui horũ nonnulla mortalia eſſe poſſunt.*

### *IIII. Non modò infidelitate, ſed quocunque alio mortali peccato, etiamſi fidem quis retineat, ius vitæ æternæ amitti.*

SEd iam reſpondeamus etiam illis, qui nõ ſolũ Diabolo & angelis eius, ſed ne ipſis quidẽ omnibus hominibus liberationem ab æterno igne promittunt: verùm eis tantũ qui Chriſti Baptiſmate abluti, & corporis eius, & ſanguinis participes facti ſunt, quomodolibet vixerint, in quacunq; hæreſi vel impietate fuerint. Sed contradicit eis Apoſtolus dicens: * *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniã qui talia agunt, regnũ Dei non poſſidebunt.* Hæc profectò Apoſtolica falſa eſt ſententia, ſi tales poſt quantalibet tempora liberati regnum

* *Gal.5.*

Dei poſſidebunt. Sed quoniam falſa non eſt, profectò regnum Dei non poſſidebunt. *Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 21. cap. 25.*

* 1. Cor. 3.

*Quomodo intelligendũ illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. Siquis ſuperædificat ſuper fundamentũ &c.*

Quapropter diligenter oportet attendere, quomodo accipienda ſit Apoſtoli Pauli illa ſententia, planè ad intelligendum difficilis, vbi ait, * *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtabitur. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus permanſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: Si cuius autem opus arſerit, damnum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quod quidam ita intelligendum putant, vt illi videantur ædificare ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, qui fidei, quæ in Chriſto eſt, bona opera adiiciunt: illi autem fœnum, ligna, ſtipulam, qui cùm eandem fidem habeant malè operantur. Vnde arbitrãtur per quaſdam pœnas ignis eos poſſe purgari ad ſalutem percipiendam, merito fundamẽti. Hoc ſi ita eſt, fateamur iſtos laudabili charitate conari, vt omnes indiſcretè admittantur ad Baptiſmum, non ſolùm adulteri & adulteræ, contra ſententiam Domini falſas nuptias prætendentes, verùm etiam publicæ meretrices in turpiſſima profeſſione perſeuerantes, quas certè nulla etiam negligentiſſima Eccleſia conſueuit admittere, niſi ab illa primitus proſtitutione liberatas. Sed iſta ratione cur non omnimodo admittantur, omnino non video. Quis enim non malit eas, poſito fundamento, licet lignum, & fœnum, & ſtipulam cõgerant, aliquanto certè diuturniore igne purgari, quam in æternũ perire? Sed falſa erunt illa, quæ obſcuritatem ambiguitatémque non habent. *Si habeam * omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Et quid proderit * fratres mei, ſi fidem dicat ſe quis habere, opera autem nõ habeat, nunquid poterit fides ſaluare eũ? Falſum erit & illud: * Nolite errare: neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adul-

*Error illorũ refellitur, exiſtimabãt omnes retinentes fidẽ, etiã ſceleratos, fore aliquando ſaluos, quanuis nõ ſine igne purgatorio.*

* 1. Cor. 13.

*Huc intendant ſolius fidei prædicatores.*

* Iacob. 2.

* 1. Cor. 6.



teri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Falſum eſt & illud: * Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Falſa erunt hæc: Si enim tantummodo credant, & baptizentur, quanuis in malis talibus perſeuerent, ſalui erunt per ignem: atque ideò in Chriſto baptizati, etiam qui talia agunt, regnum Dei poſſidebunt. Fruſtrà autem dicitur: * *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis*, quando & abluti hæc ſunt. Inaniter etiam illud à Petro dictum videbitur, * Sic & vos ſimili forma Baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. Siquidem & habentes peſſimas conſcientias omnium flagitiorum & ſcelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen Baptiſma ſaluos facit: propter fundamentum enim, quod in eo Baptiſmate ponitur, licet per ignem, ſalui erunt. Illud quoque non video, cur Dominus dixerit, * Si vis venire ad vitam, ſerua mandata: & commemorauit ea, quæ ad bonos mores pertinent: ſi etiam his non ſeruatis, ad vitam veniri poteſt per ſolam * fidem, quæ ſine operibus mortua eſt. Illud deinde quomodo verũ erit, quod eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicet: * *Ite in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius:* nec increpat, quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt. Nam profectò ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, promittat æternam vitam: propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permixtæ eiſdem paſcuis vtebãtur, vt appareat eos illi dicturos: * Domine quando te vidimus illa & illa patientem, & non miniſtrauimus tibi? qui in eum crediderãt, ſed bona operari non curauerãt, tanq̃ de ipſa fide mortua ad vitam perueniretur æternam. An fortè ibunt in ignem æternũ, qui opera

* *Gal. 5.*

* *1. Cor. 6.*

* *1. Pet. 3.*

*Si fundamẽtũ fidei ſufficit ad ſalutẽ, fruſtra dixit Chriſtus: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata.*

* *Matt. 19.*

* *Iacob. 2.*

* *Matt. 25.*

*Ad ſiniſtrã exiſtentes in die iudicij, nõ quia non crediderunt, ſed quia bona opera nõ fecerunt, increpãdi ſũt.*

* *Ibidem.*

miſericordiæ non fecerunt: & non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in ſe templum * Dei, in ſeipſos immiſericordes fuerunt: quaſi opera miſericordiæ proſint aliquid ſine dilectione, dicente Apoſtolo: * *Si diſtribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt?* Aut diligat quiſquam proximum ſicut ſeipſum, qui non diligit ſeipſum? Qui enim diligit * iniquitatem, odit animam ſuam. Neque illud dici hîc poterit, in quo ſeipſos nonnulli ſeducūt, ignem æternum dictum non ipſam combuſtionē æternam. Per ignem quippè qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignē promittunt ſalutem: vt videlicet ipſe ignis æternus ſit, combuſtio verò eorum, hoc eſt, operatio ignis non ſit in eos æterna: cùm & hoc præuidens Dominus, ſententiam concluſit, ita dicens: * *Sic ibunt illi in combuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam.* Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis, & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe declarauit. Si ergo hæc omnia, & cætera, quæ innumerabilia, per omnes ſcripturas, ſine ambiguitate dicta reperiri poſſunt, falſa erunt: poterit verus eſſe ille intellectus de lignis, * & fœno, & ſtipula, quòd hi ſalui erūt per ignem, qui ſolam in Chriſtum fidem tenentes, bona opera neglexerūt. Si autem iſta & vera & clara ſunt, proculdubio in illa Apoſtoli ſententia alius requirendus eſt intellectus: atque in his deputanda eſt, quæ Petrus * dicit eſſe in ſcriptis eius, quædam difficilia intellectu: quæ non debent homines peruertere ad propriū ſuum interitum, vt contra euidentiſſima teſtimonia ſcripturarum ſecuros faciant de percipienda ſalute nequiſſimos, nequitiæ ſuæ pertinaciſſimè cohærentes, nec emendando aut pœnitendo mutatos. *Tom. 4. de fide & operibus, cap. 15. Idem docet & cap. ſequenti: & lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 26. In Enchirid. cap. 68. & de octo Dulcitij quæſtionibus, q. 1.*

* 1. Cor. 3. 6. 2. Cor. 6.
* 1. Cor. 13.
* Pſalm. 10
* Matt. 25.
* 1. Cor. 3. *Si ſolā fidē tenentes & opera negligentes ſalui fierēt, multa in Scripturis ſacris falſa eſſent.*
* 2. Pet. 3. *Dicta Pauli peruertūt, ad ſuum ipſorum interitū, qui ex eius verbis colligunt: fidē ſine operibus ad ſalutē ſufficere.*

Creduntur autem à quibuſdam, etiam ij, qui nomen Chriſti non relinquunt, & eius lauacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea vllo ſchiſmate vel hæreſi præcidūtur, in quantiſlibet ſceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo,



pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in eis vſque ad huius vitæ vltimum diem pertinaciſſimè perſeuerent, ſalui futuri * per ignem: licet pro magnitudine facinorum flagitiorúmque diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici ſunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur. Nam ſcriptura diuina aliud conſulta reſpondet. *Tom. 3. Enchirid. cap. 67. Idem habes lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 21.*

* 1. Cor. 3. *Ergo fidē habentes, ſi in peccato mortali deceſſerint, æterno igne cruciabuntur.*

Librum autem de hac quæſtione ſcripſi, cuius titulus eſt, De Fide & operibus. Vbi ſecundùm ſcripturas ſanctas, quantum Deo adiuuante potui, demonſtraui eam fidem ſaluos facere, quam ſatis euidenter expreſſit Paulus Apoſtolus dicens: * In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides quæ benè per dilectionem operatur. Si autē malè & non benè operatur, proculdubio ſecundùm Apoſtolum Iacobum, mortua eſt in ſemetipſa. Qui rurſus ait: * Si fidem dicat ſe quiſquam habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſaluare eum? Porrò autem ſi homo ſceleratus propter fidem ſolam per ignē ſaluabitur, & ſic eſt accipiendum, quod ait beatus Paulus Apoſtolus: * Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamē quaſi per ignem: poterit ergo ſaluare ſine operibus fides, & falſum erit, quod dixit eius * coapoſtolus Iacobus. Falſum erit & illud, quod idem ipſe Paulus dixit: Nolite (inquit) errare: neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebrioſi, neque rapaces regnū Dei poſſidebunt. Si enim etiam in iſtis perſeuerantes criminibus, tamen propter fidem Chriſti ſalui erunt, quomodo in regno Dei non erunt? *Ibidem.*

* Gal. 5. *Fides ſaluās eſt fides per dilectionem operās*
* Iac. 2. *Fides ſine operibus mortua.*
* 1. Cor. 3. *Si fidem ſine operibus ſaluare poſſe dixiſſet Paulus, cōtradiceret Apoſtolo Iacobo, & ſibi ipſi.*
* Iacob. 2.
* 1. Cor. 6.

Videmus Apoſtolos eis qui ex gentibus crediderūt, nulla voluiſſe onera veteris legis imponere, quantum attinet ad corporalis abſtinentiam voluptatis, niſi vt obſeruarēt ab his tribus, id eſt, ab eis, quæ idolis * immolarentur, & à ſanguine, & à fornicatione. Vnde nonnulli putant tria tantùm crimina eſſe mortifera, idololatriam, & homicidiū, & fornicationem: vbi vtique &

* Act. 15. 21.

adulteriũ & oĩs præter vxorem cõcubitus intelligitur. Quaſi nõ ſint mortifera crimina, quæcunque alia ſunt, præter hæc tria, quæ à regno Dei ſeparant: aut inaniter

** 1.Cor.6.* & fallaciter dictum ſit.* Neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque malefici, neque rapaces regnũ Dei poſſidebunt. *Tom.3. in Speculo, titulo, ex actis Apoſtolorũ.*

### *V. Varia peccatorum eſſe genera, & multiplex inter eadem ipſa diſcrimen.*

ALia ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 22. cap.* 47.

Tria genera vitiorum, id eſt, voluptas carnis, & ſuperbia, & curioſitas, omnia peccata concludunt, quæ mihi videntur à Ioanne Apoſtolo enumerata, cùm di-

**1.Ioan. 2.* cit: * *Nolite diligere mundũ, quoniã omnia quæ in mundo ſunt, cõcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ambitio ſeculi.* Per oculos enim maximè curioſitas præualet. Reliqua verò quò pertineant, manifeſtum eſt. Et illa Dominici hominis tentatio tripartita eſt: Per

** Matth.4 Luc.4.* cibũ, id eſt, per concupiſcentiã carnis: vbi ſuggeritur: * Dic lapidibus iſtis, vt panes fiant. Per inanem iactantiam, vbi ei in monte conſtituto oſtẽduntur omnia regna huius terræ, & promittuntur, ſi adorauerit. Per curioſitatem, vbi de pinna templi admonetur, vt ſe deorſum mittat, tentandi gratia, vtrũ ab angelis ſuſcipiatur. *Tom.8. in Pſal.8. ſub finem.*

Sunt intus qui peccatum in corde habent, in facto nondũ habent. Neſcio qui commotus eſt aliqua con-

** Matth.5. Peccatũ cordis.* cupiſcentia: Dicit enim ipſe Dominus: * *Qui viderit mulierem, ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo:* nondum acceſſit corpore, conſenſit in corde, mortuũ intus habet, nondũ extulit. Et fit, vt nouimus, vt quotidiè homines in ſe experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tanq̃ Domino dicente: Surge, condemnatur conſenſus ad iniquitatem, reſpiratur in ſalutem & iuſtitiã. Surgit mortuus in domo, reuiuiſcit cor in cogitationis ſecreto. Facta eſt iſta reſurrectio animæ

*Peccatum operis.* mortuæ intus intra latebras cõſcientiæ, tanq̃ intra domeſticos parietes. Alij poſt conſenſum eunt in factum,



tanq̃ efferentes mortuũ, vt quod latebat in ſecreto, appareat in publico. Nunquid iam iſti, quia in factũ proceſſerant, deſperati ſunt? Nónne & illi iuueni dictũ eſt, ** Luc.7.*

* Tibi dico ſurge? Nónne & ille redditus eſt matri ſuæ? Sic ergo & qui iam fecerit, ſi fortè commonitus, & cõmotus verbo veritatis ad Chriſti vocem reſurgit, viuus redditur. Potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum eſt, etiã mala conſuetudine ſe implicant, vt ipſa conſuetudo mali nõ eos ſinat videre quia malum eſt, fiunt defenſores malorum factorum ſuorum. Iraſcuntur cùm reprehenduntur, in tantũ, vt Sodomitæ quondã dicerent viro iuſto reprehendenti nequiſſimam voluntatem, * Habitare veniſti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, vt iam nequitia eſſet iuſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quàm factor. Tales conſuetudine maligna preſsi tanq̃ ſepulti ſunt. *Tom.10. de verbis Domini, ſermone.* 44. *Conſuetudo mali non ſinit hominẽ videre, quod malum eſt.* ** Geneſ.19.*

*Progreſſus peccati.*

Prima eſt quaſi titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertia factum, quarta cõſuetudo. Sunt enim qui res illicitas obuias cogitationibus ſuis prorſus ita abiiciunt, vt nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non conſentiunt: nondũ perfecta mors eſt, ſed quodammodo inchoata. Delectationi accedit conſenſio: iam eſt illa damnatio. Poſt conſenſionem in factum proceditur: factum in conſuetudinem vertitur, & fit quædam deſperatio. *Et paulo poſt.* Hæc ergo chariſsimi ſic audiamus, vt qui viuunt, viuant, qui mortui ſunt, reuiuiſcant. Siue ſit adhuc peccatum corde conceptum, *In delectatione peccati ante conſenſum, nõdum perfecta mors eſt.* & non proceſsit in factum, pœniteat, corrigatur cogitatio, ſurgat mortuus intra domum conſcientiæ: ſiue iam quod cogitauit admiſit, nec ſic deſperet. Non ſurrexit mortuus intus, ſurgat elatus. Pœniteat facti, de proximo reuiuiſcat, nõ eat in profundum ſepulturæ, nõ accipiat deſuper conſuetudinis molẽ. Sed fortè iam illi loquor, qui iam duro ſui moris lapide premitur, qui vrgetur cõſuetudinis põdere, qui iã* quatriduanꝰ putet. ** Ioan.11.* Nec ipſe deſperet, profundus mortuus eſt, ſed altus eſt Chriſtus. Nouit clamando terrena onera rumpere, nouit intrinſecus per ipſum viuificare, ſoluendum diſci-

pulis tradere. Agant etiam tales pœnitentiam. Neque enim Lazaro reſuſcitato poſt quatriduum, vllus putor in viuente remãſerat. Ergo qui viuunt, viuant. Quicunque autem mortui ſunt, in quacũque harum triũ morte ſe inuenerint, agant, vt celeriter iam reſurgant. *Ibidem. Eadem habes lib.1. de ſerm. Domini in monte.*

* Deut.5. Matth.22. Marc.12. Luc.10.

*Peccat in Deũ qui in ſeipſum peccat.*

*.1. Cor.3. 2. Cor.6.

Duo ſunt genera peccatorum, vnum quo in Deum, alterum quo in hominem peccatur. Vnde etiam duo ſunt præcepta illa,* in quibus tota lex pendet & Prophetæ. Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tanq̃ teipſum. Et in his cõtinetur etiam decalogus præceptorũ legis, vbi * tria præcepta pertinent ad dilectionem Dei, ſeptem ad proximi. Quomodo ergo duo ſunt præcepta: ſic & duo genera peccatorum. Aut enim homo in Deum peccat, aut in hominẽ. Peccatur autem in Deum etiam corrumpendo templum * eius in te: etenim Deus redemit te ſanguine filij ſui &c. *In additione Louanienſi, ſer.105. Citatur idem locus* & *à venerabili Beda in 1. Cor.6. circa finem.*

* *Tria prima Decalogi præcepta ad dilectionem Dei, ſeptem reliqua ad dilectionem proximi pertinere, dogma eſt, quemadmodum antiquitati omni, ita & Auguſtino perquam vſitatum ac familiare, vt id quod quidam quaſi ſecundum locum inter decalogi mandata tenere volunt: Non facies tibi ſculptile vt adores illud &c. ex Auguſtini ſententia, primi præcepti interpretatio ſit, ſoli Deo latriam deberi contra idololatras gentiles declarans. Lege Tom.4. ſuper Exodum, quæſt.71. Tom.6. contra Fauſtum Manichæum, lib.15. cap.4. & 7. Tom.2. Epiſt.119. ad Ianuarium, cap.11. &c.*

## VI. Lapſos poſt Baptiſmũ, poſſe per Dei gratiam reſurgere, & amiſſam iuſtitiam per ſacramentum Pœnitentiæ recuperare.

*Faciũt hæc cõtra Nouatianos.*

SEd neque de ipſis criminibus quamlibet magnis, remittendis in ſancta Eccleſia, Dei deſperãda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam ſecundum modum



ſui cuiuſque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commiſſum eſt, vt is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris: Cor enim * contritum & humiliatum Deus non ſpernit. *Tom.3. Enchirid.cap. 65.*

*De Pœn. Diſt.1.cap. In actione.* * *Pſal.50.*

*Ad remiſsionem criminum obtinendam, non exigit Auguſtinus fidem ſpecialem hæreticorum, ſed pœnitentiæ modum pro modo peccati, & doloris menſuram, potius quàm temporis.*

* Prouer.18.

* Pſal.129.

Si iam de ſanitate deſperans addis peccata peccatis, ſicut ſcriptum eſt: * Peccator cùm venerit in profundũ malorum contemnet, noli contemnere, noli deſperare, clama etiam de profundo ad Dominum, & dic ei, * *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem obſecrationis meæ. Si iniquitates obſeruaueris* Domine, *Domine quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt.* De tali profundo Niniuitæ * clamauerunt, & hanc propitiationem inuenerunt, faciliúſque eſt euacuata comminatio Prophetæ, quàm humiliatio pœnitẽtiæ. Hîc fortaſſe dicis, Sed ego iam Baptizatus ſum in Chriſto, à quo omnia mihi peccata præterita dimiſſa ſunt, vilis factus * ſum nimis, iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei, conuerſus * ad vomitum ſuum. Quò abibo * à ſpiritu eius, & à facie eius quò fugiam? Quò frater, niſi ad miſericordiam pœnitendo, cuius poteſtatem peccando contempſeras? Nemo enim rectè fugit ab illo, niſi ad illum, ab eius ſeueritate, ad eius bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem? Vbi eius præſentia te non inueniat? Si aſcenderis * in cœlum, ibi eſt: ſi deſcenderis ad infernum, adeſt. Recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in ſpe in extremo huius ſeculi: etenim illuc manus ſua deducet te, & perducet te dextera ſua. Quicquid enim feceris, quæcunque peccaueris, adhuc in hac vita es, vnde te Deus, ſi ſanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, * quia patiẽtia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando tibi perſuaſit, vt non recederes, parcendo clamat, vt redeas. *Tom. 10. lib.50. homiliarum, homilia 50. cap.14.*

* Ionæ 3.

*Pœnitẽtiæ quanta ſit vis, in Niniuitis oſtẽditur.*

* Ierem.2.

* Prou.26. 2. Pet.2.

* Pſal.138.

*Fugiendũ à Deo ad Deũ hoc eſt, ab eius ſeueritate, ad eius bonitatem.*

* Pſal.138. *Amos.9.*

* Rom.2.

Quid faciunt carnales, quid faciunt? Peribunt? Deū non rogabunt? Abſit. Da mihi illum publicanum. Veni publicane, ſta in medio, oſtende tuam ſpem, ne infirmi perdant ſpem. Ecce enim aſcendit publicanus cū Phariſæo orare, & deiecta facie in terra dicebat, longè ſtās, tundēs pectus,* Domine propitius eſto mihi peccatori. Verum dixit, & deſcēdit iuſtificatus magis, quàm ille Phariſæus, quia dixit, propitius eſto mihi peccatori. Verum dixit, an falſum? Si verū dixit, peccator erat, & exauditus eſt, & iuſtificatus eſt. Quid eſt ergo, quod dixiſti tu, cui Dominus oculos aperuit, ſcimus, quia Deus * peccatores non exaudit? Ecce Deus peccatores exaudit. Sed laua interiorē faciem tuam, fiat in corde, quod factū eſt in facie tua, & videbis, quia peccatores Deus exaudit. Fefellit imaginatio cordis tui. Adhuc eſt, quod tibi faciat. Certè proiectus eſt iſte de Synagoga, adiit ad eum, & dixit ei *, *Tu credis in filium Dei?* Et ille, *Quis eſt Domine, vt credam in eum?* Videbat & non videbat. Videbat oculis, ſed adhuc corde non videbat. Ait illi Dominus. Et vides eum, hoc eſt, oculis: & qui loquitur tecum, ipſe eſt. Tunc proſtratus adorauit eum. Tunc lauit faciem cordis. Incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata veſtra, orate vt depellantur, orate vt minuantur, orate vt vobis proficientibus ipſa deficiant. Tamen nolite deſperare, & peccatores orate. Quis enim non peccauit? à ſacerdotibus incipe. Sacerdotibus dixit,* Prius offerte ſacrificia pro peccatis veſtris, & ſic pro populo. *Ibid. in Homilia 43.*

* *Luc. 18.*

*Publicani exemplo conſtat, orationem peccatoris exaudiri, & iuſtificationem impetrare poſſe.*

* *Ioan. 9.*

* *Ibidem.*

*Valet igitur ad iuſtificationem aliquid peccatoris oratio & confeſſio delictorum.*

De nullo deſperandum eſt, quandiu patientia Dei * ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult * impij, quantum vt reuertatur, & viuat. Paganus eſt hodiè, vnde ſcis, vtrum ſit futurus craſtino Chriſtianus? Iudæus, infidelis eſt hodiè, quid ſi cras credit in Chriſto? Hæreticus eſt hodiè, quid ſi cras ſequatur Catholicam veritatem? Schiſmaticus eſt hodiè, quid ſi cras amplectatur Catholicam pacem? Quid ſi iſti, quos in quocunque genere erroris notas, & tanquàm deſperatiſsimos damnas, antequam finiant iſtam vitā, agant pœnitentiā, & inueniant veram vitam in futuro? Proinde fratres, etiam



ad hoc vos admoneat, quod ait Apoſtolus:* Nolite ante tempus quicquam iudicare *Tom. 10. de ver. Dom. ſer. 11.*

* *1. Cor. 4.*

Promitto vobis filioli, & certus ſum, quia in hac die, ſiquis ex corde pœnituerit, & ad vomitū peccati reuerſus non fuerit, quodcunque petierit dabitur ei, tātùm in fide * non dubitet, delectationem non repetat. Hodie totius mundi peccatum tollitur, & peccator deſperat? *Tom. 10. de temp. ſerm. 7. Item ſer. 181. cap. 14. & 16.*

* *Iac. 1.*

## VII. *Iuſtificatum abſque ſpeciali priuilegio Dei, peccata omnia, præſertim venialia, in tota vita vitare non poſſe.*

Contendunt eſſe in hac vita, vel fuiſſe iuſtos, nullum habentes omnino peccatum. Qua præſumptione apertiſſimæ orationi Dominicæ contradicunt, in qua omnia membra Chriſti: *Dimitte* nobis debita noſtra*, veraci corde & quotidianis vocibus clamant. Videamus ergo, quid etiam in hoc Cyprianus in Dominoglorioſiſſimus ſenſerit, quid ad inſtruendas Eccleſias, non vtique Manichæorum ſed Catholicorum, non ſolùm dixerit, verùm etiam literis memoriæque mandauerit, in epiſtola de opere & eleemoſynis agnoſcimus. Itaque fratres, inquit, dilectiſsimi diuinæ indulgentiæ ſalubre munus, vt emundandis purgandiſque peccatis noſtris, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus, medelis ſpiritualibus vulnera noſtra curemus. Neque quiſquam ſic ſibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocentia ſua fretus, medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus, cùm ſcriptum ſit: * Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccatis? Et iterum in epiſtola Ioannes ponat, & dicat: * *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt.* Si autem nemo ſine peccato eſſe poteſt, & quiſquis ſe inculpatum dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt, cùm ſciat non deeſſe ſanatis quædam poſtmodum vulnera, dedit curandis denuò ſaluandiſque vulneribus remedia ſalutaria. *Et paulò poſt.* Cum auaritia, inquit, no-

* *Math. 6.*

*Cyprianus de opere & eleemoſynis.*

* *Prou. 20.*

* *1. Ioan. 1.*

*Quiſquis ſe inculpatum dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt.*

bis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt, cum carnalibus vitiis, cũ illecebris ſecularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt: obſeſſa mens hominis, & vndique Diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido: Si libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contẽpta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiã rumpit, amicitiam ſcelus abſcindit: cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet: compelleris iurare, quod non licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hîc inter Diaboli laqueos diu ſtare, cũ magis concupiſcendum & optandum ad Chriſtum ſubueniente velocius morte properare. *Tom. 7. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 4. cap. 10.*

* *Pſal. 28.*
* *Philip. 3.*

Quid ipſi arietes, quid ipſi Apoſtoli, de quorum prole dicitur,* *Afferte Domino filios arietum*? Ex his Paulus eſt, qui dicit* non ſe eſſe perfectum. Non quia iam acceperim, inquit, aut iam perfectus ſim. Denique fratres, vt citò agnoſcatis, ipſi didicerunt orare quod oramus, ipſis data eſt regula poſtulandi à iuriſperito cœleſti. Sic orate, inquit: Et cùm quædam præmiſiſſet, poſuit & hoc, vt dicerent arietes noſtri, duces ouium, & præcipua membra paſtoris & congregatoris vnius gregis: ipſi didicerunt dicere: * *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: non dixerunt, Gratias tibi qui dimiſiſti nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſed dimitte, ſicut & nos dimittimus. Orabant autem vtique iam fideles, iam Apoſtoli: nam iſta oratio Dominica magis fidelibus datur. Si debita illa tantummodo dicerentur, quæ per Baptiſmum dimittuntur, Catechumenis congrueret magis orare: Dimitte nobis debita noſtra. Dicant ergò Apoſtoli, dicant: * *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Et cùm eis dictum fuerit, quare hoc dicitis? quæ debita veſtra? Reſpondeat, * Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. *Tom. 8. Pſal. 142.*

*Matt. 6.* — *Apoſtoli orare iubẽtur: Dimitte nobis debita noſtra, ergo neque illi ſine peccato.* — * *Ibidem.* — * *Pſal. 142.*

Et erit quiſquam noſtrûm, qui audeat dicere, iuſtus ſum? Puto enim hoc eſſe, iuſtus ſum, quod eſt, peccator



non ſum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Ioannes. * *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm. 16.* *1. Ioan. 1.*

CIRCA *illud:* Et non intres in iudicium cũ ſeruo tuo.*

Quid vultis mecum in iudicio contendere? Omnes dereliquiſtis* me, dicit Dominus: Quid vultis mecum in iudicium intrare, & veſtras iuſtitias commemorare? Commemorate iuſtitias veſtras, ego noui facinora veſtra. Quomodo approbabo iuſtitiam, vbi damnabo ſuperbiam? Meritò iſte humilis in corpore Chriſti diſcẽs à capite, quoniam mitis* eſt, & humilis corde: ***Ne intres***, inquit,* *in iudicium cum ſeruo tuo.* Non litigemus, nolo tecum habere cauſam, vt ego proponam iuſtitiam meam, tu conuincas iniquitatem meam. Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo. Quare hoc? Quare timet? Quoniam non iuſtificabitur coram te omnis viuens. *Tom. 8. in Pſalm. 142.*

*Pſal. 142. — *Hiere. 2. — *Matt. 11. — *Pſal. 142.

*Non ait Auguſtinus vel Dauid: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omne opus viuentis, ſed omnis viuens: eſt enim aliquod opus viuẽtis bonum, quod diuinum iudicium ferre valeat, iuxta illud Pauli 1. Cor. 3. Si cuius opus mãſerit, mercedem accipiet.*

Nemo hîc viuit ſine peccato, & hoc alius magis, alius minus: Optimus autem eſt, qui minimum. *Tom. 2. epiſt. 29. ad Hieronymum.*

*Optimus in hac vita eſt, qui minimũ peccat.*

Excepta itaque ſancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergò virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos *(qui in Scripturis iuſtè vixiſſe referuntur)* & ſanctas cùm hîc viuerent, congregare poſſemus, & interrogare, vtrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? vtrum hoc quod (*Pelagianus*) dicit, an quod Ioannes Apoſtolus? Rogo vos: quantalibet fuerint in hoc corpore excellẽtia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, vna voce

*B. Virgini propter filiũ plus gratiæ, quàm cæteris ſanctis collatum fuit, ad vincendum omni ex parte peccatum.*

* Ioan.1.

clamaſſent: *Si dixerimus,* quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. To.7 de nat. & gr. cap.36. Huc pertinent & pleraque teſtimonia ſequentis art.*

## *VIII. Oratione, ieiunio & eleemoſyna, quæ à fidelibus fiunt, expiari quotidiana delicta.*

EXercete vos in eleemoſynis, in ieiuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non poſſunt niſi ſurrepere in animam, propter fragilitatē humanam. Noli illa contēnere, quia minora ſunt, ſed time, quia plura ſunt. *Et paulò poſt* Sed dicturi eſtis, & quis poteſt ſine iſtis? Ne hoc diceres, quę habere nemo non poteſt Deus miſericors videns noſtram fragilitatem, poſuit contra remedia. Quæ remedia? Eleemoſynarum, ieiuniorum, orationum: ipſa ſunt tria. *Tom.9 de decem chordis, cap 11.*

*Tria remedia contra quotidiana peccata, eleemoſyna, ieiunium & oratio.*

Quicquid parit nunc iſta concupiſcentia, ſi non ſint illi partus, qui non ſolùm peccata, verùm etiam crimina nuncupantur, pacto illo quotidianæ orationis, vbi dicimus:* *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*: & eleemoſynarum ſynceritate mundantur. *Et paulò poſt*: Multi quippè baptizati fideles ſunt ſine crimine: ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus aduerſum nos inflentur & dirumpantur inſania: non quia peccati aliquid remaneat, quod in baptiſmate non remittatur, ſed quia in nobis, in huius vitæ infirmitate manentibus quotidiè fieri non quieſcunt, quæ fideliter orantibus & miſericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc eſt fidei Catholicæ ſanitas. *Tom 7. contra duas epiſt. Pelag. lib 1. cap.14. Ser. eſt inſignis de eleemoſynis ad hunc locum penè totus pertinens in addit. Louanienſi, numero 3.*

* Matth.6.

*Quotidiana peccata orationibus & operibus miſericordiæ tolluntur.*

Tales itaque nos (*peccatores ſcilicet*) Dominus futuros prẹuidens, quædam ſalubria remedia contra reatum & vincula peccatorum, etiam poſt baptiſmū dare ac valere dignatus eſt, opera ſcilicet miſericordiæ, cùm ait: * *Dimittite, & dimittetur vobis date, & dabitur vobis*. Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita migraret, manente illa ſententia, quòd qui-

*Opera miſericordiæ ſalubria remedia cōtra reatum & vincula peccatorum à Domino ordinata.*

* Luc. 6.



cunque totam * legem ſeruauerit, offendat autē in vno, factus eſt omnium reus, niſi poſt paululum ſequeretur: Sic loquimini, & ſic facite, tanquam per legem libertatis incipientes iudicari? Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia iudicio. *Tom.7. de peccatorum meritis & remiſſ. lib. 2. cap.3.*

* Iac. 2.

Ad omnia quæ vtili miſericordia fiūt, valet quod Dominus ait: * *Date eleemoſynam, et ecce omnia munda ſunt vobis*. Non ſolùm autem qui dat eſuriēti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuectionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliberanti cōſilium, & quod cuique neceſſarium eſt indigenti: verùm etiam & qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat: & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coërcet aliqua diſciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læſus eſt aut offenſus, dimittit ex corde vel orat vt ei dimittatur, nō ſolùm in eo quod dimittit, atque orat, verùm etiam in eo quod corrigit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, qui miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati, non voluntati: quia ipſi ſibi inueniuntur eſſe inimici, amici verò eorum potius illi, quos inimicos putant & reddūt errādo mala pro bonis, cùm reddere mala Chriſtianus non debeat pro malis. Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus adiuuamur, vt dimittātur nobis noſtra peccata. *Tom.3. Enchir. cap.72.*

* Luc. 11.

*Multa eleemoſynarū genera, quæ cū facimus, adiuuamur, vt dimittātur nobis noſtra peccata.*

Mundātur (*impij*) & eleemoſynis ab illo, qui ait: * *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Mundātur ipſa, quæ ſupereminet omnibus, caritate, ab illo qui per Apoſtolū Petrum dixit: * *Caritas cooperit multitudinem peccatorum*: quæ vna ſi adſit, omnia illa recta fiūt: ſi autem deſit illa, omnia fruſtra fiūt. Hæc verò vnde ſit, audi docentē Apoſtolū * Caritas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritū ſanctū, qui datus eſt nobis. *To.7. cont. Creſconium Gram. lib.2. cap.12. Simile quid habes de perfectione iuſtitiæ, vltra medium.*

* Luc. 11.

*Mundantur impij eleemoſynis, mundātur ipſa, quæ ſupereminet omnibus, caritate.*

* 1. Pet. 4.

* Rom. 5.

* Tob.4.

Eleemoſynæ non ſinũt ire in tenebras.

Præcipiebat (*Tobias filio*) vt eleemoſynas faceret indigentibus,& docebat dicẽs: **Fili eleemoſynæ non ſinunt ire in tenebras.* Conſilium percipiendæ atque obtinendæ lucis cæcus dabat. Eleemoſynæ, inquit, non ſinunt ire in tenebras. Si ei filius reſponderet, miratus: Quid ergo pater tu eleemoſynas non feciſti, vt modò cæcus loquaris? tu nunc nónne in tenebris es, qui mihi dicis, eleemoſynæ non ſinunt ire in tenebras? nouerat ille, de qua luce doceret filium, nouerat in interiore homine, quod videbat. Filius patri porrigebat manum, vt ambularet per terram,& pater filio, vt habitaret in cælo. *Tom. 10. de verbis Domini, ſerm.18. circa medium.*

Peccata leuiora miſericordiæ ſacrificus expiantur.

Quicquid poſt eam, quæ fit in baptiſmo, ablutionem peccatorum, in hac vita manendo peccamus, etiamſi nõ tale ſit, quod à diuinis remouere compellat altaribus, non dolore ſterili, ſed miſericordiæ ſacrificiis expiatur. *Tom.2. epiſt.54. ad Macedonium.*

* Eccli.3.
* Eccli.29.
* Dan.4.
* Matt.25.

Scriptum eſt: * Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Item ſcriptum eſt: * Include eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa pro te deprecabitur Dominum. Item ſcriptum eſt: * Conſilium meum audi rex,& peccata tua eleemoſynis redime. Et alia multa ſunt diuini eloquij documenta, quibus oſtenditur multum valere eleemoſynam ad extinguenda & delenda peccata. Proinde illis quos damnaturus eſt, imò plus illis quos coronaturus, ſolas eleemoſynas imputabit, tanquam dicens: Difficile eſt, vt ſi examinem vos, & appendam vos & ſcruter diligentiſſimè facta veſtra, non inueniam vnde vos damnem: ſed ite in regnum. Eſuriui enim* & dediſtis mihi manducare,&c. Non ergo itis in regnum, quia non peccaſtis, ſed quia veſtra peccata eleemoſynis redemiſtis. *In additione Louanienſi, ſerm.33.*

* Matt.25.

Eleemoſynæ valent ad priora delenda peccata.

Ideo Dominus & dextris * eleemoſynas ab eis factas, & ſiniſtris non factas ſe imputaturum eſſe prædixit, vt hinc oſtenderet, quantum valeant eleemoſynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata. *Tom.5. de Ciuit. Dei, lib.21. cap.27. Vide & tom.3. in Enchirid. cap.69.*



* Matth.6. Luc.11.

Oratione dominica delentur quotidiana peccata.

Oratio verò quotidiana, quam docuit ipſe Dominus, * vnde & dominica nuncupatur, delet quidem quotidiana peccata, cùm quotidie dicitur: Dimitte nobis debita noſtra, quando id quod ſequitur non ſolùm dicitur, ſed etiam fit, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Sed quia fiunt peccata, ideo dicitur, non vt ideò fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit Saluator oſtendere quantumlibet iuſtè in huius vitæ caligine atque infirmitate viuamus, non nobis deeſſe peccata, pro quibus dimittendis debemus orare,& iis qui in nos peccant, vt & nobis ignoſcatur, ignoſcere. *Ibidem.*

Sunt peccata venialia, ſine quibus vita iſta non eſt.

* Matth.6.

Semel abluimur baptiſmate, quotidie abluimur oratione.

Cum baptizati fueritis, tenete viam bonã in præceptis Dei: vt baptiſmum cuſtodiatis vſque in finem. Non vobis dico, quia ſine peccato hîc viuetis: Sed ſunt venialia, ſine quibus vita iſta non eſt. Propter omnia peccata baptiſmus inuentus eſt: propter leuia, ſine quibus eſſe non poſſumus, oratio inuenta. Quid habet oratio? Dimitte* nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Semel abluimur baptiſmate, quotidiè abluimur oratione, ſed nolite illa committere, pro quibus neceſſe eſt, vt à Chriſti corpore ſeparemur, quod abſit à nobis. Illi enim, quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pœnitentiam. Nam ſi leuia ipſorum peccata eſſent, hæc quotidiana oratio delendo ſufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia, in baptiſmate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ: tamen Deus non dimittit peccata niſi baptizatis. *Tom.9. de ſymbolo ad Catechum. lib.1. cap.6.*

* Matth.6.

Peccata mortalia non ſola oratione, ſed per fructus pœnitentiæ ſoluũtur.

Sunt quædam peccata venialia, quæ oratione Dominica quotidiè ſoluuntur, cùm dicitur: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et hæc vt idem ait, non ſunt ad mortem. Alia verò quæ ſunt ad mortem, non ſic, ſed per fructus pœnitentiæ ſoluuntur. *Tom.4. de vera & falſa pœnitentia, cap.4.*

* Matth.6.

Parum attendit (*Pelagius*) cùm ſit acutiſſimus, non fruſtra etiam iuſtos in oratione dicere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: Dominúmque Chriſtum, cùm eandem orationem docendo explicuiſſet, veraciſſimè ſubdidiſſe. Si enim dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis pater ve-

*Beneficio orationis conceditur hominibus mori ſine peccato.*

ſter peccata veſtra. Per hoc enim quotidianum ſpiritale quodammodo incenſum, quod ante Deum in altari cordis, quod ſurſum habere admonemur, infertur, etiamſi non hîc viuatur ſine peccato, licet mori ſine peccato: dum ſubinde venia deletur, quod ſubinde ignorantia vel infirmitate committitur. *Tom.7. de natura & gratia, cap.35.*

*Remiſſione peccatorum eruimur à poteſtate ſpiritus immũdi, vt templum efficiamur Spiritus ſancti.*

** Matt.12. Mar 3. Luc.11.*
** 1.Cor.6.*
** Ioan.20.*
*Matth.12. Luc. 12.*

## *IX. Non eſſe, niſi in Eccleſia Catholica remiſſionem peccatorum.*

Remiſſio peccatorum quoniam non datur niſi in Spiritu ſancto, in illa Eccleſia tantummodo dari poteſt, quæ habet Spiritum ſanctum. Hoc enim fit remiſſione peccatorum, ne princeps peccati ſpiritus, qui in ſeipſum diuiſus* eſt, regnet in nobis, vt eruti à poteſtate ſpiritus immundi, templum deinceps efficiamur *ſancti ſpiritus: à quo mundamur accipiendo indulgentiam, ipſum accipimus habitatorem, ad faciendam, augendam, perficiendámque iuſtitiam. *Tom. 10. de verbis Domini, Serm.11. circa finem.*

*Peccatum impœnitentiæ contrarium eſt dono regenerationis vel reconciliationis, quæ fit in Eccleſia per Spiritum ſanctum.*

*Accipite Spiritum *ſanctum, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei*: id eſt, ſi pœnituerit eum, accipiet per hoc donum remiſſionem omnium peccatorum: ſimul & huius, quod verbum dixit contra filium hominis: quia peccato ignorantiæ, ſiue contumaciæ, vel cuiuſcunque blaſphemiæ, non addidit peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis, vel reconciliationis, quæ fit in Eccleſia Spiritu ſancto. *Ibidem.*

*Quare præſides Eccleſiæ tempora conſtituãt pœnitentiæ.*

** Pſal.37.*

Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo, cui dicitur: * *Gemitus meus à te non eſt abſconditus*: rectè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ipſa nãque propriè Spiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo nõ remittuntur vllã peccata, ita vt quibus dimittuntur, cõſequantur vitam æternam. *Tom.3. Enchirid. cap. 65. Idem docet cap.83.*



*Sine Spiritu ſancto non remitti vlla peccata conſtat: tum quia nulli remittuntur peccata, niſi infundatur gratia, & detur Spiritus ſanctus. tum quia nullus remittere poteſt peccata, niſi legitimam habeat poteſtatem, quæ ſine dubio à Spiritu ſancto eſt, qui per ipſam conſulit fidelium ſaluti. Non autem neceſſum eſt, miniſtrum Eccleſiæ Spiritum ſanctum habere in ſe per gratiam habitantem, vt peccata remittat: quod manifeſtè cõſtabit ex lib.3. cap. de Sacramento ordinis, & cap. de Sacramento pœnitentiæ.*

*Ei qui ſeparatus eſt ab Eccleſia, nihil prodeſt peccatorum ſuorum quãliſcũque pœnitentia, niſi ſimul eius ſeparationis ipſũ pœniteat.*

Sic & peccata quia præter Eccleſiam non dimittuntur, in eo ſpiritu dimitti oportebat, quo in vnum Eccleſia congregatur. Denique ſi quenquam extra Eccleſiam ſuorum pœniteat peccatorum, & huius tãti peccati, quo alienus eſt ab Eccleſia Dei, cor impœnitẽs habeat, quid ei prodeſt illa pœnitentia, cum iſto ſolo peccato verbũ dicat * contra Spiritum ſanctum, quo extraneus eſt ab Eccleſia, quæ accepit hoc donum, vt in ea in Spiritu ſancto fiat remiſſio peccatorum? *Tom.10. de verbis Domini, Sermone 11. His conſentanea ſunt quæ primo libro citantur, cap.6.*

** Matt.12. Mar.3. Luc.12.*

*Libet hîc ſubſcribere verba eiuſdem Auguſtini in fine eiuſdem ſermonis 11. de verbis Domini, ne quis infidelis fortè ſuſpicetur ab Eccleſiæ ſacerdotibus non remitti peccata, niſi ſpiritum ſanctum in ſe habeant inhabitantem.* Ad quam (*inquit*) congregationem Eccleſiæ etiamſi per malũ Clericum, ſed tamẽ Catholicum miniſtrum reprobum & fictum, aliquis acceſſerit, corde non ficto, in ipſo ſancto Spiritu remiſſionem accipit peccatorum: qui ſpiritus in ſancta Eccleſia, etiam iſto tempore, quo velut area cum palea trituratur, ſic operatur, vt nullius veram confeſſionem aſpernetur, nullius ſimulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, vt etiam per eorum miniſterium probos colligat.

## *X. Quomodo peccata in ſpiritum ſanctum, in Eccleſia non dimittantur.*

** Matt.12. Marc.3. Luc.12,*

Qvi verò in Eccleſia remitti peccata non credens, contemnit tãtam diuini muneris largitatem, & in hac obſtinatione mẽtis diẽ claudit extremũ, reus eſt illo irremiſſibili*peccato in Spir. ſanctũ, in quo Chri-

ſtus peccata dimittit. *Tom.3. in Enchirid.cap.83.*

*Cum fuſè expoſuiſſet, quæ ſit blaſphemia, quod verbum in Spiritum ſanctum, quod nec hîc nec in futuro remittitur, inquit.* In Spiritu enim ſancto, quo in vnum Dei populus congregatur, eiicitur ſpiritus immundus, qui in ſeipſum * diuiſus eſt. Contra hoc donum gratuitũ, contra iſtam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipſa ergo impœnitentia eſt Spiritus blaſphemia, quæ non remittetur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Contra Spiritum enim ſanctum, quo baptizantur, quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit Eccleſia, vt cui dimiſerit peccata, dimittantur ei: verbum valdè malum, & nimis impium, ſiue cogitatione, ſiue etiam lingua ſua dicit: quem patientia * Dei cùm ad pœnitentiam adducat, ipſe ſecundùm duritiam cordis ſui & cor impœnitens, theſaurizat ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet * vnicuique ſecundùm opera eius. Hæc ergo impœnitentia: ſic enim vno aliquo nomine poſſumus vtcunque appellare, & blaſphemiam & verbum * contra Spiritum ſanctum, quod remiſſionem non habet in æternum: hæc, inquã, impœnitentia, contra quam clamabat & præco & iudex, dicentes, * *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*: contra quam Dominus os Euangelicæ prædicationis aperuit, & contra quam ipſum Euangelium in toto orbe prædicandum eſſe prædixit: vbi poſteaquàm reſurrexit à mortuis, ait diſcipulis: * *Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorũ, per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem.* Hæc omnino impœnitentia nõ habet remiſſionem, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, quia pœnitentia impetrat remiſſionem in hoc ſeculo, quæ valeat in futuro. *Tom.10. de verbis Domini. Sermone.11.*

*Spiritu ſancto Dei populus in vnum congregatur: ſpiritus verò immũdus in ſeipſum diuiſus eſt.*

* *Matt.12. Marc.3. Luc.11.*

*Impœnitentia eſt Spiritus blaſphemia.*

* *Rom.2.*

* *Matt.16. Matth.12. Marc.3. Luc.12.*

* *Matth.3. & 4.*

* *Luc.24.*

*Impœnitentia vſque ad mortem, impedit remiſſionẽ peccatorũ, & in hoc ſeculo, & in futuro.*

*Pœnitentia impetrat remiſſionẽ peccatorum.*

Si nec paganis, nec Hebræis, nec hæreticis aut ſchiſmaticis nondum baptizatis ad Baptiſmũ Chriſti aditus clauditur, vbi condemnata vita priore, in melius commutentur, quamuis Chriſtianitati & Eccleſiæ Dei aduerſantes, antequàm Chriſtianis Sacramentis abluerentur, etiam Spiritu ſancto quanta potuerunt infeſta-

tione



tione reſtiterũt, ſi etiã hominib' q vſq; ad Sacramẽtorũ perceptionẽ veritatis ſcientiã perceperũt & poſt hæc lapſi Spiritui ſancto reſtiterũt ad ſanitatẽ redeuntibus, & pacẽ Dei pœnitendo quærentibus, auxilium miſericordiæ non negatur, ſi denique de illis ipſis, quibus blaſphemiam in Spiritum ſanctum ab eis prolatam Dominus*obiecit, ſi qui reſipiſcentes ad Dei gratiam confugerunt, ſine vlla dubitatione ſanati ſunt: quid aliud reſtat, niſi vt peccatum in Spiritum ſanctum, quod neque in hoc ſeculo, neque in futuro dimitti Dominus dicit, nullum intelligamus, niſi perſeuerantiam in nequitia, & malignitate, cum deſperatione indulgentiæ Dei? Hoc eſt enim gratiæ illius & paci reſiſtere. *Tom. 4. expoſitione in epiſt. ad Rom. inchoata, verſus finem.*

* *Matt.12. Mar.3. Luc.12.*

*Peccatum in Spiritum ſanctum, perſeuerantia in nequitia cũ deſperatione veniæ.*

Quiſquis igitur reus fuerit impœnitentiæ contra Spiritum, in quo vnitas & ſocietas communionis congregatur Eccleſiæ, nunquam illi remittetur, quia hoc ſibi clauſit, vbi remittitur: & meritò damnabitur cum ſpiritu, quia in ſeipſum diuiſus eſt, diuiſus & ipſe contra Spiritum ſanctum, qui in ſeipſum diuiſus non eſt. *Tom.10. de verbis Domini, Sermone 11. Lege totum ſermonem. Præterea Tom.2. epiſt.50. ad Bonifacium comitem, circa finem. Item Tomo 7. contra Creſconium Grammat. lib.4 cap.8. Videtur Auguſtinus in ea ſententia fuiſſe, lib 1. de ſerm. Domini in monte, verſus finem, vt crederet peccatũ in Spiritũ ſanctum ſimpliciter eſſe irremiſſibile: ſed retractat ſententiam, lib.1. retr. cap.19.*

*Quare impœnitentia non remittatur.*

## CAPVT SEPTIMVM DE DISCRIMINE LEGIS VEteris & Euangelij.

### *I. Legem veterem eandem cum veteri Teſtamento eſſe.*

EDucto populo* in monte Sina (*Moſes*) diuinitus acceptam tradidit legem, quod vetus dicitur teſtamentum: quia promiſſiones terrenas habet: & per Ieſum Chriſtum futurum fuerat Teſtamentum nouum, quo regnum cælorum promitteretur. Hunc enim ordinem ſeruari oportebat, ſicut in vnoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apoſtolus, * vt non

* *Exod.19. & 20.*

*Quare vetus Teſtamẽtum prius tempore quã nouũ.*

** 1. Cor. 15.*

ſit prius, quod ſpiritale eſt: ſed quod animale, poſtea ſpiritale. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.18. cap.11.*

*Per legem veterẽ nõ abolitio, ſed cognitio peccati.*
** Rom.7.*
** Rom.10.*

Per Moſen reuelatum eſt Teſtamentum vetus, per quem data eſt lex* ſancta & iuſta & bona, per quam fieret non abolitio, ſed cognitio peccati, qua conuincerentur ſuperbi, ſuam iuſtitiam* volentes conſtituere, quaſi diuino adiutorio non egentes, & rei facti literæ, confugerent ad gratiæ ſpiritum, non ſua iuſtitia iuſtificandi, ſed Dei, hoc eſt, quæ illis eſſet ex Deo. *Tom.7. contra duas epiſtolas Pelagianorum, lib.3. cap. 4. lege totum caput.*

** Exod.19. & 20.*
*Lex data per Moſẽ propriè vetus dicitur Teſtamentũ.*

Regnum cælorum illi populo fuiſſe promiſſum, non legimus in iis quæ promiſſa ſunt* lege data per Moſen in monte Sina, quod propriè vetus dicitur Teſtamentũ, quod præfiguratum dicit Apoſtolus * per ancillam Saræ, & filium eius; ſed & ibi figuratum eſt & nouum per ipſam Saram & filium eius. *Tom.1. Retractationum, lib.1. cap.22.*

** Gal.4.*
*Duobus modis accipitur Teſtamentũ.*
** Gal.4.*
** Exod.19.*

Vbi autem dixi (*nempe lib.2. de doctrin. Chriſt. cap.8. vbi libri Canonici recenſentur*) His quadraginta quatuor libris, Teſtamenti veteris terminatur auctoritas, ex conſuetudine, qua iam loquitur Eccleſia, vetus Teſtamentum appellaui. Apoſtolus autem* non videtur appellare vetus Teſtamentum, niſi quod datum eſt* in monte Sina. *Ibidem, lib.2. cap.4.*

## *II. Euangelij nomine non eſſe nudam promiſſionem vitæ æternæ intelligendam.*

*Quid ſit Chriſtum euangelizare.*

HOc eſt euangelizare Chriſtum, non tantùm dicere, quæ ſunt credenda de Chriſto, ſed etiam quæ obſeruanda ei, qui accedit ad cõpagẽ corporis Chriſti: imò verò cũcta dicere, quæ ſunt credẽda de Chriſto, nõ ſolùm cuius ſit filius, vnde ſecundùm Diuinitatem, vnde ſecundùm carnem genitus, quæ perpeſſus & quare, quæ ſit virtus reſurrectionis eius, quod donum ſpiritus promiſerit dederítque fidelibus: ſed etiam qualia membra, quibus ſit caput, quærat, inſtituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam honorémque perducat. Hæc



cùm dicuntur, aliquando breuius atque conſtrictius, aliquando latius & vberius Chriſtus euangelizatur, & tamen non ſolùm quod ad fidem, verumetiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur. *Tom.4. de fide & operibus, cap.9.*

** 2. Tim. 2.*
*1. Cor. 15.*
*Non ergo Euãgeliũ tãtũ eſt læta annunciatio, quòd Chriſtus ſit expiator et redẽptor noſter: ſed originem, facta, dicta, et paſſiones eiuſdem redemptoris continet, ſub quibus etiam præcepta, Sacramenta & conſilia manifeſtum eſt cõtineri.*

Auguſtinus. Certè interrogaſti teipſum velut ex perſona noſtra, vtrum acciperes Euangelium: & reſpõdiſti, maximè. Rurſúſque interrogaſti, vtrum acciperes Chriſtum natum: & reſpondiſti, Non ita eſt: Hanc ſcilicet cauſam ſubiiciens, quia generatio Chriſti non pertinet ad Euangelium. Quid ergo reſpondebis Apoſtolo dicenti,* *Memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundùm Euangelium meum?* Vides certè, quàm neſcias, vel te neſcire fingas, quid ſit Euang. nec ex doctrina Apoſt. ſed ex veſtro errore nomines Euang. Aut ſi hoc appellas Euang quod Apo. appellauerunt, aberras ab Euangelio, qui non credis Chriſtum ex ſemine Dauid: quod Apoſtolus ſecundùm ſuum Euangelium prædicari teſtatus eſt. Quod autem erat Apoſtoli Pauli Euangelium, hoc etiam cæterorũ Apoſtolorum, & omnium fidelium diſpenſatorum tanti Sacramenti. Hoc enim alibi dicit,* *Siue ergo ego, ſiue illi: ſic prædicamus, & ſic credidiſtis.* Non enim omnes illi Euangelium conſcripſerunt, ſed tamen omnes Euangelium prædicauerunt. Narratores quippè originis, factorum, dictorum, paſſionum Domini noſtri Ieſu Chriſti, propriè dicti ſunt Euangeliſtæ. Nam & ipſum nomen ſi quæramus quid Latinè interpretetur, bonum nuncium dicitur Euangelium, vel bona annũciatio. Quod quidẽ cùm aliquid bonum annunciatur, ſemper dici poteſt: propriè tamen hoc vocabulum obtinuit illa quam dixi annunciatio Saluatoris. *Tom. 6. contra Fauſtum, lib.2. cap.2.*

*Euãgelij excellentia.*

Inter omnes diuinas auctoritates, quæ ſanctis literis continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim lex & prophetæ futurum prænunciauerunt: hoc redditum atque completum in Euangelio demonſtratur. Cuius primi prædicatores Apoſtoli fuerunt, qui Dominum ipſum & Saluatorem noſtrum IESVM Chriſtum etiam præſentem in carne vide-

runt. Cuius non ſolùm ea, quæ ex ore eius audita, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta & facta meminerant: verùm etiam quæ priuſquam illi per diſcipulatum adhæſerant, in eius natiuitate, vel infantia, vel pueritia, diuinitus geſta, & digna memoria, ſiue ab ipſo, ſiue à parentibus eius, ſiue à quibuslibet aliis certiſſimis indiciis, & fideliſſimis teſtimoniis, requirere & cognoſcere potuerunt, impoſito ſibi Euangelizandi munere, generi humano annunciare curarunt. *Tom. 4. de conſenſu Euangeliſtarum, lib. 1. ca. 1.*

*Euangelium quàm varia cõplectatur.*
** Pſal. 109.*
*Lex Chriſti virga virtutis.*
*Lex Chriſti quæ dicitur Euãgeliũ, ex Sion miſſa.*

### *III. Euangelium eſſe Legem nouam & Teſtamentum nouum.*

HOc quod ſequitur: * Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorũ tuorum: ita clarum eſt, vt non ſolùm infideliter, & infœliciter, ſed etiam impudenter negetur. Et ipſi quippè fatentur inimici, ex Sion * miſſam fuiſſe legem Chriſti, quod Euangelium nos vocamus, & eam virgam * virtutis eius agnoſcimus. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 17. cap. 17.*

** Iſa. 2.*
** Pſal. 109.*
*Teſtamentũ nouum lex ſecunda.*
** Exod. 19.*
*Si data eſt lex à Chriſto, cur negãt hæretici, Chriſtũ eſſe legislatorem.*

Spiritum ſanctum dari poſt reſurrectionem Chriſti oportebat in ea ciuitate, ex qua debuit incipere lex ſecunda, hoc eſt, Teſtamentum nouum. Prima enim data fuit lex * in monte Sina per Moſen, quod Teſtamentum vocatur vetus. De hac autem, quæ per Chriſtum data eſt, prædictum eſt: * Ex Sion lex prodiet, & verbum Domini ex Hieruſalem. *Ibidem, lib. 18. cap. 54.*

** Iſa. 2.*
** Iſa. 2.*
** Act. 2.*
** Exod. 19.*
** Exod. 31.*
** Iſa. 2.*

Ex Sion * enim lex prodiet, & verbũ Domini ex Hieruſalem. Ibi enim veniens deſuper ſecundùm Domini promiſſionem Spiritus ſanctus, quos tunc vna domus continebat, impleuit, & loqui * linguis omnium gentiũ fecit: & inde exierunt prædicare Euãgelium in notitiam omnium gentium. Sicut enim lex illa, quæ proceſſit de monte * Sina quinquageſimo die poſt celebratum Paſcha conſcripta * eſt digito Dei, quo ſignificatur Spiritus ſanctus: ita lex iſta quæ proceſſit de Sion * & Hieruſalem, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis ſanctorum Euangeliſtarum ſcripta eſt per Spiritum ſanctum, quinquageſimo die * poſt verum Paſcha paſſionis & reſurrectionis Domini Chriſti. *Tom. 6. Orat. cont. Iud. ca. 7.*

*Lex noua quinquageſimo die poſt reſurrectionem Chriſti in tabulis cordis Euangeliſtarum ſcripta.*
** Act. 2.*



Illud quantum potes diligenter attende, quod tanto molimine conor oſtendere. Cùm Teſtamẽtum nouum * Propheta promitteret, non ſecundùm Teſtamentum, quod prius factum eſt populo Iſraël ex Ægypto liberato, nihil eum de ſacrificiorum, vel quorumcunque Sacramentorum commutatione dixiſſe, quanuis & ipſa ſine dubio fuerat ſecutura, ſicut ſecutam videmus, quod multis aliis locis eadem prophetica Scriptura teſtatur: ſed tantummodo iſtam commendaſſe diſtãtiam, quòd * leges ſuas daturus eſſet Deus in mentem eorum, qui * pertinerent ad hoc Teſtamentum, & eorum Scripturas * in cordibus. Vnde Apoſtolus * ſumpſit non attramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. *Tom. 3. de ſpiritu & litera, cap. 25.*

** Hiere. 31.*
*In Teſtamẽto nouo ſecutura fuerat ſacrificiorum et Sacramẽtorũ commutatio.*
** 2. Cor. 3.*
** Gal. 3.*
** 2 Cor. 3.*
*Lex noua ſiue nouum Teſtamentum dicitur miniſtratio ſpiritus vel iuſtitiæ.*

Proinde quia lex ſicut * alibi dicit, præuaricationis gratia poſita eſt, id eſt, litera iſta extra hominem ſcripta, propterea eam & miniſtrationem * mortis, & miniſtrationem damnationis appellat. Hanc autem, id eſt, nouum Teſtamentum, miniſtrationem ſpiritus, & miniſtrationem iuſtitiæ dicit, quia per donum ſpiritus operamur iuſtitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur. Ideo illud euacuatur, hoc manet: quoniam terrenus pædagogus * auferetur, cùm timori ſucceſſerit charitas. *Ibidem, cap. 18.*

** Gal. 3.*
** Exod. 31.*
** Exod. 33.*
** Ierem. 31.*
*2. Cor. 3.*
*Duo comprehendit noua lex, Gratiam ſpiritus ſancti, qua ratione dicitur lex ſcripta in hominum cordib᷒. Hie. 31. 2. Cor. 3. & documenta quædam vel præcepta externa, ſiue ea literis mandata, ſiue ſint à docente tradita: quo modo non tam lex noua, quàm ſcriptura vel doctrina, quæ ad legem nouam pertineat, appellanda eſt. Atque hæc quidem Scriptura ſiue doctrina, ſi cum viuificante ſpiritu coniuncta non fuerit, non minus occidit & inflat, quàm veteris Teſtamẽti litera.*

Sicut ergo lex factorum ſcripta in tabulis * lapideis, mercéſque eius terra * illa promiſſionis, quam carnalis domus Iſraël, cùm ex Ægypto liberata eſſet, accepit, pertinet ad Teſtamentum vetus: ita lex fidei ſcripta * in cordibus, mercéſque eius ſpecies contemplationis quam ſpiritalis domus Iſraël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad Teſtamentum nouum. *Ibidem, cap. 24.*

Inchoatio quædam facta eſt, ſub pædagogo, vt magiſtro perfectio ſeruaretur, cùm tamen idem Deus, & pædagogum paruulis dederit legem illam ſcilicet per famulum ſuum, & magiſterium grandioribus: id eſt, Euãgelium per vnicum ſuum. *Tom. 4. 83. quæſtionum. quæſt. 53.*

### IIII. *Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum non tantùm vt redemptorem, ſed etiam vt legis & quidem perfectioris, latorem.*

**Mat.5.*

*CVm vidiſſet * autem Ieſus turbas multas, aſcendit in mōtem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuū docebat eos dicēs.* Si quæritur, quid ſignificet mons, benè intelligitur, ſignificare maiora præcepta iuſtitiæ, quia minora erāt, quæ Iudæis data ſunt. Vnus tamen Deus per ſanctos prophetas & famulos ſuos per ordinatiſſimam diſtributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat: & per filium ſuum maiora populo, quem charitate iam liberari conuenerat. Cùm autem minora minoribus, maiora maioribus dentur, ab eo dantur, qui ſolus nouit congruentem ſuis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum eſt, quòd dantur præcepta maiora propter regnum cælorum, & minora data ſunt propter regnum terrenum, ab eodem vno Deo qui fecit * cælum & terram. De hac ergo iuſtitia quæ maior eſt, per Prophetam dicitur: * Iuſtitia tua ſicut mōtes Dei: & hoc benè ſignificat, quòd ab vno magiſtro, ſolo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. *Tom.4. de ſermone Domini in monte, lib.1. iuxta initium.*

*Deus per filiū ſuum, propter regnum cælorum maiora in noua lege dedit præcepta.*

** Pſal. 113. & 145.*
*Pſal. 35.*

Si præcepta vitæ mouent, quòd in veteri lege minora ſunt, in Euangelio maiora, & ideo putatur, nō ad vnum Deum vtraque pertinere: poteſt qui hoc putat perturbari, ſi vnus medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſemetipſum valentioribus præcipiat, ad reparandam vel obtinendam ſalutem. *Tom.1. de vera relig. cap. 17.*

*In Euāgelio præcepta vitæ maiora, quàm in veteri lege.*

Intelligi poteſt tres Euangeliſtas, Matthæum ſcilicet, & Marcum, & Lucam, ideo nobis plura dediſſe præcepta viuēdi, quia eā maximè ſecuti ſunt partē, quæ actiua dicitur. Quia verò Ioannes cōteplatiuam magis tenuit, ideò cùm eius Euangelium ſuperemineat cæteris, multò pauciora tamen in eo morum præcepta comperimus. *Tom 3. in ſpeculo, titulo ex Euang. ſecundùm Ioannem.*

*Quatuor Euangeliſtæ multa nobis dederunt viuendi præcepta.*



Certis quibuſdam vmbris & figuris rerum ante Domini aduentum, ſecundùm mirabilem atque ordinatiſſimam diſtributionem temporum populus ille tenebatur, qui Teſtamentū vetus accepit, tamen in eo tanta prædicatio & prænunciatio noui Teſtamenti eſt, vt nulla in Euangelica atque Apoſtolica diſciplina reperiantur, quanuis ardua & diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint. Sed addendum erat, atque dicendum, vt penè nulla in Euangelica atque Apoſtolica doctrina reperiantur, quanuis ardua & diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint. Quid eſt enim, quod in ſermone Euangelico, in monte Dominus dicit: * Audiſtis quia dictum eſt antiquis hoc, ego autem dico vobis hoc, ſi nihil ipſe amplius præcepit, quàm præceptum eſt in illis veteribus libris? *Et paulo pòſt*: Propter quædam præcepta non figurata, ſed propria, quæ non in veteri Teſtamento, ſed in nouo inueniuntur, cautius & moderatius diceretur, penè nulla, quàm nulla hîc eſſe quæ non ſint & illic, quanuis & illic ſint illa duo præcepta de dilectione * Dei & proximi, quò rectiſſimè omnia & legitimè & Prophetica & Euangelica & Apoſtolica referuntur. *Tom.1. retract. lib.1. cap.22. Citantur ex tertio capite, contra Adimantum*

** Matth.5.*

*Chriſtus amplius aliquid præcepit quàm vetus lex.*

*Propria quædā præcepta noui Teſtamēti, quæ nō inueniuntur in veteri.*

** Deut.6.*
*Matt.22.*
*Marc.11.*
*Luc.10.*

Alter alterius * onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quid eſt lex Chriſti, niſi, Mandatū * nouum do vobis, vt diligatis inuicem? Quid eſt lex Chriſti, niſi, Pacem * meam do vobis, pacem meam relinquo vobis? Quod ergo hîc dixit, * Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legē Chriſti: hoc alio loco ait, * Sufferentes inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. *Tom.7. lib.3. contra Epiſt. Parmenia. cap.2. Similem ſententiam leges Tom. 4. 83. quæſtionum, quæſt.71.*

*Sunt ergo præcepta Euangelica & Apoſtolica.*

** Gal.6.*

*Lex Chriſti quæ.*

** Ioan.13.*
** Ioan.14.*
** Gal.6.*
** Epheſ.4.*

Data eſt illi lex, vt videret ſe: Fecit reum lex, liberauit lator legis. Lator enim legis Imperator eſt. Lex data eſt quæ terreat & conſtringat in reatum, & non ſoluit lex à peccatis, ſed oſtendit peccata. Et fortè ſub ipſa lege poſitus, animaduertit iſte in profundo, quanta fecerit contra legem, & ſic exclamauit, dicens:

*Pſal.129.*

*Lex charitatis delet præterita, admonet de futuris.*

** Matt.5. Luc.12.*

Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Eſt ergo lex miſericordiæ Dei, lex propitiationis Dei. Illa timoris fuit, eſt alia lex charitatis. Lex charitatis dat veniam peccatis, delet præterita, admonet de futuris. In via non deſerit comitem, comes fit ei, quem ducit in via. Sed concordandum * eſt cum aduerſario, dum es cum eo in via. Eſt enim ſermo Dei aduerſarius tuus, quandiu cum illo non concordas. *Et infrà.* Audi quam legem dicat, ſi nondum intellexiſti: Quia legem modò dicit charitatis, audi Apoſtolum: * Inuicem onera veſtra portate, & ſic implebitis legem Chriſti. Qui portant inuicem onera ſua, niſi qui habent charitatem? Qui non habent charitatẽ, graues ſunt ſibi: qui autem habent charitatẽ, portant ſe. Læſit te aliquis, petit veniam: ſi non dimittis, non portas onus fratris tui: ſi dimittis, portas infirmum *Tom.8. in Pſal.129.*

** Gal.6.*

*Lex charitatis lex Chriſti.*

** Ioan.13. & 15. 1. Ioan.1.*

** Exod.20.*

*Mandatũ charitatis quomodo nouum.*

*Mandatũ charitatis Chriſti, innouat obedientem, & ideò nouum dicitur.*

Dominus Ieſus mandatum nouum ſe diſcipulis ſuis dare teſtatur, vt diligant inuicem: Mandatum, inquit, * nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Nónne iam erat hoc mandatum in antiqua Dei lege, vbi ſcriptum eſt, * Diliges proximum tuum tanquam teipſum? Cur ergo nouũ appellatur à Domino, quod tam vetus eſſe conuincitur? An ideò eſt mandatum nouum, quia exuto vetere, induit nos hominem nouum? Innouat quippè audientem, vel potius obedientem, non omnis, ſed iſta dilectio, quam Dominus mandat, & vt à carnali dilectione diſtingueret, addidit: ſicut dilexi vos. *Tom.9. in Euangel. Ioannis, Tract.65.*

Amantes Deum ſuum, qui in illis habitat, faciunt ciuitatem Deo, quia lege quadam ciuitas continetur. Lex ipſa eorum charitas eſt, & ipſa charitas Deus eſt. Apertè enim ſcriptum eſt: * Deus charitas eſt. *Tom.8. in Pſal.98.*

** 1. Ioan.4.*

*Donum noui Teſtamẽti charitas.*

** Gal.6.*

** Ioan.13. & 15.*

Quia lex veteris Teſtamenti, ſcilicet cuſtodita, timorem habebat, non potuit apertius ſignificari, noui Teſtamenti donum eſſe charitatem, quàm hoc loco, vbi Apoſtolus ait: * Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legẽ Chriſti. Hâc enim legẽ Chriſtus dicere intelligitur, quia ipſe Dominus præcepit, * vt nos inuicem diligamus. *Tom. 10. de verbis Apoſt. ſer.23.*



*Chriſtus pro moribus optimis magna dedit præcepta.*

Hæc dicere compulſi ſumus, quoniam peſſimis moribus ciuium Romanam Rempub. iam antea perditam fuiſſe, nullámque remanſiſſe ante aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, auctores eorum dicere, & ſcribere minimè dubitauerunt. Quam perditionem Diis ſuis non imputant, qui mala tranſitoria, quibus mali ſiue inuoluantur, ſiue euadant, pereunt: & in quibus boni ſiue viuant, ſiue moriantur, perire non poſſunt, Chriſto Domino noſtro imputant: cùm Chriſtus noſter tanta frequenter pro moribus optimis præcepta cõtra perditos mores, Dij verò ipſorum nullis talibus præceptis egerint aliquid cum ſuo cultore populo, pro illa repub. ne periret. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.2. cap.25.*

*Sunt præcepta in nouo Teſtamento, quæ non fuerunt in veteri: vt de Baptiſmo, de Euchariſtiæ ſuſceptione, de Sacramento pœnitentiæ, de non repudienda vxore: ſed quia in 3. lib. hæc proprijs quæque capitibus tractanda ſunt, nihil neceſſe eſt nos earum materiarum quicquam in hunc locum adferre. Lege & cap. ſeq. articulum ſecundum, & ſextum.*

## V. *Vetus & nouum Teſtamentum ſibi inuicem reſpondere.*

*Eadem ſunt in veteri Teſtamento, & in nouo: ibi obũbrata, hîc reuelata.*

ET rectè intelligitur duo Teſtamenta diſtinguere. Eadem quippè ſunt in veteri & nouo: ibi obũbrata, hîc reuelata: ibi præfigurata, hîc manifeſtata. Nam non ſolùm Sacramenta diuerſa ſunt, verùm etiã promiſſa ibi videntur temporalia proponi, quibus ſpiritale præmium occultè ſignificetur: hîc autem manifeſtiſſimè ſpiritalia promittuntur, & æterna. *Tomo.4. ſuper Numer. quæſt.33.*

*In veteri Teſtamento eſt noui occultatio: in nouo veteris manifeſtatio.*

Quapropter in veteri Teſtamento eſt occultatio noui, in nouo Teſtamento eſt manifeſtatio veteris. Secũdum illam occultationem, carnaliter intelligentes carnales, & tunc & nunc pœnali timore ſubiugati ſunt: ſecundum hanc autem manifeſtationem ſpiritales, & tunc quibus piè pulſantibus etiam occulta patuerunt,

& nunc qui non ſuperbè quærunt, nec etiam aperta claudunt, ſpiritaliter intelligentes, donata charitate liberati ſunt. *Tomo.4.de Catechizandis rudibus, cap.4.*

*Nouum Teſtamentum in veteri velatũ: vetus in nouo reuelatum.*

Age nunc quiſquis hæc legis, & gratiam Dei, qua in æternam vitam per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum redimimur, legendo in Apoſtolicis literis, in propheticis autem ſcrutando, cognoſcis, vt vetus Teſtamentum in nouo reuelatum, & in veteri nouum velatum vides. *Tom.8.in Pſal.105.ſub finem.*

*Vtrobique tam in veteri quã in nouo Teſtamẽto, & iuſti reperiũtur ſpiritales, & plurimi carnales.*

Quanuis enim in veteri Teſtamento propter temporalium bonorum promiſſionem, malorũmque comminationem, ſeruos pariat temporalis Hieruſalem: In nouo autem vbi fides impetrat charitatẽ, qua lex poſſit impleri, non magis timore pœnæ, quàm dilectione iuſtitiæ liberos pariat æterna Hieruſalem, tamen & illis temporibus fuerunt iuſti ſpiritales, quos non occidebat * litera iubens, ſed viuificabat ſpiritus iuuans. Vnde & fides venturi Chriſti habitabat vtique in Prophetis, venturum prænunciantibus Chriſtum. Et nunc ſunt plurimi carnales, qui vel hæreſes faciunt nõ intelligendo Scripturas, vel in ipſa Catholica, aut adhuc paruuli lacte nutriuntur, aut tanquàm palea * perſeuerans futuris ignibus præparantur. *Tom.6. contra aduerſ. Legis & Proph. lib.1.cap.17.*

*2.Cor.3.

*Matth.3. Luc.3.

Inde eſt: * Idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet, quod nõ reuelatur, quoniam in Chriſto euacuatur. Euacuatur nanque in Chriſto non vetus teſtamentum, ſed velamen eius, vt per Chriſtum intelligatur & quaſi denudetur, quod ſine Chriſto obſcurum atque adopertum eſt. Statim quippè idem Apoſtolus ſubiicit: * Cùm autem tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Non enim ait, auferetur lex aut Teſtamentum vetus. Non igitur per Domini gratiam, tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata ſunt, ſed tegmen potius, quo vtilia tegebantur. *Tomo 6.de vtilitate credendi, cap.5.*

*2.Cor.3.

*In Chriſto non vetus Teſtamẽtũ, ſed velamen eius euacuatur.*

*Ibidem.

*Exod.20.

*In veteri Teſtamento nouũ latet, & in nouo vetus patet.*

Loquere tu * nobis, & non loquatur ad nos Deus, ne quando moriamur. Multum & ſolidè ſignificatur, ad vetus Teſtamentum timorem potius pertinere, ſicut ad nouum dilectionem, quanquam & in veteri nouum lateat, & in nouo vetus pateat. *Tom.4.ſuper Exod. quæſt.73.*



Legite vetus Teſtamentum & videte, quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur, quæ nobis. Nam vnum * Deum colere & nobis præcipitur. Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui, & nobis præcipitur, quod eſt ſecundum præceptum. Obſerua diem Sabbati, magis nobis præcipitur, quia ſpiritaliter obſeruandum præcipitur. Iudæi enim ſeruiliter obſeruabant diem Sabbati, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius fœminæ eorum lanam facerẽt, quàm illo die in Neomeniis ſaltarent? Abſit fratres, vt illos dicamus obſeruare Sabbatũ. Spiritaliter obſeruat Sabbatum Chriſtianus, abſtinens ſe ab opere ſeruili. Quid eſt enim ab opere ſeruili? A peccato. Et vnde probamus? Dominum interroga, * *Omnis qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati*. Ergo & nobis præcipitur ſpiritaliter obſeruatio Sabbati. Nam illa omnia præcepta * nobis magis præcipiuntur, & obſeruanda ſunt. *Non occides. Non mœchaberis. Non furaberis. Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum & matrem tuam: Non concupiſces rem proximi tui.* Nónne iſta omnia & nobis præcipiuntur? *Tom.9.tract.3.in Euang.Ioan.*

*Exod.20. Deut.5.

*Ioan.8. Rom.6. 2.Pet.2.

*Præcepta Decalogi nobis magis quàm Iudæis præcipiũtur.*

*Exod.20. Deut.5. Matth.5. & 19. Rom.7. & 13. Epheſ.6.

## VI. Inter literam legis, & Euangelij gratiam quid interſit.

*In vtroque Teſtamento coercitio & inſtructio, timor & amor, quanuis in vetere timor, in nouo amor præualeat.*

DISCIPLINA, de qua nunc agimus, quæ animi medicina eſt, quantum ſcripturis ipſis colligi licet, in duo diſtribuitur, coërcitionem & inſtructionem. Coërcitio timore, inſtructio verò amore perficitur, eius dico, cui per diſciplinam ſubuenitur: nam qui ſubuenit, nihil horum duorum habet, niſi amare In his duobus Deus ipſe, cuius bonitate atque clemẽtia fit omnino, vt aliquid ſimus, duob' Teſtamẽtis vetere & nouo diſciplinæ nobis regulã dedit. Quanquã enim vtrũnq; in vtroq; ſit, præualet tamẽ in vetere

timor, amor in nouo: quia ibi ſeruitus, hîc libertas ab Apoſtolis prædicatur. *Tom.1 lib.1. de moribus Eccleſ.Cathol. cap.28.*

Qui nouit quidem, quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundũ legem: non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm literam. Quanuis multi, quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore iuſtitiæ, quam dicit Apoſtolus: * Iuſtitiam ſuam, quæ ex lege eſt, tanquam ſit imperata, non data. Si autem data eſt, non dicitur iuſtitia noſtra, ſed Dei, quia ſic fit noſtra, vt ſit nobis ex Deo. Dicit enim: * *Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ ex fide eſt Ieſu, iuſtitiam ex Deo.* Tantum igitur inter legem diſtat & gratiam, vt cùm lex eſſe non dubitetur ex Deo, iuſtitia tamen, quæ ex lege eſt, non ſit ex Deo, ſed iuſtitia, quæ per gratiam conſummatur, ex Deo: quia ex lege iuſtitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum, iuſtitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficiũ, vt non ſit terribile, ſed ſuaue mandatum, ſicut oratur in Pſalmo: * Suauis es Domine, & in tua ſuauitate doce me iuſtitiam tuam: id eſt, vt non formidine pœnæ ſeruiliter cogar eſſe ſub lege, ſed libera caritate delecter eſſe cum lege. Præceptum quippè liber facit, qui libens facit. Et hoc modo quiſquis diſcit, agit omnino, quicquid agendum didicerit. *Tom.7. de gratia Chriſti, cap.13.*

* *Rom.* 10.

* *Philip.*3.

* *Pſal.*118.

*Cõſequens igitur eſt, ad iuſtitiã, quæ ex Deo eſt, requiri obſeruationem mãdatorũ, quæ nõ ex timore, ſed ex amore proficiſcatur.*

Lex ergo data eſt, vt gratia quæreretur, Gratia data eſt, vt lex impleretur. Neque enim ſuo vicio non implebatur lex, ſed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit. *Quod enim impoſsibile* erat legi, in quo infirmabatur per carnem, miſit Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Vnde & in iſto Prophetico teſtimonio: * *Conſummabo*, inquit, *ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda Teſtamentum nouum*: quid eſt conſummabo, niſi implebo? non ſecundùm Teſtamentum, quod feci Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Ergo illud vetus erat,

*Lex data, vt gratia quæreretur. Gratia data, vt lex impleretur.*

* *Rom.* 8.

* *Iere.* 31.



quia hoc nouum eſt. Vnde igitur illud vetus, hoc nouũ, cùm lex eadem impleatur per Teſtamentum nouum, quæ dixit in veteri, * Non concupiſces? Quia ipſi, inquit, non perſeuerauerunt in teſtamento, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per literam iubentem & minantem minimè ſanabatur, dicitur illud Teſtamẽtum vetus: hoc autem nouum, propter nouitatẽ ſpiritus, quæ hominem nouũ ſanat à vitio vetuſtatis. *Ibidem, cap.19. & 20.*

* *Exod.*20. *Deut.* 5.

*Quare dicatur Teſtamẽtum vetus & nouum.*

Per legem factorum dicit Dominus: * Non concupiſces: Per legem fidei dicit Dominus: * Sine me nihil poteſtis facere. Aiebat enim de bonis operibus, hoc eſt, de palmitum fructibus. Cùm igitur hæc appareat diſtantia veteris & noui Teſtamenti, quòd Lex ibi* in tabulis, hîc * in cordibus ſcribitur, vt quod ibi forinſecus terret, hîc delectet intrinſecus, ibíque fiat præuaricator per occidentem literam, hîc dilector per viuificantem ſpiritum: non ideò dicendum eſt, quòd Deus adiuuet nos ad operandam iuſtitiam, atque operetur * in nobis & velle & perficere pro bona voluntate, quia præceptis iuſtitiæ forinſecus inſonat ſenſibus noſtris, ſed quia intrinſecus incrementum dat diffundendo * charitatem in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Ibidem, cap.25.*

* *Exod.*20.

*Deut.* 5.

* *Ioan.*15.

*Lex vetus in tabulis, lex noua in cordibus ſcripta.*

* *Exod.*31.

* 2. *Cor.*3.

*Deus quomodo adiuuet nos ad operãdã iuſtitiam.*

* *Phil.* 2.

* *Rom.*5.

Lex peccati & mortis: id eſt, quæ impoſita eſt peccãtibus atque morientibus, iubet tantùm ne concupiſcamus, & tamen cõcupiſcimus. Lex autem ſpiritus * vitæ, quæ pertinet ad gratiã, & liberat à lege peccati & mortis, facit vt non concupiſcamus, & impleamus iuſſa Legis. *Tom.4. lib.83. quæſt quæſt.66.*

*Diſcrimẽ inter Legẽ mortis, & Legẽ ſpiritus vitæ.*

* *Rom.* 8.

Diſtinguenda eſt Lex & gratia. Lex iubere nouit, gratia iuuare. Nec lex iuberet, niſi eſſet voluntas nec gratia iuuaret, ſi ſat eſſet voluntas. Iubetur vt habeamus intellectum, vbi dicitur: * *Nolite eſſe ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, & tamen oramus, vt habeamus intellectum, vbi dicitur: * *Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.* Iubetur vt habeamus ſapiẽtiam, vbi dicitur: * *Si quis autem veſtrùm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Iubetur, vt habeamus continentiam, vbi

*Lex iubere nouit, gratia iuuare.*

* *Pſal.* 31.

* *Pſal.*118.

* *Iacob.* 1.

* *Sap.* 8.

dicitur:* *Cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire, cuius eſſet hoc donum, adij Dominum, & deprecatus ſum eum.* Poſtremò ne nimium longum ſit, cuncta percurrere, iubetur, vt non faciamus malum, vbi dicitur: * Declina à malo, & tamen oratur, vt non faciamus malum, vbi dicitur: * *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali.* Iubetur, vt faciamus bonum, vbi dicitur:* Et fac bonum: & tamen oramus, vt faciamus bonum, vbi dicitur: * *Non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes*: atque inter cætera pro illis orans dicit: *Vt ambuletis dignè Deo in omne placitum, in omni opere & ſermone bono.* Sicut ergo agnoſcimus voluntatem, cùm hæc præcipiũtur, ſic & ipſe (*Pelagius*) agnoſcat gratiã, cùm petũtur. *Tom.2. Epiſt.95. ad Innoc. Papã.*

* *Pſal.36.*
*1. Pet.3.*
**2. Cor.13.*
* *Pſal.36.*
*1. Pet.3.*
* *Col.1.*

Multum eſt enim & nimis longum cuncta colligere, quæ in hanc ſententiam beatus dicit Apoſtolus, Legem diſtinguens à gratia: eò quòd ſub illa elidantur elati, ſub iſta erigantur eliſi: & quòd illa in tantum bona ſit, vt bona iubeat, hæc in tãtum, vt bona conferat. Illa iuſtitiæ facit auditorem, iſta factorem. Et ideò ſub illa peccator, inſuper etiam præuaricator, amiſſa excuſatione ignorantiæ conuictus iacet: ſub iſta verò & parcẽte & opitulante, nec quia mala eſt operatus exſtinguitur, & vt bona operetur, accenditur. Quid ergo mirum, ſi illa dicta eſt miniſtratio mortis, vbi litera * occidit, malum prohibendo quod fit, & bonum imperando, quod non fit: iſta verò dicta eſt miniſtratio ſpiritus, vtique viuificantis, vt à præuaricationis morte ſurgamus, & iuſtitiam nõ rei legamus in tabulis, ſed liberi in cordibus, & in moribus habeamus: Hoc eſt Teſtamentum nouum diſtãs à vetere, quia ibi vetus homo formidinis coarctatur anguſtiis, hîc nouus homo ſpaciatur latitudine caritatis. *Tom.6. lib.2. contra aduerſarium legis & Prophe. cap.7.*

*Lex vetus facit auditorẽ, gratia verò factorem.*

* *2. Cor.3.*

*In nouo Teſtamento non in tabulis legenda iuſtitia: ſed in cordibus & in moribus habenda.*

Hæc planè magna diſtantia eſt, quòd faciunt (*præcepta Dei*) ſub lege poſiti, quos litera * occidit, terrenam fœlicitatem vel cupiditate adipiſcẽdi vel timore amittendi: & ideò non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum augetur, cupiditate alia non ſanatur. Hi ad vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſeruitu-

* *2. Cor.3.*

*Carnalis timor ſub lege*



tem generat, quia facit eos carnalis timor & cupiditas ſeruos, non Euangelica fides, ſpes & caritas liberos. Sub gratia verò poſiti, quos viuificat Spiritus, & fide iſta faciunt, quæ * per dilectionem operatur in ſpe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium, non terrenorum, ſed cœleſtium, non temporalium, ſed æternorum, præcipuè credentes in mediatorem, per quem ſibi non dubitant & ſpiritum gratiæ ſubminiſtrare vt bene iſta faciant, & ignoſci poſſe cùm peccant. *Tom.7. contra duas epiſtolas Pelag. lib.3. cap.4.*

*poſitos facit ſeruos: Euangelica fides, ſpes & caritas liberos.*

* *Gal.5.*

## *VII. In vtroque pariter Teſtamento & amandam proponi Dei bonitatem, & timendam ſeueritatem.*

SEd vaniloqui & mentis ſeductores aduerſantes literis ſacris, quas intelligere volunt, eligunt ex eis aſpera, quæ ibi leguntur, ad commendandam ſeueritatem Dei: & de literis Euangelicis & Apoſtolicis, leuia quæ ibi leguntur, ad commendandam bonitatem Dei: & apud homines imperitos hinc ingerunt horrorem, inde quærũt fauorem: quaſi difficile ſit, vt quiſque ſimiliter blaſphemus atque impius eo modo aduerſetur nouo Teſtamento, quo iſte veteri: carpens de vetere, quibus ibi commendatur Dei bonitas, & è contrario de nouo, quibus ibi commẽdatur Dei ſeueritas: & clamet inuidioſus atque venenoſus: Ecce qui Deus colendus eſt, miſericors * & miſerator, longanimis & multæ miſericordiæ: qui non in finem iraſcetur, neque in æternum indignabitur: qui non ſecundũ peccata fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis: ſed quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis peccata noſtra, qui ſicut miſeratur pater filios, ſic miſeratur timentes ſe. Qui dicit:* *Nolo mortem peccatoris*, quantum vt reuertatur & viuat. Non ille, qui propter lucrorum auaritiam, etiam eum ſeruum, qui non perdidit talentum, quod acceperat, ſed tantùm, qui nõ amplius acquiſiuit, ligatis manibus & pedibus projici iuſſit in * tenebras exteriores, vbi eſſet ei fletus, & ſtridor dentium. Et qui hominem non habentẽ veſtem nuptialẽ de cõuiuio ſuo tollit, & ſimiliter alligatũ, ſimili

* *Pſal.102.*

*Teſtimonia veteris legis de bonitate Dei.*

* *Ezech.18. & 33.*

*Teſtimonia nouæ legis de ſeueritate Dei.*

* *Matt.25. Luc.19.*

** Matth.25.*

ſupplicio punit:& qui venientibus ad ſe,& pulſantibus, & dicentibus:* *Domine aperi nobis*: reſpondet: *Non vos noui:* tantum quia oleum ſecum,quod infunderent ſuis lampadibus,non tulerunt: & qui propter vnum contumelioſum verbum mittit in gehennam:& qui pro temporali cibo non accepto,igne damnat æterno.Hæc atque huiuſmodi,ſi quis væſana mente ſacrilegus,inde lenia,hinc aſpera colligat:ac ſic homines vtrarumque literarum imperitos à Chriſto tanquam ſæuo & crudeli conetur auertere,& ad Deum miſericordem prophetarum mitémque conuertere: nónne & huic ipſi,qui hoc facit veteri Teſtamento, quod ab homine ſimiliter ſacrilego poſſet fieri nouo, impurus atque impius apparebit? Qui autem rectè colit Deum,& profectò vtriuſque Teſtamenti inuenit vnum Deum,& eiuſdem vnius Dei in vtroque diligit bonitatem,in vtroque metuit ſeueritatem: in illo intelligens promiſſum Chriſtum, in iſto accipiens redditum Chriſtum. *Et paulò pòſt*: Quid eſt ergo,quòd iſte blaſphemus hæc tanquam contraria veteri Teſtamento de nouo colligit, aut vtraſque literas neſciens, aut vt decipiat imperitos ſe ſcire diſſimulans? A quo tamen ſi quæratur, vtrum nō reddat* malum pro malo,qui pro cibo non accepto in ignem mittit æternum, profectò turbabitur, & admonebitur incomparabiliter eſſe mitius, oculum * pro oculo, dentem pro dente homini auferre, vbi menſura vindictæ modum non tranſit iniuriæ: quàm propter non exhibitam humanitatem tantam rependere ſeueritatem, vbi tranſitoria eſt culpa,& finem non habet pœna. Atque ita diſcet, ſi peruicax non eſt in vtroque Dei vnius teſtamento,& amandam bonitatem, & timendam ſeueritatem. *Tom 6.contra aduerſ leg.& prophet.lib.1.cap.17.*

*Qui rectè colit Deum, vnius Dei in vtroq; teſtamento & diligit bonitatē,& metuit ſeueritatem.*

** Rom.12.*

** Exod.21. Deut.19. Leuit.24. Matth.5.*

Si ergo ſalubriter non ſolùm bonitatem, verùm etiā ſeueritatem Dei ſancta ſcriptura commēdat, quoniam & amatur Deus vtiliter,& timetur. Vnde Apoſtolus eodem loco vtrunque commemorat,dicens:* Vides ergo bonitatem & ſeueritatem Dei: quid eſt,quod iſte inſanus,& præceps cùm Chriſtianum eſſe ſe iactet, hoc reprehendit in Deo prophetarum, quod in Deo inuenit Apoſtolorum, quoniam idem Deus eſt & illorum &

** Rom.11.*





iſtorum? Quod autem de illo commemoraui,quem pigrum ſeruum * miſit in tenebras exteriores, ſeueritas eſt Dei,vbi nec futurorum improuidus dicitur,quia tali pecuniam ſuam credidit: nec impotens, quia quem vt bene ageret,non ipſe rexit,ipſe correxit: nec æmulus ac malitioſus,quod à luce ſeparatum in tenebras miſit. Hoc de omnibus pœnis hominū, quæ leguntur in propheticis libris inflictæ fuiſſe peccantibus, debet fidelis lector aduertere. Hoc ergo etiam * de diluuio. Neque enim Dominus Ieſus non tale aliquid futurum, in ſuo prænunciauit aduentu,quando ait:* *Sicut in diebus Noë manducabant & bibebant,nouellabāt,ædificabant, nubebant, vxores ducebant, venit diluuium, & perdidit omnes, ſic erit & aduentus filij hominis.* Hoc & de obduratione* cordis Pharaonis. Neque enim noui Teſtamenti literæ non dicunt de quibuſdam:* *Tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt faciant, quæ non conueniunt.* Hoc de ſpiritu mēdaci,quem Deus,qui bene vtitur etiam malis,iuſtiſſimo iudicio ad impium regem decipiendum miſit,ſicut Micheas propheta* ſibi in viſione prophetica demonſtratum eſſe teſtatur. Neque enim dubitauit tale aliquid dicere Apoſtolus Paulus,cùm ſe ſciret veriſſimè dicere, vbi ait:* *Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Hoc de facto per Moſen, cui Deus dixit:* Accipe omnes duces populi, & victima illos Domino contra Solem, hoc eſt, in manifeſto per diem,vel quod factum idolum Moſes ita vindicauit, vt nec proximo ſuo quiſque parceret, ferro perimens impios. Neque enim & Dominus Ieſus non dixit:* Eos autem qui noluerūt me regnare ſibi, adducite,& interficite coram me: vbi profectò quia mortem ſignificat animarum, magis eſt vtique illa fidelibus horrenda & metuenda, quàm corporum. Vnde idem Dominus dicit:* Nolite timere eos,qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. *Ibidem, cap.16.*

** Matth.25.*
** Geneſ.7.*
** Matt.24. Luc.17.*
** Exod.4.7. 8.9.&c.*
** Rom.1.*
** Mich.3.*
** 2.Theſſ.2.*
** Num.25.*
** Luc.19.*
** Matth.10. Luc.12.*

## *VIII. Præcepta morum Teſtamenti veteris abrogata non eſſe.*

*Per gratiam noui teſtamẽti, præcepta veteris legis quæ reos antea homines faciebant, implentur.*

DE præceptis & Sacramentis veteris Teſtamẽti ſæpè ac multa iam diximus, vt intelligeretur aliud ibi fuiſſe, quod per gratiam noui Teſtamenti faciendo donaretur implendum: aliud quod per veritatem patefactam remouendo demonſtraretur impletum: cum Dei & proximi dilectione ſuſciperetur legis perficienda præceptio, circũciſionis autem atque aliorum illius temporis Sacramentorum ceſſatione, oſtenderetur legis perſoluta promiſſio. Præceptum quippe reos faciebat ad deſiderandam ſalutem: Promiſſum autem figuras celebrabat ad expectandum Saluatorem: vt per aduentum noui Teſtamenti illos liberaret gratia donata, illas auferret veritas reddita. Ipſa enim lex* per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Gratia ſcilicet, vt data indulgentia peccatorum, quod præceptum erat ex Dei dono cuſtodiretur: veritas autem, vt ablata obſeruatione vmbrarum, quod promiſſum erat, ex Dei fide præſentaretur. *Tom.6.contra Fauſtũ Manich.lib.22.cap.6.*

* *Ioan.1.*

*Ex triplici legis parte conſtat quid in ea abrogatũ, & quid adhuc obſeruandum ſit.*

*Dictũ Chriſti: Lex vſq; ad Ioannẽ, nõ de tota lege intelligitur.*

Legis quidem nomen vnum eſt, ſed tripartitam habet intelligentiam. Prima enim pars legis de Deo eſt. Sic enim lex ab electione dicta eſt, vt de multis quid eligas ſcias. Inter errores ergo poſiti acceperunt, vt eligant verum, id eſt, reprobato Diabolo eligant Deum. Secunda autem legis pars hæc eſt, quæ præceptis continetur, quæ ſic incipit. Honora patrem & matrem. Tertia verò in neomeniis & in ſabbato eſt, & in eſcis diſcernendis ac eligendis, & in circunciſione, & in hoſtiis pecudum offerendis. Hanc itaque legem dicit (*Chriſtus*) vſque ad Ioannem, non vltrà ſeruandam. Sic enim data eſt, vt completo tempore ceſſaret. Nec enim fuit ab initio, ſed ex cauſa data ad tempus eſt, vt aduenìẽte ſaluatore ceſſaret lex. Ergo de Deo manet tam lex præceptorum, quàm natura eius. *Tom.4.quæſt.noui teſtamẽti, q.15.*

*Quædam in ſcripturis poſita ſunt, vt tantũ ſciãtur & credãtur: quædã verò vt ſimul etiã obſeruẽtur & fiant.*

* *Geneſ.1.*

Quis ignorat ſcripturis ſanctis, id eſt, legitimis Propheticis, Euãgelicis & Apoſtolicis, auctoritate canonica prædictis, quædã ſic eſſe poſita, vt tãtùm ſcirentur & crederentur: vt eſt: * quòd in principio fecit Deus cœlũ



& terram: Et,* quòd in principio erat verbũ: & quæcũque facta diuina vel humana tantũmodo cognoſcenda narrãtur. Quædã verò ſic eſſe iuſſa, vt obſeruarentur & fierent, vel prohibita ne fierent, vt eſt: *Honora patrẽ & matrem:* Et, *Non mœchaberis.* Horũ autem quæ iubendo & vetãdo ſcripta ſunt, alia ſunt ſacramentorum velatã myſteriis, quæ multa veteris teſtamenti, populo illi facienda mãdata ſunt: neque à populo Chriſtiano nunc ſiunt ſed tantũmodo intelligenda requirũtur, atque tractantur: ſicuti eſt ſabbatũ ad viſibilem vacationẽ, ſicut azyma in pane ſine fermento, paſcha in occiſione, ſicut tot genera ſacrificiorũ, ciborũmque vitandorũ, & neomeniæ, & annuæ ſolennitates, quas obſeruãt nũc vſque Iudæi: & illæ iuſtificationes, quæ non ad opera iuſtitiæ propriè pertinent, ſed aliquid ſignificare intelliguntur. Quis enim Chriſtianus ſeptimo anno cogitur ſeruum reddere libertati, & ſi diſcedere ille noluerit, eius auriculã * ſubula pertũdere ad poſtẽ: & cætera huiuſmodi? Alia verò etiã nunc facienda ſunt, ſi facienda præcepta ſunt, nec faciẽda ſi prohibita. Qualia ſunt illa quæ dixi: * *Honora patrẽ & matrem:* Et, *Non mœchaberis.* De his igitur, quæ ita ſunt poſita in literis ſacris, vel iubendo, vel vetãdo, vel ſinendo, vt etiã nunc, id eſt, tẽpore noui teſtamenti ad vitam piam exercendã moréſque pertineãt, hoc opus cõponere aggreſſus ſum. *To.3.præfat.in ſpeculũ.*

* *Ioan.1.*

* *Exod.20. Deut.5. Matth.15. Mar.7.10. Epheſ.6.*

*Cærimonialia antiquæ legis abrogata.*

* *Exod.21. Deut.15.*

*Moralia veteris legis etiã nũc, id eſt, tẽpore noui teſtamenti obſeruanda.*

* *Exod.20. Deut.5. Matth.15. Mar.7.10. Epheſ.6.*

*Quæ præcepta veteris legis ſeruanda Chriſtianis, & quæ non obſeruanda.*

Iudæo dicenti mihi, cur tenes vetus Teſtamentũ, cuius præcepta non ſeruas? reſpondeo: Seruari à Chriſtianis etiam ex ipſis libris præcepta vitæ agendæ: præcepta verò vitæ ſignificandæ tunc rectè obſeruata, cùm prænunciabantur iſta, quæ nunc reuelata ſunt. Quapropter etiam ipſa ſic non obſeruo ad religionem, vt teneam tamen ad teſtificationem: ſicut & promiſſa carnalia, quæ ibi continentur: vnde propriè vetus dicitur teſtamentum. *Tom.6.lib.10.contra Fauſtum Manich.cap.2.*

* *Exod.20.*

*In veteri & nouo teſtamẽto, nec ſacramẽta, nec promiſſa eadem, ſed præcepta ferè eadem.*

Si diſcernimus duo teſtamenta, vetus & nouum, non ſunt eadem Sacramenta, nec eadem promiſſa, eadem tamen pleraque præcepta. Nam, non * occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem & matrem, non falſum teſtimonium dixeris, non concupiſces res proximi tui, & non concupiſces vxorem

*Matt.19.* *Mar.*10. *Luc.*18. * *Pſal.*14. * *Pſal.*23.

proximi tui,& nobis*præceptum & eſt,quiſquis ea non obſeruauerit deuiat, nec omnino dignus eſt, qui accedere mereatur montem ſanctum Dei, de quo dictũ eſt: * *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo? Innocens* manibus & mũdo corde. Et paulò pòſt.* Diſcuſſa ergo præcepta, aut omnia eadem inueniuntur, aut vix aliqua in Euangelio,quæ non dicta à prophetis. Præcepta eadem,ſacramenta non eadem,promiſſa non eadem. Quare præcepta eadem? quia ſecundùm hæc, Deo ſeruire tenemur. *Tom.8 in Pſal.73.*

*Quare præcepta eadem.*

Non ergo quia miſericordia præferenda eſt,contemnenda putetur iuſtitia,cuius reuerentia ſi non eſſet,ipſa miſericordia fructum non haberet.Niſi autem hãc ſeruauerint poſt acceptam miſericordiam, nihil illis proderit indulgentia.Nam dixit lex,* Non facies tibi idolum,neque adoraueris quæ in cœlo ſurſum ſunt,& quæ in terra deorſum,& non peierabis,& honora patrem & matrem,& non occides,neque fornicaberis,neque furtum facies,non dices falſum teſtimonium, neque concupiſces quicquam proximi tui. Nunquid hæc ceſſaſſe dicenda ſunt? Abſit. Sine his enim quis poterit vel in hac vita idoneus iudicari? Ac per hoc cætera ceſſauerunt,quæ ſuprà diximus,neomeniæ,ſabbata, lex eſcarũ, ſacrificia, circuncíſio &c. *Tom.4. quæſt.vet. & noui Teſtamenti, q.69.*

*Iuſtitia poſt acceptã miſericordiã,ſi nõ ſeruetur, nihil nobis proderit indulgẽtia.* * *Exod.*20. *Deut.*5.

## IX. *Quo ſenſu Chriſtiani dicantur mortui legi, vel non eſſe ſub lege.*

SI ſpiritu (*inquit Apoſtolus**) ducimini,non eſtis ſub lege, vtique lege quæ timorem incutit, non tribuit caritatem, quæ caritas Dei * diffuſa eſt in cordibus noſtris nõ per legis literam, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis,non ſeruitutis, quia caritatis vtique, non timoris. De qua & Iacobus Apoſtolus ait: * *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis*: vnde & ille non quidem iam lege Dei terrebatur vt ſeruus,ſed cõdelectabatur * ei ſecundum interiorem hominem. *Et paulò pòſt.* In quantum quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege, quia inquantum condelectatur legi Dei, non eſt ſub legis timore, quia

* *Gal.*5. * *Rom.*5. * *Iac.*1. * *Rom.*7. *Eſſe ſub lege, eſt non cõdelectari legi.*



timor tormentum habet,non delectationem. *Tom.7.de nat.& grat.cap.57.*

*Dei, ſed legis timore torqueri.*

In lege Domini fuit voluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte.) *Iuſto non eſt lex poſita*, vt dicit Apoſtolus: * ſed aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege. Qui eſt in lege, ſecundùm legem agit,qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur. Ille ergo liber eſt,iſte ſeruus. Deinde aliud eſt lex quæ ſcribitur & imponitur ſeruiẽti: aliud lex quæ conſpicitur ab eo qui non indiget literis. *Tom,8.ſuper Pſal.1.verſu primo.*

* *1.Tim.1.* *Aliud eſt eſſe ſub lege, aliud in lege.*

Non ſumus ſub lege bonum quidem iubẽte, non tamen dante, ſed ſumus ſub gratia, quæ id quod lex iubet,faciens nos amare, poteſt liberis imperare. *Tom.4. de continentia, cap.3.*

Vſitatius vocatur lex, quãdo minatur & terret & vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex eſt,amãtibus gratia eſt. Inde eſt illud in Euangelio: * Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Eadem quippe lex,quæ per Moſen data eſt, vt formidaretur, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt,vt impleretur. Sic ergo dictũ eſt: * Mortui eſtis legi. *Tom.4.ad Simplicianum,lib.1.q.1.prope finem.*

*Idẽ præceptũ timẽtibus lex eſt, amãtibus gratia eſt.* * *Ioan.* 1. * *Rom.*7.

Prima actio (*hominis*) eſt ante legem, cùm peccatum ignoramus,& ſequimur carnales concupiſcentias. Secunda ſub lege eſt actio, cum iam prohibemur à peccato,& tamen eius conſuetudine victi peccamus, quoniam nos nondum adiuuat fides. Tertia actio eſt,quãdo iam pleniſſimè credimus liberatori noſtro, nec noſtris meritis aliquid tribuimus,ſed eius miſericordiam diligendo,iam non vincimur delectatione conſuetudinis malæ,cum nos ad peccatum ducere nititur, ſed tamen adhuc eam interpellantem patimur,quãuis ei non cedamus. Quarta in pace, cum omnino nihil eſt in homine,quod reſiſtat ſpiritui, ſed omnia ſibimet concorditer vnita & connexa, vnum aliquid firma pace cuſtodiunt. Quod fiet, cùm mortale * hoc induerit immortalitatem. *Et infrà.* In prima actione, quæ eſt ante legem, nulla pugna eſt cum voluptatibus ſeculi. In ſecunda, quæ eſt ſub lege, pugnamus, ſed vincimur. In tertia pugnamus & vincimus. In quarta nõ pugnamus,

*Quadruplex actio hominis.* * *1.Cor.*15.

ſed æterna & perfecta pace requieſcimus. Subditur enim nobis quod inferius noſtrum eſt &c. *Tom. 4. 83. quæſtionum, q. 66. Eandem diſtinctionem habes in expoſ. quarundam propoſ. ex epiſtola ad Romanos, prop. 13.*

Magna mihi videtur quæſtio, quid ſit eſſe ſub lege ſic, quemadmodum Apoſtolus culpat. Neque enim propter circuncisionem hoc eum arbitror dicere: aut illa ſacrificia, quæ tunc facta à patribus, nunc à Chriſtianis non fiunt, & cætera huiuſmodi, ſed hoc ipſum etiam, quod lex iubet: * *Non concupiſces*: quod fatemur certè Chriſtianos debere obſeruare, atque euangelica maximè illuſtratione prædicari. Legem dicit * eſſe ſanctam, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Deinde ſubiungit: Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mãdatum. Quòd autem hîc dicit, peccatum per mandatum fieri ſupra modum, hoc alibi ait. * *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Et alibi, cùm ſuperius de diſpenſatione gratiæ loqueretur, quod ipſa iuſtificet, velut interrogans ait: * Quid ergo lex? Atque huic interrogationi continuè reſpondit: Præuaricationis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt. Hos ergo damnabiliter dicit eſſe ſub lege, quos reos facit lex non implentes legem, dum non intelligendo gratiæ beneficium, ad facienda Dei præcepta, quaſi de ſuis viribus ſuperba elatione præſumunt. *Plenitudo* * *enim legis caritas. Caritas* * *verò Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, non per noſipſos, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Tom. 2. epiſt. 19. ad Hieronymum.*

* Exod. 20.
*Deut. 5.*
*Rom. 13.*
* *Rom. 7.*
* *Rom. 5.*
*Matth. 11.*
* *Gal. 3.*
*Sub lege ſũt, quos reos facit lex nõ implẽtes legem, eò quòd gratia neglecta, de ſuis viribus præſumant.*
* *Rom. 13.*
* *Rom. 5.*

## *X. Vtriuſque pariter Teſtamenti finem eſſe caritatem.*

QVicquid ſalubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet diuina pagina exſculpitur; non habet finem, niſi caritatem. *Tom. 8. Præfat. in Pſal. 140.*



Totam magnitudinem diuinorum eloquiorum & latitudinem ſecura poſſidet charitas, qua Deum proximúmque diligimus. Docet enim nos cæleſtis vnus magiſter, & dicit: * *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tanquam teipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Si ergo non vacat omnes paginas ſanctas perſcrutari, omnia inuolucra ſermonum euoluere, omnia ſcripturarum ſecreta penetrare, tene charitatem, ibi pendent omnia: ita tenebis, quod ibi didiciſti, tenebis etiam, quod nondum didiciſti. Si enim noſti charitatem, aliquid noſti, vnde & illud pender, quod fortè non noſti. Et in eo quod in ſcripturis intelligis, charitas patet: in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet & quod patet, & quod latet in diuinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus. *Tom. 9. de laudibus charitatis. Citatur ſermo hic à venerabili Beda Auguſtini nomine in Epiſtolam priorem ad Timotheum. Et eſt in indiculo Poßidonij. In ſententiis etiam à B. Proſpero ex eodem quædam depromuntur. Lapſus igitur Eraſmus eſt in huius Tractatus cenſura.*

* *Deut. 6.*
*Matth. 22.*
*Mar. 12.*
*Luc. 10.*
*Charitas in Deum et proximum omnium ſcripturarum plenitudo.*

Intelligatur Legis & omnium diuinarum ſcripturarum plenitudo * & finis eſſe dilectio rei, qua fruendum eſt, & rei, quæ nobiſcum ea re frui poteſt, quia vt ſe quiſque diligat, præcepto non eſt opus. *Et paulò poſt:* Quiſquis igitur ſcripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, ita, vt eo intellectu non ædificet geminam iſtam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. *Tom. 4. de doctrina Chriſt. lib. 1. cap. 35. & 36.*

* *Rom. 13.*
*Omnis ſcripturarum expoſitio ſyncera charitatẽ ædificare debet.*

Multa ſunt in ſcripturis ſanctis diuina præcepta, quæ omnia cõmemorare nimis operoſum eſt. Sed Dominus qui verbũ * conſummans, & breuiãs fecit ſuper terrã, in duobus præceptis * dixit legem prophetáſque pẽdere: vt intelligeremus quicquid aliud diuinitus præceptum eſt, in his duobus habere finem, & ad hæc duo eſſe referendum: * *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tanquam teipſum. In his*, inquit, *duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Quic-

* *Rom. 9.*
* *Matt. 22.*
* *Matt. 22.*
*Mar. 12.*
*Luc. 10.*

quid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere, ad hoc prohibemur & iubemur, vt duo iſta compleamus. Et fortè generalis prohibitio eſt,* *Non concupiſces*, & generalis iuſſio, *Diliges*. Vnde breuiter & Apoſtolus Paulus quodam loco * vtrunque complexus eſt, Prohibitio enim eſt, Nolite conformari huic ſeculo: Iuſſio autem, ſed renouamini in nouitate mentis veſtræ. Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere: Illud ad continentiam, hoc ad iuſtitiam: Illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Nõ concupiſcendo enim vetuſtate exſpoliamur, & nouitate induimur diligẽdo. *To.7.de perfe.iuſt.con.Celeſtiũ,reſponſ.11.*

*Exod. 20. Deut.5. Rom.7.13. * Rom.12.*

Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apoſtolus:* *Finis autem præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Omnis itaque præcepti finis eſt charitas, id eſt, ad charitatẽ refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt nõ referatur ad illã charitatem, quam diffundit* Spiritus ſanctus in cordibus noſtris, nõdum fit quemadmodum fieri oportet, quanuis fieri videatur. Charitas quippè iſta Dei eſt & proximi: & vtique in his duobus præceptis * tota lex pendet & prophetæ. Adde Euangelium, adde & Apoſtolos: non enim aliunde vox iſta, *finis * præcepti eſt charitas*: &, * *Deus eſt charitas.* Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus vnum eſt:* *Non mœchaberis*; & quæcunque non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur, ex quibus vnum eſt:* *Bonum eſt homini mulierem non tangere*: tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum. *Tom.3.in Enchirid.cap. 121.*

** 1.Tim.1. * Rom.5. Ex duobus præceptis charitatis pendet lex & prophetæ, Euangel. & Apoſtoli. * Matt.22. * 1.Tim.1. * 1.Ioan.4. * Exod.20. Deut.5.*

*Ex his facilè intelligere eſt, quantopere fallantur illi, qui fidem charitate præſtantiorem, imò eius formam & animam eſſe nugantur. Sequeretur enim in fide potius, quàm charitate plenitudinem & finem diuinarum ſcripturarum conſiſtere: niſi fortè finis ignobilior ſit iis, quæ propter ipſum vel ſunt, vel facta ſunt, vel etiam charitas Chriſti ac beatorum informis & exanimis ſit, quòd fidem non habeat adiunctam.*

*Diſtinguuntur ergo à præceptis conſilia, & vtraq; ad charitatem referenda ſunt. * 1.Cor.7.*



## *XI. Euangelica gratia, quæ eſt charitas diffuſa in cordibus noſtris, legem impleri.*

CVr liberati ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus* in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ, ſi lex bona eſt? Quoniam lex litera eſt eis, qui nõ eam implent per ſpiritum charitatis, quò pertinet Teſtamentum nouum. Itaque mortui peccato, liberantur à litera, qua detinentur rei qui non implent, quod ſcriptum eſt. Lex enim quid aliud, quàm ſola litera eſt eis, qui eam legere nouerunt, & implere non poſſunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conſcripta eſt, ſed quoniam in tantum nota eſt, in quantum ſcripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil eſt aliud talibus niſi litera, quæ litera non eſt adiutrix legẽtium, ſed teſtis peccantium. Ab eius ergo damnatione liberantur, qui per ſpiritum innouantur, vt iam non ſint obligati literæ ad pœnam, ſed intellectui per iuſtitiam copulati. Inde eſt illud:* *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Lex enim tantummodo lecta, & non intellecta, vel non impleta, vtique occidit, tunc enim appellatur litera. Spiritus autem viuificat, quia plenitudo * legis eſt charitas, quæ fuſa * eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Tom. 4. ad Simplic. lib. 1. quæſt.1. in fine.*

** Rom.7. Lex nihil nõ ſi litera eſt eis, qui eam legere nouerũt & implere nõ poſſunt. Qui per ſpiritum innouantur, à legis damnatione liberantur, & eius intellectui per iuſtitiam copulantur.*

Nemo poteſt legem implere per legem. Plenitudo * enim legis charitas. Charitas* autẽ Dei non per legẽ diffuſa eſt in cordibus noſtris, ſed per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Proinde per legem gratia demonſtratur, vt lex per gratiam compleatur. *Tom. 7. de gratia Chriſti contra Pelag. cap 9.*

** 2.Cor.3. * Rom.13. * Rom.5.*

Miro quodam modo, ſed tamen vero, iuſtitiam legis non implet iuſtitia quæ in lege eſt, vel ex lege, ſed* quæ in ſpiritu gratiæ. Iuſtitia quippè legis impletur in* eis, ſicut ſcriptum eſt:* Qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum. *Tom.7. contra duas Epiſt. Pelag. lib.3. cap.7.*

** Rom.13. * Rom.5. * Rom.8. * Rom.5.*

Lex reos tenebat occidente litera, dum præceptum non impleretur, antequam viuificaret ſpiritus: quia charitas* Dei, quæ præceptum implet, diffunditur in cordi-

bus noſtris.*Tom.2.Epiſt.120 cap.4.ad Honoratum.*

* 1.Cor.15.

Virtus peccati * lex. Prohibitio enim peccati quod eſt lex,auget profectò deſiderium peccandi : quod non extinguitur,niſi contrario deſiderio rectè faciendi, vbi fides * per dilectionem operatur. Hoc autem non præſtat litera iubẽs, ſed ſpiritus iuuans:nõ lex ergo,ſed gratia, non vetus Teſtamentum in ſeruitutem generans, quod eſt Agar,ſed nouum,in quo non ſunt * ancillæ filij,ſed liberæ,qua libertate Chriſtus nos liberauit. *Tom.6.contra aduerſ.leg.& prophet.lib.2.cap.7.*

* Gal.5.
* Gal.4.

Legem volunt intelligi gratiam:vt ſcilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus: quo ea quæ facienda ſunt, nouerimus:non inſpirationem dilectionis, vt cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt. *Tom.7.contra duas epiſtolas Pelag.lib.4.cap.5.*

*Spiritus ſancti operatione fit vt lex Dei obediendo & diligendo teneatur.*

Lex Dei atque doctrina,quamuis ſancta & iuſta & bona,tamen occidit,ſi non viuificat ſpiritus,per quem fit, non vt audiendo,ſed vt obediendo, neque vt lectione, ſed vt dilectione teneatur. *Tom.2.Epiſt.107.ad Vitalem, circa medium.*

Superbos multum ſibi tribuentes,mandati ſancti & iuſti,& boni adiectio, reos etiam præuaricationis effecerat: vt eo modo humiliati, diſcerent ad gratiam pertinere per fidem,vt iam non eſſent legi ſubditi per reatum, ſed legi ſociati per iuſtitiam . *Et paulò poſt.* Ecce quod eſt: * *Non veni legem ſoluere,ſed adimplere.* Quia lex ſuperbos etiam præuaricationis reatu deuinxit, augendo peccatum,cùm iubet quod implere non poſſunt:ipſius legis impletur iuſtitia per gratiam ſpiritus, in eis, qui diſcunt à Chriſto mites * eſſe atque humiles corde. *Tom.6.contra Fauſtum Manich.lib.19.cap.7.*

* Matth.5.
* Matth.11.

Lex enim poſita eſt in veteri Teſtamento, quæ conuinceret tranſgreſſores, quæ ſubintrauit, * vt abundaret delictum. Non enim implebatur timore,quæ non impletur niſi caritate. Et ideò dicitur opus Dei, quia Deus legem conſtituit, Deus conſcripſit: nullum opus hominis,quia homo Deo non obtẽperauit, & eum potius reum lex fecit. In ſecũdis autem tabulis homo per adiutoriũ Dei tabulas fecit atque cõſcripſit, quia noui Teſtamenti charitas legem fecit. Vnde dicit Dominus,

* Rom.5.



* *Non veni legem ſoluere,ſed adimplere.* Dicit autem Apoſtolus: *Plenitudo legis charitas: & fides,quæ per dilectionem operatur.* Factum eſt itaque homini facile in nouo Teſtamento,quod in veteri difficile fuit,habenti fidem, quæ per dilectionem * operatur : Atque illo digito Dei, hoc eſt, Spiritu Dei intus eam in corde ſcribente, non foris in lapide. Vnde dicit Apoſtolus : * Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, quoniam charitas Dei,qua veraciter impletur præceptum, diffuſa *eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Tom.4.ſuper Exod.quæſt.166.*

* Matth.5.
* Rom.13.
* Gal.5.
* 2.Cor.3.

*Charitate Dei diffuſa in cordibus noſtris veraciter impletur præceptũ.*

Id agit gratia vt dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. Gratia* quippè Dei diffunditur charitas in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis,propter quod ipſe Dominus dicit: * Non veni legẽ ſoluere, ſed adimplere. Et idẽ Apoſtolus:* Plenitudo legis charitas eſt. *To.8 in Pſa.118.cõc.26.*

* Rom.5.
* Rom.5.
* Matth.5.
* Rom.13.

Sic videt (*Eccleſia*)non reprehendi legem, cùm dicitur:* *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat*, ſicut non reprehenditur ſcientia cùm dicitur: * *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Nam vtique ipſe dixerat, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus:& tunc adiungit: Sciẽtia inflat, charitas verò ædificat. Vt quid ergo habebat ipſe quo inflaretur, niſi quia cum charitate non ſolùm non inflat ſcientia, ſed etiam firmat? Ita litera cum ſpiritu,& lex cum gratia,iam non eo modo litera & lex appellatur, ſicut per ſeipſam cùm occidit abundante delicto. *Et paulò poſt.* Eadem quippè lex quæ per Moſen * data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt,cùm acceſſit literæ ſpiritus,vt inciperet impleri iuſtitia legis, quæ non impleta reos etiam præuaricatione faciebat. *Tom.6.contra Fauſtum,lib.15.cap.8.*

* 2.Cor.3.
* 1 Cor. 8.

*Litera cum ſpiritu non appellatur litera.*

*Lex cum gratia non appellatur lex ſicut per ſe ſumpta.*

*Quomodo eadem lex per Moſen data, fiat gratia et veritas per Ieſum Chriſtum facta.*

* Ioan.1.

Legem veteris Teſtamenti nos aiunt (*Pelagiani*) dicere non ob hoc datam fuiſſe,vt iuſtificaret obedientes, ſed vt grauior fieret cauſa peccati. Prorſus non intelligunt, quid de lege dicamus, quia id quod dicit Apoſtolus, * quem non intelligunt,dicimus: Quis enim dicat, non iuſtificari eos, qui ſunt legi obedientes, quando ſi non iuſtificarentur, non poſſent eſſe obedientes? Sed dicimus lege fieri, vt Deus quid fieri velit, audiatur: gratia

* Rom.5.

verò fieri,vt legi obediatur.Non enim auditores legis, *Rom.2. Iacob.1.* ait Apoſtolus,* iuſti ſunt apud Deum,ſed factores legis iuſtificabuntur. Lex ergo auditores iuſtitiæ facit, gratia factores. *Et paulò poſt.* Non ſunt itaque liberæ filij,qui legem acceperunt literæ, qua poſſent non ſolùm peccatores, verùm etiam præuaricatores inſuper demonſtrari,ſed qui ſpiritu gratiæ, quo lex ipſa ſancta *Rom.7.* * & iuſta & bona poſſit impleri.Ecce quod dicimus,intendant,& non contendant,illuminentur, & non calũnientur. *Tom.7.contra duas Epiſt.Pelag.lib.3.cap.2.*

Dicimus hanc eſſe intentionem legis arguentis, vt propter illa quæ perperam fiunt,confugiatur ad gratiã Domini miſerantis, velut pædagogo concludente in eadem fide,quæ poſtea reuelata eſt, vbi & remittantur, quæ malè fiunt, & eadem gratia iuuante non fiant. *Tom.7.de nat.& grat.cap.12.*

## XII. *Quomodo intelligendum illud Apoſtoli: Plenitudo autem Legis charitas.*

VEni ad Chriſtum,vides inde finem omnis conſummationis. Quis eſt iſte finis? Paulum interroga, *1.Tim.1. Rom.13.* * *Finis autem præcepti eſt charitas,de corde puro,& conſcientia bona, & fide non ficta.* Alio loco: * *Plenitudo autem legis charitas.* Quid tam finitum & terminatum, quàm plenitudo?Etenim fratres, finem poſui laudabiliter,nolite putare conſumptionem, ſed cõſummationem:aliter enim dicitur,finiui panem:aliter,finiui tunicam: finiui panem manducando,finiui tunicam texendo: & ibi finis ſonat, & illic finis ſonat: ſed tamen panis finitur,vt conſumatur,tunica finitur, vt conſummetur: panis finitur,vt non ſit, tunica finitur vt perfecta ſit. *Tom.9.in Epiſt.Ioannis,Tract.10.*

*Charitas ideò Legis eſt plenitudo,quòd legẽ non abroget,ſed impleat.*

Finis enim præcepti * eſt,dixit. Quid eſt finis præcepti? quo perficiuntur præcepta, non quo conſumũtur. Aliter enim dicimus, finitus eſt cibus: aliter dicimus,finita eſt tunica,quæ texebatur:finitur, vt perfecta ſit.Et hìc finis dicitur & ibi.Non ergo hìc finem præcepti dixit,quo quaſi pereant præcepta, ſed quo perficiantur,& conſummentur,non cõſumantur.Finis ergo propter tria illa:Finis,inquit,* præcepti eſt charitas de

*1.Tim.1. Charitas finis præcepti, non conſumẽs, ſed cõſummãs & perficiens. 1.Tim.1.*



corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. *Tom.8.in Pſal.31.in Præfat.*

Quod Dominus dicit: * In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ:Pendet,dixit, id eſt, illo refertur, ibi habet finẽ. *Tom.4.quæſt. Euang.lib.1.cap.33.* *Matt.22.*

Quod autem dicit: * Qui enim diligit proximum, legem impleuit,oſtendit conſummationem legis in dilectione poſitam,id eſt,in charitate. Vnde & Dominus * in illis duobus præceptis totam legem pendere dicit, & omnes prophetas id eſt,in dilectione Dei & proximi.Vnde & ipſe,qui legem * venit implere, dilectionẽ donauit per Spiritum ſanctum, vt quod antea timor implere non poterat, charitas poſtmodum impleret. Inde eſt & illud eiuſdem Apoſtoli: * Plenitudo autẽ legis charitas.Et illud:* Finis autem præcepti eſt charitas,de corde puro,& conſcientia bona, & fide non ficta. *Tom.4.Expoſitione quarundam propoſitionũ ex Epiſtola ad Roma.propoſ.75.* *Rom.13. Matt.22. Matth.5. Rom.13. 1.Tim.1.*

Lex impletur,dum non cupiditate rerum temporalium,ſed charitate illius,qui præcepit,fiũt, quæcunque præcepit. *Tom.4.de Catechizand.rud.cap.22.*

Plenitudo * legis eſt charitas, quia per charitatem lex impletur, non per timorem. In tantum enim fiunt mandata iuſtitiæ, in quantum adiuuat Spiritus gratiæ. *Tom.3.lib.ſent.ſent.223.* *Rom 13.*

Lex adducit ad fidem,fides impetrat ſpiritum largiorem,diffundit * ſpiritus charitatem,implet charitas legem.*Et paulò poſt:*Ne litera ſine ſpiritu occidat, ſpiritus viuificans credentibus & inuocantibus datur,charitas * verò Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctũ,qui datus eſt nobis,vt fiat quod idem Apoſtolus dicit: * Plenitudo legis charitas. Ita bona eſt lex illi,qui ea legitimè vtitur. Vtitur autem legitimè,qui intelligens quare ſit data, per eius cõminationem cõfugit ad gratiam liberantem. *Tom.2.Epiſt.144. ad Anaſtaſium.* *Rom.5. Charitas legem implet. Rom.5. Rom.13.*

Neſciunt (*Manichæi*) quomodo adimpleat legem, qui ſic viuit,vt lex præcepit. *Plenitudo enim legis charitas*: ſicut dicit * Apoſtolus.Iſtam charitatem Dominus exhibere & donare dignatus eſt, mittendo fideli- *Rom.13.*

* Rom.5.
* Ioan.13.
* Ioan.1.
*Lex cùm impletur, fit gratia & veritas.*
* Matth.5.

bus ſuis Spiritum ſanctum. Vnde item dicit idem Apoſtolus: * *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et ipſe dominus: * *In hoc ſcient omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi vos inuicem diligatis.* Impletur ergo lex, vel cùm fiunt, quæ ibi præcepta ſunt, vel cùm exhibentur, quæ ibi prophetata ſunt. *Lex enim * per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ipſa lex cùm impleta eſt, gratia & veritas facta eſt, gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem, & quia vtrunque per Chriſtum, ideò non venit ſoluere * legem, ſed adimplere. *Tom.6. contra Fauſt. Manich. lib.17. cap.6.*

*Non diſcernuntur filij Dei à filiis diaboli, niſi charitate.*
* 1. Ioan. 4.
* Rom.13.
* Matt.13.
* 1. Cor.13.

Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios diaboli: ſignent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeat omnes, Amen, cantent omnes Halleluia, baptizentur omnes, intrent Eccleſias, farciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filij Dei à filiis diaboli, niſi caritate. Qui habent charitatem, nati * ſunt ex Deo: qui non, non ſunt nati ex Deo. Magnum iudiciū, magna diſcretio. Quicquid vis habe: hoc ſolum nō habeas, nihil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas, hoc habe: & implebis legē. Qui enim * diligit alterum, impleuit legem, ait Apoſtolus, & plenitudo legis charitas. Puto margaritā eſſe illam, pro qua homo negociator deſcribitur in Euangelio, * qui inuenit eam margaritā, & vendidit omnia quæ habebat, & emit eam. Hæc eſt margarita precioſa, charitas, ſine qua * nihil tibi prodeſt, quodcunque habueris: quam ſi ſolam habeas, ſufficit tibi. *Tom.9. in Euangel. Ioannis, Tract.5.*

*Matth.5.
* Gal.5.
* Rom.13.

Vides quàm ſit aliter intelligendum quòd ait: * Non ſe veniſſe legem ſoluere, ſed adimplere: ſcilicet, vt non quaſi ſemiplena iſtis verbis integraretur, ſed vt quod litera iubente propter ſuperborum præſumptionē non poterat, ſuadente gratia propter humilium confeſſionem impleretur opere factorum, non adiectione verborum. *Fides enim* ſicut Apoſtolus ait: * *per dilectionē operatur.* Vnde idem dicit: * *Qui enim diligit alterum, legem impleuit.* Iſtam charitatem, quia veniens Chriſtus per Spiritum ſanctū, quem promiſſum miſit, in mani-



* Matt.5.
* Ioan.13.

feſtatione donauit, qua ſola charitate iuſtitia legis poſſet impleri: propterea dixit: * *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Hoc eſt nouum teſtamentum, quod huic dilectioni hæreditas regni cœlorū promittitur, quod in figuris veteris Teſtamenti pro temporum diſtributione tegebatur. Vnde idem dicit: * Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. *Tom.6. contra Fauſtum Manich. lib.19. cap.27.*

*Quis nō videat, ſtudioſe Lector, imperitas atque ineptas hæreticorum ſpeculationes? Non poſſumus, inquiunt, nos legem implere, quandiu hîc viuimus, ſed vnus Chriſtus legem pro nobis impleuit, cuius impletio dum imputatur nobis per fidem, reputamur etiam nos legem impleuiſſe. Ergo Chriſti tantùm aut beatorum charitas, legis finis vel plenitudo dicenda fuerat: nunc verò cùm charitas illa, quæ ſocia eſt fidei non fictæ, Apoſtoli & Auguſtini ſententia, legis finis & πλήρωμα ſit, conſequitur neceſſariò, nec charitatem Chriſti, nec beatorum, in quibus fides locum non habet: ſed charitatem hîc adhuc viuentium & militantium, ab Apoſtolo & Auguſtino legis finē & πλήρωμα hoc loco nominari. Poſſunt igitur hîc adhuc degentes iuſti, quatenus viatores ſunt, Chriſti gratia iuuante, legem implere.*

* Leuit.19.
* Rom.13.

### XIII. *Veterem legem eandem fieri cum noua, ſi charitate debita impleatur.*

*Vetus lex etiam lex Chriſti, cum impletur caritate.*
*Eadē ſcriptura & idē mandatū eſt teſtamentū vetus & nouum, ſub diuerſa ratione.*

SI autem implet legem, qui diligit proximum, dilectióque proximi etiam in veteribus * ſcripturis maximè commendatur: in qua dilectione dicit alio loco idem Apoſtolus, * recapitulari omnia mandata legis: manifeſtum eſt etiam illam ſcripturam, quæ priori populó data eſt, legem Chriſti eſſe, quam venit implere charitate, quæ non implebatur timore. Eadem igitur ſcriptura & idem mandatum cū bonis terrenis inhiantes premit ſeruos, teſtamentū vetus: cùm in bona æterna flagrantes erigit liberos, teſtamentum nouum vocatur. *Tom. 4. in expoſ. Epiſt. ad Galat. cap.6.*

In hac mirabili congruentia illud certè plurimum

* *Exod.* 19. diſtat, quod ibi populus accedere * ad locum, vbi lex
dabatur, horrendo terrore prohibetur: hîc autem in
* *Act.* 2. eos ſuperuenit * Spiritus ſanctus, qui eum promiſſum
expectantes in vnum fuerant congregati. Ibi in tabu-
* *Exod.* 31. lis * lapideis digitus Dei operatus eſt, hîc in cordibus
humanis. Ibi ergo lex extrinſecus poſita eſt, qua iniuſti
terrerentur: hîc intrinſecus data eſt, qua iuſtificarentur.
* *Exod.* 20. Nam, Non * adulterabis, non homicidium facies, non
*Deut.* 5. concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandarũ, quod vtique
in illis tabulis ſcriptum eſt. In hoc, inquit, ſermone re-
* *Leuit.* 19. capitulatur, in eo quod diliges * proximum tuũ tanq̃
*Rom.* 13. teipſum. Dilectio proximo malũ non operatur. Pleni-
* *Exod.* 31. tudo autem legis eſt charitas. Hæc non in tabulis * cõ
* *Rom.* 5. ſcripta lapideis, ſed diffuſa * eſt in cordibus noſtris,
per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Lex ergo
Dei eſt charitas. Huic prudentia carnis non eſt ſubie-
cta, neque enim poteſt: ſed ad hanc prudentiam car-
nis terrendam cùm in tabulis ſcribuntur opera chari-
*Cùm in tabulis ſcribũtur opera charitatis, lex eſt operũ & litera occidens: cũ in corde credentium, lex fidei & ſpiritus viuificans.*
tatis, lex eſt operum & litera occidens præuaricatorẽ:
Cùm autem ipſa charitas diffunditur in corde creden-
tium, lex eſt fidei & ſpiritus viuificans dilectorem. Et
*paulò pòſt.* Manifeſtati, inquit (*Apoſtolus*) * quoniam
eſtis epiſtola Chriſti miniſtrata per nos, ſcripta nõ atra
mento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed
in tabulis cordis carnalibus. Ecce quemadmodum o-
ſtendit, quia illud extra hominem ſcribitur, vt eum fo-
rinſecus terrificet: hoc in ipſo homine vt eum intrinſe-
cus iuſtificet. *Tom.* 3. *de ſpirit. & lit. cap.* 17.
Omnis enim lex, inquit, * in vno ſermone impleta
eſt, in eo quòd diliges * proximum tuum tanq̃ teipſum.
* *2. Cor.* 3. Omnem ergo legem nunc dicit, ex his operibus, quæ
* *Gal.* 5. ad bonos mores pertinent. Quia & illa, quæ ſunt in ſa-
* *Leuit.* 19. cramentis, cùm bene à liberis intelliguntur, nec carna-
*Matt.* 22. liter obſeruantur à ſeruis, ad illa duo præcepta * refe-
* *Leuit.* 19. rantur neceſſe eſt, dilectionis Dei, & proximi. Rectè
*Matth.* 22. itaque accipitur ad hoc pertinere, quod etiam Domi-
* *Matth.* 5. nus ait: * *Non veni ſoluere legem, ſed implere*, quia erat
ablaturus timorem carnalem, ſpiritualem autẽ cha-
ritatem daturus, qua ſola lex impleri poteſt. Plenitudo
* *Rom.* 13. * enim legis charitas. *To.* 4. *expoſitione epiſt. ad Gal. ca.* 5.

Lex



Lex igitur data eſt * per Moſen: facta eſt autem gra- * *Ioan.* 1.
tia per Ieſum Chriſtum, cùm per eius ſpiritum chari-
tate diffuſa * in cordibus noſtris, fit vt quod lex præ-
cepit, impleatur. Quod enim per literam iubetur, non
litera, ſed ſpiritu impletur. Vnde illud quod ſcriptum
eſt: * *Non concupiſces*: per Moſen lex eſt, quia iubetur,
ſed per Ieſum Chriſtum fit gratia, quando quod iube- * *Rom.* 5.
tur, impletur: veritas autem facta * eſt per Ieſum Chri- * *Exod.* 20.
ſtum, propter illa, quæ in prophetia legis ſunt promiſ- *Deut.* 5.
ſa, quæ in Chriſto eminent reddita. *Tom.* 6. *contra ad-* *Rom.* 13.
*uerſ. legis & Prophet. lib.* 2. *cap.* 3. * *Ioan.* 1.

*Quomodo intelligendũ illud: Lex per Moſen data eſt, &c.*

*XIIII. Euangelicam gratiam & in veteris Teſtamenti patribus fuiſſe.*

SI non erat in hominibus Spiritus ſanctus ante Do-
mini viſibilem clarificationem, quomodo dicere po
tuit Dauid, * *Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à* * *Pſal.* 50.
*me*? Aut quomodo impleta eſt Elizabeth & Zacha-
rias vir eius vt prophetarẽt, & Anna & Simeon, de qui-
bus omnibus ſcriptum eſt, * quòd impleti ſunt Spiri- * *Luc.* 1.
tu ſancto, vt illa quæ in Euangelio legimus dixerint? *& 2.*
Vt autem quædam latenter, quædam verò per creatu-
ram viſibilem viſibiliter Deus operetur, pertinet ad gu
bernationem prouidentiæ, qua omnes diuinæ actio- * *Matth.* 3.
nes, locorum temporúmque ordines, diſtinctione pul- *Marc.* 1.
cherrima peraguntur, cùm ipſa diuinitas nec teneatur, *Luc.* 3.
nec migret locis, nec tendatur, varietúrue tempori- *Ioan.* 1.
bus. Quomodo autem ipſe Dominus ſecum habebat
vtique Spiritum ſanctum in ipſo homine quem gere-
bat, quando vt baptizaretur * venit ad Ioannem, & ta-
men poſteaquàm baptizatus eſt deſcẽdere in eum Spi-
ritus ſanctus viſus eſt in columbæ ſpecie: ſic intelligẽ-
dum eſt, & ante manifeſtum & viſibilem aduentũ Spi-
ritus ſancti, quoſcunque homines ſanctos eum laten-
ter habere. *Tom.* 4. 83. *quæſtionum, quæſt.* 62.

*Spiritũ ſanctũ ante viſibilem eius aduentum, omnes ſancti latenter habuerunt.*

Quanuis ergo nec lex per Moſen * data potuerit à * *Ioan* 1.
quoquam homine regnum mortis auferre, erant tamẽ *Legis tẽpo-*

*re homines Dei, nō ſub lege terrētē, ſed ſub gratia delectātē fuerunt.*

& legis tempore homines Dei non ſub lege terrente, conuincente, puniente, ſed ſub gratia delectante, ſanante, liberante. Erant qui dicerent: * Ego iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit: Et, * *Non eſt pax in oſsibus meis à facie peccatorum meorū*: Et, * *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Et: *Spiritu principali confirma me.* Et, *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Erant qui dicerent: * *Credidi, propter quod locutus ſum.* Eadem quippè & ipſi fide mundabātur, qua & nos. *Tom. 7. de pecc. orig. cap. 2*.

* *Pſal. 50.*
* *Pſal. 37.*
* *Pſal. 50.*
* *Pſal. 115.*
*2. Cor. 4.*

Regnum mortis ſola in quolibet homine gratia deſtruit Saluatoris, quæ operata eſt etiā in antiquis ſanctis, quicunque anteq̄ in carne Chriſtus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam, non ad legis literam, quæ iubere tantùm, non adiuuare poterat, pertinebant. Hoc nanque occultabatur in veteri Teſtamento pro temporum diſpenſatione iuſtiſsima, quod nunc reuelatur in nouo. *Tom. 7. de pecc. mer. et remiſſ. lib. 1. cap. 11.*

*Sancti veteris teſtamenti non ad literam legis, ſed ad gratiam pertinebant ſaluatoris.*

Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere iactitant (*Pelagiani*) Spiritum ſanctum adiutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe: niſi cùm vetus Teſtamentum ſic intelligimus, quemadmodum Apoſtolus dixit, * à monte Sina in ſeruitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur nouum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, ſecundum diſtributionē temporum, veteris quidem Teſtamenti diſpenſatores & geſtatores, ſed noui demonſtrantur hæredes. An verò illum ad Teſtamentum nouum negabimus pertinere, qui dicit: * Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis? Aut illum qui dicit: * *Poſuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos, & immiſit in os meum canticum nouum, hymnum Deo noſtro? Et paulò pòſt.* Siue igitur Abraham, ſiue ante illum iuſti, ſiue poſt eum vſque ad ipſum Moſen, per quem datum eſt teſtamētum à monte Sina in ſeruitutem * generans, ſiue cæteri Prophetæ poſt eum & ſancti homines Dei vſque ad Ioannem Baptiſtam, filij ſunt promiſsionis & gratiæ, ſecundùm Iſaac filium liberæ, non ex lege, ſed ex promiſſione

* *Gal. 4.*

*Iuſti qui tēpore legis fuerūt, veteris quidē teſtamenti diſpenſatores, ſed noui demonſtrantur hæredes.*

* *Pſal. 50.*
* *Pſal. 39.*
* *Gal. 4.*





hæredes Dei, cohæredes * autem Chriſti. Abſit enim, vt Noë iuſtum, & prioris temporis iuſtos, & quicunque ab illo vſque ad Abraham iuſti eſſe potuerunt, vel conſpicui vel occulti, negemus ad ſupernam * Hieruſalem, quæ mater noſtra eſt, pertinere, quanuis anteriori tempore inueniantur eſſe, quàm Sara, quæ ipſius liberæ matris prophetiam figurámque geſtabat. Quantò euidentius ergo poſt Abraham, cui ſic declarata eſt promiſſio, vt pater * multarum gentium diceretur, quicunque Deo placuerunt, filij promiſſionis habendi ſunt? Non enim ex Abraham & deinceps iuſtorum generatio verior, ſed prophetia manifeſtior reperitur. Ad Teſtamentum autem vetus, quod eſt à monte Sina, * in ſeruitutem generans, quod eſt Agar, illi pertinent, qui cùm acceperint legem ſanctam, * & iuſtam, & bonam, putant ſibi ad vitam literam poſſe ſufficere. Et ideò qua fiant factores legis, diuinam miſericordiam non quærunt, ſed ignorantes * Dei iuſtitiam, & ſuam iuſtitiam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. *Tom. 7. contra duas epiſtolas Pelag. lib. 3. cap. 4.*

* *Rom. 8.*
* *Gal. 4.*
* *Gen. 17.*
*Rom. 4.*

*Ad Teſtamentū vetus pertinēt, qui putant ſibi ad vitam literam poſſe ſufficere.*

* *Gal. 4.*
* *Rom. 7.*
* *Rom. 10.*

Eligimus igitur, vtrum antiquos ſanctos iuſtos ancillæ filios dicamus, an liberæ? Abſit autem, vt ancillæ, ergo filij * liberæ ad nouum pertinent Teſtamentum in Spiritu ſancto, quem viuificantem * literæ occidenti opponit Apoſtolus. Nam quo pacto ad gratiam noui Teſtamenti non pertinent hi, de quorum dictis & libris, iſtos (*Pelagianos*) eiuſdem gratiæ dementiſſimos & ingratiſſimos inimicos, refellendo conuincimus? *Et paulo pòſt.* Tempore igitur veteris Teſtamenti, Spiritum ſanctum in eis, qui etiam tunc ſecundùm Iſaac * promiſſionis filii erant, non ſolùm adiutorem, quod iſti ſuo dogmati ſufficere exiſtimant: verùm etiam largitorem dicimus fuiſſe virtutis. *Ibidem.*

* *Gal. 4.*
* *2. Cor. 3.*

*Spiritus ſanctus largitor & adiutor virtutis, etiā tempore veteris Teſtamenti.*

* Rom. 9.
*Gal. 4.*

# CAPVT OCTAVVM
## DE MANDATORVM DEI OBSERVATIONE, ET BONOrum operum ad Salutem neceſsitate.

### I. *Dei præcepta homini iuſtificato, & ſub gratia conſtituto non eſſe ad obſeruandum impoßibilia.*

*Nota qui Dei præcepta impoßibilia eſſe cauſaris.*
** Matth.11.*
*Charitati Chriſti ſarcina leuis eſt.*
** 1.Ioan.5.*
*Quare, præcepta Dei grauia non eſſe Ioannes dixerit.*

NON igitur Deus impoſſibilia iubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. *Tom.7. de natura & gratia, cap.43.*

Valde bona ſunt præcepta, ſi legitimè his vtamur. Eo quippè ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia nõ potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippè facilia fiunt caritati, cui vni Chriſti ſarcina * leuis eſt, aut ea vna eſt ſarcina ipſa quæ leuis eſt: ſecundùm hoc dictũ eſt: * Et præcepta eius grauia non ſunt: vt cui grauia ſunt, conſideret non potuiſſe diuinitus dici, grauia nõ ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt: & petat, quo deſtituitur, vt impleat quod iubetur. Et quod dicitur ad Iſraël in Deuteronomio, * ſi piè, ſi ſanctè, ſi ſpiritualiter intelligatur, hoc idem ſignificat. Quia vtique cùm hoc teſtimonium commemoraſſet Apoſtolus, * Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: quod hîc habet, in manibus tuis: in corde enim ſunt ſpiritales manus, hoc eſt, inquit, verbum fidei, quod prædicamus. Conuerſus ergo quiſque, ſicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum ſuum, ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua, mandatum Dei non habeat graue. Quomodo eſt enim graue, cùm ſit dilectionis mandatum? aut enim quiſque non diligit, & graue eſt, aut diligit, & graue eſſe non poteſt. *Ibidem, cap.69.*

*Petendum quod nõ habemus, vt impleamus quod iubemur.*
** Deut.30.*
** Rom.10.*
*Dilectionis mãdatũ graue non eſt.*



Quis neſciat, cùm præceptum ſit generale charitas, quia finis * præcepti eſt charitas, & plenitudo * legis eſt charitas, non eſſe graue, quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timẽdo conãtur implere: ſed perfecta * charitas foras mittit timorẽ, & facit præcepti ſarcinam leuem, nõ ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſubleuantem vice pennarum. *Tom.7. de perfectione iuſtitiæ, poſt ratiocinationes.*

** 1.Tim.1.*
** Rom.13.*
*Nõ eſt graue, quod diligendo fit, nõ timendo.*
** 1.Ioan.4.*
* Ioan.1.

Et non dominetur mei omnis iniquitas. Ab huius execrandæ dominationis ſeruitute liberantur, quibus Dominus Ieſus eum recipientibus dedit poteſtatem * filios Dei fieri. Ab iſta horrenda dominatione liberandi fuerant, quibus dicit: * Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. His atque huiuſmodi aliis innumerabilibus teſtimoniis dubitare nõ poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum, quo fiat, quod iubet, impoſſibile aliquid eſſe, ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adiutus à Deo. *Tom.7. de pec. mer. & remiſſ. lib.2. cap.6.*

** Ioan.8.*
*Deus nõ præcepit homini impoßibilia.*
*Poteſt homo ſi velit eſſe ſine peccato adiutus à Deo.*

Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt. Non iuberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat. *Tom.7. de gratia & libero arbitrio, cap.16.*

*Quare Deus iubeat, quod viribus noſtris ſine ipſius gratia præſtare non poſſumus.*
*Fides orando impetrat, quod lex imperat.*

Certum eſt, nos mandata ſeruare, ſi volumus. Sed quia * præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit, vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò antè poſui, quod præparatur voluntas à Domino, de quo dictum eſt: * A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet: de quo dictum eſt: * *Deus qui operatur in vobis & velle & operari.* Certũ eſt nos facere cùm facimus: ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: * Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea ob-

** Prou.8.*
** Pſal.36.*
** Philip.2.*
*Quomodo Deus operetur in nobis, & nos etiã operemur.*
** Ezech.36*

ſeruetis & faciatis. *Ibidem, paulò infrà.*

Conſidera nunc, vtrum tibi, an Deo debeat credi. Et ideò quia veritas mentiri non poteſt, iam vanas excuſationes ſuas relinquat humana fragilitas: quia nec impoſsibile aliquid potuit imperare qui iuſtus eſt: nec dãnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius eſt. Quid tergiuerſamur incaſſum? Nemo enim quantum poſſumus, melius nouit, quàm qui nobis ipſum poſſe donauit. Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ, flammas & ignes & beſtias æquanimiter pertulerunt. Et nos ſtultorum hominum conuicia dicimus tolerare non poſſe, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur? ſi poſſumus etiam, vſque ad mortem illorum noſtras iniurias vindicamus. Vnde neſcio qua fronte, vel qua conſcientia cum omnibus ſanctis in æterna beatitudine partem habere deſideramus, quorum exempla ſequi in rebus minimis non acquieſcimus. *Tom. 10. ſerm. 61. de tempore.*

*Non poteſt Deus impoſſibile imperare, quia iuſtus eſt.*

*Gratia datur ad implẽdam legem.*

** Exod. 20. Deut. 5. Ro. 7. 13. * Rom. 10. * Ioan. 15. * Leuit. 18. Ezech. 20. Rom. 10.*

Quandoquidem ideo datur (*gratia*) non quia bona opera fecimus, ſed vt ea facere valeamus, id eſt, nõ quia legem impleuimus, ſed vt legem implere poſsimus. *Tom. 3. de ſpiritu & litera, cap. 10.*

Hæc ergo ſola diſtantia eſt, quia ipſum: * Non concupiſces, & cætera mandata eius ſancta & bona ſibi (*hi cõntra quos Paulus diſputat*) tribuebant. Quæ vt poſsit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Ieſu Chriſti, qui finis eſt ad iuſtitiam * omni credenti: id eſt per ſpiritum incorporatus, factúſque membrũ eius. Poteſt quiſque illo incrementũ intrinſecus dante, operari iuſtitiam. De cuius operibus etiam ipſe dixit, *quia ſine me nihil poteſtis facere. Ideò quippè proponitur iuſtitia legis, quòd qui fecerit eã, viuet * in illa, vt cùm quiſque infirmitatem ſuam cognouerit, non per ſuas vires, neque per literam ipſius legis, quod fieri non poteſt, ſed per fidem conciliãs iuſtificatorem, perueniat, & faciat, & viuat in ea. Opus enim quod qui fecerit, viuet in eo, non fit niſi à iuſtificato. *Ibid. cap. 29.*

*Poteſt quiſque Deo intrinſec⁹ incrementum dãte operari iuſtitiam.*

*Quomodo intelligatur illud, Qui fecerit legẽ, viuit in ea. Rom. 10.*

*Eſt igitur duplex opus legis: Alterum in quo nõ viuit, qui illud facit, cuiuſmodi eſt, quod ſine fide agitur: alterũ in quo viuit, qui facit, quod non fit, niſi à iuſtificato.*



Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in cõmune poſſe ſeruari. *Tom. 10. de tempore ſerm. 191.*

*Dei mãdata ſeruari à ſingulis poſſunt.*

## *II. Multa in nouo Teſtamento præter fidem eſſe præcepta: non autem libera omnia.*

Apoſtoli & Doctores Eccleſiæ, qui eis ſucceſſerunt, eóſque imitati ſunt, vtrunque faciebant, id eſt, Dei gratiam, quæ non ſecũdùm merita datur, & piam obedientiam præceptis ſalutaribus inſtruebant. *Tom. 7. de bono perſeuer. cap. 20.*

*Dei gratia ſimul et obediẽtia pia cõmendanda.*

Exceptis quippè librorum veterum Sacramẽtis, quæ ſola ſignificandi ratione præcepta ſunt, quanquam & in iis ſpiritaliter intelligenda ſunt, rectè lex dicitur ſpiritalis. Cætera certè, quæ ad pietatem bonóſque mores pertinentia, non ad aliquam ſignificationem vlla interpretatione referenda, ſed prorſus vt ſunt dicta, facienda ſunt. Profectò illam Dei legem, non ſolùm illi tunc populo, verùm etiam nunc nobis ad inſtituendam rectè vitam neceſſariam nemo dubitauerit. Si enim Chriſtus nobis abſtulit illud grauiſſimum multarum obſeruationum * iugum, ne carnaliter circuncidamur, ne pecorum victimas immolemus, ne ſabbato ſepteno dierum volumine redeunte ab operibus etiam neceſſariis quieſcamus, & cætera huiuſmodi, ſed ea ſpiritaliter intellecta teneamus, remotíſque vmbris ſignificantibus, in rerum ipſarum, quæ ſignificantur luce vigilemus, nunquid propterea dicturi ſumus, non ad nos pertinere quod ſcriptum eſt, * vt alienum quodcunque perditum quiſquis inuenerit, reddat ei qui perdidit, & alia multa ſimilia, quibus piè rectéque viuere diſcitur, maximéque ipſum Decalogum, qui duabus illis lapideis * tabulis continetur, excepta Sabbati obſeruatione carnali, quæ ſpiritalem ſanctificationem quietémque ſignificat? Quis enim dicat non debere obſeruare Chriſtianos, vt vni DEO religionis obſequio ſeruiatur, vt idolum non colatur, vt nomen Domini non accipiatur in vanum, vt parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falſa teſti-

*Quæ ad pietatẽ bonoſq; mores in veteri lege pertinẽt, Chriſtianis facienda ſunt.*

** Act. 15.*

*Quãuis iugo cærimonialiũ præceptorum ſimus liberi, tamen præcepta Decalogi ſeruare tenemur.*

** Exod. 23. Deut. 22. * Exod. 31.*

monia perpetrentur, ne vxor, ne omnino res vlla concupiſcatur aliena? Quis eſt tam impius, qui dicat, ideò ſe iſta legis non cuſtodire præcepta, quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus? *Tom.7. contra duas Epiſtolas Pelag.lib.3 cap.4.*

** Rom.3.*

*Iuſtus eſſe deſinit, qui accepta fide, malè viuit.*

** Rom. 4.*

** Iac.2.*

Vnde manifeſtum eſt, quod Paulus Apoſtolus dicit: * Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. Non tamen intelligendum eſt, vt accepta fide, ſi vixerit, dicamus eum iuſtum, etiamſi malè vixerit. Ideò exemplo Abrahæ & Apoſtolus Paulus * vtitur, quia ſine operibus legis, quam nō acceperat, per fidem iuſtificatus: & Iacobus, * quia fide ipſius Abrahæ opera bona conſecuta eſſe demonſtrat, oſtendens quemadmodum intelligendum ſit, quod Paulus Apoſtolus prædicauit. Nam qui putant iſtam Iacobi Apoſtoli ſententiam cōtrariam eſſe illi Pauli Apoſtoli ſententiæ, poſſunt arbitrari, etiam ipſum Paulum ſibi eſſe contrarium, quia dicit alio loco, * Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Et alio loco, * *Sed fides quæ per dilectionem operatur*. Et iterum: * *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autē ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quæ ſint autem facta carnis, quæ operibus ſpiritalibus mortificanda ſunt, alio loco demonſtrat, dicens: * *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. Et ad Corinthios ait: * *Nolite errare: neque fornicatores neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebūt. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri*. Quibus ſententiis manifeſtiſſimè docet, non eos præterito bono opere ad fidei iuſtificationem perueniſſe: nec meritis eorum iſtam gratiam datam, quando dicit, & hæc quidem fuiſtis: ſed cùm dicit: qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.

*Non magis cōtrarius Iacobus Apoſtolus Paulo, in diſputatione iuſtificationis, quàm ipſe ſibi Paulus.*

** Rom.2.*

** Gal. 5.*

** Rom.8.*

** Gal. 5.*

** 1. Cor.6.*

*Merito præteritorū operū non perueniri ad iuſtificationē: iuſtificatū tamē*



ſatis oſtendit, iam ex quo crediderunt, benè operari debere. Quod & Iacobus dicit, & multis omnino locis idem Apoſtolus Paulus ſatis apertéque prædicat, rectè viuendum omnibus, qui in Chriſto crediderunt, ne ad pœnas perueniant. Quod & ipſe Dominus commemorat dicens: * *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Et alibi, * *Vt quid dicitis mihi Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis?* Et, * *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram* &c. Et qui audit verba mea hæc, & non faciet ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſupra arenam &c. Quapropter non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum ſententiæ Pauli & Iacobi, cùm dicit vnus, * iuſtificari hominem per fidem ſine operibus: quia ille dicit, * inanem eſſe fidem ſine operibus: quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt: iſte de iis, quæ fidem ſequuntur: ſicut etiam ipſe Paulus multis locis oſtendit. *Tom.4.lib.83. Quæſtionum, q.76.*

*benè operari debere, ex Pauli verbis Auguſtinus colligit. Rectè viuendū omnibus credentibus in Chriſto, ne ad pœnas perueniant.*

** Matth.7.*

** Luc.6.*

** Matth. 7.*

*Audiēs per fidem verba Dei, & non faciens, quæ fides docet domum ſuā ſup arenam ædificat.*

Certè notum eſt nobis & manifeſtum, quoniā Abraham ad Deum habet gloriam. At ſi ex operibus iuſtificatus eſt * Abraham, habet gloriam, ſed non ad Deū. Ad Deum autem habet gloriam, non ergo ex operibus iuſtificatus eſt. Si ergo non ex operibus iuſtificatus eſt Abraham, vnde iuſtificatus eſt? Sequitur & dicit vnde. Quid enim Scriptura dicit:* Id eſt, vnde dicit Scriptura iuſtificatum Abraham? *Credidit autem Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*. Ergo ex fide iuſtificatus eſt Abraham. Iam qui audit, non ex operibus, ſed ex fide; obſeruet illam voraginem, de qua locutus ſum: Vides ergo quia ex fide, non ex operibus iuſtificatus eſt Abraham. Faciam ergo quicquid volo, quia etſi bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad iuſtitiam. Si dixit & decreuit, lapſus, demerſus eſt, ſi adhuc cogitat & fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei verúſque intellectus,

** Rom. 3.*

** Iac. 2.*

*Dilucidè cōciliātur Paulus & Iacobus Apoſtoli.*

** Rom. 4.*

** Gen.15.*

*Rom. 4.*

*Galat. 3.*

*Iac. 2.*

*Sic noſtro tēpore multi ratiocinantur.*

*Iacobus Apoſtolus eos, qui malè Pauli Apoſtoli dicta intelligunt, corrigit.*

non ſolùm periclitantem à periculo liberat, ſed & demerſum à profundo eleuat. Reſpondeo ergo tanquam contra Apoſtolum,& dico de ipſo Abraham, quod inuenimus etiam in Epiſtola alterius Apoſtoli, qui volebat corrigere homines, qui malè intellexerant iſtum Apoſtolum. Iacobus enim in Epiſtola ſua* contra eos, qui nolebant bene operari, de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus * fidem. Et non ſunt ſibi aduerſi Apoſtoli. Dicit autem Abrahæ opus omnibus notum. Abraham filium* ſuum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, ſed ex fide. Laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet, qualecunque illud opus eſſet. Rurſum, ſi ſic teneret fidem Abrahã, vt cùm ei Deus imperaret, offerre ſibi immolãdum filium ſuũ, diceret apud ſemetipſum, Non facio, & tamen credo quia me etiam contemnentem iuſſa ſua liberat Deus, fides * ſine operibus mortua eſſet, & tanquam radix ſine fructu ſterilis atque arida remaneret. Quid ergo? debemus nulla opera præponere fidei, id eſt, vt ante fidem quiſquam dicatur bene operatus? Ita enim ipſa opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. *Tom.8. in præfatione Pſalmi 31. Vide lector cap.15. de fide & operibus, paulò antè in cap. de lapſis, tit.4. tranſcriptum.*

*Oſtendũtur concordes Paulus & Iacobus Apoſtoli.*
* *Iacob.2.*
*Fides fundamẽtum & radix boni operis: bonum opus, ædificiũ ſuper fidẽ extructũ, & fidei fructus.*
* *Rom.4.*
* *Gen.22.*
*Abrahæ nec obediẽtia ſine fide, nec fides neglecta obedientia profuiſſet.*
* *Iac.2.*
*Fides ſine operibus, radix ſterilis et arida.*
*Bene operari abſq; fide, eſt currere extra viam.*

Ecce ille qui quæſiuit * à magiſtro bono, quid boni faceret, vt haberet vitam æternam, & audiuit, ſi ad vitam venire vellet, ſeruanda ſibi eſſe mandata. Et cùm quæreret, Quæ mandata? Dictum eſt ei, * Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falſum teſtimonium dices, Honora patrem tuum & matrem tuã, &, Diliges proximum tuum tanquam teipſum, vt hæc

*Fides intentionẽ dirigit: intentio bonũ opus facit.*
* *Matth.19. Marc.10. Luc.18.*
* *Exod.20. Deut.5. Rom.13.*



faciens fidem Chriſti teneret, & proculdubio fidem, quæ* per dilectionem operatur. *Tom.4. de fide & operibus, cap.16.*

* *Gal.5.*

Amat mortem, qui vitæ præcepta non ſeruat, & horret vitam, qui peccata morti debita, deſperata morte frequentat. Vt enim per obſeruantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors contumacibus inuenitur: dicente Domino: * Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Et paulò pòſt:* Homo ipſe ſe dignum efficit morte, qui non paruerit legi. Odit vitam, qui diuinam contempſerit diſciplinam. Nam cùm Dominus vellet homini demonſtrare, quæ obſeruanti vitam, contemnenti adferunt mortem, inuitauit præmio, terruit ſupplicio. Ita enim de contemptu vita non poterit prouenire, vt de obſeruantia mors euenire nõ poterit, vt iam homo quod voluerit, mereatur, & eo quod meruerit, iudicetur: & hoc totum in poteſtate hominis conſiſtit, qui ſibi ex qualitate vitæ meritum quod haberet, inuenit. *Tom.10. de verbis Domini, ſermone 3.*

*Per obſeruãtiam legis acquiritur vita.*
* *Matth.19.*

Nunquid ergo talis erat iſte, qui dicit, * *Legem pone mihi Domine,* qualibus beatus Paulus dicit* poſitam legem? Abſit. Si enim talis eſſet, non ſuperius dixiſſet: * Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatares cor meum. Quid ergo quòd orat, vt ſibi lex à Domino ponatur, ſi non ponitur iuſto? an eo modo non ponitur iuſto, quomodo poſita eſt populo contumaci in tabulis lapideis, non in tabulis cordis carnalibus, ſecundùm vetus Teſtamentum, ex monte Sina,* quod in ſeruitutem generat: ſed ſecundùm Teſtamentum nouum? *Et paulò pòſt:* Ecce quomodo voluit iſtam legem ſibi poni à Domino, non ſicut iniuſtis & non ſubditis, ad vetus Teſtamentum pertinentibus poſita eſt in tabulis lapideis, ſed ſicut ſanctis filiis liberæ, hoc eſt, ſupernæ * Hieruſalem, filiis promiſſionis, filiis hæreditatis æternæ, ſancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus ſcribitur: non quam memoria teneant, & vita negligant, ſed quam ſciant intelligendò, faciant diligendò in latitudine amoris, nõ in timoris anguſtiis. *Tom.8. in Pſal.118. conc.11.*

*Legem iuſti ſcire intelligendo, & facere diligendo debent.*

* *Pſal.118.*
* *1.Tim.1.*
* *Pſal.118.*
*Poſſunt ergo iuſti à Deo dilatato ipſorũ corde viã mãdatorum currere.*
* *Gal.4.*
*Iniuſtis poſita lex eſt extra, tanquam ſeruis ad vetus Teſtamentum pertinẽtibus.*
* *Gal.4.*
*Iuſtis poſita lex intus, mẽtibus ipſorũ digito Dei ſcripta, vt filiis, ſecũdùm Teſtamentũ nouum.*

## *III. Libertatem Chriſtianam in eo eſſe, vt à vitiorum ſeruitute, non autem vt ab humanarum legum obedientia, vel à mandatorum Dei obſeruatione, liberemur.*

*Voluntas quādo ſerua, et quando libera.*

LIbera ſemper eſt ſeruitus apud Deum, cui non neceſſitas ſeruit, ſed charitas. *Tom.3. ex ſententiis, ſent.* 124.

* *Rom.6.* 2.Pet.2. * *Ioan.8.*

Nec libera voluntas dicenda eſt, quandiu eſt vincentibus & vincientibus cupiditatibus ſubdita. A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Et,* Si vos filius liberauerit, ait ipſe Dei filius, tunc verè liberi eritis. *Tom.2. Epiſt.*144 *ad Anaſtaſium.*

*Homini non nocet externa ſeruitus, ſed iniquitas propria.*

*Bonus etiāſi ſeruiat, Chriſtiana tamen libertate fruitur.*

Malorum regnum magis regnātibus nocet, qui ſuos animos vaſtant ſcelerum maiore licentia: his autem qui eis ſeruiendo ſubduntur, non nocet, niſi iniquitas propria. Nam iuſtis quicquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non eſt pœna criminis, ſed virtutis examen. Proinde bonus etiamſi ſeruiat, liber eſt: malus autem etiamſi regnet, ſeruus eſt: nec vnius hominis, ſed quod eſt grauius, tot dominorum, quot vitiorum. De quibus vitiis cùm ageret ſcriptura diuina:* A quo enim quis, inquit, deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. *Tom.5. de Ciuit. Dei, lib.4. cap.3.*

* *Ioan.8.* *2.Pet.2.*

*Chriſtiana libertas non reſcindit vel deſtruit mores, leges, inſtituta, quibus pax terrena conquiritur vel tenetur.*

Cæleſtis ciuitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus ciues euocat: atque in omnibus linguis peregrinam colligit ſocietatem: non curans quicquid in moribus, legibus, inſtitutíſque diuerſum eſt, quibus pax terrena vel conquiritur vel tenetur: nihil eorum reſcindens vel deſtruens, imò etiam ſeruans ac ſequens: quod licet diuerſum ſit in diuerſis nationibus, ad vnum tamen eundémque finem terrenæ pacis intenditur. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.19. cap.18.*

* 1.*Pet*.2. * *Gal.*4.

*Chriſtiana libertas non in eo poſita eſt, vt liceat, quicquid libet.*

Apertiſſimam poſſunt legere ſententiam Apoſtoli Petri,* qui cùm loqueretur de iis, qui in occaſionem carnis acceperant, & in velamentū malitiæ, quod ſcriptum eſt: Nos ad nouum Teſtamentum pertinentes, non ancillæ filios eſſe, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit: & putauerant hoc eſſe liberè viuere, vt tāquam



de tanta redemptione ſecuri, quicquid libêret, licere ſibi arbitrarentur, non intuentes, quod dictum eſt: * *Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem in occaſionem carnis detis:* Vnde & ipſe Petrus dicit:* Liberi non ſicut velamentum malitiæ habentes libertatem: ait de illis & in ſecunda Epiſtola ſua: * *Hi ſunt fontes ſicci, & nebulæ à turbine exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruata eſt: Superba enim vanitatis loquentes illiciunt in concupiſcentiis carnis impudicitiæ eorum, qui paululum effugerunt, in errore conuerſati, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis.* A quo * enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. *Et paulò pòſt:* Neque enim illud hoc loco intelligendum eſt, ſanctum *mandatum, quo præceptum eſt, vt in Deum credamus: quanquam eo ipſo totum continetur, ſi eam intelligamus fidem* credentium quæ per dilectionē operatur: Sed apertè expreſſit, quòd diceret, ſanctū mandatū, id eſt, quo præceptum eſt, vt ab huius mūdi coinquinationibus recedentes, caſta conuerſatione viuamus. Sic enim ait: * Si enim refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini noſtri & conſeruatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implexi ſuperantur, facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus.

* *Gal.5.* * 1.*Pet.2.* * 2.Pet.2.

*Hæretici libertatem promittentes, ſerui ſunt corruptionis.*

* *Ioan.8.* * *Rom.7.*

*Sanctū mandatum cognoſcētes ac trāſgredientes, quæ pœna maneat.*

* *Gal.5.* * 2.*Pet.2.*

Non ait, refugientes ignorantiam Dei, aut refugientes infidelitatem ſeculi, vel tale aliquid, ſed coinquinationes mundi, in quibus eſt vtique omnis immunditia flagitiorum. Nam de his ſuperius loquens dixit: coëpulantes vobiſcum, oculos habentes plenos adulterij, & indeſinentis peccati. Ideo etiam fontes ſiccos eos appellat, fontes videlicet quòd acceperint agnitionem Domini Chriſti: Siccos autem, quia nō congruenter viuunt. De talibus quippè etiam Iudas Apoſtolus loquens, Ii ſunt (*inquit*) qui in dilectionibus veſtris maculati, coëpulantur ſine timore ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua &c. Quod enim Petrus ait,* *Coëpulantes vobiſcum, oculos habentes plenos adulterij:* hoc Iudas,* *In dilectionibus veſtris maculati coëpulantur.* Mixti ſunt enim bonis in epulis Sacramentorum, & dilectionibus plebium. Et quod Petrus ait,* fontes ſiccos, hoc Iudas, * nubes ſine aqua: hoc Iacobus,* fides mortua. *Tom.4. de fide & operibus, cap. 24. & 25.*

* Ibidem. * *Iudæ* 1. * 2.Pet.2. * *Iudæ* 1. * *Iac.*1.

*Chriſtianæ libertate ſolꝰ iuſtus liber eſt.*

** Ioan.8.*

*Verè liber eſt, qui in omnibus quæ facit, aut prætermittit, non hominum iudicium, non præmium vel ſuppliciũ præcipue curat, ſed vt Deo, quem amat, placeat, attendit.*

Vir autem bonus,vir iuſtus, homo liber ( Nam ſolus iuſtus liber. Omnis * enim qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati) delectatur ipſa iuſtitia , & ſi poſſit ſine teſte peccare,& teſtem reformidat,& Deũ:& ſi poſſet audire Deũ dicentẽ ſibi,video te cùm peccas,nõ te damnabo, ſed diſplices mihi : Ille nolens diſplicere oculis patris, non formidoloſi iudicis,timet,non ne damnetur , non ne crucietur:ſed ne offendat gaudium paternum,ne diſpliceat oculis amantis. *Tom. 10. de verbis Apoſto. ſermone 18.*

** Ioan.8.*

*Qui à Chriſto liberãtur, ſerui fiunt charitatis vel iuſtitiæ.*

** Gal.5.*

*Fœdæ libertatis amantes quid dicant.*

Si ergo * filius vos liberauerit,tunc verè liberi eritis. Hæc ſpes noſtra eſt fratres,vt à libero liberemur, & liberando ſeruos nos faciat:Serui enim eramus cupiditatis,liberati ſerui efficimur charitatis. Hoc & Apoſtolus dicit: * Vos fratres in libertatẽ vocati eſtis, tantum ne libertatem in occaſionẽ carnis detis , ſed per charitatẽ ſeruite inuicem : Non ergo dicat Chriſtianus :Liber ſum,in libertatem vocatus ſum:ſeruus eram, ſed redemptus ſum,& ipſa redemptione liber effectus ſum,faciam quod volo,nemo me prohibeat à voluntate mea , ſi liber ſum : ſed ſi iſta voluntate peccatum facis,ſeruus es peccati. Noli ergo libertate abuti,ad liberè peccandũ, ſed vtere ad non peccandum:Erit enim voluntas tua libera,ſi fuerit pia:eris liber ſi fueris ſeruus,liber peccati, ſeruus iuſtitiæ , dicente Apoſtolo : * Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ:nunc autem liberati à peccato , ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem,finem verò vitam æternam. *Tom.9. in Euang. Ioan. Tract. quadrageſimo primo.*

*Libertate Chriſtiana non abutendũ ad peccandum, ſed vtendum ad non peccandum.*

** Rom.6.*

** Ioan.14.*

Chriſtus filius Dei qui dixit:* *Ego ſum veritas*,liberos nos faciet,hoc eſt, liberabit nos, non à barbaris , ſed à Diabolo,non à corporis captiuitate , ſed ab animæ iniquitate. Solus eſt, qui ſic liberat. Nemo ſe liberum dicat, ne ſeruus remaneat : Non remanebit in ſeruitute anima noſtra , quotidiè dimittuntur debita noſtra. *To. 10. de verbis Domini ſermone 48 ſub finem.*

*Chriſtus liberat ſuos nõ à Barbaris, vel à captiuitate corporis, ſed à Diabolo, et iniquitate.*

Pœnalis ſeruitus ea lege ordinatur,qua naturalem ordinem conſeruari ( *Deus*) iubet , perturbari vetat : quia ſi cõtra eam legem non eſſet factum, nihil eſſet pœnali



ſeruitute coërcendum.Ideóque Apoſtolus etiam ſeruos monet*ſubditos eſſe dominis ſuis, & ex animo eis cum bona voluntate ſeruire.vt ſcilicet,ſi nõ poſſunt à dominis liberi fieri,ſuam ſeruitutem ipſi quodammodo liberam faciant,non timore ſubdolo , ſed fideli dilectione ſeruiendo : donec tranſeat iniquitas, & euacuetur omnis principatus & poteſtas humana , & ſit Deus omnia in omnibus. *Tom.5. de Ciuit. Dei, lib.19. cap.15.*

** Epheſ.6.*

*Serui hominum per fidelem dilectionẽ liberam ſeruiunt ſeruitutem.*

Ordinauit enim ſic Deus Eccleſiam ſuam , vt omnis poteſtas ordinata in ſeculo habeat honorem,& aliquãdo à melioribus . Sed exempli gratia vnam rem dico, hinc conijcite gradus omnium poteſtatum . Prima & quotidiana poteſtas hominis in hominem , domini eſt in ſeruum.Propè omnes domus habent huiuſmodi poteſtatem.Sunt domini,ſunt & ſerui.Diuerſa ſunt nomina,dominus,ſeruus,ſed homines & homines paria ſunt nomina.Et quid dicit Apoſtolus,docens ſeruos Dominis ſuis ſubditos eſſe?*Serui obaudite dominis veſtris ſecundum carnem*,quia eſt & Dominus ſecundùm ſpiritum.Ille eſt verus Dominus & æternus , iſti autem temporales ſecundùm tempus. Tu cùm ambulas in via , cùm viuis in hac vita,non vult te facere ſuperbum Chriſtus.Contigit tibi, vt Chriſtianus efficereris , & haberes dominũ hominem:non ideò Chriſtianus factus es , vt dedigneris ſeruire . Cum enim Chriſto iubente ſeruis homini, non illi ſeruis,ſed illi qui iuſſit.Et hoc ait:*Obaudite dominis veſtris ſecundùm carnem , cum timore & tremore , & in ſimplicitate cordis , non ad oculum ſeruientes , quaſi hominibus placentes, ſed quaſi ſerui Chriſti facientes bonam voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate.* Ecce non fecit de ſeruis liberos,ſed de malis ſeruis bonos ſeruos. *Tom.8. expoſit. in Pſal.124.*

*Omni poteſtati ordinatæ, honor habendus.*

** Epheſ.6.*

*Si ſeruitus mancipiorum non tollitur Chriſtiana libertate, ſed præcipitur, quid dicemus de obedientia magiſtratibꝰ Eccleſiaſticis vel ciuilibus debita?*

*Chriſto iubente ſerui Dominis ſuis ſeruire debent.*

** Epheſ.6.*

*Chriſtus quomodo nõ fecerit ex ſeruis liberos, ſed ex malis ſeruis bonos ſeruos.*

### IIII. *Fidem ſine bonis operibus homini ad ſalutem eſſe ſatis, Eunomianorum & aliorum errorem fuiſſe damnatum.*

FErtur etiã vſq; adeò fuiſſe bonis moribus inimicus (*de Eunomio loquitur*) vt aſſeueraret, quòd nihil cuiq;

obeſſet quorumlibet perpetratio ac perſeuerantia peccatorum, ſi huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet. *Tom.6. de hæreſibus, ad Quod vult deum, hæreſi 54.*

*Salutem perdunt putantes ſolam fidẽ ſaluare.*

*Dogma de ſola fide iuſtificante vnde cœperit.*

** Rom.3.*

Quare iam illud videamus, quod excutiendum eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutẽ ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint, benè autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nã etiam temporibus Apoſtolorum, non intellectis quibuſdam ſubobſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere, * Faciamus mala, vt veniant bona. *Tom.4. de fide & operibus, cap.14.*

*Apoſtoli omnes probãt ſolam fidem nõ iuſtificare.*

*Fides ſalubris et Euangelica quæ ſit à Paulo definita.*

** Gal.5.*

** 1.Cor.13.*

** Rom.13.*

Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ cõtra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer aſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit, * quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeuerat, vt dicat: *Si habeam omnem fidem, ita vt montes trãſſeram, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Vbi autem hæc fidelis charitas operatur, ſine dubio benè viuitur: plenitudo * enim legis charitas. *Ibid. paulò infrà.*

*Ex dogmate ſolius fidei iuſtificantis, quæ incõmoda conſequantur.*

*Duces cæci et fallaces, qui ſolius fidei iuſtificationem vrgent.*

** Matth.15.*

Alios autem noui, quos ita inſipientiæ & imprudentiæ tenebroſa caligo & ignorantia fallit & decipit, vt fidem quam ſe habere ſimulant, ſine iuſtitiæ operibus apud Deum ſibi cenſeant profuturam: & hoc erroris genere decepti, ſine metu crimina nefanda committunt, dum credunt Deum non criminum, ſed perfidiæ tãtùm vltorem. Et huiuſmodi non ſolùm ſeipſos periiſſe contenti ſunt, ſed etiam alios, in quibus nullũ diuinæ ſcientiæ lumen eſt, ſuis nituntur laqueis implicare. Et implentur in illis Saluatoris noſtri ſententia dicentis: * Cæcus ſi cæco ducatum preſtet, ambo in foueam cadunt. *Tom.9. de vita Chriſtiana, cap.14.*

** Matt.10.*

*Errant, qui ſola fide Catholica cõtenti, licet malè viuant, per Chriſtum ſaluos ſe fore confidunt.*

*1. Cor.3.*

*Nulla hæreſis Chriſtum habet fundamentum.*

Sunt autem qui propter id quod ſcripum eſt: * Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: non niſi in Catholica Eccleſia perſeuerantibus, quanuis in ea malè

malè



malè viuentibus, hoc promittunt, per ignem videlicet ſaluandis merito fundamenti, de quo ait Apoſtolus: * Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ædificauerit ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtabitur. Dies enim Domini declarabit, quoniam in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus permanſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius autem opus arſerit, damnum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Dicunt ergo, cuiuslibet vitæ Catholicum Chriſtianum, Chriſtum habere in fundamento, quod fundamentum nulla hæreſis habet, à corporis eius vnitate præciſa. Et ideo propter hoc fundamentum, etiamſi malæ vitæ fuerit Catholicus Chriſtianus, velut qui ſuperædificauerit ligna, fœnum, ſtipulam, putant eum ſaluum fieri per ignem, id eſt, poſt pœnas ignis illius liberari, quo igne in vltimo iudicio punientur mali. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.21. cap.21. Ad maiorem huius erroris confutationem pertinent, quæ docet Auguſtinus, Tom.4. de fide & operibus, cap. 15. & 16. lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 26. Item in Enchirid. cap.67.*

### *V. Fide per charitatem operante, ſiue formata, vt vocant, nos filios eſſe Dei: fidem verò charitate deſtitutam, nulli ad ſalutem prodeſſe.*

** Rom.3.*

*Abſit, vt vas electionis ſentiat, fidem ſolam ſine operibus ad ſalutem ſufficere.*

** Gal.5.*

*Fides per dilectionem operans, fideles Dei à dæmonibus ſeparat.*

** Iac.2.*

** Abac.2.*

*Rom.1.*

Homines autem non intelligentes, quod ait ipſe Apoſtolus: * Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis, putauerunt eum dicere, ſufficere homini fidem, etiamſi malè viuat, & bona opera non habeat. Quod abſit, vt ſentiret vas electionis, qui cùm dixiſſet quodam loco: In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, mox addidit: Sed fides quæ per dilectionem operatur. Ipſa eſt fides, quæ fideles Dei ſeparat ab immundis Dæmonibus. Nã & ipſi, ſicut dicit Apoſtolus Iacobus, * credunt & contremiſcunt, ſed non benè operantur. Non ergo habent iſtam fidem, ex qua * iuſtus viuit, id eſt,

**Gal.5.*

*Vita æterna quare dicatur gratia.*

**Rom.6*

quæ per dilectionem * operatur, vt reddat ei Deus vitam æternam ſecundùm opera eius. Sed quia & ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, à quo nobis & fides eſt & dilectio, propterea idem ipſe Doctor gentium, etiam ipſam vitam æternam gratiam * nuncupauit. *Tom.7. de gratia & libero arbitrio, cap.7.*

*Iacobus ſatis euertit dogma de ſola fide ſaluante.*

**Iacob.2.* **Marc.3.* **Matth.16.* **Iacob.2.*

*Quid ad hæc recentes hæretici, qui ne falli & fallere videantur, Iacobi Epiſtolam impudenter negãt?*

Iacobus autem vehementer infeſtus eſt eis, qui ſapiunt fidem ſine operibus valere ad ſalutem, vt illos etiam dæmonibus comparet, dicens: * *Tu credis, quoniam vnus eſt Deus, benè facis, & Dæmones credunt & contremiſcunt.* Quid verius, breuius, vehementius dici potuit, cùm & in Euangelio * legamus hoc dixiſſe Dæmonia, cùm Chriſtum filium Dei confiterentur, & ab illo corriperentur, quod in Petri confeſſione * laudatum eſt? *Quid proderit*, ait Iacobus, * *fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum?* Dicit etiam, quia fides ſine operibus mortua eſt. Quouſque igitur falluntur, qui fide mortua ſibi vitam perpetuam pollicentur? *Tom.4. de fide & operibus, cap.14. Item, Tom.7. de vnico Baptiſmo, cap.10.*

**Ioan.3.* **Rom.5.* **Gal.5.* **Iacob.2.* **Luc.4.* **Mar.3.* **Matth.8.*

Vt habitet Spiritus ſanctus, nónne vbi vult * ſpirat, & charitas Dei, ſine qua nemo benè viuit, diffunditur * in cordibus noſtris, non à nobis, ſed per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis. Hanc enim fidem Apoſtolus definiuit, dicens: * *Neque circunciſio eſt aliquid, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Iſta quippè fides eſt Chriſtianorum, non dæmoniorum, nam & Dæmones * credunt, & contremiſcunt, ſed nunquid & diligunt? Nam ſi non crederent, non dicerent: *Tu es ſanctus Dei*: vel, * *Tu es filius Dei* Si autem diligerent, non dicerent: * *Quid nobis & tibi? Tom.2. Epiſt.105. ad Sixtum preſbyterum.*

**Epheſ.6.*

*Initium iuſtitiæ in fide, finis in pace.*

Audi Apoſtolum ipſum fidei diſputatorem, & gratiæ magnum defenſorem: audi eum dicentem: * *Pax fratribus & charitas cum magna fide.* Tria dixit, pax, charitas, fides. A fine cœpit, ad initium terminauit. Initium eſt enim in fide, finis in pace, quia enim credimus, ipſa eſt fides: Sed fides debet eſſe Chriſtianorum, non dæmoniorum. Nam ſicut dicit Iacobus Apoſtolus, * *Et dæmones credunt, & contremiſcunt*. Et dæmones dixerunt Chriſto,



**Iacob.2.* **Luc.4.* *Marc.3.*

*Diſcernenda fides dæmonũ à fide ſanctorum.*

**Matth.16.*

*Fides Petri cum amore.*

*Iſt ergo & fides per timorem operans, quæ in peccatoribus eſſe poteſt, & fides operans per dilectionẽ qua iuſti efficimur.*

* *Tu es filius Dei.* Confitebantur dæmones, quod non credebant homines. Illi tremuerunt, illi occiderunt. Quid enim? Quia dixerunt dæmones, Tu es filius Dei, ſcimus qui ſis, ideo regnaturi ſunt cum filio Dei? Abſit. Diſcernenda eſt ergo fides dæmonum à fide ſanctorum. Planè diſcernenda vigilanter & diligenter. Nam & Petrus hoc dixit Domino dicenti, *Quem me eſſe dicitis? Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et Dominus: *Beatus es Simon Bar Iona.* O Domine hoc tibi dixerũt & dæmones: quare ipſi non ſunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore, ideò initium eſt à fide. Sed quali fide? Quam definiuit Apoſtolus, * *Neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides.* Dic quæ fides? quæ per dilectionem operatur. Hanc dæmones non habent fidem, quæ per dilectionem operatur, ſed ſoli ſerui Dei, ſoli ſancti Dei, ſoli fide filij Abrahæ, ſoli filij dilectionis, filij promiſſionis, ideo eſt & charitas dicta. Tria illa dicta ſunt ab Apoſtolo, * *Pax fratribus & charitas cum fide.* Vnde pax & charitas? Vnde charitas cum fide? Si enim non credas, non amas. Dixit ergo Apoſtolus, ſic incipiens à fine, & veniens ad initium: Pax, charitas, cum fide. Nos dicamus, fides, charitas, pax. Crede, ama, regna. Si enim credis, & non amas, adhuc non diſcreuiſti fidem tuam ab eis, qui tremebant & dicebant: * Scimus quia ſis filius Dei viui. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipſa te perducet ad pacem. Quam pacem? veram pacem, plenam pacem, ſolidam pacem, ſecuram pacem, vbi nulla peſtis, nullus hoſtis. Ipſa pax eſt finis omniũ deſideriorum bonorum. Charitas cum fide, & ſi ſic dicas, benè dicis, fides cum charitate. *Tom.10 lib.50. hom. homil. 7.*

**Gal.5.*

*Fides per charitatem operans, etiã charitas dicta.*

**Epheſ.6.*

*Credens & non amans, ſimilis eſt Dæmonibus.*

**Luc.4.* *Marc.3.*

*Charitas cũ fide, vel fides cum charitate perducit hominem ad pacem.*

Et omnis qui diligit genitorem, diligit eum, qui genitus eſt ab ipſo. Statim fidei coniunxit dilectionem: quia ſine dilectione fides inanis eſt. Cùm dilectione fides Chriſtiani, ſine dilectione fides dæmonis. Qui autem non credunt, peiores ſunt, quàm dæmones, & tardiores, quàm dæmones. Neſcio quis non vult credere in Chriſtum: adhuc nec dæmones imitatur.

***Sine dilectione fides inanis. Peiores & tardiores dæmonibus, infideles.***

Iam credit aliquis in Chriſto: ſed odit Chriſtum. Habet confeſſionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: Nam & illi qui puniri timebāt, quid dicebant? * *Quid nobis & tibi fili Dei? Veniſti ante tempus perdere nos?* Adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides qualem dicit Apoſtolus Paulus, * fides quæ per dilectionem operatur. *Tom. 9. in Epiſt. Ioan. Tract.* 10.

** Marc. 3. Luc. 4. * Gal. 5.*

## *VI. Decem præcepta ad Chriſtianos etiam pertinere.*

** Luc. 3. * Mat. 5. Legis cor in decem præceptis agnoſcitur.*

Triginta annorum ætatem gerens* (*Chriſtus*) doctrinam Euangelicam conſecrauit, conteſtans, * legem ſe non veniſſe ſoluere, ſed implere. Legis autem cor in decem præceptis agnoſcitur. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 12. cap.* 14.

** Exod. 20. Deut. 5. Quæ Chriſtianis magis præcepta, quàm Iudæis. * Exod. 20. Deut. 5. Matth. 5. * 1. Pet. 2. * Iſa. 8. Rom. 9.*

Legite vetus Teſtamentum & videte, quia carnali adhuc populo ea præcipiebantur, quæ nobis: * Nam vnum Deum colere & nobis præcipitur: Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui: & nobis præcipitur, quod eſt ſecūdum præceptum. Obſerua diem Sabbati, magis nobis præcipitur, quia ſpiritualiter obſeruādum præcipitur. *Et paulò pòſt:* Iam illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, & obſeruanda ſunt: * Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, honora patrem tuum, & matrem tuam: non concupiſces rem proximi tui: non concupiſces vxorem proximi tui. Nónne iſta omnia & nobis præcipiuntur? *Tom. 9. in Euang. Ioan. Tract. 3.*

** Pſal. 117. Iſai. 28. Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20. Act. 4. 1. Pet. 2. * Exod. 31.*

In illo diptychio lapideo, iam tu non corde lapideo intelligis, quid duro illi populo congruebat: & in eo tamen agnoſcis petram, ipſum ſponſum tuum, illum quem Petrus loquitur * lapidem viuum ab hominibus reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum. Illis ergo erat lapis * offenſionis & petra ſcandali: tibi autē lapis, quē * reprobauerunt ædificantes, factus eſt in caput anguli. Quod totum idem Petrus Apoſtolus explicat, & totum à Prophetis, à quibus iſti damnati alienantur prædictum eſſe cōmemorat. Lege ſanè etiam illud diptychium, ne timeas, planè ſponſi tui eſt. Aliis lapis ille ſignificauit duram ſtoliditatem, tibi autem fir-



mam ſtabilitatem. Digito enim Dei * ſcriptæ ſunt tabulæ illæ, digito Dei ſponſus tuus eiicit dæmonia: digito Dei expelle tu doctrinas dæmoniorum * mendaciloquorum, cauteriantium conſcientiam. Ex hoc diptychio repellis adulterum, qui ſe paracletum dicit, vt ſancto nomine te ſeducat. Quinquageſimo enim die poſt paſcha datæ ſunt illæ tabulæ: & quinquageſimo die poſt paſſionem ſponſi tui, quod paſcha illud præfigurabat, datus eſt digitus Dei, Spiritus ſanctus * promiſſus paracletus. Noli ergo formidare diptychium quo tibi ſcripta olim, quæ nunc agnoſceres, mittebantur: tantùm noli eſſe ſub lege, ne illam timore non impleas, ſed ſub gratia, vt ſit in te plenitudo * legis charitas. Non enim aliud diptychium recenſebat ſponſi tui amicus, cùm diceret, * Nam non adulterabis, nō homicidium facies, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, & diliges * proximum tuum tanquam teipſum. Dilectio proximi malum non operatur, Plenitudo * enim legis eſt caritas. Ibi enim ſunt duo illa præcepta, dilectionis Dei, & dilectionis proximi, ſingulis tabulis explicata. Hoc ergo diptychium ille præmiſit, qui tibi hæc duo præcepta veniens commendauit, in quibus tota lex * pendet & prophetæ. In primo præcepto eſt caſtitas nuptiarum tuarum, in ſecundo vnitas membrorum tuorū: illo amplecteris diuinitatem, iſto congregas ſocietatem. Quæ duo præcepta ipſa ſunt decem: tria pertinent ad Deū, & ſeptem ad proximum. O pudicum diptychium, in quo veteris figuræ ille dilectos & dilectus tuus prænunciauit tibi canticum nouum, in decachordo * pſalterio: tanquam per te etiam neruos ſuos extenſurus in ligno, vt de peccato peccatum damnaret in carne, & iuſtitia legis impleretur in te. O diptychium coniugale, quod non ſine cauſa odit adultera. *Tom. 6. lib. 15. contra Fauſtum Manich. cap. 4.*

** 1. Tim. 4. * Act. 2. * Rom. 13. * Exod. 20. Deut. 5. * Leuit. 19. * Rom. 13. * Matt. 22. Duo præcepta charitatis, decalogi compendium ſunt. * Pſal. 91. et 143.*

Quid habent ergo iſti, vnde legi & prophetis calumniētur, quòd eos Chriſtns ſoluere venerit potius, quàm adimplere, quia Chriſtiani non obſeruant, quæ tibi præcepta ſunt, cùm ea ſola non obſeruēt, per quæ Chriſtus promittebatur, ideo non obſeruent magis, quia

*Chriſtiani veteris legis præcepta obſeruant, demptis iis, per quæ Chriſtus promittebatur.*

eadem promiſſa iam Chriſtus impleuit: nec adhuc promittuntur, quia iam impleta ſunt: eorúmque promiſſiua ſigna in eis terminari debuerunt, quos fides Chriſti hæc adimplendis iam talibus imbutos, inuenerat. Nunquid enim nõ obſeruãt Chriſtiani, quod in illa Scriptura eſt: * *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt: Nõ* * *facies tibi idolum*: & cætera huiuſmodi. Nunquid non obſeruant Chriſtiani, quod ibi dicitur: Nõ accipies nomen Domini Dei in vanum? Nunquid ipſum Sabbatum, quod ad intelligendam veram requiem pertinet, non obſeruant Chriſtiani? Nunquid honorem parentibus Chriſtiani non deferunt, quod ibi præceptum eſt? Nunquid à fornicationibus, aut homicidiis, aut furtis, aut falſis teſtimoniis, aut à concupiſcenda vxore proximi, non ſe temperant Chriſtiani: quæ omnia in illa lege conſcripta ſunt? Hæc præcepta ſunt morum, illa Sacramenta ſunt promiſſorum: hæc implentur per adiuuantem gratiam, illa per redditam veritatem: vtraque per Chriſtum & illam ſemper gratiam donantem, nũc etiam reuelantem, & hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem: quia lex * *per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Denique iſta, quæ in rectè viuente conſciẽtia conſeruantur, fide * per dilectionem operante complentur: illa verò, quæ in promittente ſignificatione verſata ſunt, rebus redditis tranſierunt. *Ibidem, lib. 19. cap. 18. Lege contra eundem, lib. 15. cap 7.*

* *Deut. 6.*
*Exod. 20.*
* *Deut. 5.*
*Præcepta morum implentur per gratiam adiuuantem: Sacramenta verò promiſſorum, per exhibitã veritatem impleta ſunt.*
* *Ioan. 1.*
* *Gal. 5.*

Quid ſunt ergo leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ * in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, qui eſt digitus * Dei, quo præſente diffunditur * charitas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & præcepti * finis? Nam quia veteris Teſtamenti promiſſa terrena ſunt, licet exceptis Sacramentis, quæ vmbra erant futurorum, ſicut eſt circũciſio, & Sabbatum, & aliæ dierum obſeruationes, & quarundam eſcarum cærimoniæ, & multiplex ſacrificiorum ſacrorúmque ritus, quæ vetuſtati carnalis legis, iugóque ſeruili congruebant, talia contineant præcepta iuſtitiæ, qualia nunc quoque obſeruare præcipimur, quæ maximè duabus illis tabulis ſine figura adumbratæ ſignificationis expreſſa ſunt,

* *Ier 31.*
* *Luc. 11.*
* *Rom. 5.*
* *Rom. 13.*
* *1. Tim. 1.*
*Præcepta duarum tabu-*



ſicut eſt, * Non adulterabis, non homicidium facies, non concupiſces, et ſi quod aliud eſt mandatum, quod in hoc ſermone recapitulatur: * *Diliges proximum tuũ ſicut teipſum*: tamen quia in eo, ſicut dixi, promiſſa terrena & temporalia recitantur, quæ bona ſunt huius corruptibilis carnis, quanuis eis ſempiterna atque cæleſtia, ad nouum ſcilicet Teſtamentum pertinentia, figurarentur, nunc ipſius bonũ cordis promittitur, mentis bonum, ſpiritus bonum, hoc eſt, intelligibile bonũ, cùm dicitur: * *Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas*. Vnde ſignificauit eos nõ forinſecus terrẽtem legem formidaturos, ſed intrinſecus habitantem ipſam legis iuſtitiam dilecturos. *Tom. 3. de ſpiritu & litera, cap. 21. Huc pertinet & articulus 8. cap. 7. de diſcrimine legis & Euangelij.*

*larum etiam nunc obſeruare præcipimur.*
* *Exod. 20.*
*Deut. 5.*
*Ro. 7. 13.*
* *Leuit. 19.*
*Rom. 13.*
* *Ierem. 31.*
*Heb. 8.*

### *VII. Magnum eſſe inter præcepta atque conſilia Euangelica diſcrimen, quòd illa ſint ad ſalutem obſeruatu neceſſaria, hæc verò perfectioni peculiariter deſtinata.*

PRæcepto quiſquis non obtemperat, reus eſt & debitor pœnæ. Proinde quia vxorem ducere vel nubere peccatum non eſt, ſi autem peccatum eſſet præcepto vetaretur, propterea præceptum Domini * de virginibus nullum eſt. Sed quoniam deuitatis remiſsiſúe peccatis adeunda eſt vita æterna, in qua eſt quædã egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda, cui conſequendæ parum eſt, liberatum eſſe à peccatis, niſi aliquid ipſi liberatori voueatur, quod non ſit criminis non vouiſſe, ſed vouiſſe ac reddidiſſe ſit laudis. *Conſilium*, inquit, * *do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo, vt fidelis eſſem*. Neque enim inuidere debeo fidele conſilium, qui non meis meritis, ſed Dei miſericordia ſum fidelis. *Tom. 6. de ſancta virginit. cap. 14.*

* *1. Cor. 7.*
*Expendant hæc qui opera ſupererogationis & eorũ ſingulare præmium deridẽt.*
* *1. Cor 7.*
*Cõſiliũ Apoſtoli, cœlibatũ vel cõtinentiã propter Deum ſeruare.*

Altera die, quaſi tempore alio, poſt reſurrectionẽ vtique & aſcenſionẽ ſuã (*Chriſtus Euãgelicus Samaritanus*) protulit duos * denarios, duo videlicet Teſtamẽta, vet'

* *Luc. 10.*

*Margin:* * Act.9. * 2.Cor.11. * Luc.10. * 1.Cor.7. * Matt.16. Rom 2.

*Sunt ergo conſilia quædam de actibus virtutũ, in lege vel Euangelio nuſquã præceptis.*

* 1.Cor.7. * Ibidem.

& nouum:in quibus vnum numiſma Dei regis eſt: & dedit ſtabulario,Paulo Apoſtolo, qui eſt vas * electionis,cui ſollicitudo * eſt omnium Eccleſiarum, & ait: *Curam eius habe*,id eſt,quæ ad fidem meam pertinent, quomodo eum oportet ad plenam ſanitatem peruenire,doce illum.Et quodcunque ſupererogaueris, dum rediero reddam tibi. Siquid ergo ſuper Euangelium meum,tanq̃ miſericordiam meam conſecutus,*vt eſſes fidelis,ad eius vtilitatem ſapueris,dum rediero iudicaturus mundum, & vnicuique redditurus * ſecundùm opera ſua,reddam tibi.Quid eſt autem quod ſuper legem & Euangelium plus Paulus erogauit? Illud quod, puto,ipſe ait ad Corinthios:*De virginibus autẽ præceptum Domini non habeo,conſilium autem do,tanq̃ miſericordiam conſecutus à Domino,vt ſim fidelis:vel illud etiam,vbi de coniugibus ait: * Nam cæteris ego dico,non Dominus &c.*Tom.7.hypog.lib.3.circa mediũ.*

*Inter præceptum & cõſiliũ manifeſtum diſcrimen.*

* Pſal.33. & 36. 1.Pet.3. * Matt. 19. Matt.3.7. Luc.3.

*Conſiliũ qui libenter audierit, & fecerit, maiorẽ habebit gloriam.*

Aliud eſt conſilium,aliud præceptum. Conſilium datur vt virginitas cõſeruetur,vt à vino & à carnibus abſtineatur,vt vendantur omnia & pauperibus erogẽtur. Præceptum verò,vt iuſtitia cuſtodiatur, vt omnis homo diuertat à * malo & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, * *qui poteſt capere capiat*: De iuſtitia verò non dicitur,qui poteſt facere faciat, ſed * *omnis arbor,quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.*Conſilium qui libenter audierit & fecerit,maiorem habebit gloriam.Præceptum qui nõ impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, pœnam euadere non poterit.*Tom.10 de tempore,ſerm.61.*

* Exod. 20. Deut.5. * 1.Cor.7.

Quæcunque mandat Deus,ex quibus vnum: * Non mœchaberis:Et quæcunque non iubentur,ſed ſpeciali conſilio monentur,ex quibus vnum eſt: * *Bonum eſt homini mulierem non tangere*,tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum.*Tom.3.in Enchirid.cap.121.*

* 1.Cor.7.

*Præcepto non obedire peccatũ eſt: conſiliũ ſine peccato prætermitti poteſt.*

Vir vxorem * ne dimittat.) Ex præcepto Domini poſuit,nec ibi addidit,& ſi dimiſerit, non peccat. Præceptum eſt enim hoc,cui non obedire peccatum eſt:non conſilium,quo ſi vti nolueris, minus boni adipiſceris, non mali aliquid perpetrabis. Propterea cùm dixiſſet:



* *Solutus es ab vxore,ne quæſieris vxorem*, quia nõ præcipiebat ne malum fieret,ſed conſulebat vt melius fieret:continuò ſubiunxit:Et ſi acceperis vxorem nõ peccaſti,et ſi nupſerit virgo,non peccat. *Tom. 7. de ſancta Virg.cap.15.*

* 1.Cor.7. 1. Cor.10. Luc.10.

Omnia mihi licita ſunt, ſed non omnia expediunt. Ita oſtendit (*Paulus*) ea quæ licita ſunt, id eſt, nullo præcepto domini prohibentur, ſicut expedit potius eſſe tractanda,non præſcripto legis,ſed conſilio charitatis.Hæc ſunt quæ amplius erogantur ſaucio, qui curandus ad ſtabulũ Samaritani illius miſeratione perductus eſt. Et ideò dicuntur non à Domino præcipi, quamuis à Domino moneantur offerri,vt tantò intelligantur eſſe gratiora, quantò magis oſtenduntur indebita.*Tom.6.de Adult.coniugiis lib.1.cap.14.*

## *VIII. Iuſtum neque ſemper neque in omni opere peccare.*

*Iuſtitia quædã huic vitæ competens.*

* Abac.2. * Rom.1. * 2.Cor.5.

*Poſſe hominem in hac vita nullam ſequi cupiditatem, quãuis totam nondũ aſſequatur charitatẽ, exemplo corporei oculi declaratur.*

Dici poteſt quædam iuſtitia minor,huic vitæ competens,qua iuſtus * ex fide viuit,quanuis peregrinus à Domino: & ideò per fidem * ambulans nondũ per ſpeciem,non abſurdè dicitur, etiam ad iſtam pertinere,ne peccet. Neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei,quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur,iam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim totam nondum aſſequi charitatem,aliud nullam ſequi cupiditatem.Quamobrem debet homo, quanuis longè minus amet Deum,quàm eum poteſt amare cõſpectum,nihil tamen appetere illicitum.Sicut etiam in his,quæ adiacent ſenſibus corporis,poteſt oculus nullis tenebris delectari,quanuis non poſſit in fulgentiſsima luce defigi.*Tom.3.de ſpiritu & litera,cap.36.*

*Humana natura ſine peccato, adiuuãte Deo, eſſe poteſt.*

Non abnuimus, humanam naturam poſſe eſſe ſine peccato,aut vllo modo negare debemus perfici poſſe, quam proficere non negamus: ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,eo adiuuante fieri, adicimus, vt iuſta & beata ſit,quo creata eſt, vt fit. Facilè itaque refellitur,quod à quibuſdam dicit opponi,

*Tentationes Diaboli hominem non cogunt peccare.*
** Iacob. 4.*
*Diabolo reſiſtere Dei auxilio poſſumus.*
*De vincẽdo dæmone, aliter Catholici quã Pelagiani docẽt.*
** Matt. 6.*
** Marc. 14.*

diabolus nobis aduerſatur. Prorſus huic obiectioni eadem verba reſpondemus, quæ ipſe reſpondit, Reſiſtamus illi, & fugiet. *Reſiſtite*, inquit B. Apoſtolus, * *diabolo, & fugiet à vobis.* Vnde animaduertendũ eſt, quid poſsit his nocere, quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus ſit, qui ſolis præualere non reſiſtentibus poteſt. Hæc & mea verba ſunt: verius enim dici nõ poteſt. Sed hoc intereſt inter nos & iſtos, quòd nos etiã cum Diabolo reſiſtimus, poſcendum Dei adiutorium, nõ ſolùm non negamus, verùmetiam prædicamus: iſti autem tantam tribuunt poteſtatem voluntati, vt pietati auferant orationem. Nam vtique vt Diabolo reſiſtamus, & fugiat à nobis, ideò precantes dicimus: * Ne nos inferas in tentationem: ideò & admoniti ſumus, tanquam ab Imperatore milites exhortante & dicente: * Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Tom. 7. de natura & gratia, cap. 58.*

*Vt non peccemus, per Chriſti gratiam adiuuamur orãtes.*

Quod verò contra eos diſputat, qui dicunt, Et quis nolit ſine peccato eſſe, ſi hoc in hominis eſſet poſitum poteſtate? rectè quidem diſputat, hoc ipſo eos confiteri non poſſe impoſsibile, quia hoc vel multi, vel omnes volunt, ſed hoc vnde ſit poſsibile confiteatur, & pax eſt. Ipſa eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua omnino iſte nos orantes adiuuari, vt non peccemus, nuſq̃ dicere voluit. *Ibidem, cap. 59.*

*Homo, Dei gratia mundo corde eſſe poteſt.*

Beatus verò Hilarius, cuius verba hæc poſuit, Non enim niſi ſpiritu perfecti, & immortalitate mutati, quod ſolis mundis corde diſpoſitum eſt, hoc quod in Deo eſt, immortalitate cernemus: quid dixerit contra id quod dicimus, vel quid iſtum adiuuet, verè neſcio, niſi quia poſſe eſſe hominem mũdo corde teſtatus eſt. Quod quis negat? Sed gratia Dei per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrũ, non ſola arbitrij libertate. *Ibidem cap. 62.*

** Exod. 20.*
*Deut. 5.*
*Rom. 7.*
** Eccle. 18.*
*Quid ſit facere iuſtitiã, & quid perficere.*

Aliud eſt, nõ habere peccatum: aliud, nõ obedire deſideriis eius. Aliud eſt implere quod præceptũ eſt, * Nõ concupiſces: & aliud eſt, per quendam abſtinentiæ conatum ſaltem id agere, quod item ſcriptum eſt: * Poſt concupiſcentias tuas non eas. Nihil horũ tamen ſcire ſe rectè poſſe, ſine gratia Saluatoris. Facere eſt ergo iu-



ſtitiã, in vero Dei cultu, cum interno concupiſcentiæ malo, interna conflictatione pugnare: perficere autem, omnino aduerſarium non habere. Nam qui pugnat, & adhuc periclitatur, & aliquando percutitur, etiamſi nõ ſternitur: qui aũt non habet aduerſarium, plena pace lætatur. Et ipſe eſſe ſine peccato veriſsimè dicitur, in quo nullum habitat peccatum, non qui per abſtinentiã mali operis dicit, * Iam non ego operor illud, ſed id, quod in me habitat peccatum. *Ibidem, paulò pòſt.*

** Rom. 7.*

*Ambroſius ſuper Lucã.*
** Luc. 1.*
*Ante paſſionẽ Chriſti fuerunt iuſti aliquãdo ſine peccato in hac vita: non tamẽ ſine Dei gratia per Ieſum Chriſtum.*
** Rom. 5.*

Sanctus autem Ambroſius reuera in eo loco, quem iſte commemorat, illis reſiſtit, qui dicunt, hominẽ non eſſe poſſe ſine peccato in hac vita. Vt enim ea diceret, accepit occaſionem de Zacharia & Elizabet, quòd in Euangelio* commemorati ſunt ambulaſſe in omnibus iuſtificationibus legis ſine querela. Nunquid tamẽ negat, gratia Dei fieri per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum? Ex qua fide etiam ante eius paſsionem iuſtos vixiſſe non dubium eſt, qui præſtat Spiritum ſanctũ, qui datus* eſt nobis, per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris. Qua vna iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt. *Ibidem, cap. 63. Idem docet, cap. 64. auctoritate Sixti Romanæ Eccle. Epiſco. Et cap. 65. auctoritate D. Hieronymi.*

*Cuicunque cauſæ ad peccatũ impellenti, voluntas noſtra poteſt adiuuante Deo reſiſtere.*
** Matth. 6.*
*Peccatum, opitulante Deo, caueri poteſt.*

Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caueat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, vt caueri omnino non poſsit? Si ita eſt, nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt? Peccatur autem: caueri igitur poteſt. Agnoſco, verba mea ſunt, ſed etiã ipſe dignetur agnoſcere ſuperius cũcta quæ dicta ſunt. De gratia quippè Dei agitur, quæ nobis per mediatorẽ medicina opitulatur, non de impoſsibilitate iuſtitiæ. Poteſt ergo ei cauſæ quæcunque illa eſt, reſiſti: poteſt planè. Nã in hoc adiutoriũ poſtulamus, dicentes: * *Ne nos inferas in tentationem*: quod adiutoriũ non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum caueri, ſed opitulante illo, qui non poteſt falli. *Ibidem, cap. 67. & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. Et lib. 1. Retract. cap. 9.*

*Ad peccãdũ non requi-*

Ad peccandum nanque non adiuuamur à Deo: Iuſta

*ritur Dei auxiliũ: ad iuſta verò agẽda omnino neceſſarium eſt.*

autem agere, vel iuſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adiuuemur à Deo. Sicut enim corporis oculus non adiuuatur à luce, vt ab eadem luce clauſus auerſúſque diſcedat: vt autem videat, adiuuatur ab ea, neque hoc omnino, niſi illa adiuuerit, poteſt: ita Deus, qui lux eſt hominis interioris, adiuuat noſtræ mentis obtutum, vt non ſecundùm noſtram, ſed ſecundùm eius iuſtitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo auertimur, noſtrum eſt, & tunc ſecundùm carnem ſapimus, tunc concupiſcentiæ carnis ad illicita conſentimus. *Tom.7. de pecc. meritis & remiſſione, lib.2. capite 5.*

*Aſſerẽs neminẽ in hac vita ſine peccato eſſe poſſe, & libero noſtro arbitrio, & Dei virtuti atque miſericordiæ derogat.*

*Gratia Dei non ſolũ oſtẽdit, quid faciẽdum ſit, ſed adiuuat, vt quod oſtẽderit fieri poſſit.*

* *1. Cor. 4.*

*Poteſt homo adiutus à Deo, ſine peccato eſſe ſi velit.*

Qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato, non eſt eis continuò incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogabimus. Sed alia quæſtio eſt, vtrum eſſe poſſit: alia, vtrum ſit: alia, ſi non eſt, cùm poſſit eſſe, cur non ſit: alia, vtrum qui omnino nunquam vllum peccatum habuerit, non ſolùm quiſquam ſit, verùm etiam poterit aliquando eſſe, vel poſſit. In hac quadripartita propoſitione quæſtionum ſi à me quæratur, vtrum homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiã & liberum eius arbitrium: ipſum quoque liberum arbitrium, ad Dei gratiam, hoc eſt, ad Dei dona pertinere, non ambigens, nec tãtùm vt ſit, verùm etiam vt bonum ſit: id eſt, ad facienda mandata Domini conuertatur: atque ita Dei gratia non ſolùm oſtendat, quid faciendum ſit, ſed adiuuet etiam vt poſſit fieri, quod oſtenderit. Quid enim habemus,* quod non accepimus? *Et poſt pauca.* Poteſt homo ſi velit, eſſe ſine peccato, adiutus à Deo. *Ibidem, cap.6.*

*Huc pertinet & illud quod aduerſus Pelagianos diſputans Auguſtinus, ſæpenumero docet, ne ipſum quidem opus nuptiarum, in quo vel maximè concupiſcentia & caro regnare videntur, eſſe peccatum, ſicut Tom. 4. de bono coniugali, cap.6. & aduerſus Iulianum plurimis in locis.*



## IX. *Iuſtitiam hominis Chriſtiani, in bonorum operum, quæ ex fide fiunt, exercitatione conſiſtere.*

QVandiu peregrinantes* à Domino per fidem ambulamus, nõ per ſpeciem, vnde dictũ eſt: * Iuſtus ex fide viuit: hæc eſt noſtra in ipſa peregrinatione iuſtitia, vt ad illam perfectionem plenitudinémque iuſtitiæ, vbi in ſpecie decoris eius iam plena atque perfecta caritas erit, nunc ipſius curſus rectitudine & perfectione tendamus, caſtigando * corpus noſtrum & ſeruituti ſubiiciendo, & eleemoſynas in dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nos ſunt commiſſa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indeſinenter inſiſtendo, & hoc faciendo in doctrina ſana, qua ædificatur fides recta, ſpes firma, caritas pura. Hæc eſt nunc iuſtitia noſtra, qua currimus eſurientes & ſitiẽtes ad perfectionem plenitudinémque iuſtitiæ, vt ea poſtea ſaturemur. *Tom 7. de perfectione iuſtitiæ, reſp.17.*

* *2. Cor. 5.*
* *Abac. 2. Rom. 1.*
* *1. Cor. 9.*

Congregate illi * iuſtos eius. Quos iuſtos? niſi viuentes* ex fide, facientes opera miſericordiæ. Etenim opera illa, iuſtitiæ opera ſunt. Habes Euangelium:* *Cauete iuſtitiam veſtram facere coram hominibus, vt videamini ab eis:* Et quaſi quæreretur. Quam iuſtitiam? Cùm ergo facis eleemoſynam, inquit. Ergò eleemoſynas opera eſſe iuſtitiæ ſignificauit. *Tom.8. in Pſal.49. circa medium.*

* *Pſal. 49.*
* *Abac. 2. Rom. 1.*
*Opera miſericordiæ, opera iuſtitiæ ſunt.*
* *Matth. 6.*

Hæc iuſtitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemoſyna, oratio: Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas ieiunium & eleemoſynã. *Ibidem in Pſal.42.*

*Iuſtitia hominis in hac vita, ieiuniũ, eleemoſyna et oratio.*

Vnde Dominus in Euangelio cum dixiſſet: * *Nolite facere iuſtitiam veſtram coram hominibus, vt videamini ab eis:* ne iſtum noſtrum curſum ſine humanæ gloriæ metiremur, non eſt in expoſitione iuſtitiæ ipſius exſequutus, niſi tria iſta, ieiunium, eleemoſynas, orationes: Ieiunio ſcilicet vniuerſam corporis caſtigationem ſignificans: eleemoſynis omnem beneuolentiam & beneficentiam vel dandi vel ignoſcendi: & oratione inſinuans omnes regulas ſancti deſiderij. *Tom.7. de perfect. iuſtitiæ, reſp.17.*

* *Matth. 6.*

# CAPVT NONVM DE FRVCTV SEV EFFECTV IVSTIFIcationis, déque bonorum operum meritis.

*I. Hominis iuſtificati bona opera non ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita.*

*Iuſtorũ ſunt merita, quia iuſti ſunt. Sed vt iuſti fierẽt, merita nõ fuerunt.*

NVllàne igitur ſunt merita iuſtorum? Sunt planè, quia iuſti ſunt. Sed vt iuſti fierent, merita non fuerunt. Iuſti enim facti ſunt, cùm iuſtificati ſunt: ſed ſic vt dicit Apoſtolus: * Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. *Tom.2 Epiſt.105. ad Sixtum presbyterum, prope initium.*

** Rom.3.*

** Matth.16. Rom.2.*

*Homo tam ĩ operibus bonis, quàm malis libero vtitur arbitrio.*

*Bonũ meritũ eſt, gratiæ dei in nobis operãti cooperari.*

*Meritũ iuſtorũ nõ præſentẽ vitã, ſed futurã cũ primis reſpicit.*

Propter liberum arbitrium, quo bona & mala operantur homines, dictum eſt:* Vnicuique reddes ſecundùm opera ſua: habet enim homo malum meritum, cum vicio ſuo iam baptizatus declinat à bono, & facit malum. Habet nihilominus & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ Dei bona in ſe operanti non reſiſtit, ſed cooperator exiſtit, & omnem ſpem ſuam habet in illum, cùm aurem ſuam & cor Deo loquenti intus, hoc eſt, in interiore homine præbet, & non foris in malis ſeculo perſtrepenti, quod meritum non habet propter præſentem vitam, tanquam in præſenti ſeculo recepturus, ſed propter futuram veram vitam, quæ erit in ſecula ſeculorum: quia ſi in hac vita tãtùm in Chriſto ſperamus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. *Tom.7. hypog. lib.3 verſus finem.*

** Rom.9.*

*Vaſa in honorem, ex gratia Dei.*

*Adultos præuenit Deus, vt aliqua merita habere poſſint.*

Tota quippe iſta maſſa iuſtæ damnationis reciperet debitum, niſi ex ea faceret non ſolùm iuſtus, ſed etiam miſericors figulus * alia vaſa in honorem ſecundùm gratiam, non ſecundùm debitum: dum & paruulis ſubuenit, quorum nulla merita dici poſſunt, & maiores præuenit, vt habere aliqua merita poſſint. *Tom. 2. Epiſt.157. ad Optatum, circa medium.*

Iuſtitia licet nõ immeritò in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicatur, parua tamen eſt ad



illam magnam, quam capit æqualitas angelorũ: quam Paulus * quia nõdum habebat, propter illam, quæ iam inerat, perfectum: & propter iſtam, quæ adhuc deerat, imperfectum ſe eſſe dicebat. Sed planè minor iuſtitia iſta facit meritum, maior illa facit præmium, vnde qui iſtam non ſequitur, illam non aſſequetur. *Tom.3. ex ſententiis, Sentent.312.*

** Philip.3.*

*Iuſtitia huius vitæ, facit meritum.*

Poſt hanc vitam merces perficiens redditur, ſed eis tãtum, à quibus in hac vita eiuſdem mercedis meritum comparatur. *Tom.7. de perfect. iuſtit reſp.17.*

Hæretici dicunt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, quod omnino falſiſſimũ eſt: non quia nullum eſt meritũ, vel bonum piorũ, vel malum impiorũ, alioquin quomodo iudicabit Deus mundum? Sed miſericordia & gratia Dei conuertit hominẽ, de qua Pſalmus dicit: * Deus meus, miſericordia eius præueniet me, vt iuſtificetur impius, hoc eſt, ex impio fiat iuſtus, & incipiat habere meritũ bonũ, quod Deus coronabit, quãdo iudicabitur mundus. *Tom.2. Epiſt.46. ad Valentinum.*

** Pſalm.58.*

*Homo iuſtificatus incipit habere bonũ meritũ, à Deo coronandum.*

Perparuum eſt quod in eleemoſynis datur: ſed cùm piè datur, æternum inde meritum comparatur. *Tom.6. cont. aduerſar. legis & prophet. lib.1. cap.16.*

Diligamus igitur Deum * ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicunque ad vitam æternam peruenire propoſuimus. Vita enim æterna eſt totum præmium, cuius promiſſione gaudemus: nec præmium poteſt præcedere merita, & prius homini dari, quàm dignus eſt. Quid enim hoc iniuſtius? & quid iuſtius Deo? Non ergo debemus poſcere præmium, antequam mereamur accipere. *Tom.1. de moribus Eccle. Cath. lib.1. ca.25.*

** Deut.6. Matth.22. Mar.12. Luc.10.*

*Præmiũ vitæ æternæ à iuſto Deo præcedentibus meritis retribuitur.*

Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona: & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. *Tom.3. de Ecc. dogmat. cap 32.*

*Merita noſtra, Dei ſũt dona.*

Dicat Deus, quanta futura ſit ipſa requies. *Beati * qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Hæc eſt requies ſempiterna: ſine fine erit requies iſta, ſine fine erit gaudium hoc, ſine fine erit incorruptio, vitam æternam habebis, requiem quæ non habet finem. Quanto labore digna eſt requies, quæ non

** Pſal.83.*

habet finem? Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum hoc eſt: ſed noli timere, miſericors eſt Deus. Si enim haberes æternum laborem, nunquam peruenires ad æternam quietem. Semper laborans, quando peruenturus eras ad illud, quod dignè quidem poteſt emi ſempiterno labore? Quia ſempiterna requies eſt æquale precium: æterno certè labore digna eſt æterna requies comparari. Sed ſi ſemper laborares, nunquam ad requiem peruenires. Ergo vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum laborandum eſt: non quia non valet tanti, ſed vt poſſideatur, quod emitur. Digna eſt quidem emi labore perpetuo, ſed neceſſe eſt, vt labore temporali ematur. Certè tantus debuit eſſe, id eſt, ſempiternus labor pro requie ſempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies cētena millia annorum habent finem, quod tibi dabo dicit Dominus, non habebit finem. Qualis miſericordia Dei? Nec dicit, decies centena milla annorum labora, non dicit, vel mille annos labora, non dicit, quingentos annos labora: cum viuis labora, in paucis annis. Inde iam requies erit, & finem non habebit. *Tom.8. in expoſit. Pſal.93.*

*Æterna requies, quæ perpetuo labore emi digna eſt, vt tēporali ematur neceſſe eſt.*

*Quod ergò contra Pelagianos ſæpenumero diſputans affirmat, Deum non coronare merita noſtra, ſed dona ſua, vt Epiſt. ad Sixtum, & in Pſalmos pluribus in locis, merita intelligit, vt à deſtitutis naturæ viribus abſque vllo vel præcedente, vel comitante diuinæ gratiæ auxilio proficiſcuntur. Quis verò neſciat huiuſmodi merita æternæ & immortalis vitæ nullo præmio coronari?*

## *II. Dei gratiam eſſe principium rationémque meriti noſtri.*

*Omne bonū meritum noſtrū, facit in nobis gratia.*

QVod eſt ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam? Cùm omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat, niſi gratia. Et cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet, quàm munera ſua? *Tom.2. Epiſt.105. ad Sixtum presbyterum, circa medium.*

Non



Non putes te promerendo accepiſſe, qui non promereres, niſi accepiſſes. Gratia præceſſit meritum tuum, non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti. *Tom.10. ſerm.15. de verbis Apoſtoli.*

*Gratia præcedit meritū.*

His & talibus teſtimoniis diuinis probatur, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari, quandoquidem non ſolùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidiè dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt eſſe etiā merita noſtra bona, per illam tamen. Nam ſi illam ſubtraxerit, cadit homo non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. *Tom.7. de gratia & libero arbitrio, cap.6.*

*Gratia quare nō ſecundùm merita dari dicatur.*

*Accepta gratia incipiūt eſſe merita noſtra bona.*

Veruntamen quia & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur, * cum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiā vitam æternā vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contigit homini. Rectè quippè ipſa intelligitur, quæ gratia in Euangelio legitur. * Gratiam pro gratia, id eſt, pro his meritis, quæ contulit gratia. *Tom.7. de corrept. & gratia, cap.13. lege & de gratia & lib.arb.cap.8.& 9.*

*Cur vita æterna & bonis operibus debita reddatur, & ab Apoſtolo gratia vocetur.*

* *Rom. 6.*
* *Ioan. 1.*

Si autem vt vera ſit gratia, id eſt, gratuita, nihil inuenit in homine, cui meritò debeatur: quod bene intelligitur, & in eo quod dictum eſt:* Pro nihilo ſaluos facies eos: profectò ipſa dat merita, non meritis datur. *Tom.4. de patientia, cap.20.*

* *Pſal. 55.*

Illam (*immortalitatem, quam homo habebat in paradiſo*) natura humana perdidit per liberū arbitrium, & hanc (*futuram immortalitatem*) eſt acceptura per gratiā quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum: quanuis ſine gratia nec tunc vllum meritum eſſe potuiſſet. *Tom 3. Enchirid. cap.106.*

*Etiam ante peccatū nullū meritum ſine gratia fuiſſet.*

Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quenquam gloriari, tāquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt & bonis & malis. *Tom.7. de prædeſtinatione Sanctorum, cap.5.*

*Nullus de ſuis glorietur meritis, tanquā ipſe ſibi ea fecerit ſine gratia.*

Ll

### *III. Iuſtum pro operibus bonis, quæ per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum ab eo fiunt, verè mereri, & legitimè ſperare vitam æternam.*

** 2.Tim 4.*

*Hæc attētè conſiderent, qui iuſtorum hominū merita nulla eſſe cōtendunt.*

AVdiamus Paulum Apoſtolum dicentem* cùm paſſioni ſuæ appropinquaret, de corona ſibi parata præſumentem, Bonum, inquit, certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt manifeſtationem eius. Reddet, inquit, mihi Dominus coronam iuſtus iudex. Debet ergo, quid reddet? reddet ergo iuſtus iudex. Non enim opere inſpecto poteſt negare mercedem, qui opus inſpicit. Bonū certamen certaui, opus eſt. Curſum conſummaui, opus eſt. Fidem ſeruaui, opus eſt. Supereſt mihi corona iuſtitiæ, merces eſt. Sed in mercede tu nihil agis, in opere non ſolus agis. Corona tibi eſt ab ipſo, opus autem abs te, ſed non niſi ipſo adiuuante. *Tom.10. lib.50. homiliarum, homil.14. vide Tom.7. de gratia & libero arbitrio, cap.17.*

*Merces & corona à deo, bonū autem opus ab homine, adiuuāte Deo.*

** 1.Tim.1.*
** 1.Cor.15.*
** 2.Tim 4.*
** Ibidem.*

Audi illum iam exigentem veritatem. Primò ergo, inquit, * Miſericordiam conſecutus ſum, qui primus fui blaſphemus, & perſecutor, & iniurioſus: ſed gratia* Dei ſum, id quod ſum. Poſtea dicit, cum paſſioni propinquaret:* Bonum agonem certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, ſupereſt mihi corona iuſtitiæ. Ille qui tribuit miſericordiam, ſeruat veritatem. Vnde ſeruat veritatem? Quam reddet* mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Indulgentiam donauit, coronam reddet: Donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ. Vnde debitor? accepit aliquid? cui debet aliquid Deus? Ecce videmus, quia tenet eum debitorem Paulus, conſecutus eſt miſericordiam, exigens veritatem. Reddet mihi, inquit,* Dominus in illo die. Quid tibi reddet, niſi quod tibi debet? vnde tibi debet? quid ei dediſti? Quis prior * dedit illi, & retribuetur ei? Debitorem Dominus ipſe fecit ſe, nō accipiendo, ſed promittēdo. Non ei dicitur, redde quod accepiſti: ſed redde quod promiſiſti. Miſericordiā mihi erogauit, inquit, vt facerét me innocentē.

*Deus donator eſt indulgētiæ, & debitor coronæ.*

*Quomodo Paulus debitorem Deum tenebat.*

** 2.Tim.4.*
** Rom.11.*

*Deus fecit ſe debitorē coronæ, non accipiēdo, ſed promittendo.*



Nam prius * fui blaſphemus & iniurioſus, ſed ex illius gratia factus ſum innocens. Ille autem qui prærogauit miſericordiā, negare poterit debitum? Diligit miſericordiam & veritatem, gratiā & gloriam dabit. Quam gratiā, niſi de qua ipſe dixit: * Gratia Dei ſum id quod ſum? Quam gloriam, niſi de qua ipſe dixit, * Supereſt mihi corona iuſtitiæ? *Tom.8. in Pſal.83.*

** 1.Tim.1.*
** 1.Cor.15.*
** 2.Tim.4.*

Audi quia ille cui donauit, tenet Dominū etiam debitorem. Inuenit eum donatorem tempore miſericordiæ, tenet debitorem tempore iudicij: Quomodo hoc dicit, videte. Ego enim iam immolor, dixit,* & tempus reſolutionis meæ proximū eſt. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*. Hoc tempore miſericordiæ. Audi de iudicio: De cætero ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quā reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Non dixit, donat, ſed reddet. Quādo donabat, miſericors erat: quando reddet, iudex erit. Quia miſericordiam * & iudiciū cantabo tibi Domine. Sed donando delicta fecit ſe debitorem coronæ, ibi miſericordiam conſecutus ſum: Miſericors ergo Dominus primò, hîc autem reddet mihi coronam iuſtitiæ. Vnde reddet? Quia iuſtus iudex eſt. Quare iuſtus iudex? Quia bonū* certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Ideò iuſtus non poteſt niſi coronare iſta, inuenit enim iſta, quæ coronaret. Antea verò quid inuenerat? Qui prius * fui blaſphemus & perſecutor. Iſta donauit, illa coronauit. Donauit hæc tempore miſericordiæ, coronauit illa tempore iudicij: quia miſericordiā * & iudiciū cantabo tibi Domine. *Tom.8. in Pſal.100.*

*Paulus tēpore miſericordiæ Deū inuenit donatorem, quem in die iudicij tenet debitorē.*

** 2.Tim.4.*

*Deus dādo veniā peccatorū, & iuſtificando miſericors eſt: reddendo verò mercedē, iuſtus eſt.*

** Pſal.100.*
** 2.Tim.4.*
** 1.Tim.1.*
** Pſal.100.*

*Venite benedicti * patris mei, percipite*. Quid percipite? Regnum. Pro qua re? *Eſuriui & dediſtis mihi manducare.* Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem * eſurienti? Tanti valet regnum cœlorum. Frange eſurienti panem tuum, & egenum ſine tecto induc in domum tuam: ſi videris nudum, veſti: ſi non habes facultatem frangendi panem, non habes domum quò inducas, non habes veſtem qua cooperias: da calicem * aquæ frigidæ, mitte duo minuta * in gazophylacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus * relinquens retia, quantum emit Zachæus

** Matth.25.*
** Eſa.58.*
*Ezech.18.*
** Matt.10.*
** Mar.12.*
*Luc.21.*
** Matth.4.*
*Mar.1.*
*Luc.5.*

* Luc. 19.

* dando dimidium patrimoniũ. Tanti valet, quantum habueris. *Tom.8. in Pſalm.49. circa medium.*

* Pſal. 111. *Semẽ futuræ meßis, opera miſericordiæ.* * Gal.6. * 2.Cor.9. * Luc.19. * Mar.12. Luc.21. * Matth.10.

*Potens in terra* erit ſemen eius* : Et ſemen futuræ meſſis opera eſſe miſericordiæ Apoſtolus teſtis eſt, qui dicit: * *Bonum autem facientes, non deficiamus. Tempore enim proprio metemus non deficientes.* Et iterum : Hoc autem, inquit,* qui parcè ſeminat, parcè & metet. Quid autem fratres potentius, quàm vt regnum cœlorum non ſolùm Zachæus * emat dimidio rerum ſuarũ, ſed & vidua * duobus minutis: & tantundem ibi vterque poſſideat? Quid potentius, quàm vt idem regnum & theſauris diuitis, & calice* aquæ frigidæ pauperis valeat? *Tom.4. de octo Dulcitij quæſtionibus, q.4.*

*Bonæ vitæ premiũ vita æterna.*

Ipſis quatuor virtutibus diuinitus impartitis & bona vita nunc agitur, & poſtea præmium eius, quæ niſi æterna eſſe non poteſt, beata vita perſoluitur. Hîc enim ſunt eædem virtutes in actu, ibi in effectu: hîc in opere, ibi in mercede: hîc in officio, ibi in fine. *Tom.2. Epiſt.52. ad Macedonium, circa finem.*

*Viuẽdo ex fide promeremur Deum*

*Vita æterna quomodo ſimul gratia et merces apud Paulum.* * 1.Tim.1.

Cum promerueris Deum viuendo ex fide, accipies præmium immortalitatem, & vitam æternam : & illa gratia eſt. Non pro merito quidem accipies vitã æternam, ſed tantùm pro gratia. Si enim ipſa fides gratia eſt, & vita æterna gratia eſt, & vita æterna quaſi merces eſt fidei: Videtur quidem Deus vitam æternam tanquã debitam reddere. Cui debitam ? Fideli, quia promeruit illam per fidem. Sed quia ipſa fides gratia eſt, & vita æterna gratia eſt pro gratia : audi Paulum Apoſtolum confitentem gratiam, & poſteà debitum expetentem. Confeſſio gratiæ quæ eſt in Paulo ? *Qui prius* * *fui blaſphemus & perſecutor & iniurioſus : ſed miſericordiam*, inquit, *conſecutus ſum*. Indignum ſe dixit, qui conſequeretur : cõſecutum tamen non per merita ſua, ſed per miſericordiam Dei. Audi illum iam flagitantem debitum, qui primò indebitam ſuſceperat gratiam. *Ego enim*, inquit,* *iam immolor: & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui : de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Iam debitum flagitat, iam debitum exigit. Nam vide verba ſequentia: *Quam mihi reddet Dominus in illa die iuſtus iudex*. Vt antè ſuſciperet

* 2.Tim.4.



*Gratia ſuſcipitur à miſericordi patre: præmiũ gratiæ à iuſto iudice.*

gratiam, miſericordem patrem opus habebat : vt præmium gratiæ, iudicem iuſtum. *Tom.9. in Euang. Ioannis, tractatu 3.*

*Bonum opus propter vitã æternã faciẽdum.* * Matth.6.

Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Nam ſi opus bonũ in terra propterea feceris, vt terrena tibi abundent, ſcit ſiniſtra tua, * quid faciat dextera tua, miſcuiſti dexteram ſiniſtræ Noli facere niſi propter vitam æternam : Si ideò facis, ſecurus facies : hoc enim mandauit Deus. *Tom.8. in Pſalm.120.*

*Sed quid de iis ſentiendum eſt, qui in articulo mortis ad Chriſtum conuerſi bona opera exterius non habent ? reſpondet Auguſtinus* : Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatẽ. *Tom.8. in Pſal.103.*

### *IIII. Quomodo illud Apoſtoli ad Rom.V. Gratia Dei vita æterna, conſtet cum verbis eiuſdem ad Rom.2. Reddet Deus vnicuique ſecundùm opera eius, & aliis ſimilibus.*

*Vitam æternã bonis operibus reddi, apertißimè dicit ſcriptura.* * Matt.16. Rom.2. * Rom.4. * Rom.11. *Vita æterna quomodo gratia, & quomodo ſimul merces.* * Rom.6.

NAſcitur non parua quæſtio, quæ Domino donante ſoluenda eſt : Si enim vita æterna bonis operibus redditur, ſicut apertiſſimè dicit ſcriptura, * *Quoniã Deus reddet vnicuique ſecundùm opera eius*: quomodo gratia eſt vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ipſo Apoſtolo dicente, * *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm meritum*. Et iterum, * *Reliquiæ*, inquit, *per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*. Et mox addidit. *Si autem gratia, iam non ex operibus : alioquin gratia iam non eſt gratia*. Quomodo eſt ergo gratia vita æterna, quæ ex operibus ſumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apoſtolus gratiam? Imò verò ſic dixit, vt negari omnino non poſſit, nec intellectorem acutum, ſed tantummodo intentum deſiderat auditorem. Cùm enim dixiſſet, * *Stipendium peccati mors* : continuò ſubdidit, Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Iſta ergò quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolui, niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna red-

** Ioan. 15.*

*Locus Pauli ad Epheſ.2. Gratia enim eſtis ſaluati per fidẽ &c. eleganter exponitur.*

ditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus Ieſus: * *Sine me nihil poteſtis facere.* Et ipſe Apoſtolus cùm dixiſſet: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne forte quis extollatur*: vidit vtique putare poſſe homines hoc ita dictum, quaſi neceſſaria non ſint opera bona credentibus, ſed eis fides ſola ſufficiat: & rurſus poſſe homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda ſibi ſufficiant. Mox itaque addidit, * *Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Quid eſt hoc, quod cùm Dei gratiam commendans dixiſſet, Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: cur hoc dixerit rationem reddens, ipſius enim ſumus, inquit, figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis? Quomodo ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? ſed audi & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex teipſo tibi exiſtentibus, ſed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id eſt, formauit & creauit. Hoc enim ait, Ipſius ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, non illa creatione, qua homines facti ſumus, ſed ea, de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat; * *Cor mundum crea in me Deus:* Et de qua dicit Apoſtolus: * *Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua, omnia autem ex Deo.* Fingimur ergò, id eſt, formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, ſed præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Itaque cariſſimi, vita bona noſtra nihil aliud eſt, quàm Dei gratia: ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt: & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia eſt: hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia: vt verum ſit, quoniam verum eſt, quia reddet* vnicuique Deus ſecundùm opera eius. *Tom.7. de gratia & libero arbitrio, cap.8. Idem docet, cap. 9.15.16.20.& 21.*

** Epheſ. 2.*

*Vtrunq; malũ eſt Pauli ſentẽtia, & putare, nõ eſſe neceſſaria bona opera, ſed ſolam fidẽ ſufficere: & rurſum, bonis operibus, tanquã quæ noſtris viribus facta ſint, extolli.*

** Pſal. 50.*

** 2.Cor.5.*

*Vita æterna qua ratione ſit gratia, & ſimul merces.*

** Matt.16. Rom.2.*

*Attende Lector: Nam vt perſpicuè duplex ponitur in ſcripturis hominis creatio, altera ſecundùm naturam, altera ſecundùm gratiam: ita duplicia diſtinguuntur*





*opera, quædam hominis ſecundùm naturæ vires, quædam hominis, vt noua eſt creatura in Chriſto Ieſu. Illa opera, ſecundùm Auguſtinum, excludit Apoſtolus verbis illis ad Epheſ.2. Non ex operibus, ne quis glorietur: Hæc verò neceſſaria eſſe docet, cùm addit: Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.*

Vnde & ipſa vita æterna, quæ vtique in fine ſine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur, nec ideò quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur. Vbi autem inuenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari? habemus apud eundem gratiæ magnificum defenſorem Apoſtolum Paulum: * *Stipendium*, inquit, *peccati mors eſt, gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Vide obſecro te, in quanta breuitate, quàm vigilanter verba poſuerit, quibus diligenter conſideratis, quæſtionis huius aliquantulum dilucescat obſcuritas. Cùm enim dixiſſet, ſtipendium peccati mors: quis non congruentiſſimè, & conſequenter addere iudicaret: Stipendium autem iuſtitiæ vita æterna? Et verum eſt, quia ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna. Aut ſi nollet dicere, iuſtitiæ, diceret fidei: quoniam iuſtus * ex fide viuit. Vnde etiam & merces appellatur plurimis ſanctarum ſcripturarum locis: nuſquam porrò dicta eſt merces iuſtitia vel fides, quia iuſtitiæ vel fidei redditur merces. Quod eſt autem merces operanti, hoc militanti ſtipendium. Sed beatus Apoſtolus aduerſus elationem, quæ vſque adeò magis tentat irrepere, vt & ſibi propter ipſam dicat * datum angelum Sathanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præſumptionis erigeret. Aduerſus hanc ergo elationis peſtem vigilantiſſimè militans, ſtipendum, inquit, peccati mors. Rectè ſtipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia meritò redditur. Deinde ne iuſtitia de humano ſe extolleret bono merito, ſicut humanũ

*Vita æterna eſt gratia, nõ quia meritis nõ datur: ſed quia data ſunt & ipſa merita.*

** Rom.6.*

*Quare Apoſtolus ad Ro.6. nõ dixerit: Stipendium iuſtitiæ vita æterna: cùm tamen id verè dici potuiſſet.*

** Abac.2. Rom.1.*

*Vita æterna merces & gratia in ſcripturis dicitur: Fides verò et iuſtitia, nunquã merces nominantur.*

** 2.Cor. 12.*

** Rom. 6.*

meritum malum non dubitatur eſſe peccatū, non à contrario retulit, dicens: Stipendium iuſtitiæ vita æterna, ſed gratia, inquit, Dei vita æterna. *Tom. 2. epiſt. 105. ad Sixtum, prope medium.*

*Vita æterna certa merces bonorum operum.*
* *Rom. 6.*

Vnde & ipſam vitam æternam, quæ certa merces eſt operum bonorum, gratiam Dei appellat Apoſtolus: * *Stipendium enim*, inquit, *peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideò dixit, Stipendium peccati mors: vt mortem peccato non immeritò illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia verò niſi gratis ſit, gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur, etiam ipſa hominis bona merita, eſſe Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur? Sic ergo factus eſt homo rectus, vt & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adiutorio diuino, & ſuo fieri peruerſus arbitrio: vtrumlibet horū elegiſſet, Dei voluntas fieret, aut etiā ab illo, aut certè de illo. Proinde quia ſuam maluit facere quàm Dei, de illo facta eſt voluntas Dei, qui ex eadem maſſa perditionis, quæ de illius ſtirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: in honorem per miſericordiam, in contumeliam per iudiciū: vt nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in ſe. *Tom. 3. Enchirid. cap. 107.*

*Bona hominis merita, Dei ſunt munera.*

## *VI. Iuſtificatum minimè peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur.*

* *Epheſ. 2.*
*Bona opera non fruſtrantur mercede.*
* *Matt. 16. Rom. 2.*
*Opera ex gratia, non ex operibus gratia.*
* *Galat. 5.*
* *Rom. 5.*

NOn ex operibus, * ne fortè quis extollatur. Non quia bona opera iſta pia cogitatione fruſtrantur, cùm Deus reddat * vnicuique ſecundùm opera eius, ſitque gloria & honor & pax omni operanti bonum: ſed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia: quoniam fides, * *quæ per dilectionem operatur*, nihil operaretur, niſi ipſa dilectio Dei diffunderetur in * cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *To. 2. Epiſtola 106. ad Paulinum, prope initium.*

*Ob promiſſā in cælis requiem cōtemnendus huius vitæ labor.*

Attendis te hîc habere laborem: ſed attende, qualem ille requiem pollicetur. Nunquid cogitare poteris? Si illam poſſes cogitare, videres te nihil laborare ad compenſationem. Audi eum, qui illud ex parte cernebat,



qui dixit: * *Nunc ſcio ex parte.* Quid ait Apoſtolus? Etenim quod eſt ad præſens temporale, & leue tribulationis noſtræ, iuxta incredibilem * modum, & in incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur nobis. Quid eſt æternum gloriæ pondus operatur nobis? Quibus operatur? Non reſpicientibus quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Noli eſſe piger in labore breuiter, & gaudebis inceſſabiliter. Æternam vitam tibi daturus eſt Deus: cogita quanto labore emenda ſit. Intendite fratres, venale eſt. Venale eſt quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo, eme illam. De labore intendite, vt ſimus in nomine Chriſti fortes Chriſtiani. *Tom. 8. in expoſitione Pſalmi 93.*

* *1. Cor. 13.*
* *2. Cor. 4.*
*Regnum cælorum venale: exiguo labore cum Dei gratia emi poteſt*

Finis, inquit, * præcepti eſt, charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, pro ſpe conſcientiā poſuit. Ille enim ſperat, qui conſcientiam bonam gerit. Quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat, niſi damnationem. Vt ergo ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, & vt habeat bonam conſcientiam, credat & operetur: quia quod credit, fidei eſt, & quod operatur, charitatis eſt. *Et paulò pòſt*: Qui vult inquam habere ſpem bonam, habeat bonam conſcientiam, vt autem habeat bonam conſcientiam, credat & operetur. A medio imus ad initium & finem, credat & operetur. Quod credit, fidei eſt, quod operatur, charitatis eſt. *Tom 8. præfat. in Pſal. 31. circa med.*

* *Tim. 1.*
*Ille ſperat qui conſcientiam bonam gerit.*

Quibus (*Romanis*) ergo non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in ciuitate ſua cæleſti, ad cuius ſocietatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſeruitutem religionis, quam latriam Græci vocant, niſi vni vero Deo, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt, virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, vt glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Sic & iſti priuatas res ſuas pro re communi, hoc eſt, Republica,

*Noluit Deus Romanorum qualécunque virtutem ſua mercede fruſtrari.*
* *Matth. 6.*

& pro eius ærario contempſerunt: auaritiæ reſtiterunt: conſuluerunt patriæ conſilio libero: neque delicto ſecundùm ſuas leges, neque libidini obnoxij: His omnibus artibus tanquam vera via niſi ſunt ad honores, imperium, gloriam: honorati ſunt in omnibus ferè gentibus, imperij ſui leges impoſuerunt multis gentibus: hodiéque literis & hiſtoria glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus. Non eſt, quod de ſummi & veri Dei iuſtitia conquerantur: perceperunt mercedem ſuam. Merces autem ſanctorum longè alia eſt, etiam hîc opprobria ſuſtinentium pro ciuitate Dei, quæ mundi huius dilectoribus odioſa eſt. Illa ciuitas ſempiterna eſt, vbi nullus oritur, quia nullus moritur. Vbi eſt vera & plena fœlicitas non Dea, ſed donum Dei. Inde fidei pignus accipimus, quandiu peregrinantes eius pulchritudini ſuſpiramus. Ibi non oritur * ſol ſuper bonos & malos, ſed ſol iuſtitiæ ſolos protegit bonos. Ibi non erit magna induſtria ditare ærarium publicum priuatis rebus anguſtis, vbi theſaurus communis eſt veritatis. Proinde non ſolùm vt talis merces talibus hominibus redderetur, Romanum imperium ad humanam gloriam dilatatum eſt, verumetiam vt ciues æternæ illius ciuitatis, quandiu hîc* peregrinãtur, diligenter & ſobriè illa intueantur exempla, & videant quanta dilectio debeatur ſupernæ patriæ propter vitam æternam, ſi tantum à ſuis ciuibus terrena dilecta eſt propter hominum gloriam. *Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 5 cap. 15. & 16.*

** Marc. 5.*

**2. Cor. 5.*

*Superna patria propter vitam æternã diligẽda.*

### *VII. Vt in hac vita diuerſa ſunt hominum merita, ita poſt hanc vitam præmia quoque non æqualia omnibus tribui, ſed propriam meritorum cuiuſque rationem haberi.*

STella enim ab ſtella differt in gloria, vt Apoſtolus dicit,* ſic & reſurrectio mortuorum. Aliter ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit caſtitas coniugalis, aliter ibi lucebit ſancta viduitas. Diuerſæ lucebunt, ſed omnes ibi erunt. Splendor diſpar, cælum commune. *Tom. 10. de verbis Domini, ſermone. 46.*

** 1. Cor. 15.*

*Virginitatis & coniugalis caſtitatis & viduitatis diuerſum meritum.*

Si quo minus * dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum: à perturbatione recreantur, certi ac fidentes

** Ioan. 14.*



etiam poſt pericula tentationũ, ſe apud Deũ cum Chriſto eſſe manſuros. Quia & ſi alius eſt alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio iuſtior, alius alio ſanctior, in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mãſionẽ pro ſuo quiſque accepturus eſt merito. Denarius* quidem ille æqualis eſt omnibus, quem paterfamilias eis, qui operati ſunt in vinea, iubet dari omnibus, non in eo diſcernens, qui minus, & qui amplius laborarunt: quo vtique denario vita ſignificatur ęterna, vbi amplius alio nemo viuit, quoniã viuendi non eſt diuerſa in æternitate menſura: Sed multæ manſiones diuerſas meritorum in vna vita æterna ſignificant dignitates. Alia eſt enim* gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria ſtellarum: Stella enim ab ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum, tanquã ſtellæ ſancti diuerſas manſiones, diuerſas claritates tanquam in cælo ſortiuntur in regno: atque ita Deus erit omnia in omnibus, vt quoniam Deus* charitas eſt, per charitatem fiat, vt quod habent ſinguli, commune ſit omnibus. Sic enim quiſque etiam ipſe habet, cùm amat in altero, quod ipſe non habet. Non erit itaque aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. *Tom. 9. in Euang. Ioan. Tract. 67.*

*In domo Dei inæqualia merita & præmia.*

** Matt. 20.*

*Multitudo manſionũ, diuerſitatẽ meritorum in vna vita æterna ſignificat.*

** 1. Cor. 15.*

** 1. Ioan. 4*

*Per charitatem cõmune fit omnibus, quod habent ſinguli.*

Quid ſibi vult (inquiunt) *ille denarius, qui opere vineæ terminato, æqualiter omnibus redditur, ſiue iis, qui à prima hora, ſiue iis, qui vna hora operati ſunt? Quid vtique, niſi aliquid ſignificat, quod omnes communiter habebunt, ſicuti eſt ipſa vita æterna, ipſum regnum cælorum, vbi erunt omnes quos Deus* prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, glorificauit? *Opotet enim * corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Hic eſt ille denarius merces omnium. Stella tamen ab ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum. Hæc ſunt merita diuerſa ſanctorum. Si enim cælum ſignificaretur illo denario, nónne in cœlo eſſe, omnibus eſt commune ſyderibus? Et tamen alia eſt gloria Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum. Si denarius ille pro ſanitate corporis poneretur, nónne cùm rectè valemus, omnibus membris communis eſt ſanitas, & ipſa ſi vſque ad mortem perueniat, pariter & æqua-

** Matt. 20.*

** Rom. 8.*

** 1. Cor. 15.*

*Quomodo ſãctorum cùm eadem ſit vita æterna, varia ſint merita & varia gloria, exemplis declaratur.*

*1.Cor.12.*

*Quid denarius omnib⁹ tributus, & quid variæ manſiones in regno cælorum ſignificent.*

liter omnibus ineſt? Et tamen poſuit * Deus membra, ſingulum quodque eorum in corpore prout voluit, vt nec totum ſit oculus, nec totum auditus, nec totũ odoratus: & quicquid eſt aliud, habet ſuam proprietatem, quãuis æqualiter habeat cum omnibus ſanitatem: Ita quia ipſa vita æterna pariter erit omnib⁹ ſanctis, æqualis denarius omnibus attributus eſt. Quia verò in ipſa vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorũ, multæ ſunt manſiones * apud patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non viuet alius alio prolixius: in multis autem manſionibus honoratur alius alio clarius. *Tom.6. de ſancta virginitate, cap.26.*

** Ioan.14.*

*Varia ſanctorũ merita variis vocibus adinuicem cõſonãtib⁹ parata.*

Habebunt tunc ſancti Dei differentias ſuas conſonantes, non diſſonantes: id eſt, cõſentientes, non diſſentientes: ſicut fit ſuauiſsimus cantus ex diuerſis quidem, ſed non inter ſe aduerſis ſonis. Stella * enim à ſtella differt in claritate, ſicut & reſurrectio mortuorum. *Tom 8. expoſ. in Pſal.150.*

** 1.Cor.15.*

*Meritorũ diuerſitate fulgebũt iuſti ĩ cœlo, alius magis, alius minus.*

Quanuis enim meritorum diuerſitate fulgebũt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternã pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longior, alteri breuior, quòd pariter ſempiternũ eſt, quod non habebit finem, nec mihi, nec tibi. Alio modo ibi erit caſtitas coniugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis. Alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona paſsionis. Illud alio modo, aliud alio modo: tamen quantum pertinet ad viuere in æternũ, nec ille plus viuit illo, nec ille plus illo. Pariter enim ſine fine viuunt, cùm in ſuis quiſq; claritatibus viuat, & ille denarius vita æterna eſt. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm.59.*

*Nõ ergo ſũt paris meriti, caſtitas cõiugalis, & integritas virginalis.*

*Virginum Chriſti propria gaudia in regno cœlorum.*

Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadẽ nõ virginũ, quanuis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. *Tom.6 de ſancta virginitate, cap.27.*

*Iouiniani error.*

Iouiniani ergo dãnamus errorẽ, qui dicit nullã in futuro meritorũ diſtantiã. *Tom 10. de tempore, ſerm.191.*

Nec dubitandum eſt quidem ipſas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non poſsidebunt, pro diuerſitate criminum eſſe diuerſas: & alias aliis acriores, vt in ipſo igne æterno pro diſparibus ponderi-



bus peccatorum ſint diſparia tormenta pœnarum. Neque enim fruſtrà ipſe Dominus dicit: * *Tolerabilius erit Sodomis, quàm vobis, in die iudicij.* Sed tamen ad nõ poſſidendum regnum Dei, tantundem valet ex viciis illis, de quibus Apoſtolus: neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt, quod elegeris mitius: quantum vel plura, vel vnum, quod perſpexeris grauius. *Et infrà.* Licet ex illo igne, ſicut dixi, diuerſa poſſunt diſtribui pro criminum diuerſitate ſupplicia. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib.4. cap.19.*

** Matt.11. Luc.10.*

Sicut in regno Dei velut ſtella * ab ſtella in gloria differunt ſancti: Sic & in damnatione pœnæ ſempiternæ tolerabilius * erit Sodomæ, quàm alteri ciuitati, & erunt quidam duplo amplius quibuſdam gehennæ filij. Ita nec illud in iudicio Dei vacabit, quod in ipſa impietate dãnabili magis alius alio minúſue peccauerit. *Tom.3. de ſpiritu & litera, cap.28.*

** 1.Cor.15.*

*Matth.11.*

** Luc.10.*

Nequaquam negandum eſt, etiam ipſum æternum ignem pro diuerſitate meritorum, quanuis malorum, aliis leuiorem, aliis futurum eſſe grauiorem, ſiue ipſius vis atque ardor pro pœna digna cuiuſque varietur, ſiue ipſe æqualiter ardeat, ſed non æquali moleſtia ſentiatur. *Tom.5. de ciuitate Dei, lib.21. cap.16.*

### *VIII. Merita vnius alteri prodeſſe.*

Moſis apud Deum tanq̃ fideliſſimi famuli tantum erat meritum per illius gratiã, vt ei diceret Deus: * *Sine me, & iratus conteram eos.* Quod vtrum iubentis ſit, cùm ait, Sine me, an quaſi petentis ſit, vtrunque videtur abſurdum. Nam et ſi iubebat Deus, inobedienter famulus non parebat: & Deum hoc à ſeruo velut beneficium petere non decebat, cùm præſertim poſſet eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi ſenſus in promptu eſt, quod his verbis ſignificat Deus, plurimum apud ſe prodeſſe illi populo, quia ſic ab illo viro diligebantur, quẽ ſic Dominus diligebat: vt eo mo-

** Exod.32.*

*Moſis merita toti populo Iſraëlitarum profuerunt.*

do admoneremur,cùm merita noſtra nos grauaſſent, ne diligamur à Deo,releuari nos apud eum illorũ meritis poſſe,quos Deus diligit.Nam cùm ab omnipotẽte dicitur homini,* Sine me,& cõteram eos, quid aliud dicitur,q̃ contererẽ eos,niſi diligerẽtur abs te. Ita ergo dictum eſt, Sine me,ac ſi diceretur,noli eos diligere,& conteram eos,quia ne id faciam , dilectio tua intercedit mihi. *Tom.4.ſuper Exod.quæſt.149.*

** Exod.32.*

*Paruuli indiuidua charitate Sanctorũ atque fideliũ toti⁹ Eccleſiæ adiuuantur,vt per Baptiſmũ Spiritũ ſanctum recipiant.*

Offeruntur quippè paruuli ad percipiendã ſpiritalem gratiã,nõ tam ab eis,quorũ geſtantur manibus, quanuis & ab ipſis,ſi & ipſi boni fideles ſunt , quàm ab vniuerſa ſocietate ſanctorũ atq; fideliũ.Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur,quibus placet, quod offeruntur,& quorũ ſancta atque indiuidua charitate ad communicationẽ ſancti Spiritus adiuuantur.Tota hoc ergo mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt facit , quia tota omnes,tota ſingulos parit. *Tom.2.epiſt.23.ad Bonifaciũ.*

*Pietatis opera quæ communiter in Eccleſia fiunt,pœnitẽtibus proſunt.*

Matris meriti credo eſſe omne quod viuo. *Tom.1. de beata vita,in Præfat.*

Credendũ eſt,& pietas fidei expoſtulat,credere,quòd omnes eleemoſynæ totius Eccleſiæ, & orationes & opera iuſtitiæ & miſericordiæ, ſuccurrant recognoſcẽti mortem ſuam ad ſuam conuerſionem. *Tom. 4. de vera & falſa pœnitentia,cap.12.*

*Chriſtianus populus memorias Martyrũ concelebrat,vt eorũ meritis conſocietur.*

Populus autem Chriſtianus memorias Martyrũ religioſa ſolennitate concelebrat,& ad excitandã imitationẽ,& vt meritis eorũ cõſocietur,atque orationibus adiuuetur : ita tamen, vt nulli Martyrum , ſed ipſi Deo Martyrum,quanuis in memorias martyrum conſtituamus altaria. *Tom.6.contra Fauſt.lib 20.cap.21.*

** Rom.9.* ** Iacob.2.* ** Luc.16.* ** Rom.4.* ** Luc.16.*

In his ergo qui filij * ſunt promiſſionis & vaſa miſericordiæ,valet quod ait idem Apoſtolus, conſequenter adiungens:* *Superexaltat autem miſericordia iudicium.* Quoniam & illi iuſti qui tanta ſanctitate vixerunt , vt alios quoque recipiant * in tabernacula æterna,quibus amici facti ſunt de mammona iniquitatis , vt tales eſſent:miſericordia liberati ſunt ab eo qui iuſtificat* impium,imputans mercedem ſecundùm gratiam, non ſecundùm debitum &c.Illi autem qui recipiuntur à talibus in tabernacula * æterna : fatendum eſt , quòd non



ſint his moribus præditi,vt eis liberandis ſine ſuffragio ſanctorum ſua poſſit vita ſufficere:ac per hoc multò amplius in eis ſuperexaltat * miſericordia iudicium. Nec tamen ideo putandus eſt quiſque ſceleratiſſimus, nequaquã vita vel bona vel tolerabiliore mutatus,recipi in tabernacula * æterna , quoniã obſecutus eſt ſanctis de mãmona iniquitatis,id eſt, de pecunia vel diuitiis,quæ malè fuerant acquiſitæ:aut etiam ſi benè, non tamen veris,ſed quas iniquitas putat eſſe diuitias,quoniam neſcit,quæ ſint veræ diuitiæ : quibus illi abundãt, qui & alios recipiunt in æterna tabernacula. Eſt itaque quidam vitæ modus:nec tam malæ vt his qui eã viuunt nihil proſit ad capeſſendũ regnũ cœlorũ largitas eleemoſynarum , quibus etiam iuſtorum ſuſtentatur inopia,& fiunt amici , qui in tabernacula æterna ſuſcipiãt: nec tam bonæ , vt ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat,niſi eorum meritis , quos amicos fecerint,miſericordiam conſequantur. *Tom.5. de ciuit. Dei,lib.21.cap.27.*

** Iac.2.* ** Luc.16.*

*Duo iuſtorum genera poſt mortẽ,pie Lector , hìc Auguſtinus adfert : alterum recipientium , alterum qui per eos ipſos recipiãtur in æterna tabernacula. Poſteriores hos ideo dicit admitti ab aliis,quòd dum hìc viuerẽt,iis moribus præditi fuerunt,vt ipſis ſine ſuffragio Sanctorum,ſuæ vitæ meritũ non ſufficiat,vt liberari poſſint. Qua Auguſtini ſententia conceſſa, neceſſum eſt fateri ſanctos etiam poſt mortem defunctis alijs patrocinari,quod ad Sanctorum communionem intelligendam non parum conducit.*

Mirari autem ſoleo etiam apud Virgilium iſtã Domini reperiri ſententiam,vbi ait: * *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,vt & ipſi recipiant vos in æterna tabernacula.* Nam cùm Elyſios campos Poëta ille deſcriberet, vbi putant habitare animas beatorum : non ſolùm ibi poſuit eos , qui propriis meritis ad illas ſedes peruenire potuerunt , ſed adiecit atque ait: Quique ſui memores alios fecêre merendo,id eſt, qui promeruerunt alios,eóſque ſui memores promerendo fecerunt.Prorſus tanquam eis diceret : quod frequen-

** Luc.16.* *Æneid.6.*

*Mos Chriſtianorũ, vt humiliter ſe aliorum meritis commendent.*

tatur ore Chriſtiano, cùm ſe cuique ſanctorũ humilis quiſque cõmendat, & dicit, memor mei eſto, atque vt id eſſe poſſit, promerendo efficit. *Ibidem.*

*Quędã peccata ſanctorũ amicorũ meritis impetrãt indulgentiam.*

Sed quis iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediũt peruentionẽ ad regnum Dei, vt tamẽ ſanctorũ amicorũ meritis impetrent indulgentiam, difficillimũ eſt inuenire, periculoſiſsimũ definire. Ego certè vſque ad hoc tẽpus cùm inde ſatagerem, ad eorum indagationem peruenire non potui. Et fortaſsis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigreſcat. Quoniam ſi ſcirentur, quæ vel qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu vitæ melioris abſumptis interceſsio ſit inquirenda & ſperãda iuſtorum, eis ſecura ſeſe obuolueret humana ſegnicies, nec euolui talibus implicamẽtis vllius virtutis expeditione curaret, ſed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos ſibi de
*Luc.16. mammona* iniquitatis eleemoſynarum largitione feciſſet. Nunc verò dum venialis iniquitatis etiam ſi perſeueret, ignoratur modus. profectò & ſtudium in meliora proficiendi orationi inſtando vigilantius adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis ſanctos amicos cura non ſpernitur. *Ibidem.*

*Luc.6. Quod Dominus dicit:* *Date & dabitur vobis, menſuram bonam, confertam, & cougitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*: ex illa ſentẽtia accipi po-
*Luc.16. teſt, qua dicit & alio loco,* *Vt ipſi recipiant vos in æterna tabernacula*, vt plebi præceptum eſſe videatur, quod dictum eſt: Date & dabitur vobis. Secundum quã ſen-
*Gal.6. tentiam dicit Apoſtolus,* Communicet qui catechizatur verbo Dei, ei qui ſe catechizat in omnibus bo-
*Luc.6. nis. Non enim diceret:* *Dabunt in ſinum veſtrum*: niſi
*Matt.10. quia per illorum merita, quibus vel calicem* aquæ frigidæ in nomine diſcipuli dederint, mercedem cœleſtem recipere merebuntur. *Tom. 4. quæſtionum Euang. lib. 2. quæſt. 8. Lege & quæſt. 38. Vide etiam lib. 4. cap. de purgatorio, tit. 10. 11. & 12. & in eodem lib. cap. de Sanctis, tit. 4. 5. 15. & 16.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

CONFES-



# CONFESSIONIS AVGVSTINIANAE LIBER TERTIVS, DVODECIM CAPITA COMPREHENDENS, in quibus de Sacramentis tractatur.

## CAPVT PRIMVM DE SACRAMENTIS GENERATIM.

*I. Sacramenta non eſſe tantùm externas notas Chriſtianæ profeſsionis, ſed ſigna viſibilia inuiſibilis gratiæ, quæ per eadem Sacramenta confertur.*

DE Sacramento ſanè quod accepit (*ille qui adhuc rudis eſt*) cùm ei bene commendatum fuerit, ſignacula quidem rerum diuinarum eſſe viſibilia, dicẽdum eſt, ſed res ipſas inuiſibiles in eis honorari: nec ſic habendam eſſe illam ſpeciem, benedictione ſignificatam, quemadmodũ habetur in vſu quolibet. *Tom. 3. de Catechizandis rudibus, cap. 26.*

*In ſignaculis viſibilibus res inuiſibiles honorantur.*

Non ideò Sacramenta contempſit *(*Cornelius Centurio, quòd gratiam Dei iam accepiſſet*) ſed multò certior baptizatus eſt: vt etiam ipſa ſacroſancta ſignacula, quorũ res in eo præceſſerat, ad perficiendam ſcientiã veritatis percipere nullo modo moraretur. *Tom. 4. in expoſitione inchoata epiſt. ad Rom.*

*Act.10.

*Res Sacramẽti gratia.*

Quid enim aliud quæque corporalia Sacraměta,niſi quædam quaſi verba viſibilia,ſacroſancta quidem,veruntamen mutabilia,& temporalia? *Et paulò pòſt*: Sonant & tranſeunt, virtus tamen quæ per iſta operatur iugiter manet,& donum ſpirituale, quod per iſta inſinuatur, æternum eſt. *Tom.6.contra Fauſtum,lib.19.cap.16.*

*Virtus quæ per Sacramẽta operatur iugiter manet.*

Accedit verbum ad elementum,& fit Sacramentum, etiam ipſum tanq̃ viſibile verbum. *Et deinde*: Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat,& cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur: Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. *Et paulò pòſt*. Lege Apoſtolum, & vide quid adiungat: * Vt eam ſanctificaret,inquit, mundãs eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili * tribueretur elemento, niſi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei,vt per ipſum credentem,offerentem,benedicentem,tingentem, etiam tantillum mundet infantẽ, quamuis nondum valentem * corde credere ad iuſtitiam,& ore confiteri ad ſalutem. *Tom.9.in Euangelium Ioannis,tractatu.80.*

*Sacramentũ materia conſtat & forma. Baptiſmi aqua cor abluit, ergo Sacramentũ non tantùm ſignũ eſt, ſed vim habet aliquid in anima efficiendi.*

** Epheſ.5.*

*Quare mundatio corporeo tribuatur elemẽto.*

** Rom.10.*

Si paruuli propterea rectè fideles vocantur, quoniã fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur,cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorundem verba geſtantium diabolo & huic ſeculo renunciare monſtrantur? Totum hoc in ſpe fit, vi Sacramenti & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Eccleſiæ. *To.7.de peccat.mer.& remiſſione,lib.1.cap.19.*

*Eſt igitur magna vis Sacramẽti.*

Aduertendũ eſt,quoties dicit: * Ego Dominus, qui ſanctifico eũ:loqui de ſacerdote, cùm hoc etiam Moſes dixerit: Et ſanctificabis eum. Quomodo ergo & Moſes ſanctificat,& Dominus? Non enim Moſes pro Domino,ſed Moſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inuiſibili gratia per Spiritum ſanctum, vbi eſt totus fructus etiam viſibiliũ Sacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inuiſibilis gratiæ,viſibilia Sacramenta quid proſunt? *Tom.4.ſuper Leuit.quæſt.84.*

** Leuit.21.*

*Totus fructus Sacramentorũ in inuiſibili gratia eſt.*



## *II. Sacramenta nouæ legis à Chriſto Domino eſſe inſtituta.*

POſteaquam reſurrectione Domini noſtri IESV Chriſti manifeſtiſſimum iudicium noſtræ libertatis illuxit,nec eorum quidem ſignorum,quæ iam intelligimus,operatione graui onerati ſumus: ſed quædam pauca, pro multis, eadémque factu facilima & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt Baptiſmi Sacramentum,& celebratio corporis & ſanguinis Domini. Quæ vnuſquiſque cùm percipit, quo referantur imbutus agnoſcit,vt ea non carnali ſeruitute,ſed ſpiritali potius libertate veneretur. *Tom.3.de doctrina Chriſtiana,lib.3.cap.9.*

*Sacramẽta nouæ legis ipſe Dominus & Apoſtolica tradit diſciplina.*

*Quidam ex hoc loco duo tantùm eſſe Sacramenta collegerunt, ſed vt antecedentia & conſequentia demonſtrant,contra ſententiam Auguſtini.*

Quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur,populus timore conſtrictus tempore ſeruitutis in vetere lege,multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat,ad deſiderandam gratiam Dei, quæ per prophetas ventura canebatur. Quæ vbi venit, ab ipſa Dei ſapientia homine aſſumpto, à quo in libertatem * vocati ſumus, pauca Sacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt,quæ ſocietatem Chriſtiani populi,hoc eſt,ſub vno Deo liberæ multitudinis continerẽt. *Tom.1.de vera religione,cap.17.*

** Gal.5.*

*Ab ipſa Dei ſapientia Sacramenta nouæ legis inſtituta.*

Itaque tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput: Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, * leui iugo ſuo nos ſubdidiſſe,& ſarcinæ leui. Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit. Sicuti eſt Baptiſmus, Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis canonicis commendatur,exceptis iis quæ ſeruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorũ,& prophetici tẽporis onerabãt,quæ & in quinq; libris Moſi leguntur. *Tom.2.epiſt.118.cap.1.ad Ianuariũ.*

** Matth.11.*

*Noui Teſtamẽti gratia requirebat pauciora, facilitora & præſtantiora Sacramẽta quàm lex vetus.*

### *III. Sacramenta nouæ legis, ad ſalutem homini neceſſaria eſſe.*

*Sacramentorū viſibiliū neceſsitas.*

*Sacramētorū vis cōtēpta ſacrilegos facit, quòd ſine ea pietas perfici non poſsit.*

IN nullum nomen religionis ſeu verum, ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorū, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur: Quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimū, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas. *Tom. 7 cont. Fauſtum, lib. 19. cap. 11. & de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib. 4. cap. 2[illegible].*

*Nemo fit Chriſtianus abſque Chriſtianæ Eccleſiæ inſtitutione atque Sacramentis.*

** 1. Cor. 7.*

Illud ſine dubitatione tenendum eſt, quæcunque illa ſanctificatio ſit, non valere ad faciendos Chriſtianos, atq; ad dimittenda peccata, niſi Chriſtiana & Eccleſiaſtica inſtitutione, & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec coniuges infideles, * quamlibet ſanctis & iuſtis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei ſeparatos in damnationem venire compellit, nec paruuli, de quibuslibet ſanctis iuſtiſq; procreati, originalis peccati reatu abſoluūtur, niſi in Chriſto fuerint baptizati, pro quibus tantò impenſius loqui debemus, quantò per ſe ipſi minus poſſunt. *Interpretatur illud Apoſtoli 1. Cor. 7. Sanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore. Tom. 7. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 3. cap. 12.*

** Rom. 5.*

*Per Sacramenta Chriſti membris incorporamur, vt ſalutem adipiſcamur.*

Sic accipiamus (*Apoſtoli verba, * per vnum hominem peccatum intrauit &c.*) ne tot tantiſque apertiſsimis diuinarum Scripturarum teſtimonijs, quibus docemur, præter Chriſti ſocietatē, quæ in illo & cū illo fit, cū Sacramētis eius imbuimur, & eius mēbris incorporamur, vitam ſalutemque æternam adipiſci neminem poſſe, nimis inſipiēter atque infœliciter repugnare iudicemur. *Ibidem, lib. 3. cap. 11.*

*In quibuſdā fidei gratia ad ſalutē non ſufficit ſine Sacramentis.*

** Act. 10.*

In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum, ſicut in Catechumenis, ſicut in * Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Eccleſiæ. *Tom. 4. ad Simplicianum, lib. 1. quæſt. 2.*

*Viſibilia Sacramēta pro temporū diuerſitate mutata.*

*Contemptor viſibiliū Sacramētorū, inuiſibiliter ſanctificari non poteſt.*

** Act. 10.*

Colligitur inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe atque profuiſſe ſine viſibilibus Sacramētis, quæ pro temporū diuerſitate mutata ſunt, vt alia tunc fuerint, & alia modò ſint. Viſibilem verò ſanctificationem, quæ fieret per viſibilia Sacramenta, ſine iſta inuiſibili poſſe adeſſe, non poſſe prodeſſe. Nec tamen Sacramentum viſibile ideò contemnendum eſt. Nam cōtemptor eius inuiſibiliter ſanctificari nullo modo poteſt. Hinc eſt, quòd Cornelius, & qui cum eo erant, cū iam inuiſibiliter infuſo ſancto Spiritu ſanctificati apparerent, baptizati ſunt tamen: * nec ſuperflua iudicata eſt viſibilis ſanctificatio, quam inuiſibilis iam præceſſerat. *Tom. 4. ſuper Leuit. quæſt. 84.*

** 1. Cor. 11.*

Qui manducat * & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: qui autem manducare contemnit, non habebit in ſe vitam, & ideo non perueniet ad vitam æternam. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 13. cap. 16.*



### *IIII. Sacramenta nouæ legis excellentiora & virtute maiora eſſe Sacramentis veteris legis.*

** Matt. 5.*

*Sacramenta nouæ legis virtute maiora, vtilitate meliora, quàm vetera.*

PRima Sacramenta, quæ obſeruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Chriſti venturi: quæ cùm ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt: & ideo ablata, quia impleta. * *Non enim venit ſoluere legem, ſed adimplere.* Et alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iuſtitia fidei reuelata. *Tom. 6. contra Fauſt. lib. 19. cap. 13.*

*Sacramenta noui Teſtamenti dant ſalutem: non igitur tantùm ſunt ſigna, ſymbola vel incitamēta gratiæ.*

Præcepta eadem (*in nouo & veteri Teſtamento*) Sacramenta non eadem, quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui Teſtamenti dant ſalutē, Sacramenta veteris Teſtamēti promiſerunt ſaluatorem. *Tom. 8. in Pſal. 83.*

Teneas promiſſa, non quòd iam acceperimus vitā æternam, ſed quia iam venerit Chriſtus, qui per prophetas prænunciabatur. Mutata ſunt Sacramēta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, fœliciora. *Ibidem.*

** Gen. 17.*

Circunciſio * octauæ diei, quæ patribus data eſt, prænunciabat iuſtificationem noſtram, & exſpoliationem carnaliū concupiſcentiarū per reſurrectionē Domini, quæ poſt ſeptimū, id eſt, Sabbati diem, octauo die, id eſt, Dominico facta eſt, qui dies tertius poſt eius ſepul-

turam occurrit: eandem tamen prænunciantem circũciſionem carnis infans Chriſtus * accepit, & quemadmodum paſcha, quod à Iudæis celebrabratur * in occiſione agni, prænunciabat Domini paſſionem, & tranſitum de hoc mũdo ad patrem, & ipſum tamen paſcha, quod erat in eadem prænunciatione, idem Dominus cũ diſcipulis ſuis celebrauit, quando ei ſuggeſſerunt dicẽtes: * *Vbi vis paremus tibi paſcha?* Sic & Baptiſmũ Ioannis, qui erat in proxima eius prænũciatione, etiam ipſe ſuſcepit. Sed ſicut aliud eſt carnis circuncisio Iudæorum, aliud autem quod octauo die baptizatorum nos celebramus, & aliud eſt paſcha quod adhuc illi de oue celebrant, aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus: ſic alius fuit Baptiſmus Ioannis, alius eſt Baptiſmus Chriſti. Illis enim vẽtura iſta prænunciabantur: iſtis completa illa prædicantur. Et quanuis illa Chriſtus acceperit, nobis tamen neceſſaria non ſunt, quia ipſum, qui per hæc annunciabatur, accepimus. Recenti autem aduentu Domini quiſquis illa accepiſſet, opus erat ei vt etiã his imbueretur. Quiſquis verò his imbutus eſſet, non opus erat vt retrorſus in illa cogeretur. *Tom. 7. contra literas Petiliani Donatiſtæ, lib. 2. cap. 37. Vide & Tom. 3. ſuper Numer. lib. 4. quæſt. 33.*

** Luc. 2.*
** Exod. 12.*
** Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.*
*Paſcha Chriſtianorum in corpore & ſanguine Domini.*
*Imbuti Sacramẽtis veteris legis poſt Domini aduẽtũ nouæ legis Sacramentis opus habuere.*

### *V. Præter Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe etiam alia in noua lege Sacramenta.*

MVlti mali habent pulchra Dei omnia: nemo negat, ſed vide cum quibus communia. Reſpice ad munera ipſius Eccleſiæ. Munus Sacramẽtorum in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis Sacramentis, quale munus eſt? Hoc munus adeptus eſt & Simon * magus. *Tom. 8. Pſal. 103. concione prima.*

*Sunt igitur præter Baptiſmum & Euchariſtiã alia Sacramenta.*
** Act. 8.*

Si antiqui iuſti pro illis prænunciatiuis Sacramẽtis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpeſſi ſunt: ſi tres pueros Danielémque prædicamus, * quia de menſa regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramentum: Si Machabæos * cum ingenti admiratione præferimus, quia eſcas,

** Dan. 1.*
** 2. Mac. 7.*



quibus nunc Chriſtiani licitè vtuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quantò magis nunc pro baptiſmo Chriſti, pro Euchariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus, cũ illæ fuerint promiſſiones rerum complẽdarum: hæc ſint indicia completarum? *Tom. 6. cont. Fauſtum lib. 19. cap. 14.*

*Habes hic tria Sacramenta. Nam per ſignũ Chriſti intelligi confirmationem, nõ eſt obſcurum.*

Si ad hoc valet quod dictum eſt in Euangelio: * *Deus peccatorem non audit:* vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? *Tom. 7. de Baptiſmo, cont. Donatiſt. lib. 5. cap. 20.*

** Ioan. 9.*
*En tibi iam quatuor, ſed adhuc plura eſſe, ſequẽtia in hoc libro declarabunt.*

### *VI. Sacramenta etſi ponentibus obicem, gratiam non conferant: vera nihilominus eſſe & ſancta.*

SI ipſe qui accipit peruerſus eſt, nec peruerſo ad ſalutem prodeſt, quod datur, & ſanctũ tamen in eo permanet quod accipitur, nec ei ſi correctus fuerit iteratur. *Tom. 7. de Baptiſ. cont. Donatiſt lib. 4. cap. 12.*

Vnum atque idem ſacrificium propter nomen Domini, quod inuocatur, & ſemper ſanctũ eſt, tale cuique fit, quali corde ad accipiendum acceſſerit. Qui enim manducat & bibit indignè, * iudicium ſibi mãducat & bibit. *Tom. 7. cont. epiſt. Parm. lib. 2. cap. 6.*

** 1. Cor. 11.*

Sanctitas Sacramenti nec ab immũdis pollui poteſt, ſiue cùm per eos datur, ſiue cùm ab eis, qui corde & vita in melius non commutãtur, accipitur. *Tom. 7. de Baptiſmo, cont. Donatiſt. lib. 4. cap. 13.*

*Sãctitas ſacramẽti nec ab immundis pollui poteſt.*

Mortuus enim erat Simon * ille à Philippo in Samaria baptizatus, qui donum Dei volebat pecunia comparare, ſed viuebat ad eius pœnam, Baptiſma quod habebat. *Tom. 7. cont. literas Petil. lib. 2. cap. 7.*

** Act. 8.*

Memento ergo Sacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum, quò illa vel omnino non ſint, vel minus ſancta ſint. Sed ipſis malis hominibus, vt hæc habeant ad teſtimonium damnationis, non ad adiutorium ſanitatis. *Ibidem, cap. 47.*

Vnde conſequenter intelligitur, peruerſitatem hominum eſſe corrigendam: ſanctitatem autem Sacramentorum in nullo peruerſo eſſe violandam. Conſtat enim eam in peruerſis & ſceleratis hominibus, ſiue in eis qui intus ſunt, ſiue in eis qui foris ſunt, impollutam atque inuiolabilem permanere. Et quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipſis eſt dicuntur, cùm illa impolluta permaneãt: Sed in bonis permanent ad premium, in malis permanent ad iudicium. *Tom.7. contra Epiſt. Parmeniani, lib.2. cap.13.*

*Sacramenta in hominibus pollutis impolluta.*

*Sacramẽta in bonis permanent ad premiũ, in malis verò ad iudicium.*

## *VII. Sacramenta nouæ legis ex Chriſti ſanguine ſeu meritis vim habere.*

AScendat ſponſus noſter thalami ſui lignum, aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lectum, dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Eccleſia prodeat virgo: vt quomodo Eua* facta ex latere Adæ dormientis, ita & Eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis. Percuſſum eſt enim eius latus, vt Euangelium* loquitur, & ſtatim manauit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua in qua eſt ſponſa purificata, ſanguis ex quo inuenitur eſſe dotata. *Tom.9. lib.2. de Symb. ad Catech. cap.6.*

** Gen. 2.*
** Ioan. 19.*
*Chriſti Eccleſia purificatur aqua, ſanguine dotatur.*

Adam* qui erat forma futuri, præbuit nobis magnũ indicium Sacramenti, imò Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere vxorem,* & de coſta eius facta eſt ei vxor: quoniam de Chriſto in cruce dormiente, futura erat Eccleſia de latere eius, de latere ſcilicet dormientis: quia de latere in cruce pendentis, lãcea* percuſſo, Sacramenta Eccleſiæ profluxerũt. *Tom.9. Tract.15. in Euang. Ioan.*

** Rom. 5.*
** Gen. 2.*
*Adam & Eua typus Chriſti & Eccleſiæ.*
** Ioan. 19.*
** Gen. 2.*

Dormit Adam,* vt fiat Eua: moritur Chriſtus vt fiat Eccleſia, dormiente Adam fit Eua de latere: mortuo Chriſto lancea* perforatur latus, vt ſuperfluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia. Vnde Apoſtolus ipſum Adam dicit eſſe formam* futuri: quia ſicut* in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. *Tom.3. ex ſententiis, Sent.328.*

*Sacramenta Eccleſiæ de latere Chriſti ĩ cruce pẽdẽtis profluxerũt.*
** Ioan. 19.*
** Rom. 5.*
** 1. Cor 15.*

Et quod oſtium* in latere accepit (*arca Noë*) profectò illud eſt vulnus quando latus crucifixi* lancea perforatum eſt. Hac quippe ad illum venientes ingrediũtur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.15 cap.26.*

** Gen. 6.*
** Ioan. 19.*



*Oſtiũ in latere arcæ Noë vulnus lateris Chriſti eſt, vnde Sacramẽta fluxerunt.*

Significabat mare rubrum baptiſmum Chriſti: Vnde rubet baptiſmus Chriſti, niſi Chriſti ſanguine conſecratus? *Tom.9. in euang. Ioannis. tract.11.*

Adam dormiuit,* quãdo de latere eius Eua facta eſt. Adam in figura Chriſti, Eua in figura Eccleſiæ: vnde eſt appellata mater viuorũ. Quando fabricata eſt Eua? dum dormiret Adam. Quando de latere Chriſti Sacramenta Eccleſiæ profluxerunt? cùm dormiret in crúce. *Tom.8. in Pſal.40. ſuper illum verſiculum: Nunquid qui dormit non adjciet vt reſurgat?*

** Gen. 2.*

Chriſti typũ gerebat Adam, quando immiſit ei Deus ſoporem,* vt de latere illi coniugem faceret. Non enim poterat vxorem facere primo homini etiam de latere vigilantis? aut propterea voluit eum dormire, ne ſentiret cùm ſibi coſta detraheretur? Poſtremò quis ita dormit, vt oſſe ſibi conuulſo non expergiſcatur? Qui potuit ſine dolore auferre coſtam dormienti, potuit & vigilanti. Sed quare voluit dormienti facere? Quia dormienti Chriſto in cruce facta eſt coniunx de latere. Percuſſum eſt enim* latus pendentis de lancea, & profluxerunt Eccleſiæ Sacramenta. *Ibidem, in Pſal.55. Huc pertinet dogma illud Aug. perquam familiare, cùm aduerſus Donatiſtas, Tom.7. diſputat, Chriſti merita fidelibus in Sacramentis applicari.*

** Gen. 2.*
** Ioan. 19.*

## *VIII. Aliud eſſe Sacramentum, aliud virtutem Sacramenti.*

ALiud eſt Sacramentum, aliud eſt virtus Sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt, & moriũtur, & accipiendo moriũtur? Vnde dicit Apoſtolus:* *Iudicium ſibi manducat & bibit.* Nõnne buccella dominica fuit venenum Iudæ? Et tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malũ accepit, ſed quia bonum malus accepit. Videte ergo fratres: Panem cœleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. *Tom.9. in Euang. Ioan. tract.26.*

*Virtus ſacramẽti nõ ſemper cum ſacramẽto accipitur.*
** 1. Cor. 11.*

*Hic eſt panis* qui de cœlo deſcendit, vt ſiquis manducaue-*

** Ioan. 6.*

*rit ex ipſo,non moriatur.*) Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum. Qui manducat intus,non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente. *Ego ſum panis viuus,qui de cœlo deſcendi.* Ideo viuus,quia de cœlo deſcendi. De cœlo deſcendit & manna, ſed manna vmbra erat, iſte veritas eſt. *Et paulò pòſt.* Huius rei Sacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidiè, alicubi certis interuallis dierũ in dominica menſa preparatur,& de menſa dominica ſumitur,quibuſdã ad vitam,quibuſdam ad exitiũ: Res verò ipſa,cuius & Sacramentũ eſt, omni homini ad vitam,nulli ad exitiũ, quicunque eius particeps fuerit. *Tom.8.in Pſal.77.*

*Hæretici & falſi fratres nobiſcũ habẽt Sacramenta cõmunia,non ipſam gratiã.*

Cum eſſent omnia communia Sacramenta (*in veteri Teſtamento*)non cõmunis erat omnibus gratia,quæ Sacramentorum virtus eſt,ſicut & nunc iam reuelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatis, cõmune eſt lauacrum regenerationis,ſed ipſa gratia,cuius ipſa ſunt Sacramenta,qua membra corporis Chriſti cum ſuo capite regenerata ſunt, non communis eſt omnibus. Nam & hæretici habent eundem Baptiſmum,& falſi fratres in cõmunione Catholici nominis. *Ibidem.*

* *Act.8.*

*Inuiſibilis ſanctificatio prodeſt, cùm viſibilia Sacramẽta non contẽnuntur.*

Merito quæritur, vtrum etiam iſta inuiſibilis ſanctificatio, ſine viſibilibus Sacramentis, quibus viſibiliter homo ſanctificatur, pariter nihil proſit: quod vtique abſurdũ eſt.Tolerabilius enim quiſque dixerit,ſine illis iſtam non eſſe,quàm ſi fuerit,non prodeſſe: cùm in iſta ſit omnis vtilitas illorũ. Sed etiam hoc quod ſine illis iſta eſſe non poſſit, quomodo rectè dicatur,intuendum eſt. Nihil quippe profuit * Simoni Mago viſibilis Baptiſmus, cui ſanctificatio inuiſibilis defuit. Sed quibus iſta inuiſibilis,quoniã affuit,profuit,etiam viſibilia Sacramenta perceperant,ſimiliter Baptizati. *Tom.4. ſuper Leuiticum quæſt.84.*

*In Cõcil.Carthag. tẽpore Cypriani.*

* *Epheſ.4.*

Felix à Migirpa dixit: Cenſeo omnem hominem ab hæreſi venientem baptizandũ. Fruſtra enim illic ſe putat eſſe baptizatũ,cùm nõ ſit Baptiſma niſi in Eccleſia vnum & verũ,quia & Dominus vnus* & fides vna eſt,in qua ſtat vnũ Baptiſma, & ſanctitas & cætera. Nam quæ



foris exercentur, nullum habent ſalutis effectũ. Ad ea quæ Felix à Migirpa dixit,hæc (*inquit Auguſtinus*)dicimus: Si non eſſet Baptiſma vnũ & verum niſi in Eccleſia,non vtique eſſet in eis, qui ab vnitate diſcedunt. Eſt autem in eis. Nam id non recipiunt redeuntes,non ob aliud,niſi quia non amiſerãt recedentes. Quod autem ait. Nam quæ foris exercentur,nullũ habent ſalutis effectum: Conſentio,& omnino verum eſſe credo. Aliud eſt enim non ibi eſſe, aliud nullũ ſalutis habere effectũ. Venientibus enim ad Catholicam pacem,prodeſſe incipiũt,quæ foris inerãt,ſed foris non proderãt. *Tom.7.de Baptiſmo cont. Donatiſt lib.6.cap.9. Tota quæſtio cont. Donati.de nõ rebaptizãdis hæreticis, verſatur in hoc articulo,tanquã fundamẽto: ſicut & articulus hic ꝓxime ſequens.*

*Venientibus ad Catholicã ſacramenta proſunt, quæ foris inerant, ſed non proderant.*

## IX. *Apud hæreticos vel ſchiſmaticos Sacramẽta eſſe,non tamen ſanctificare.*

CHriſtiana ſanè in vobis Sacramenta cognoſco (*alloquitur Creſconium Donatiſtam*) & in his illud quoque diuerſum improbo ac reſpuo, quòd cũ eadem etiam in ſchiſmate habeatis, eadem in Catholicis exſufflatis. Prorſus agnoſcit in vobis Eccleſia cuncta quæ ſua ſunt,nec ideo non ſunt eius,quia & apud vos inueniũtur. Apud vos quippe aliena ſunt: ſed cùm vos correctos recipit, cuius ſunt, fiunt etiam ſalubriter veſtra, quæ perniciosè habebatis aliena. *Tom.7.cont. Creſconium,lib.2.cap.10.*

*Hæretici perniciosè habẽt Eccleſiæ ſacramenta.*

Non Sacramenta Chriſtiana faciunt te hæreticum (*alloquitur Vincentium Rogatianum*) ſed praua diſſenſio. Non propter malum quod proceſſit ex te, negandum eſt bonum quod remanſit in te, quod malo tuo habes, ſi non ibi habes, vnde eſt bonum quod habes. Ex Catholica enim Eccleſia ſunt omnia dominica Sacramenta, quæ ſic habetis, & datis, quemadmodum habebantur & dabantur, etiam prius quàm inde exiretis. Non tamẽ ideo non habetis,quia ibi nõ eſtis,vnde ſunt quæ habetis.Nõ in vobis mutamus,in quibus nobiſcũ eſtis. In multis enim eſtis nobiſcũ. Nam & de talibus dictum eſt:* Quoniã in multis erãt mecũ. Sed ea corrigimus,in

* *Pſal.54.*

*Hæretici nobiſcum ſunt in dominicis Sacramentis, nõ in ſpiritu vnitatis.*

quibus nobiſcum non eſtis, & ea vos hîc accipere volumus, quæ non habetis illic vbi eſtis. Nobiſcũ autem eſtis in baptiſmo, in ſymbolo, in cæteris dominicis Sacramentis: in Spiritu autem vnitatis, & vinculo pacis, in ipſa denique Catholica Eccleſia, nobiſcum nõ eſtis. Hæc ſi accipiatis, non tunc aderunt, ſed tunc proderũt, quæ habetis. *To. 2. Epiſtola 48. ad Vincentiũ Rogatianum.*

*Sicut Scriptura eadem ipſa, apud Catholicos & hæreticos integra eſt: ita et Sacramenta.*

Laquei hæreticorum & ſchiſmaticorum propterea carnalibus nimium pernicioſi ſunt, quia ipſe profectus eorum intercluditur, cõfirmata ſententia vanitatis aduerſus Catholicam veritatem, & cõfirmata animoſitate diſſenſionis aduerſus Catholicam pacem. Sacramenta tamen ſi eadem ſunt, vbique integra ſunt, etiamſi prauè intelliguntur & diſcordioſè tractantur: ſicut Scriptura ipſius Euangelij, ſi eadem ipſa eſt, vbique integra eſt, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur. *Tom. 7. de Baptiſmo contra Donatiſt. lib. 3. cap. 15.*

*Hæretici nõ ideo Sacramẽtum non habẽt, quia per quod vtile eſt non habent.*

Iuſtè igitur reprehendimus, anathematizamus, deteſtamur, abominamur peruerſitatem cordis hæreticorũ, Sacramentum tamen Euangelicum non ideo non habent, quia per quod vtile eſt non habent. Quapropter cùm ad fidem & veritatem veniunt, & agentes pœnitentiam remitti ſibi peccata depoſcunt, non eos decipimus neque fallimus, cùm correctos à nobis ac reformatos in eo quod deprauati atque peruerſi ſunt, ad regnum cælorum ſic diſciplinis cæleſtibus erudimus, vt quod in eis integrum eſt, nullo modo violemus, nec propter hominis vitium, ſi quid in homine Dei eſt, vel nullum, vel vitioſum eſſe dicamus. *Ibidem lib. 4. cap. 25.*

*Peccat qui cùm in Eccleſia Catholica poſſit Sacramẽta ſuſcipere, extra illã ſuſcipit.*

*Sacramenta extra Eccleſiã ſuſcipi poſſunt, prodeſſe non poſſunt.*

Si quis autem cùm poſſit in ipſa Catholica accipere, per aliquam mentis peruerſitatem elegit in ſchiſmate baptizari, etiamſi poſtea venire ad Catholicam cogitat, quia certus eſt ibi prodeſſe Sacramentum, quod alibi accipi quidem poteſt, prodeſſe autem non poteſt, procul dubio prorſus & iniquus eſt, & tantò pernicioſius, quantò ſciẽtius. Ita enim non dubitat rectè illic accipi, ſicut non dubitat illic prodeſſe, etiam quod alibi acceperit. *Ibidem, lib. 1. cap. 2. Vide contra literas Petilian. lib. 3. cap. 40. & huius libri cap. de Bapt. art. 11.*



## X. *In quibuſdam ſacramentis imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam, ſpirituale & indelebile: vnde ea iterari non poſſunt.*

*Sacrilegium eſt quædam Sacramenta iterare.*

IAm cœpiſti cognoſcere quid gemendum ſit. Verum dicis, quia reus es: non quia (*Sacramentum*) accepiſti, ſed quia foris accepiſti. Tene ergo quod accepiſti, emenda quod foris accepiſti. Accepiſti rem columbæ præter columbam. Duo ſunt quæ audis: accepiſti, & præter columbam accepiſti. Quod accepiſti, approbo: quia foris accepiſti, improbo. Tene ergo quod accepiſti: non mutatur, ſed agnoſcitur. Character eſt regis mei, non ero ſacrilegus: corrigo deſertorem, non muto characterem. *Tom. 9. in Euang. Ioannis, tract. 6.*

*Signaculum redẽptoris in redeunte ad Eccleſiã non iterandum.*

Sic enim error (*de hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus loquitur*) corrigendus eſt ouis, vt non in ea corrumpatur ſignaculum redemptoris. Neque enim ſi quiſquam regio charactere à ſignato deſertore deſignetur, & accipiat indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, ille autem eſſe in militia, in qua nondum erat, incipiat, in aliquo eorum character ille reſcinditur: an non potius in ambobus agnoſcitur, & honore debito, quoniam regius eſt, approbatur? *Tom. 2. epiſt. 50. ad Bonifacium.*

*Character Sacramẽtorũ cum notis militaribus comparatur.*

*Apoſtatæ propter characterẽ Baptiſma amittere non poſſunt.*

Si quiſquam eſt ſiue deſertor, ſiue qui nunquã omnino militauit, qui nota militari priuatum aliquem ſignet, nónne vbi fuerit deprehenſus ille ſignatus, pro deſertore punietur, & eò grauius, quò probari potuerit nunquam omninò ſe militaſſe, ſimul ſecum punito, ſi eum prodiderit, audaciſſimo ſignatore? Aut ſi fortè illũ militiæ characterem in corpore ſuo, non militans, pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fuſa, ac impetrata iam venia, militare cœperit: nunquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An fortè minus hærent Sacramenta Chriſtiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec Apoſtatas carere Baptiſmate, quibus vtique per pœnitentiã redeuntibus nõ reſtituitur, & ideo amitti non poſſe iudicatur?

An ducenda de militia ſimilitudo non fuit, cùm & Apoſtolus de Agoniſticis certaminibus clamet & apertè dicat:* Nemo militans Deo &c. *Tom. 7. contra Epiſtolam Parmen. lib. 2. cap. 13.*

* 2. Tim. 2.

Vide ergo, nos quàm probabilem rationem ſequamur, qui ea, quæ ſchiſmatici vel hæretici corruperunt, cùm ad nos inde veniunt, corrigimus. Quæ verò ſicut acceperunt, tenuerūt, agnoſcimus & probamus, ne commoti humanis vitiis, vltra iuſtitiam, faciamus vllam diuinis rebus iniuriam, cùm Apoſtolum * videamus etiam in ara gentium, à quibus idola colebantur, Dei nomen inuentum confirmaſſe potius, quàm negaſſe. Neque enim propterea immutandus vel improbandus eſt regius character in homine, ſi erroris ſui veniam & militandi ordinem à rege impetrauerit, quia eundem characterem, quo ſibi ſatellites cogregaret, deſertor infixit: aut propterea ſigna mutanda ſunt ouibus, cùm dominico gregi ſociantur, quia eis dominicum ſignū fugitiuus ſeruus impreſſit. *Tom. 7. contra Creſconium, lib. 1. cap. 30.*

* Act. 17.

*Regius character baptizatis, etiam apud hæreticos imprimitur.*

*XI. Miniſtrum in peccato mortali licet exiſtentem, conferre vera & ſuſcipientibus vtilia Sacramenta.*

*Spiritus ſanctus quomodo per bonos & per malos miniſtros operetur.*

Spiritus ſanctus in Eccleſiæ præpoſito vel miniſtro ſic ineſt, vt ſi fictus non eſt, operetur per eum Spiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum ſiue conſecrãtur, ſiue euangelizantur. Si autem fictus eſt, quoniam veriſſimè ſcriptum eſt:* Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, deeſt quidem ſaluti eius, vt auferat ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu: miniſterium tamen eius non deſerit, quo per eum ſalutem operetur aliorum. Propter quod Apoſtolus ait:* *Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt*, id eſt illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, nō mihi qui fictus ſum. Qui enim inuitus facit propter commoda, gaudiáque carnalia, quæ ſi aliter habere poſſet, illud deſereret, ipſe vtique

* Sap. 1.

*Spiritus ſanctus quamuis mali miniſtri deſit ſaluti, tamē miniſterium eius nō deſerit.*

* 1. Cor. 9.



fictus eſt, ideóque inuitus facit: ſed eis prodeſt, erga quos facit: ſe autem tantùm à mercede ſalutis alienat, non etiam illos priuat, quibus cibaria dominicus etiam malus, ſeruus impendit. *To. 7. cont. Epi. Parm. lib. 2. cap. 11.*

Omnia Sacramenta cùm obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus *Ibi. ca. 10.*

Quomodo Catholici non clarificant Deum, qui promiſſa eius nullis hominum ſceleribus, quo minus implerentur, impediri poſſe confidunt, qui Sacramenta eius tam debita veneratione proſequuntur, vt ea ſi etiã ab indignis tractata fuerint, illis ſua peruerſitate damnatis, illa intemerata ſanctitate permanere demõſtrentur. *Ibidem, cap. 19.*

Sed miniſtros, inquiunt, tãti iudicis, iuſtos eſſe oportet, per quos baptizat. Et ego dico, & omnes dicimus, quia iuſtos oportet eſſe tanti iudicis miniſtros. Sint miniſtri iuſti, ſi volunt, ſi autem noluerint eſſe iuſti qui in cathedra Moſi ſedent, ſecurum me fecit magiſter meus, de quo Spiritus eius dixit:* *Hic eſt qui baptizat. Et paulò pòſt. Neque qui plantat* eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incremētum dat Deus.* Qui verò fuerit ſuperbus miniſter, cum diabolo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti. Quod per illum fluit purum eſt, quod per illum tranſit, liquidum venit ad fertilem terram: puta quia ipſe lapideus eſt, quia ex aqua fructum ferre non poteſt. Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans: ſed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus Sacramenti ita eſt, vt lux, & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immundos tranſeat, non inquinatur. *Tom. 9. tract. 5. in Euang. Ioannis.*

* Ioan. 1.
* 1. Cor. 3.

*Quomodo Sacramenta ab improbis adminiſtrata, ſuſcipiētibus prodeſſe poſſint.*

Siue à fideli, ſiue à perfido diſpenſatore Sacramentum quiſque percipiat, non ſanctificat niſi Deus. *Et paulò pòſt.* Ad hominem baptizandum & ſanctificãdum, ſi tantò eſt melius quod accipitur, quantò eſt melior per quem traditur: tanta eſt in accipientibus baptiſmorum varietas, quanta in miniſtris diuerſitas meritorum. Si enim, quod ſine controuerſia creditur, melior erat Paulus, quàm Apollo, meliorem profectò Baptiſmū dedit ſecundùm iſtam veſtram vanam peruerſámque

ſententiam. Et ſi meliorem Baptiſmum dedit, profectò eis, quos à ſe non baptizatos* gratulatur, inuidit. Porrò ſi inter bonos miniſtros cùm ſit alius alio minor, non eſt melior Baptiſmus, qui per meliorem datur, nullo modo eſt malus, qui per malum datur, quando idem Baptiſmus datur. Et ideo per miniſtros diſpares Dei munus æquale eſt, quia non illorum, ſed eius eſt. *Tom. 7. contra Creſconium Grammat. lib. 3. cap. 6.*

** 1. Cor. 1.*
*Nullo modo Baptiſmus mal⁹ eſt, qui per malum datur.*

Si vos Macarius, ſi vos Cæcilianus offendit, Chriſtus quid fecit vobis, qui dixit, * *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, quam vos nefanda diſſenſione violaſtis? Chriſtus quid vobis fecit, qui traditorem ſuum tanta patiẽtia pertulit, * vt ei primam Euchariſtiã confectam manibus ſuis, & ore ſuo commẽdatam, ſicut cæteris Apoſtolis, traderet? Quid vobis fecit Chriſtus, qui eundem traditorem ſuum, quem Diabolũ* nominauit, qui ante traditionẽ Domini nec loculis* dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris diſcipulis ad prædicandum regnum * cælorum miſit, vt demonſtraret dona Dei peruenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamſi talis ſit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit? *Tom. 8. Pſalm. 10.*

** Ioan. 14.*
*1. q. 1. c. Chriſtus.*
** Ioan. 13.*
*Iudas Euchariſtiam ſicut cæteri Apoſtoli accepit.*
** Ioan. 6.*
** Ioan. 12.*
** Matt. 10.*
*A miniſtro Iudæ ſimili, vtiliter ſumi Sacramenta poſſe.*

Dici non poteſt quod ſolent (*Donatiſtæ*) ineptiſſimè & impudentiſſimè dicere, tunc poſſe à malo baptizari quenquam, ſi lateat malitia baptizantis. Qui enim fictus eſt, tantò magis fictus eſt, quantò magis latet. Ab hoc ergo cùm ſe auferat Spiritus ſanctus, quæ ſpes erit baptizati, ſi baptizãtis hominis meritum in illa Dei gratia cogitandum eſt? *Tom. 7. contra epi. Parmen. lib. 2. ca. 10.*

*Nulla ſpes eſt baptizato, ſi baptiſmi gratia à baptizantis merito pendeat.*

Qui ſolo Sacramento ſacerdos eſt, ſicut fuit Pontifex Cayphas perſecutor vnius & veriſſimi ſacerdotis, quamuis ipſe non ſit verax, quod dat tamen verum eſt, ſi non det ſuum, ſed Dei. *Tom. 7. contra lit. Petilian. lib. 2. cap. 30.*

An verò ſolis vel etiam lucernæ lux, cùm per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordidum contrahit, & Baptiſmus Chriſti poteſt cuiuſquam ſceleribus inquinari? Si enim ad ipſas res viſibiles, quibus Sacramenta tractantur, animum conferamus, quis neſciat eas eſſe corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis non videt

*Baptiſmus Chriſti nullius ſcelerib⁹ poteſt coinquinari.*



non poſſe corrumpi, quamuis homines, per quos agitur, pro ſuis moribus, vel præmia percipiant, vel pœnas luant? *Tom. 7. de Baptiſmo, contra Donatiſt. lib. 3. cap. 10.*

Redite ergo præuaricatores ad cor, & nolite ex hominum moribus & factis diuina Sacramenta penſare. Illa enim per eum facta ſunt, cuius ſunt: ſed dignè tractata adferunt præmium, indignè autem tractata, iudicium. Et quamuis vnum non ſit, qui dat Sacramentum dignè, & qui indignè tractauit: vnum eſt tamen illud, ſiue dignè ſiue indignè tractetur, non vt ipſum melius vel deterius fiat, ſed ad vitam mortémue tractantium. *Tom. 7. contra literas Petil. Donat. lib. 2 cap. 37.*

** Eſai. 46.*
*Sacramẽtum ſiue dignè, ſiue indignè tractetur, ipſum vel melius vel deterius non ſit.*

*Nec obſtat, quòd quibuſdam in locis Auguſtinus videtur contendere malos per Baptiſmum non conferre remiſſionem peccatorum. Explicat enim ſe cùm aliis pluribus in locis, tum de Baptiſmo cõtra Donatiſt. lib. 3. cap. 18. Vbi cùm de fœneratoribus Epiſcopis loquens, remiſſam peccatorum eos non dare dixiſſet: ilico ſubiungit,* quæ per orationes ſanctorum, id eſt, quæ per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, ſi ad eius pacem illi pertineant quibus datur. *Lege & caput præcedens eiuſdem libri, & tract. 6. ſuper Ioannem, & lib. 5. de Baptiſ. contra Donat. cap. 21.*

## *XII. Quare expediat, vt Sacramentorum miniſter ab omni crimine remotus ſit & alienus.*

Quæris à me, vtrúmne melius, iniuſtus ſit miniſter, an iuſtus? Vbi reſpondeo: Ad hoc eſſe melius, vt ſit iuſtus miniſter, quòd infirmitas hominis, cui ſine exemplo laborioſum eſt, & difficile quod imperat Deus, imitatione boni miniſtri, ad vitam bonam facilius erigatur. Vnde dicit Apoſtolus:* Imitatores mei eſtote, ſicut * & ego Chriſti. *Tom 7 cõtra Creſconium Grammat. li. 3. ca. 6.*

** 1. Cor. 4.*

Ego dico melius per bonum miniſtrum quàm per malum diſpenſari Sacramenta diuina: verùm hoc propter ipſum miniſtrum melius eſt, vt eis rebus quas miniſtrat, vita & moribus congruat: non propter illum qui accipit, qui etiam ſi incurrerit in miniſtrum malum diſpenſantem, veritatem & ſecuritatem accipit à Domi

*Bonitas miniſtri nõ tam propter ſuſcipientẽ, quàm ipſum miniſtrantem requiritur.*

** Matt.23.*

no ſuo monente ac dicente: * Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt & non faciunt. Addo etiam, ad hoc eſſe melius, vt ille cui miniſtratur, miniſtri boni probitatem ac ſanctitatem diligendo facilius imitetur: ſed non ideo veriora ac ſanctiora ſunt, quæ miniſtrantur, quia per meliorem miniſtrantur. Illa nanque per ſe ipſa vera & ſancta ſunt, propter Deũ verum & ſanctum cuius ſunt. *Ibidem, lib. 2. cap.* 20.

*Sacramenta per ſeipſa vera & ſancta ſunt.*

Ante omnia peto, vt cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi aut presbyteri aut diaconi officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur quo noſter imperator iubet. *Tom. 2. Epiſt.* 148 *ad Valerium.*

*Epiſcoporũ, Presbyterorum et Diaconorum officio, nihil vel dãnabilius, vel beatius.*

Sacerdos itaque cui omnis profertur peccator, ante quem ſtatuitur omnis languor, in nullo eorum ſit iudicandus, quæ in alio iudicare eſt promptus. Iudicans enim alium, qui eſt iudicandus, condemnat ſeipſum. Cognoſcat igitur ſe & purget in ſe, quod alios videt ſibi offerre. Caueat ergo, vt à ſe abiecerit, quicquid in alio damnoſum repererit. Animaduertat, quòd qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat. Ideò enim liberauit peccatricem, quia non erat, qui iuſtè proiiceret lapidem. Quomodo lapidaret qui ſe lapidandum cognoſceret? Nullus enim erat ſine peccato, in quo intelligitur omnes crimine fuiſſe reos. Nam venialia ſemper remittebantur per cerimonias. Si quod igitur peccatum in eis erat, criminale erat. Deteriores itaque in hoc ſunt ſacerdotes, ſe prius non ædificantes illis qui Dominum obſeruabant inſidiis. In hoc itaque patentiſſimum eſt crimen Sacerdotum & vltra modum deteſtabile, qui non prius ſe iudicant & alios alligant. *To. 4. de ver. & falſ. pœnitentia, cap.* 20.

## *XIII. Sacramenta ſigno crucis perfici.*





POſtremò quid eſt, quod omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni ſignificatur, quando per crucem Chriſti, quam fecerunt mali in celebratione Sacramentorum eius, bonũ nobis omne ſignatur? *Tom. 9 in Euangel Ioannis. Tract.* 118.

*Signi Crucis vis & vſus multiplex in Sacramentis.*

Hoc enim ſigno crucis conſecratur corpus dominicum, ſanctificatur fons Baptiſmatis, initiantur etiam presbyteri, & cæteri gradus Eccleſiaſtici, & omnia quæcunque ſanctificantur, hoc ſigno dominicæ crucis cum inuocatione Chriſti nominis conſecrantur. *Tom.* 10. *Serm.* 181. *de tempore, cap.* 3. *Huic perſimilem locum & apud Chryſoſt. leges in* 16. *cap. Matth. homil.* 55.

*Crucis ſignũ Sacramentis adhibetur.*

Hoc ſignum (*crucis*) præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Huius crucis myſterio rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, eiuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem, baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiuſdem crucis charactere, baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris Sacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur: Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur. Et vniuerſaliter omnia Eccleſiaſtica Sacramenta in huius virtute perficiuntur. *Ibidem ſerm.* 19. *de Sanctis.*

*Hæc tamen ferè omnia derident recẽtes hæretici, qui ſignũ etiam Crucis execrãtur, vſũmque illius ad magiam impiè referunt.*

Per mare tranſitus (*Exponit illud: Omnes in Moſe baptizati ſunt, in nube & in mari* 1. *Cor.* 10.) Baptiſmus eſt, ſed quia Baptimus, id eſt, ſalutis aqua non eſt ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata, qui pro nobis ſanguinem fudit, Cruce ipſius aqua ſignatur, & vt hoc ſignificaret ille Baptiſmus, mare rubrum fuit. *Tom 9. de vtilitate pœnitentiæ, cap.* 1. *De ſigno Crucis, plura lib.* 4. *cap. de cærimoniis ſumptis à rebus.*

*Aqua Baptiſmi, aqua ſalutis.*

# CAPVT SECVNDVM DE SACRAMENTO baptiſmi.

### I. *Baptiſmum verè & propriè Sacramentum eſſe.*

*Baptiſmus Sacramētum natiuitatis, Sacramētum magnum.*

INtēdat charitas veſtra, videte quid dicam. Ecce accepit Sacramentum natiuitatis homo. Baptizatus Sacramentum habet, & magnum Sacramentum, diuinum, ſanctum, ineffabile. *Tom. 9. in Epiſt. B. Ioannis, tract. 5.*

*Baptiſmus & per improbos & in improbis ſanct⁹*

Baptiſmus Chriſti verbis Euangelicis conſecratus, & per adulteros & in adulteris ſanctus eſt, quanuis illi ſint impudici & immundi: quia ipſa eius ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo diuina virtus aſſiſtit, ſiue ad ſalutem bene vtentium, ſiue ad perniciem malè vtentium. *Tom. 7. de Baptiſmo contra Donati. lib. 4. cap* 10.

*Sacramento Baptiſmi diuina virtus aſſiſtit.*

*Per magnum Baptiſmatis Sacramētum peccato morimur.*

Ipſum eſt, quod in nobis celebratur, magnum Baptiſmatis Sacramentum, vt quicunque ad iſtam pertinent gratiam, moriantur peccato, ſicut Chriſtus peccato mortu⁹ dicitur: quia mortuus eſt carni, hoc eſt, peccati ſimilitudini: & viuant de lauacro renaſcendo, ſicut ipſe de ſepulchro reſurgendo. *Tom. 3 in Enchirid. cap. 42. Huc etiam multa ſeq. teſt. referri poſſunt.*

### II. *Per Baptiſmum tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, non autem radi tantum, vel non imputari.*

*Baptiſmus abluit omnia prorſus peccata.*

BAptiſmus abluit peccata omnia, prorſus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, ſiue originalia, ſiue addita, ſiue quæ ignoranter, ſiue quæ ſciēter admiſſa ſunt. *Tom. 7. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 3. cap. 3.*

*In Baptiſmo remittuntur peccata omnia & innouatur homo.*

Omnia prorſus delicta delet ſanctum Baptiſma, & originalia, & propria: dicta, facta, cogitata, cognita, incognita omnia dimittuntur. Innouat hominem qui fecit hominem, donat delicta qui nō quærit merita: præuenit gratia etiam ipſam infantiam, vt ſint liberi per



Chriſtum liberati, qui in Adam à Diabolo tenebantur antè captiui. *Tom. 9. de Symbolo ad Catechum. lib. 3. cap.* 10.

Non ſolùm omnia peccata, ſed omnia prorſus hominum mala, Chriſtiani lauacri ſanctitate tolluntur. *Tom. 7. de Nuptiis, & concupiſc. lib. 1. cap. 34.*

Non ſolùm peccata omnia, quorum nunc remiſſio fit in Baptiſmo, quæ reos faciunt, dum deſideriis vitioſis conſentitur, atque peccatur: verùm etiam ipſa deſideria vitioſa, quibus ſi non conſentitur, nullus peccati reatus contrahitur, quæ non in iſta, ſed in alia vita nulla erunt, eodem lauacro Baptiſmatis vniuerſa purgantur. *Tom. 7. de peccat. orig. cap. 40.*

*De cōſe. diſt. 4. cap. Paruulo.*

*Paruuli in Baptiſmo tātum originis peccato moriuntur, adulti verò etiam reliquis peccatis omnibus.*

A paruulo enim recens nato, vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus eſt à Baptiſmo ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in Baptiſmo: ſed paruuli tantùm originali, maiores autem etiam iis omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt ad illud, quod naſcendo traxerunt. *Tom. 3. Enchirid. cap. 43.*

** Pſalm. 50.*

*Nemo naſcitur niſi trahens pœnam & meritum pœnæ.*

*Ecce in * iniquitatibus conceptus ſum* ) Quid eſt quod ſe dicit (*Dauid*) in iniquitatibus conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipſum vinculum mortis cum ipſa iniquitate concretum eſt. Nemo naſcitur niſi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ. Dicit & in alio loco propheta: * Nemo mundus in conſpectu tuo, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Nouimus enim ex Baptiſmo Chriſti, ſolui peccata, & Baptiſmum Chriſti valere ad remiſſionē peccatorum. *Tom. 8. Pſalm. 50.*

** Iob. 14.*

*Baptiſmo Chriſti ſoluuntur peccata.*

Gratia Dei reatus omnium peccatorum præteritorū ſoluitur in omnibus qui in Chriſto baptizantur. *Tom. 1. Retract. lib. 1. cap. 13.*

*In Baptiſmate fit ſalus hominis.*

Salus hominis in Baptiſmate facta eſt, quia dimiſſum eſt quod peccatum à parentibus traxit: vel quicquid etiam propriè ante baptiſmum peccauit. *Tom. 7. cōtra duas epiſt. Pelag. lib. 3. cap. 3.*

*Nihil peccati remanet in baptizato.*

Multi baptizati fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, aduerſum nos inflentur, & diſrumpantur inſania: Non quia peccati aliquid remaneat

quod in Baptiſmate non remittatur, ſed quia in nobis in huius vitæ infirmitate manētibus, quotidiè fieri non quieſcunt, quæ fideliter orationibus, & miſericorditer operantibus quotidiè remittantur. Hæc eſt fidei Catholicæ ſanitas, quam ſanctus vbique ſeminat Spiritus, non prauitatis hæreticæ vanitas, & præſumptio ſpiritus. *Ibidem, lib. 1. cap. 14.*

*Per Baptiſmum verè innouatur, liberatur, & ſaluatur homo.*

Vbi ergo me audiſti ſiue legiſti dicentem, non innouari homines per Baptiſmum, ſed quaſi innouari: non liberari, ſed quaſi liberari: non ſaluari, ſed quaſi ſaluari? Abſit vt ego inanem dicerem gratiam lauacri illius, in quo renatus ſum ex aqua & ſpiritu, qua liberatus ſum à reatu omnium peccatorum, vel quæ naſcendo traxeram, vel quæ malè viuendo contraxeram. *Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 6. cap. 5.*

*Vniuerſus reatus cuiuſcunque peccati, Baptiſmatis ſacramento ſoluitur.*

Quantum quidem ego ſapere poſſum, languoris illius & infirmitatis, vnde illicita deſideria commouentur, quod peccatum appellat Apoſtolus, vniuerſus reatus, ſacramento Baptiſmatis eſt ſolutus, cum omnibus quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitauimus: nec deinceps nobis languor iſte obeſſet, quanuis ineſſet, ſi deſideriis eius illicitis, nullis vnquam obedientiam præberemus, ſiue operatione, ſiue loquutione, ſiue tacita aſſenſione, donec etiam ipſe ſanaretur. *Tom. 8. in Pſa. 118. conc. 3. Lege & de ciuit. Dei, lib. 1. cap. 27.*

### *III. Poſt Baptiſmum carnis concupiſcentiam vt & alias corruptæ naturæ pœnas ad memoriam propitiati peccati, & humanam ſuperbiam comprimendam manere.*

** Rom. 7.*

Condelector enim * legi Dei ſecundùm interiorem hominē. Hæc delectatio profectò minuitur, quando etſi non ad explendam, certè ad oppugnādam carnalis concupiſcentiam voluptatis, bellantis animus occupatur, & ita exercet glorioſa certamina, vt à delectatione intelligibilis pulchritudinis ipſis certaminibus auocetur. Sed quia in iſta humana miſeria peior hoſtis cauenda eſt ſuperbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne cōtinentiū ſanctorū iſta concupiſcentia, vt dum pugnatur aduerſus eam, periculorum ſuorū animus admoneatur, ne ſecurus infletur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perueniat ſanitatis, vbi nulla putredo laſciuiæ, nullus tumor ſuperbiæ formidetur. Sic virtus in infirmitate * perficitur, quia & pugnare infirmitatis eſt. Quantò enim quiſque vincit facilius, tantò pugnat minus. In ſemetipſo autem quis pugnaret, ſi nihil ex ſemetipſo eidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, niſi quod adhuc curatur vt ſanetur in nobis? Ergo in nobiſmetipſis ſola eſt infirmitas cauſa pugnandi: & rurſus infirmitas admonitio eſt non ſuperbiendi. Proinde virtus qua hîc vbi ſuperbiri poteſt, vt non ſuperbiatur in infirmitate perficitur. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. lib. 4. cap. 2.*

*Concupiſcentiam in carne continentiū ſanctorū relinquitur, ne ſecuri inflentur.*

** 2. Cor. 12.*

*Infirmitas carnis admonitio nō ſuperbiēdi eſt.*



Hanc itaque vitam, de qua ſcriptum eſt: * Nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terrā, in qua quotidiè clamamus ad Dominum, * Libera nos à malo, cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quanuis vt in eam veniret miſeriam, primū fuerit cauſa peccatum. Productior eſt enim pœna quàm culpa: ne parua putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna: etiam quem iam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa. Hæc eſt iſtorum dierum, quos in hac mortalitate agimus malos, quanuis in ea diligamus videre dies bonos, flenda quidem, ſed non reprehendenda conditio. *Tom. 9. in Euang. Ioannis, Tract. 124. circa medium.*

** Iob 7.*

** Matth. 6.*

*Productior eſt pœna quàm culpa ne parua putetur culpa ſi cū illa finiatur & pœna.*

Quaſi nos negemus adiutorium Dei tantū valere, ſi velit, vt hodie nullas cōcupiſcentias malas habere poſſimus, contra quas vel inuictiſſimè dimicemus: Et tamen non fieri nec tu negas. Cur autem non fiat, quis * cognouit ſenſum Domini? Non tamen parum ſcio, cùm ſcio, quæcunque illa cauſa ſit, quod nec iuſti Dei ſit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Eſt igitur aliquid in eius abdito altóque cōſilio, cur quandiu viuimus in hac carne mortali, eſt in nobis cōtra quod mens dimicet noſtra: eſt etiam propter quod dicamus,

** Rom. 11.*

*Matth. 6. * *Dimitte nobis debita noſtra.* Sed vt tibi ſic loquar tāquā homini homo, & talis homo cuius terrena * inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, nihil eſt in creaturis, quod attinet ad inſtitutarum diuinitus merita naturarum, rationali mente præſtantius. Vnde fit cōſequens, vt mens bona magis ſibi placeat, magiſque ſe ipſa delectet, quàm quælibet alia creatura. Quàm verò periculosè, imò perniciosè ſibi placeat, cum per hoc tumeſcit typho & morbo inflationis extollitur, quandiu nō videt, ſicut videbit in fine ſummum illud & immutabile bonum, in cuius comparatione ſe ſpernat, ſibique illius charitate vileſcat, tantóque ſpiritu eius impleatur, vt id ſibi non ratione ſola, ſed æterno quoque amore præponat, multū eſt diſputando velle monſtrare. Sapit hæc qui fatigatꝰ fame reuertitur ad ſemetipſum & dicit: * *Surgam & ibo ad patrem meum.* Vnde itaque ſcimus, ne fortè quia hoc ſuperbiæ malum tunc animum tentare non poterit, & contra quod decertemus omnino nullum erit, quando tanta ſatiabitur viſione, & tanta inflammabitur charitate ſuperioris boni, vt ad ſeipſum ſibi placendo deficere ab illius delectatione non poſſit: ideò factum eſt in loco infirmitatis huius, ne ſuperbè viueremus, vt ſub quotidiana peccatorum remiſſione viuamus? Propter quod ſuperbiæ malum, nec Apoſtolus Paulus eſt arbitrio ſuo creditus: ſed quia nondum venerat ad tantam participationem ſuperioris illius boni, vt illic iam non poſſet extolli, hîc illi eſt * angelus Satanæ colaphizator, ne hîc, vbi poterat, extolleretur, appoſitus. *Ibidem, cap. 3. vltra medium.*

*Sap. 9.*

*Luc. 15.*

*1. Cor. 12.*

Sic per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit iuſti meritum, etiam ſupplicium peccatoris. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 13. cap. 4. Plura lib. 2. cap. de concupiſcentia in renatis.*

### IIII. *In Baptiſmo Spiritum ſanctum conferri.*

Dominus ipſe Ieſus Spiritum ſanctum non ſolùm dedit vt Deus, ſed etiam accepit vt homo, propterea dictus eſt * plenus gratia. Et manifeſtius de illo ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum: * *Quoniā vnxit*

*Luc. 2.*

*Act. 10.*



*eum Deus Spiritu ſancto.* Non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit Eccleſia. Nec ſanè tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu ſancto, * quando ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit. Tunc enim corpus ſuū, id eſt, Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum ſanctū. *Tom. 3. de Trinit. lib. 15. cap. 26.*

*Viſibile vnguentū, quo baptizatos vngit Eccleſia, donum gratiæ ſignificat.*

*Matth. 3. *Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.*

Spiritum ſanctum * ſuper ſe in Baptiſmo deſcendētem vidit, & vocem Patris de cœlo ſe cōfitentē Filium ſuum audiuit, & cœlum coram ſe apertum conſpexit: non quòd ante Baptiſmum ſuum hæc omnia Dei Filius non haberet, ſed vt Baptiſmi ſacramentum quid valeat oſtenderet. Non enim tunc ſpiritum ille cœpit accipere, qui eandem cum ſancto Spiritu ſubſtantiam habere creditur. Nec tunc illum Pater Filium ſuū primitus profeſſus eſt eſſe, cui dixit: * *Ex vtero ante luciferum genui te*: ante videlicet omnem angelicā creaturam, quæ luciferi appellationem per ſcripturas ſæpe tenet. Neque tunc illi aperiri cœperat thalamus cœlorum, qui ait: * *Cœlum mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum*: ſed idcirco hæc omnia ſancta Trinitas in Baptiſmo Domini congeſſit, vt ſciret vnuſquiſque quid muneris in ſacri Baptiſmatis myſterio ſuſcepit. Tunc enim Spiritum ſanctum quiſque peccatorū ſordibus ablutus accipit, & à Deo Patre profiteri filius adoptionis gratia incipit, & tunc ſibi regni cœlorum ianuam aperiri, & ciuem ſe cœleſtis patriæ, Angelorum ſanctorum conſors intelligit. *Tom. 3. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, lib. 3. cap. 5.*

*In Eccleſia baptizati accipiūt Spiritū ſanctū.*

*Quæ apparuerunt in Baptiſmo Chriſti, quid valeat Sacramentū noſtri Baptiſmi, oſtenderunt.*

*Pſal. 109. *Eſa. 66.*

*Effectus Baptiſmi ſingulares planè & diuini.*

Qui Baptiſmum putat carnali ratione conſiſtere, hic non eſt ſpiritalis: nec donum cœleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam, nō per fidem immutari credat. Aqua enim cernitur, ſed qui non videtur, ſpiritus operatur, vt fides in eo ſit. Quia ſicut ſordes corporeas aqua, ita ſpiritus animam abluit à peccatis: vt quomodo viſibilia viſibilibus, ita & ſpiritalibus proſit ſpiritus. *Tom. 4. in quæſtionibus ex nouo Teſtamento, quæſt. 59.*

*Externa corporis ablutio, ſine operatione interna Spiritus, ſalutem adulto non confert.*

### V. *Baptiſmum non eſſe liberum, ſed neceſſarium ad ſalutem.*

*Apoſtolica traditio eſt, neminẽ ſine Baptiſmo ſaluari.*

OPtimè Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum, nihil aliud quàm ſalutem, & Sacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quàm vitam vocant. Vnde? niſi ex antiqua, vt exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ inſtitutum Chriſti tenent, præter Baptiſmum, & participationem menſæ Dominicæ, non ſolùm non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquam hominũ peruenire? Hoc enim & ſcriptura teſtatur. Nam quid aliud tenent, qui Baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt: * *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*: & quod Petrus ait: * Sic & vos ſimili forma Baptiſma ſaluos fecit. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.1. cap.24.*

** Tit.3.* ** 1. Pet.*

*Non ferendus qui ſine Baptiſmo ſalutem promittit.*

Quis Chriſtianorum ferat, cùm dicitur, ad æternam ſalutem poſſe quenq̃ peruenire, ſi non renaſcatur in Chriſto, quod per Baptiſmum fieri voluit, eo iam tempore, quo tale Sacramentum conſtituendum fuit regenerandis in ſpem ſalutis æternæ? Vnde dicit Apoſtolus: * *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & quæ ſequuntur. *Ibidem, cap.23.*

** Tit.3.*

Sicut antiqui iuſti ſi non circunciderentur, non erat eis peccatum: poſtea verò quàm iuſſit Deus vt circunciderentur Abraham, eiúſque poſteritas, * iam ſi non fieret, graue peccatũ fuit: ſic etiam poſtq̃ Dominus Chriſtus in Eccleſia ſua ſacramentum noui Teſtamenti pro circunciſione carnis ſanctum Baptiſmũ dedit, & apertiſſimè dixit: * *Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum*: iam non debemus quærere, quando quiſque (*de Apoſtolis ſermo eſt*) fuerit baptizatus, ſed quoſcunque legimus in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cœlorum, non niſi baptizatos intelligere debemus, niſi fortè quos anguſtia paſſionis inuenit, & nolentes negare Chriſtum, anteq̃ baptizarentur, occiſi ſunt. *Tom.2. epiſt.108. ad Selcacianam. Idem fermè legitur de Baptiſmo contra Donatiſt. lib.4. cap.14.*

** Gen.17.* ** Ioan.3.*

*Martyrium ſupplet locũ Baptiſmi.*

Sanctificatio Catechumeni, ſi nõ fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut d remiſſionem peccatorum. *Tom.7. de pecc. mer. & remiaſ*



*lib.2. cap.26. De hac re habes & tract.13 in Ioannem.*

*Decedentes ſine Baptiſmo aut eius voto, damnantur.*

Damnari animas ſi ſine Baptiſmo de corpore exierint, & ſancta ſcriptura & ſancta teſtis eſt Eccleſia. *Tom.2. epiſt.28. ad Hieronymum.*

** Ioan.3.*

*Fides ſine Baptiſmo ad ſalutẽ nõ ſatis eſt.*

Et ipſe Dominus: * *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum* Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles, non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. *Tom.4. ad Simplicianum, lib.1. quæſt.2.*

*Adultis neceſſaria ſunt fides, pœnitentia & Baptiſmus. Paruulis ſolum Baptiſma ſufficit ad ſalutem, abſque proprio actu fidei & pœnitentiæ.*

Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Chriſti ſuo ſanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui nõ hîc à malis ſuis fuerit per pœnitentiam fidémque cõuerſus, & per Sacramentum fidei & pœnitentiæ, id eſt, per Baptiſmum liberatus: & maioribus quidem neceſſarium eſſe, & pœnitentiam de malis ſuis agere, & fidem Catholicam ſecundùm regulam veritatis tenere, & ſacramẽtum Baptiſmatis accipere: paruulis verò, qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, Sacramentum fidei, quod eſt ſanctum Baptiſma, quandiu rationis ætas eorum capax eſſe non poteſt, ſufficere ad ſalutem. *Tom.3. de fide ad Petrum. cap.30.*

*Qui nõ baptizatur, nõ erit in regno Dei.*

Certè habere non poteſt vitam æternam, qui nõ baptizatur, non erit in dextera, id eſt, in regno non erit. *Tom.10. de verbis Apoſtoli, ſerm.14.*

** Act.10.* ** Act.8.*

Melior centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato: iſte * enim & ante Baptiſmum ſancto Spiritu repletus eſt, ille * & poſt Baptiſmum immundo ſpiritu inflatus eſt. Veruntamen Cornelius, ſi etiã Spiritu ſancto iam accepto baptizari noluiſſet, contempti tanti Sacramenti reus fieret. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donat. lib.4. cap.21. Cap. proximè ſeq. excipit articulũ quando temporis anguſtia excluſus baptizari quis, cùm maximè velit, non poteſt, quales præcipuè Martyres ſunt, de quibus & To.5. de ciuit. Dei, lib.13. cap.7. & in teſtim. præced. ad Seleucianam. Item Tom.3. de fide ad Petrum, cap.3. Tom.7. contra lit. Petil. lib.2. cap.23. & de origine animæ, lib.1. cap.9.*

### *VI. Baptiſmi ſacramentum non niſi in forma Eccleſiæ verbiſque Euangelicis ritè conferri.*

*Sine verbis Euãgelicis baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt.*

DEus adeſt verbis Euangelicis ſuis,ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt: & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum, vt homini ſiue antequam baptizetur,ſiue cùm baptizatur,ſiue poſtea quandoque ad ſe veraciter conuerſo, id ipſum valeat ad ſalutem, quod ad perniciem niſi cõuerteretur valeret. Cæterùm quis neſciat,non eſſe Baptiſmum Chriſti,ſi verba Euãgelica,quibus ſymbolum conſtat illic defuerint?ſed facilius inueniũtur hæretici,qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. Ideóque dicimus non omnem Baptiſmum. Nam in multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur, ſed Baptiſmum Chriſti, id eſt,verbis Euangelicis conſecratũ, vbique eundem eſſe,nec hominũ quorumlibet,& qualibet peruerſitate violari. *Tom.7.de Baptiſ.cont.Donatiſt. lib.6.cap.25.*

*Pagani baptizant.*

Paganus baptizat, & Iudæus baptizat, & Sadducæus baptizat, & multi extra regulam datæ legis baptizare non ceſſant: ſed illud eſt vnum, quod verum, illud verum,quod eſt Chriſti, illud Chriſti, quod Patris & Filij & Spiritus ſancti: hoc eſt verum,hoc ſalubre,huic nullum eſt comparandum. Hoc qui non accipit, ipſe ſibi & vitæ meritum clauſit, & mortis aditum patefecit. *Tom.eodem cont.Fulgent.Donatiſt.cap.3.*

*Solus baptiſmus Patris & Filij & Spiritus ſancti verus & ſalubris eſt.*

Baptiſma vnum eſt, ſed in Eccleſia, vbi vna fides eſt, vbi in nomine * Patris & Filij & Spiritus ſancti datur. *Et paulò poſt.* Illos qui non ſanctæ Trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati ſunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum eſt eos fuiſſe baptizatos,qui non in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti iuxta regulam à Domino poſitã tincti ſunt: vt ſunt Paulini, Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonoſiani,Photiniani, Montani, & Manichæi,variáque impietatis germina: vel cæteræ iſtorum originis ſiue ordinis peſtes,quę duo principia ſibi ignota introducunt, vt Cerdon & Marcion: vel contraria, vt Manichæus: vel tria & barbara,vt Setianus,& Theodoſius: vel multa,vt Valentinus: vel Chriſtum hominem fuiſſe abſque Deo,vt Cerinthus, Hebion, Artemon,& Photinus. Ex iſtis,inquam, ſi qui ad nos venerint, non requirendum ab eis vtrum baptizati ſint an non: ſed hoc tantùm, ſi credant Eccleſiæ fidem,& baptizentur eccleſiaſtico Baptiſmate. *Tom.3.de Eccleſiaſt.dogmat.cap.52. Idem fermè legitur lib.1.cont.literas Petiliani, cap.9.*

** Matt.28.*

*Non credendũ eſt eſſe baptizatos,qui non in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, iuxta regulã à Domino poſitam, tincti ſunt.*



### *VII. Baptizatum poſſe amittere gratiam peccando, ſi velit.*

IPſos quoque regeneratos, alios perſeuerantes vſque in finem hinc ire: alios quouſque decidant hîc teneri: qui vtique non decidiſſent, ſi antequam laberentur,hinc iſſent: & rurſus quoſdam lapſos,quouſque redeant,non exire de hac vita,qui vtique perirent,ſi antequam redirent,exirent. Vnde ſatis dilucidè oſtenditur, & inchoandi & vſque in finem perſeuerandi gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari,ſed donari ſecũdùm ipſius ſecretiſſimam, candémque iuſtiſſimam, beneficentiſſimam,ſapientiſſimam voluntatem. *Tom.7.de bono perſeuerant.lib.2.cap.13.*

*Initium gratiæ & perſeuerãtiæ non cadit ſub merita noſtra, ſed ſe retiſſima Dei volũtate donatur.*

Si autem iam regeneratus & iuſtificatus in malã vitam ſua voluntate relabitur,certè iſte non poteſt dicere,non accepi, quia acceptam gratiam Dei, ſuo in malũ libero amiſit arbitrio. *Tom.7.de correp.& gratia,cap.6.*

*Acceptam gratiã regeneratus libero amittere poteſt arbitrio.*

Semel perceptam paruulus Chriſti gratiam,nõ amittit niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus euaſerit. Tũc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur. *Tom 2 epiſt.23.ad Boniſ.cium.*

Nullus per Baptiſmum, quãuis iuſtificatus ſit à prioribus peccatis, tamen ſuperbire audeat, etſi nihil committat vnde ab altaris cõmunione ſeparetur, quaſi iam de plena ſecuritate ſe iactans, ſed potius ſeruet humilitatem,quæ penè vna diſciplina Chriſtiana eſt. Nec ſuperbiat terra & cinis, donec iſta nox tota tranſeat, in qua pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ. *Tom.10. libr.50. homil. ho.50*

*Nemo baptizatus de plena ſecuritate ſe iactet.*

*Multi vocati,** & non in eis de quibus dictum eſt,*pau-*

** Matt.20.*

ci verò electi. Et tamen quis neget eos electos, cùm credunt & baptizantur,& ſecundùm Deum viuunt? Planè dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo qui eos nouit, non habere perſeuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, ſcitque illos ita ſtare, vt præſciret eſſe caſuros. *Tom.7.de correp. & gra.cap.7.*

*Baptizati qui ſecūdùm Deū viuunt, à gratia excidere poſſunt.*

## *VIII. Per Baptiſmum non ſolius fidei ſed legis Chriſti ſeruandæ nos debitores fieri.*

BAptiſmus ita pertinet ad Euangelium, vt ſine illo quidem ad regnum cœlorum nemo perueniat, ſed ſi accedat ſacramento iuſtitia. Qui enim dixit: * *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum:* Idem ipſe dixit: * *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Forma ſacramenti datur per Baptiſmum, forma iuſtitiæ per Euangelium. Alterum ſine altero non perducit ad regnum cœlorum. *Tom.7. cont.literas Petil.lib.3.cap.106.*

*Baptiſmus ſine Euāgelij obſeruatione non perducit ad regnum cœlorum.*
* *Ioan. 3.*
* *Matth. 5.*

Gentilis quem nobis catechizandum Fauſtus propoſuit, ſi ſalutem ſuam peccatis ſuis præponeret, profectò moueretur ad fidem: qua imbutus, & in Eccleſiæ Catholicæ gremio fouendus collocatus, conſequenter etiam moneretur quos mores tenere deberet: neque perturbaretur eorum multitudine, in quibus ea nō inueniret quæ obſeruare iuberetur: quamuis cum eo corporaliter cōgregarentur in Eccleſiam, & eadem Sacramenta perciperēt: ſciret cum paucis hæreditatem Dei, cum multis autem ſignacula eius participanda. Cum paucis cōmunicare ſanctitatem vitæ,&* donum caritatis diffuſum in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: ad quem fontem interiorem nullus alienus accedit: Cum multis autem ſanctitatem ſacramenti. *Tom.6 cont.Fauſtum Manich.lib.13.cap.16.*

*Fidei mores boni cōiungēdi, ſine quib. hæreditas dei nō obtinetur.*
* *Rom.5.*

Certus eſt (*qui baptizatur*) ſanctum eſſe ſacramentum Chriſti, etiamſi per minus ſanctum vel non ſanctum hominem miniſtratum eſt: ſe autem eiuſdem ipſius ſacramenti ſanctitate puniri ſi indignè acceperit, ſi malè vſus fuerit, ſi ei non conuenienter & congruè vixerit. **Tom.7. cont.Creſcon.lib.4.cap.20.**

*Baptiſmo cōuenienter viuendum.*



Sicut enim ſine Eccleſiæ Catholicæ ſocietate, nec Baptiſmus alicui prodeſſe poteſt, nec opera miſericordiæ: niſi fortè vt mitius torqueatur, nō tamen vt inter filios Dei reputetur: ſic intra Eccleſiam Catholicam per ſolum Baptiſmum vita æterna non acquiritur, ſi poſt Baptiſmum malè viuatur. *Tom.3 de fide ad Petrum, cap.3.*

*Opera miſericordiæ extra Eccleſiæ vnitatē non proſunt ad vitam æternā.*

Quia viſibilia ſacramēta ineſſe poſſunt etiam impiis, ſicut habuiſſe ſanctum Baptiſmum etiam magum * Simonem legimus, fiunt tales, quales Apoſtolus ait: * *Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Virtus autem pietatis eſt finis præcepti, id eſt, caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Vnde Apoſtolus Petrus cùm de Sacramēto arcæ, in qua Noë domus à diluuio liberata eſt, loqueretur: * ſic & vos, inquit, ſimili forma Baptiſma ſaluos fecit. Et ne ſibi ſufficere putarent viſibile Sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perditè viuendo, virtutem eius abnegarent, continuò ſubiecit: Non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. *Tom.6 cont.Fauſtum Manich.lib.19.cap.12.*

* *Act.8.*
* *2.Tim.3.*
* *1.Pet. 3.*

*Baptiſmus ſine pietatis virtute non ſufficit.*
* *1. Pet.3.*

Inaniter illud à Petro dictum videbitur (*ſi baptizari & credere ad ſalutem ſat eſt*) * Sic & vos ſimili forma Baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, vel conſcientiæ bonæ interrogatio: Siquidem & habentes peſſimas conſcientias, omnium flagitiorum & ſcelerum plenas, nec eorum malorum pœnitētia mutatas, tamen Baptiſma ſaluos facit. Propter fundamentū enim quod in eo Baptiſmate ponitur, licet per ignem, ſalui erunt. Illud quoque non video cur Dominus dixerit: * *Si vis venire ad vitam, ſerua mandata:* & commemorauit ea quę ad bonos mores pertinent: Si etiam his non ſeruatis ad vitam venire poteſt per ſolam fidem, quæ ſine operibus mortua eſt.* Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicet: * Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius? nec increpat quia in eum non crediderunt: ſed quia bona opera non fecerunt. ***Tom. 4. de fide & operibus, cap. 15.***

*Si ſun tamētū fidei ſufficit ad ſalutē, fruſtra dixit Chriſtus: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.*
* *Matth.19.*
* *Iacob.2.*
* *Matth.25.*

*Ad ſiniſtrā exiſtentes in die iudicij, nō quia nō crediderunt, ſed quia bona opera nō fecerunt, increpādi ſunt.*

Caueamus ergo diligenter in adiutorio Domini Dei

noſtri non facere homines malè ſecuros, dicentes eis, quòd ſi fuerint in Chriſto baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad ſalutem æternam eſſe venturos: nec ſic faciamus Chriſtianos, quomodo Iudæi proſelytos, quibus Dominus ait: * *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi, qui circumitis mare & terram facere vnum proſelytum: cùm autem feceritis, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos eſtis*: ſed potius ſanam doctrinam Dei magiſtri in vtroque teneamus, & ſancto Baptiſmo conſona ſit vita Chriſtiana, nec cuiquã homini, ſi vtrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. *Ibidem, cap. 26.*

*Matth. 23.

*Nulli baptizato cui vita Chriſtiana defuerit, vita promittatur æterna.*

Baptiſmus intelligitur per ſtellam matutinam. Stella matutina noctem fugat, & lucem annunciat, id eſt, peccatum tollit, & gratiam tribuit, ſi tamen acceptam gratiam bona opera ſequantur. Sicut enim magnam arborem virere & fructum non reddere, nihil prodeſt: ſic nihil prodeſt Chriſtianum dici & Chriſtiani opera non habere. *Tom. 9. in apoc. hom. 2. Plura de ciuit. Dei, lib. 1. cap. 25 & 26. Totus liber de fide & operibus ad hunc articulum pertinet.*

### IX. *Verum Baptiſmum etiam apud hæreticos inueniri.*

De iis qui ab Eccleſiæ vnitate ſeparati ſunt, nulla iam quæſtio eſt, quin & habeant & dare poſſint (*Baptiſma*) & quin pernicioſè habeant, pernicioſeque tradant extra vinculum pacis. *Tom. 7. cont. epiſt. Parm. lib. 2. cap. 13.*

Quamobrem ſi Euangelicis verbis Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quanuis eius fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Nam ſub eiſdem verbis, id eſt, in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, non ſolùm Marcion, aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales paruuli Eccleſiæ, quibus dicebat Apoſtolus, * Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari, tot diuerſitates opinionum fortaſſis, quot homines numerarentur. *Animalis enim * homo non percipit ea, quæ ſunt*

*1. Cor. 3.

*1. Cor. 2.



*ſunt ſpiritus Dei*. Nunquid tamen ideò non integrum Sacramentum accipiunt? Aut nunquid ideò ſi profecerint, & opinionum carnalium vanitatem emendauerint, denuo quod acceperant repetendum eſt? *Tom. 7. de Baptiſmo cont. Donatiſt. lib. 3. cap. 15.*

Nec intereſt cùm de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille qui accipit ſacramentum. Intereſt quidem plurimũ ad ſalutis viam, ſed ad ſacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri * enim poteſt vt homo integrum habeat ſacramentum, & peruerſam fidem: ſicut fieri poteſt, vt integra teneat verba ſymboli, & tamen non rectè credat ſiue de ipſa Trinitate, ſiue de reſurrectione, vel aliquid aliud. *Ibidem, cap. 14.*

*Poteſt in aliquo ſacramẽtũ eſſe integrum & fides peruerſa.*

*Sic quidam hoc tempore ſymbolũ admittunt, qui tamẽ de nonnullis ſymboli articulis nõ rectè credũt.*

Nos Sacramenta noui teſtamenti (*de Baptiſmo præcipuè ſermo eſt*) apud quoſlibet hæreticos vel ſchiſmaticos inuenientes, non debemus eis tribuere, nec quaſi non agnita reprobare, ſed quanuis apud fornicariam mulierem dona viri legitimi agnoſcere, & verbo veritatis illam fornicationem emendare, quæ propria eſt impudicæ mulieris: non illa dona culpare, quæ propria ſunt Domini miſerantis. *Ibidem, cap. 19.*

*In hæreticis non ſacramẽta, quæ ſunt Dei dona, culpãda: ſed ipſa eorũ hæreſis.*

Cum enim Baptiſma verbis Euangelicis datur, qualibet ea peruerſitate intelligat ille per quem datur, vel ille cui datur, ipſum per ſe ſanctum eſt, propter illum cuius eſt, etſi quis per hominem peruerſum id accipiẽs, non accipit tamen miniſtri peruerſitatem, ſed ſolam myſterij ſanctitatem: in bona fide, ſpe & caritate, vnitati compaginatus Eccleſiæ, remiſſionem accipit peccatorum, non per verba, ſicut cancer ſerpentia, (*vult dicere, etſi ſit hæreticus qui ſacramentum confert*) ſed per Euãgelica ſacramenta de cœleſti fonte manantia. *Ibidem, lib. 4. cap. 12.*

Quapropter quicunque in ſchiſmaticis vel hæreticis congregationibus, vel potius ſegregationibus baptizantur, quanuis non ſint renati ſpiritu, tanquam Iſmaëli ſimiles, qui ſecundum carnem natus eſt Abrahæ, non ſecundùm Iſaac, * qui ſecundũ ſpiritum, qui per repromiſſionem: tamen cùm ad Catholicam fidem veniunt, & ſocietati ſpiritus aggregantur, quem foris pro-

*Baptizati apud hæreticos Iſmaëli ſimiles.*

*Gal. 4.

*Apud hæreticos & ſchiſmaticos ſacramēta ſũt, ſed in ſola Eccleſia gratia percipitur.*

culdubio non habebant, non eis repetitur lauacrum carnis. Non enim defuit etiam foris poſitis iſta forma pietatis: ſed accedit eis, quæ niſi intus non poteſt dari, vnitas ſpiritus in vinculo pacis. Tales quippè erant antequam Catholici eſſent: de qualibus dicit Apoſtolus: * *Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Poteſt enim eſſe viſibilis forma palmitis, etiam præter vitem: ſed inuiſibilis vita radicis haberi non poteſt niſi in vite. Proinde corporalia ſacramenta, quæ portant & celebrant etiam ſegregati ab vnitate corporis Chriſti, formam poſſunt exhibere pietatis. Virtus enim pietatis inuiſibilis, & ſpiritalis, ita in eis non poteſt eſſe, quemadmodum ſenſus non ſequitur hominis membrum quando amputatur à corpore. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm.11. prope finem.*

** 2.Tim.3.*

*1. quæſt.1. c. Corporalia.*

*Quemadmodũ ſenſus non ſequitur mẽbrũ ab homine abſciſſum: ſic nec Dei gratia ſegregatũ ab Eccleſia comitatur.*

Nec vobis blãdiamini, quòd Baptiſmum non reſcindimus veſtrum. Non eſt hoc veſtrum, ſed Catholicæ Eccleſiæ quam tenemus: vnde illum quando diſceſſiſtis, non quidem ad ſalutem ſed ad perniciem veſtram vobiſcum tuliſtis. Nam vaſa dominica, etiam apud alienigenas, ſancta permanſerant. Vnde rex qui eis contumeliosè * auſus eſt vti, Deo iraſcente, punitus eſt. Et arca * Teſtamenti ab hoſtibus capta, nequaquam virtutem ſuæ ſanctificationis amiſit. Si ergo illa ſancta, quæ ſic tunc apud alienos fuerũt, vt apud ſuos eſſe deſiſterent, vim tamen ſanctitatis nullo modo perdere potuerunt: quantò magis eam Chriſtiana ſacramenta non perdũt, quando ita vt apud nos etiam maneant, ad hæreticos tranſeunt? *Tom.7. cont. Gaudent. Donat. lib.3. cap.14.*

*Baptiſmus qui ab hæreticis datur, non eorũ ſed Catholicæ Eccleſiæ eſt.*

** Dan.5.*

** 1. Reg 5.*

*Vis Chriſtianorum ſacramentorum.*

Nos non concedimus heretico Baptiſmum, ſed illius Baptiſmum, de quo dictum eſt: * Hic eſt qui baptizat, vbicunque inuenerimus agnoſcimus. Perfidus autem & blaſphemus, ſi in perfidia & blaſphemia permãſerit, nec extra Eccleſiã nec intra Eccleſiam, remiſſionem accipit peccatorũ: aut ſi propter vim ſacramenti ad punctum temporis accipit, & foris & intus eadem vis operatur, ſicut vis nominis Chriſti expulſionẽ dæmonũ foris etiam operabatur. *Tom.7. de Bapt. cont. Donat. lib.4. cap.11. Plura de vnico Baptiſmo contra Petil. cap.8. Item de Baptiſmo cont. Donatiſt. lib.2. cap.7. & lib.3. cap.11.*

** Ioan.1.*



### *X. Baptiſmum verum & ritè collatum illi iterandum non eſſe, qui apud infideles fidem Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiã reuertitur.*

IN baptizato inſeparabiliter Baptiſma manere manifeſtum eſt, quia in quodlibet profundum malorum, & in quamlibet horrendam voraginem peccatorum irruat baptizatus, vſque ad apoſtaticam ruinã non caret Baptiſmo: & ideò per pœnitentiam redeunti, non redditur, quia eo non potuiſſe carere iudicatur. Baptizatum autem poſſe ſeparari ab Eccleſia quis dubitauerit? Inde quippè omnes hæreſes exierũt, quæ vocabulo Chriſtiano decipiũt. *Tom.7. de Bapt. cont. Don. lib.5. ca.15.*

*Apoſtata non caret Baptiſmo.*

*Baptizatus, ab Eccleſia ſeparari poteſt.*

Videmus nec Apoſtatas carere Baptiſmate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideò amitti non poſſe iudicatur. *Tom.7. contra epiſt. Parmen. lib.2. cap.13.*

*Lapſi pœnitẽtia curãtur, nõ Baptiſmo renouantur.*

Eos enim qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renouari, quia renouatio in Baptiſmo: vbi quidem operatur pœnitentia, ſed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium poteſt: ſi autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium ſubuertat neceſſe eſt. Propterea hoc dicit (*Apoſtolus*) Hebræis, * qui ex nouo Teſtamento ad Sacerdotium vetus declinaſſe videbantur: Ideóque remittentes, inquit, initio Chriſti verbum, in conſummationem reſpiciamus, non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deũ, lauacri, doctrinæ, impoſitionis manus, reſurrectionis etiam mortuorum, & iudicij æterni. Iſta omnia in Baptiſmo traduntur, quæ negat eſſe repetenda, vtique in conſecrandis fidelibus. *Tom.4 in expoſ. epiſt. ad Rom. inchoatæ, verſus finem.*

** Heb. 6.*

*Apoſtoli cõtra Anabaptiſmũ ſentẽtia.*

Nullus autem illorum (*Donatiſtarum*) negat habere Baptiſmum etiã Apoſtatas, quibus vtique redeuntibus & per pœnitentiam conuerſis, dum non redditur, amitti non potuiſſe iudicatur. Sic & illi qui per ſacrilegium ſchiſmatis ab Eccleſiæ communione diſcedunt, habent vtique Baptiſmum, quem priuſquam diſcederent acceperunt. Nã & ipſi ſi redeant non eis iterum datur, vnde

*Apoſtata Baptiſmum amittere non poteſt.*

oſtenditur illud quod acceperant in vnitate poſiti, non potuiſſe amittere ab vnitate ſeparatos. *Tom.7.de Bapti. cont. Donat.lib.1.cap.1.*

### XI. *In Baptiſmo characterem imprimi, ideóque non poſſe eum iterari.*

*Character dominicus in quibuſuis baptizatis agnoſcendus.*

SAtis eluxit paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ, per quos poſtea plenarij Concilij auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt, & ouem quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, veniẽtem ad Chriſtianæ vnitatis ſalutem, ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere ſanari, characterem tamen dominicum in ea agnoſci potius, quàm improbari. Quandoquidem ipſum characterem multi & lupi & lupis infigunt, qui videntur quidem intus eſſe, veruntamen ad illam ouem, quæ etiam ex multis vna eſt, non pertinere morum ſuorum fructibus conuincuntur, in quibus in finem vſque perdurant. *Tom.7. de Baptiſ. cont. Donat. lib.6. cap.1.*

** 1.Ioan.3.*

*Character ſine caritate in Eccleſiæ deſertore.*

Attendat (*baptizatus*) in corde ſi perfectum eſt ibi, quod factum eſt in corpore: videat ſi habet caritatem, & tũc dicat: * Natus ſum ex Deo. Si autem non habet, characterem quidem impoſitum habet, ſed deſertor vagatur. *Tom.9.in epiſt. beati Ioannis, tract.5.*

*Hæretici redeũtes ad Eccleſiã, quare non rebaptizandi.*

Quare me, inquit, (*hæreticus*) non baptizas, vt abluas me à peccatis? Reſpondeo, quia non facio iniuriã characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo deſertoris. *Tom.2.epiſt.50.ſub finem ad Bonifacium.*

*Habet hæreticus Baptiſmũ, & Eccleſiæ deſertor characterẽ, ſed ad dãnationem.*

Hæretici Baptiſmum non mutamus. Quare? quia ſic habet Baptiſmũ, quomodo deſertor habet characterẽ. Ita & iſti habent Baptiſmũ: habent, ſed vnde damnentur, non vnde coronentur. Et tamen ſi deſertor ipſe correctus incipiat militare, nunquid audet quiſquã ei characterem mutare? *Tom.9.de Symbolo, lib.1.cap.6.*

*Baptiſmus hæretico ſufficit ad cõſecrationẽ non ad vitæ æternæ participationem.*

Chriſtiani Baptiſmi ſacramentũ, quod vnum atque idipſum eſt, etiam apud hæreticos valet, & ſufficit ad conſecrationẽ, quãuis ad vitæ æternæ participationem non ſufficiat, quæ conſecratio reum quidem facit hæreticum, extra Domini gregem habentem dominicum



characterem, corrigendum tamen admonet ſana doctrina, non iterum ſimiliter conſecrandũ. *Tom.2. epiſt. 23.ad Bonifacium.*

*Rebaptizare hæreticũ, peccatũ: rebaptizare Catholicũ, immaniſſimum ſcelus eſt.*

Rebaptizare igitur hæreticũ hominem; qui hæc ſanctitatis ſigna perceperit, quæ Chriſtiana tradidit diſciplina, omnino peccatum eſt. Rebaptizare autem Catholicum, immaniſſimum ſcelus eſt. *Ibidem epiſt.203.ad Maximinum, circa initium. Idem habes de vnico baptiſmo contra Petil.cap.13.*

*Sit ne pernicioſius, omnino nõ baptizari, an rebaptizari.*

Quid ſit autem pernicioſius, vtrum omnino non baptizari, an rebaptizari, iudicare difficile eſt. Video quidem quid amplius homines deteſtentur atque horreãt: veruntamen recurrens ad illam ſtateram dominicam, vbi non ex humano ſenſu, ſed ex auctoritate diuina, rerum momenta penſantur, inuenio de vtraque re Domini ſententiam: Nam & Petro dixit: * *Qui lotus eſt, non habet neceſſitatem iterum lauandi*: & Nicodemo: * *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non intrabit in regnum cœlorum. Tom.7.de Baptiſ contra Donat.lib.2.cap.14.*

** Ioan.13.*
** Ioan.3.*

*Baptiſmum verũ in neceſſitate etiã à Laico dari.*

Si laicus aliqua ſacramenta (*de Baptiſmo loquitur*) pereunti dederit, neceſſitate compulſus, quod cùm ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit, neſcio an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris vſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt. Sed etſi nulla neceſſitate vſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, nõ poteſt dici non datum, quãuis rectè dici poſſit illicitè datum. Illicitam ergo vſurpationem corrigit reminiſcẽtis & pœnitentis affectus. Quòd ſi non correxerit, manebit ad pœnam vſurpatoris, quod datum eſt, vel eius qui illicitè dedit, vel eius qui illicitè accepit: non tamen pro non dato habetur, neque vllo modo per deuotum militem, quod à priuatis vſurpatũ eſt, ſignum regale violabitur. Si enim aliqui furtim & extraordinariè, non in monetis publicis aurum vel argentum, ſed æs percutiendo ſignauerint, cùm fuerit deprehenſum, nónne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale ſignum, theſauris regalibus cogetur inferri? *Tom.7. contra epiſt. Parmen. libr.2. cap.13. Lege ſermonem ſuper geſtis cum Emerito.*

*Quare nec ab hæreticis, nec à Catholicis repetendus ſit baptiſmus.*

Sed aliud eſt, cur hæretici rebaptizare non debeant, aliud cur Catholici. Hæretici enim nec ſi in Catholica faciendum eſſet, facere deberent, quia in Catholicis hoc non eſſe dicunt, quod ipſi cùm ibi eſſent acceperunt, & cùm diſcederẽt abſtulerũt. Catholica verò proptereà non debet iterare baptiſmũ, quia apud hæreticos datus eſt, ne iudicare videatur ipſorũ eſſe, quod Chriſti eſt, aut eos non habere, quod intus cùm acciperent, amittere vtique foras exeundo non poſſent. Hoc enim ipſe Cyprianus etiam cum cæteris ſtatuit, vt ſi ab hæreſibus redirent ad Eccleſiam, quicunque fuerãt in ea baptizati, non iam per baptiſmum, ſed per pœnitentiam reciperentur. Vnde conſtat, eos non poſſe amittere recedentes, quod non recipiunt remeantes. Non autem ſicut hæreſis ipſorũ eſt, ſicut error ipſorum eſt, ſicut ſacrilegium diſſenſionis ipſorum eſt, ſic etiã Baptiſmus, qui Chriſti eſt, dici debet ipſorum. Itaque cũ illa mala ipſorum, quãdo redeunt, corriguntur, in eo quod ipſorum non eſt, ille agnoſcendus eſt, cuius eſt. *Tom.7. de baptiſ.cont. Donat.lib.3.cap.*11.

*De conſec. diſt.4. cap. Nũc autem.*

## *XII. Anabaptiſmum Nouatianis, Arrianis, & Donatiſtis in vſu fuiſſe.*

SCripſit Iubaianus (*Epiſtola ad Cyprianum*) Nouatianenſes rebaptizare eos, qui ad ſe ex Catholica venirent. *Tom.7.de Baptiſmo cont. Donat.lib.3.cap.*10.

Rebaptizari quoque ab Arrianis Catholicos nouimus: vtrum & non Catholicos, neſcio. *Tom.6. de hæreſ. ad Quoduultdeum, hæreſi* 49.

Speluncam fabricat (*Arrianus*) illic Catholicũ præfocat: Chriſtianum vocat Paganum, baptizato ingerit Baptiſmum, contra id quod ſcriptum eſt: * *Qui ſemel lotus eſt, non indiget denuo lauari.* Clamat homo, Chriſtianus ſum. Quid me dicis eſſe quod non ſum? Clamat, fidelis ſum: & ille dicit, Accipe à me pecuniam. Clamat, redemptus ſum: & ille dicit, Accipe à me aurum. Quid das, aut quid aufers? Das pecuniam vt auferas gratiam. Das pecuniam vt auferas vitam. Das precium vt auferas quod emptus ſum. Quid emis ab empto? Precium meum non aurum, ſed ſanguis Chriſti eſt: non me ſeducis, non me decipis: quantumcunque mihi conferas, non mihi tollis precium meum. Pecunia tua* tecum ſit in perditionem: nam precium meum non habet æſtimationẽ. Clamat homo, fidelis ſum, & exſufflatur: clamat, in nomine Patris & Filij baptizatus ſum: * & tu irritum facis. Quid ergo Chriſtiano reſeruas, in quo Patrem & Filium & Spiritũ ſanctum exſufflas? An fortè nouam fidem, nouum Baptiſma, nouum Deum traſmarinis partibus aduexiſti? Dic meus ſancte Paule, doce diuini iuris perite, ſponſi amice, homo iſte modò venit, mundum ſubuertit, fidei vnitatem ſcindit, Trinitatem diuidit, ſibi non conſentientem rebaptizare contendit. Quid facio? In Chriſto Ieſu per Euangelium tuũ * me genuiſti, in ipſo baptizatus ſum. An fortè eſt alia fides, aut aliud Baptiſma? Abſit, inquit, * Vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium. Si ergo vna fides, imò quia & vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & Pater omnium: iam credidi, iam baptizatus ſum, iam Deum habeo patrem: quare homicidam patior Arrianum? *Tom.6. de quinque hæreſibus, cap.7.*

** Ioan.13.*
*Quomodo Arriani Chriſtianos ad Anabaptiſmũ hortabantur.*



** Act.8.*
** aliâs & tu exſufflas.*
*Anabaptiſtæ Chriſtiano nihil tribuũt, dũ eum perinde ac Paganũ baptizãt.*
** 1.Cor.4.*
** Epheſ.4. Vna Fides, vnũ Baptiſma.*

Audent etiam (*Donatiſtæ*) rebaptizare Catholicos, vbi ſe amplius hæreticos eſſe firmarunt, cùm Eccleſiæ Catholicæ vniuerſæ placuerit, nec in ipſis hæreticis Baptiſma commune reſcindere. *To.6. de hæreſibus ad Quod vult deum, hæreſ.69.*

## *XIII. Baptiſmum extra Eccleſiam, inutilem eſſe ad conſequendam gratiam Spiritus ſancti.*

MErito creduntur qui extra Eccleſiam baptiſmum Eccleſiæ perceperunt, non habere Spiritum ſanctum, niſi cùm ipſi Eccleſiæ vinculo pacis per cõnexionẽ charitatis adhæreſcũt. *To.6. cõt Creſ. Gram. li.2. ca.12.* Eccleſia Paradiſo comparata, indicat nobis poſſe quidem eius Baptiſmum homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradiſi, ſicut ſcriptura teſtatur,* etiam foras largiter manauerunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant, & quia extra Paradiſum conſtituta ſunt, omnibus notũ eſt: nec tamen in Meſopotamia, vel in Ægy-

*De cõſe. diſt. 4. cap. Eccleſia Paradiſo.*
*Extra Eccleſiam Baptiſmũ eſſe, ſed non ſalutem, ſimilitudine Paradiſi declaratur.*
** Geneſ.2.*

pto, quo illa flumina peruenerũt, eſt fœlicitas vitæ, quæ in Paradiſo commemoratur: ita fit, vt cum Paradiſi aqua ſit extra Paradiſum, beatitudo tamen nõ ſit, niſi intra Paradiſum: ſic ergo Baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam, munus autem beatæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur, quæ ſupra Petram etiam fundata eſt, * quæ ligandi atque ſoluendi claues accepit. Hæc eſt vna quæ tenet & poſſidet omnem ſponſi ſui & domini poteſtatem, per quam coniugalem poteſtatem, de ancillis filios habere poteſt: qui ſi non ſuperbiant in ſortem hæreditatis vocabuntur: ſi autem ſuperbiant, extra remanebunt. Magis ergo quia pro Eccleſiæ honore atque vnitate pugnamus, non tribuamus hæreticis, quicquid apud eos eius agnoſcimus, ſed eos arguentes doceamus, quòd ex vnitate habent non valere ad ſalutem niſi ad eandem venerint vnitatem. Aqua enim Eccleſiæ, fidelis, & ſalutaris, & ſancta eſt benè vtentibus, ea verò benè vti extra Eccleſiam nemo poteſt: malè autem vtentibus, & foris & intus ad ſupplicium geritur, non ad præmium ſuffragatur. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib.4. cap.1.*

** Matt.16.*

*Aqua Eccleſiæ extra Eccleſiam nemo benè vtitur.*

Si fit illic (*apud hæreticos*) remiſſio debitorum per Baptiſmi ſanctitatem, rurſus debita redeunt per hæreſis aut ſchiſmatis obſtinationem: & ideo neceſſarium habẽt huiuſmodi homines venire ad Catholicam pacem, vt hæretici & ſchiſmatici iam eſſe deſinant, & eorum, quæ in illos redierant, peccatorum purgationem in vnitatis vinculo charitate operante mereantur. Si autem quanuis apud hæreticos vel ſchiſmaticos idem ſit Baptiſmus Chriſti, non tamen ibi operatur remiſſionem peccatorum propter eandẽ diſcordiæ fœditatem & diſſenſionis iniquitatem: tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, non vt iam dimiſſa nõ retineantur, neque vt ille Baptiſmus quaſi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, ſed vt idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intùs operetur ſalutem. *Ibidem, lib.3. cap.13.*

*Neceſſarium eſt vt hæretici et ſchiſmatici ad Catholicam pacem redeant, ſi à peccatis purgari velint.*

*Idem Baptiſmus qui foris operabatur mortẽ, intus in Eccleſia operatur ſalutem.*

Firmiſſimè tene & nullatenus dubites ſacramentum Baptiſmatis, non ſolùm intra Eccleſiam Catholicam,



ſed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizãt, eſſe poſſe: ſed extra Eccleſiam Catholicam prodeſſe non poſſe. Imò ſicut intra Eccleſiam rectè credentibus per ſacramentum Baptiſmi conferri ſalutem: ſic extra Eccleſiam baptizatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, eodem Baptiſmo accumulari perniciem. Tantum enim valet Eccleſiaſticæ ſocietatis vnitas ad ſalutem, vt non ſaluetur, cui non ibi datur, vbi oportet vt detur. Ineſſe tamen homini baptiſmũ, etiam extra Eccleſiam baptizato, ſed ad iudicium ineſſe ab Eccleſia ſeparato. *Tom.3. de fide ad Petrum, cap.36. Idem habes aliquãtò fuſius in eodem libro, cap.3. & 39.*

*Baptizatis extra Eccleſiam niſi ad eã redierint, accumulatur pernicies.*

*Homini ab Eccleſia ſeparato ineſt Baptiſmus ad iudicium.*

Quanuis enim vnum Baptiſma ſit hæreticorum, eorũ ſcilicet, qui in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizantur, & Eccleſiæ Catholicæ: tamen quia foris, & extra Eccleſiam baptizantur, non ſumunt baptiſmum ad ſalutem, ſed ad perniciem, habentes quidem ſpeciem pietatis, * virtutem tamen eius abnegantes. Et idcirco eos Eccleſia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati ſunt. Ipſa eſt profectò forma Sacramenti, ideò dum reuerſi fuerint, accipiunt virtutem Spiritus ſancti, quem ij qui extra Eccleſiam baptizantur, nondum habent. *Tom.4. 65. quæſtionum, q.59. Lege & cõtra Fauſtum Manichæũ, lib.12. ca.17. & Tom.9. in Euang. Ioan. tract.6. Itẽ Tom.10. de verbis Domini, ſer. 11. prope finẽ.*

*Extra Eccleſiã Catholicam Baptiſmus ad perniciẽ ſumitur.*

** 2.Tim.3.*

### *XIIII. Baptiſmum Ioannis non habuiſſe eandem vim & efficaciam cum baptiſmo Chriſti ad peccatorum remiſſionem.*

DOminus Ieſus Chriſtus tali Baptiſmo mundat Eccleſiam, quo accepto, nullum alterum requiratur. Ioannes autem tali Baptiſmo prætingebat, quo accepto, eſſet Baptiſma etiam Dominicum neceſſarium, nõ vt illud repetatur, ſed vt eis qui baptiſmum Ioannis acceperant, etiam Chriſti Baptiſmus, cui viam præparabat ille, traderetur. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donat. lib.5. ca.9.*

*Poſt Baptiſmum Ioannis neceſſarius Baptiſmus Chriſti.*

** Act.19.*

Baptizatos enim à Paulo eos, qui iam baptiſmo Ioannis baptizati fuiſſent, legimus in Actibus Apoſtolorum, * non ob aliud, niſi quia Ioannis baptiſmus,

*Si baptiſmus Ioannis idem fuit cum Ba*

*ptiſmo Chriſti, cur iterũ à Paulo baptizati ſunt, qui illum ſuſceperant? De cõſe.diſt.4.cap. Nõ regenerabãtur. * Matt.3.*

non fuerat Baptiſmus Chriſti. *Ibidem.*

Non enim renaſcebantur qui Baptiſmate Ioannis baptizabantur, à quo & ipſe (*Chriſtus*) baptizatus eſt: ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat:Parate viam Domino, huic vni in quo ſolo renaſci poterant, parabantur. Huius enim Baptiſmus eſt * non in aqua tantum, ſicut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu ſancto, vt de illo ſpiritu regeneretur quiſquis in Chriſtum credit, de quo Chriſtus regeneratus, regeneratione non eguit. *Tom.3.in Enchirid.cap.49.*

*Baptiſmus Ioannis tantùm in aqua. Baptizati à Ioanne, baptizati ſunt poſtea Baptiſmo Chriſti. Quare Chriſtus Ioannis Baptiſmum ſuſceperit.*

Et rurſus ne hoc ipſum quod accepit à Ioanne Chriſtus, præponeretur baptiſmati Chriſti permiſſi ſunt & alij baptizari à Ioanne, ſed qui baptizati ſunt à Ioanne,non eis ſuffecit:Baptizati ſunt enim baptiſmo Chriſti, quia non baptiſmus Chriſti, erat baptiſmus Ioannis. Qui accipiunt baptiſmum Chriſti, baptiſmum Ioannis non quærunt: qui acceperunt baptiſmum Ioannis, baptiſmum Chriſti quæſierunt. Ergo Chriſto ſuffecit baptiſmus Ioannis. Quomodo non ſufficeret, quando nec ipſe erat neceſſarius? Illi enim nullum Baptiſmum erat neceſſarium, ſed ad hortandos nos ad baptiſma ſuum, ſuſcepit baptiſmum ſerui. Et ne præponeretur baptiſmum ſerui baptiſmo domini, baptizati ſunt alij baptiſmate conſerui. Sed qui baptiſmate conſerui baptizati ſunt, oportebat vt baptizarentur baptiſmate Domini. Qui autem baptizantur baptiſmate Domini,non opus habent baptiſmate conſerui. *To.9.Tractatu 5.in Euang.Ioannis.*

*Baptiſmus Ioannis præfiguratorius erat Baptiſmi Chriſti.*

Baptiſmus Ioannis non erat baptiſmus Chriſti: ſed tamen militans Chriſto: ſicut legis vetera ſacramenta, præcurſorio quodam & præfiguratorio fungebatur officio. *Tom.7.de vnico Baptiſmo contra Petil.cap.7.*

** Iſa.40. Matth.3. Baptiſma Ioannis, baptiſma hominis: Baptiſma Chriſti, Baptiſma Dei.*

Talis erat baptiſmus Ioannis qualis Ioannes:Baptiſmus iuſtus tanquam iuſti, tamen hominis, ſed qui acceperat à Domino iſtam gratiam,& tantam gratiam,vt dignus eſſet præire iudicem,& eum digito oſtendere,& implere vocem prophetiæ illius: vox* clamantis in deſerto,parate viam Domini. Tale autem baptiſma Domini qualis Dominus: ergo baptiſma Domini, diuinũ, quia Dominus Deus. *Tom.9.tract.5.in Euang.Ioann.*



** Act.19. Quare Baptizati ab hæreticis non ſint rebaptizandi,cùm tamen baptizati à Ioanne iterum fuerint baptizati.*

Quid ergo ſolent(*Donatiſtæ*)dicere? Ecce poſt Ioannem baptizatũ eſt, poſt hæreticos nõ baptizatur? Quia quidam, qui habebant baptiſma Ioannis, iuſſi ſunt à Paulo* baptizari: Non enim habebant Baptiſma Chriſti. Quid ergo exaggeras meritum Ioannis, & quaſi abiiciis infœlicitatem hæreticorum? Et ego tibi concedo ſceleratos eſſe hæreticos:ſed hæretici Baptiſma Chriſti dederunt,quod Baptiſma non dedit Ioannes. *Ibidem.*

*Baptizatis à Ioanne remittebantur peccata in ſpe tantùm. * Epheſ.2.*

Quapropter quanquam ita credam baptizaſſe Ioannem in aqua pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata, reipſa verò in Domini Baptiſmo id fieret:ſicut reſurrectio, quæ expectatur in finem, ſpe in nobis facta eſt, ſicut dicit idẽ Apoſtolus:*quia ſimul nos excitauit, & ſimul ſedere fecit in cęleſtibus &c. *To.7.de Ba.cõt.Don.li.5.ca.10.*

## *XV.Baptiſmum Ioannis Baptiſmo Chriſti promulgato finem habuiſſe.*

BAptizatus eſt Dominus Baptiſmo Ioannis, & ceſſauit Baptiſmus Ioannis. *Tom.9. in Euang. Ioannis,tract.4.*

*Baptiſmus Ioannis quare tã cito abolitus.*

Dominus Baptiſmo Ioannis baptizatus eſt, vt ſuperbas hominum ceruices ad ſalutare ſuum Baptiſma flecteret:& non ſolus ipſe Baptiſmate (*Ioannis*)tinctus eſt, ne hoc ipſo ſuperius oſtenderet, quod eo ſolo ipſe baptizari meruiſſet: & vltra illud perſeuerare non ſinit,ne hoc vnũ, quo ipſe baptizat,indigere præcedente alio videretur. *Tom.7 de Bapt.cont. Donat.lib.5.cap.9.*

*Ioãnes quare ad baptizandum miſſus. * Matth.3. Quare non diu durauerit Baptiſmus Ioannis.*

Quid profuit Baptiſmum Ioannis? Fratres mei, ſi profuit aliquid & modò maneret, & baptizarentur homines in Baptiſmate Ioannis:vt ſic venirent ad Baptiſmum Chriſti.Sed quid ait? vt manifeſtaretur Iſraëli, id eſt, ipſi populo Iſraël, vt manifeſtaretur Chriſtus, venit baptizare in aqua. Accepit miniſterium Baptiſmatis Ioannes, in aqua pœnitentiæ parare * viam Domino, non exiſtens Dominus, ac vbi cognitus eſt Dominus,ſuperfluò ei via parabatur,quia cognoſcentibus ſe ipſe factus eſt via.Itaque non durauit diù Baptiſmum Ioannis. *Tom.9.tract.4.in Euang.Ioannis.*

Si Baptiſma Ioan.neceſſariũ erat ſaluti noſtrę,&modò *Baptiſmus*

*Ioannis ſaluti noſtra non neceſſarius.*

debuit exerceri. Non enim modò non ſaluantur homines, aut modò plures non ſaluantur homines: aut alia tunc ſalus erat, & alia modò. *Ibidem, tract. 5.*

# CAPVT TERTIVM DE PARVVLIS ET BAPTISMO paruulorum.

## *I. Paruulos in remiſsionem peccatorum ex Apoſtolorum traditione veraciter baptizari.*

PLacuit vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat: aut dicit, in remiſsionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſsionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit: quoniam nō aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus: * Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatū mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt: niſi quemadmodum Eccleſia vbique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim fidei regulam etiam paruuli qui nihil peccatorū in ſeipſis adhuc committere potuerūt, ideo in peccatorum remiſsionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. *Tom. 1. conciliorum, concil. Mileuit. cui Auguſtinus interfuit, cap. 2.*

** Rom. 5.*

*Explicatio Catholica verborum Pauli per vnū hominē peccatū intrauit &c.*

*Paruuli ſine Baptiſmo viuificari non poſſunt.*

Quiſquis dixerit, quòd in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſine Sacramenti eius participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apoſtolicā prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto viuificari non poſſe. Qui autem non viuificatur in Chriſto, reſtat vt in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apoſtolus: * Per vnius delictum intrauit mors in

** Rom. 5.*



omnes homines ad condemnationem. *Tom. 2. epiſt. 28. ad Hieronymum, poſt medium.*

Nullum in paruulis originale peccatū eſt, (*inquiunt Pelagiani*) tantum in adoptionem filiorum baptizantur. Habet enim in eis gratia quod adoptet, non habet vnda, quod diluat: propter ſolam verò ſymboli formā vt tradita conſuetudo ſeruetur, tinguntur in remiſsionem peccatorum. Maiores autem propter quod vſu liberi arbitrij peccata contrahere potuerūt, in remiſsionem peccatorum baptizantur. O cæca veſtrorū ſenſuum corda. O magiſterium quod obuolutum mortali nebula vobis diabolus propinauit. Quis hæc Catholicorum ſapientiſsimus ferat? Quis vos non horreat potius nominare, quàm cernere, vt verbum Dei fidele in parte veri, & in parte mendacij eſſe prædicetis: id eſt, in maioribus verax, quia verè in remiſsionem peccatorum baptizantur: in paruulis autem mendax, quia ſic in remiſsionem peccatorum, vt non in remiſsionem peccatorum tingantur. Quando iam, vel quid à vobis dicitur verum, aut dicetur, cùm in illo loco, vbi veritas Chriſtus in Spiritu ſancto * baptizans omnes curat ad ſe venientes peccati vulnere ſauciatos, Deo mendaciū dicere non timetis? Verba nanque Dei ſunt ſymboli verba, non fefellit Deus tradens per Apoſtolos ſuos Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Catholicæ, credentes in remiſsionem peccatorum baptizari. Vt quid enim iuſsit in remiſsionem peccatorum, ſi nō facit verè remiſsionem? Imò ideò iuſsit, quia facit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo * mendax, omninò in remiſsionem peccatorum baptizantur & paruuli, alioquin non habebūt in regno cœlorum vitam. *Tom. 7. hypog. lib. 5. ſub finem.*

*Mēdax Dei verbum faciunt, qui paruulos in remiſsionem peccatorum baptizari negant.*

** Matth. 3.*

** Pſal. 115.*

*Auctoritas baptizandi paruulos, per Dominū & Apoſtolos Eccleſiæ tradita.*

Porrò quia paruulos baptizandos eſſe concedunt (*Pelagiani*) qui contra auctoritatem vniuerſæ Eccleſiæ, proculdubio per Dominum & Apoſtolos traditā, venire non poſſunt, concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris, vt oblati per Sacramentum, caritatémque fideliū, ac ſic incorporati Chriſti corpori, quod eſt Eccleſia, reconcilientur Deo, vt in illo viui, vt ſalui, vt liberati, vt redempti, vt illuminati fiant: Vnde, niſi à morte, vitiis, reatu, ſubiectione, tenebris peccato-

*Baptiſmi effect⁹ multiplex & mirabilis.*

rum? *Tom.7.de pecc.mer. & remiſſ.lib.1.cap.26. Lege ibid. cap.34. & lib.3 cap.4. & lib.1.contra Iulian. Pelag. cap. 2.vltra medium.*

Neminem vnquam eorum, qui ad Chriſtum acceſſerunt per baptiſmum, ſana fides & ſana doctrina putauit exceptum à gratia remiſsionis peccatorũ. *Tom.7. de pecc.mer. & remiſſ.lib.1.cap.28.*

## *II. Paruulos ex Adam trahere originale peccatum.*

*Pelagiani peccatum originale negant in paruulis.*

IN paruulis nolunt credere (*Pelagiani*) per Baptiſmum ſolui originale peccatũ, quod in naſcentibus nullum omnino eſſe contendunt. *Tom.7.de peccat. mer. & remiſſ. lib.1.cap.9.*

*Paruulos nõ ſua voluntate, ſed origine reos teneri.*

Cur, inquiunt, peccatum dicitis paruulorum, quorum voluntatem non tenetis ream? Reſpondetur, non eos proprietate voluntatis, ſed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus, quid eſt origine, niſi Adam? Porrò autem Adam habebat vtique voluntatem, qua voluntate cùm peccaſſet,* peccatum per eum intrauit in mundum. *Tom.1.Retract.lib.1.cap.15.*

**Rom.5.*

Et iterum in eo quod dictum eſt: peccati reum teneri quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt. Cur ergò, inquiunt, paruuli tenentur rei? Reſpondetur, quia ex eius origine tenentur, qui non fecit, quod facere potuit, diuinũ ſcilicet ſeruare mandatum. *Ibidem, paulò poſt.*

*1.Cor.15.*

*Peccatum originis voluntarium non voluntate ſingulorum, qui illud contrahunt, ſed voluntate primi parentis.*

Fruſtra itaque putas ideo in paruulis non eſſe delictum, quia ſine voluntate, quæ in eis nulla eſt, eſſe non poteſt. Hoc enim rectè dicitur, propter proprium cuiuſque peccatum, non propter primi peccati originale contagium. Quod ſi nullum eſſet, profectò nulli malo paruuli obſtricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, ſub tanta iuſti Dei poteſtate paterentur. *Tom.7. cõtra Iulian. Pelag. lib.3. cap.5.*

Paruuli vtique, vt dicit Apoſtolus, * natura filij iræ ſunt. Adæ ſcilicet parentis, ſicut ſæpè diximus, offenſione connexi. Non enim dicerentur filij iræ, niſi iram,

**Eph.2.*



id eſt, peccatum primi plaſti, qui peccando Deum ad iram primus in genere noſtro prouocauit, traherent ſeminati. Ideò dictum eſt: * *Quis enim erit mundus à ſorde?* Ne vnus quidem, etiamſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram. Vel ſicut dictum eſt alio modo, tamen idem: * *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu qui ſolus es?* Ob hanc igitur ſolam ſordem peccati quam trahit, non de coniugii bono, ſed de libidinis malo, paruulus breuis vitæ & plenus iracundiæ eſt &c. *Et paulò pòſt.* Paruulus niſi Baptiſmi gratia per Chriſtum ſubuenerit, diſperiet de populo Chriſtiano. Sicut lex periturum dixit paruulum de populo Iudæorum, niſi die circunciſus fuiſſet octauo. Scriptum eſt enim, * *Infans qui octauo die circunciſus non fuerit, diſperibit anima illa de populo ſuo.* Dic igitur mihi? A quo facinore circunciſio paruulos liberat? Aut quare incircunciſi de populo Dei anima peribat, ſi nihil, vnde ſanaretur, vel diſperiret? *Et infrà.* Actualia certè nulla ſunt eius delicta. Quæ enim eſſe poterunt octo dierum? Trahere enim originale peccatum, & propter hoc damnari credere non vis. *Concludit infrà.* Dimittitur paruulis in regeneratione ſpiritali, quod traxerunt, vt ſæpe dixi, ex Adam generatione carnali. Stulte hæretice, reſpice ad Ieſum, qui propterea vocatus eſt Ieſus, id eſt, Saluator: quia ſic dicit Euangeliſta: * *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Attende edictũ eius: * *Non opus eſt ſanis medicus, ſed malè habentibus. Tom.7 hypog.lib.5.*

**Iob.14.*

**Iob.14.*

*Paruuli propter ſordem peccati, quã à parẽtibus trahunt, naſcuntur filij iræ.*

**Gen.17.*

**Luc.1.*

**Marc.2.*

**aliâs, admiſſum.*

Traxit reatum (*paruulus*) quia vnus erat cum illo & in illo, à quo traxit, quando quod traxit,* admixtum eſt. *Tom.2. Epiſt.23.ad Bonifacium.*

Paruuli qui vt manifeſtum eſt, nihil in ſua propria vita impiè commiſerunt, ſi nec originaliter vllo impietatis vinculo detinentur, quomodo pro eis mortuus eſt, qui pro impiis mortuus eſt? Si nulla originalis peccati ægritudine ſauciati ſunt, quomodo ad medicum Chriſtum, hoc eſt, ad percipiendum Sacramentum ſalutis æternæ, ſuorum currentium pio timore portantur, & non eis in Eccleſia dicitur: Auferte hinc innocentes iſtos, non eſt opus * ſanis medicus,

*Fruſtra baptizantur paruuli, ſi peccato originali carent.*

**Marc.2.*

** Matth.9. Marc.2. Luc.5.*

ſed malè habentibus:Non venit Chriſtus * vocare iuſtos,ſed peccatores? Nunquam dictum eſt, nunquam dicitur,nunquam omnino dicetur in Eccleſia Chriſti tale commentũ. *Tom.7. de peccat.merit. & remiſſ.lib.1. cap.18. De hoc articulo vide ſuprà lib.* II. *cap. de peccato originali.*

### *III. Paruulos ab originali peccato non niſi per lauacrum regenerationis expiari.*

*Paruulus neceſſarium habet mediatoris Sacramentum, vt ab originalis pœna peccati ſoluatur.*

ANtequam (*paruulus*) per ætatem poſſit ſecundum Spiritum viuere,neceſſariũ habet mediatoris Sacramentum: vt quod per eius fidem nondum poteſt, per eorum,qui eum diligunt,fiat.Eius enim Sacramento ſoluitur etiã in ætate infantili originalis pœna peccati,à quo niſi adiutus,etiam iuuenis carnalem concupiſcentiam non domabit,nec ea ſubiugata æternæ vitæ meritum apprehendet,niſi eius dono,quem promereri ſtudet.Ideò viuus oportet etiam infans baptizetur, ne obſit animæ ſocietas carnis peccati,qua participata fit, vt nihil poſſit anima infantis ſecundùm Spiritum ſapere.Ipſa quippè affectio grauat etiam corpore exutã, niſi cùm in corpore eſt,per vnicum ſacrificium veri ſacerdotis expietur. *Tom.3.de Gen.ad literã,lib.10.cap.14.*

*Paruuli ſine lauacro regenerationis, ſaluari non poſſunt.*

Paruuli qui nondum habent opera propria, vel bona,vel mala,ſecundum ſolum originale peccatũ damnabũtur,quibus per lauacrum regenerationis, nõ ſubuenit gratia Saluatoris. *Tom.2.Epiſt.47.ad Valentinũ.*

** Gal.3. * 1.Ioan.5. * 2.Cor.5. * Heb.2.*

Non autẽ habere paruulos vitam,niſi habeant Chriſtum:quem proculdubio habere non poſſunt, niſi induerint eum,eo modo quo ſcriptum eſt: * Quotquot in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtum induiſtis. Nõ ergo eos habere vitam,niſi habeant Chriſtum,Ioannes Euãgeliſta teſtatur,dicens in Epiſtola ſua:* Qui habet Filium,habet vitam:qui non habet Filium, vitam nõ habet.Meritò ergo intelliguntur mortui, qui non habent vitam, pro quibus eſt Chriſtus mortuus, vt habeant. Vnus enim * pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.Ideò autem mortuus eſt, ſicut legitur ad Hebræos,* vt per mortem euacuaret eum,qui poteſtatem



*Paruuli vitã antè habere nõ poſſunt, quàm Chriſtũ per Baptiſmum induant.*

tem habebat mortis,id eſt, diabolum. Quid ergo mirum,ſi paruuli quandiu mortui ſunt, antequam incipiant eum habere,qui mortuus eſt pro mortuis,ſub eo ſint qui poteſtatem habet mortis? *Tom.7. cont. Iulian. Pelag.lib.6.cap.4.*

** Ioan.3. Epheſ.2.*

*A vitio naturæ, cũ quo naſcitur homo, nõ liberat, niſi qui natus eſt ſine vitio.*

Ergo ideo habent (*paruuli*) vitam æternam,quia qui credit in Filium habet vitam æternam. Noli eis ſine iſta fide, & ſine iſto Sacramento huius fidei promittere vitam æternam.Qui autem incredulus eſt Filio, & qui * non credit in Filium, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.Non dixit,veniet ſuper eum, ſed manet ſuper eum.Reſpexit originem, cùm ait: ira Dei manet ſuper eum. Quam reſpiciens & Apoſtolus, dixit: Fuimus & nos aliquando natura filii iræ. Non accuſamus naturam.Naturæ auctor eſt Deus.A Deo bona eſt inſtituta natura,ſed per malam volũtatem à ſerpente vitiata eſt:ideo quod fuit in Adam culpæ, nõ naturæ,nobis propagatis factum eſt iam naturæ. Ab hoc vitio naturæ cum quo naſcitur homo,non liberat,niſi qui natus eſt ſine vitio.Ab hac carne peccati non liberat,niſi qui natus eſt ſine peccato,per ſimilitudinẽ carnis peccati. Ab hoc veneno ſerpentis, non liberat niſi exaltatio ſerpentis. *Tom.10.de verbis Apoſt.Serm.14.*

*Cypr.in epi. de baptizandis pueris.*

** Luc.19.*

*Paruulis mortiferum eſt ſine Baptiſmi Sacramẽto exire de hac vita.*

Quantum,inquit Cyprianus,ad cauſam infantiũ pertinet, quos dixiſti intra ſecundum vel tertium diem, quo nati ſunt, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe legem circunciſionis antiquæ, vt intra octauũ diem eũ qui natus eſt baptizãdum & ſanctificandum nõ putares,longè aliud in concilio noſtro viſum eſt.In hoc enim quod tu putabas eſſe faciendũ, nemo conſenſit,ſed vniuerſi potius iudicauimus, nulli hominum nato, miſericordiam Dei & gratiam denegandam.Nam cùm Dominus in Euãgelio dicat: * *Filius hominis non venit animas hominum perdere,ſed ſaluare*: quantum in nobis eſt,ſi fieri potuerit,nulla anima perdẽda eſt.Hucuſque Cyprianus.Aduertiſne quid dicat, quemadmodum ſentiat,non tantum carni, ſed animæ quoque infantis exitiabile eſſe atque mortiferum ſine vllo ſalutari Sacramento exire de hac vita? *Tom.7.de peccat.merit.& remiſſ.lib.3.cap.5.*

### IIII. *Paruulos regenerationis lauacro nondum expiatos, vitam æternam conſequi non poſſe.*

*Paruuli niſi baptizati deceſſerint ſalutem & vitam æternam non habebunt.*

BAptizandos eſſe paruulos nemo dubitet, quando nec illi hinc dubitant, qui ex parte aliqua contra dicunt. Sed nos dicimus eos aliter ſalutem & vitã æternam nõ habituros, niſi baptizentur in Chriſto. Illi autem (*Pelagiani*) dicũt non propter ſalutem, non propter vitam æternam, ſed propter regnum cælorũ. *Tom.* 10. *de verbis Apoſtoli, Serm.*14.

*Pelagianorum error.*

*Sicut * in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Per hanc Apoſtolicam, diuinam, clarámque ſententiam euidenter elucet, neminem ire in mortem, niſi per Adam: neminem ire in vitam æternam, niſi per Chriſtum: ac per hoc quiſquis nobis dixerit, quenq̃ in reſurrectione mortuorũ viuificari poſſe, niſi in Chriſto, tanquam peſtis communis fidei deteſtandus eſt. Item quiſquis dixerit, quòd in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſine Sacramenti perceptione de vita exeunt: hic profectò & contra Apoſtoli prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam. *Tom.*2.*epiſt.*28.*ad Hieronymum.*

* 1.*Cor.*13.

Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes anteq̃ baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus. *Tom.*7.*de origine animæ, lib.*3.*cap.*9.

Nulla ex noſtro arbitrio præter Baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura diuina humanis omnibus ingeniis præferenda. *Tom.*7.*de pecc.mer. & remiſſ.lib.*1.*cap.*23.

*Chriſtus gratiã, per quã liberamur, in ſuis Sacramẽtis cõmendauit.*

Chriſti Eccleſia nec paruulos recentiſſimè natos à damnatione credit, niſi per gratiam nominis Chriſti, quam in ſuis Sacramentis commendauit, poſſe liberari. *Tom.*2.*epiſt.*28.*ad Hieronymum, ſub finem.*

Ego autem non dico paruulos, ſine Chriſti Baptiſmate morientes, tanta pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potius expediret: cùm hoc Dominus, non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impiiſſimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait, & vtiq;

* *Matt.*1. *Luc.*10.



non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicij punietur, quis dubitauerit paruulos nõ baptizatos, qui ſolùm habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quanuis definire non poſſim, non tamen audeo dicere quod eis vt nullibi eſſent, quàm vt ibi eſſent, potius expediret. *Tom.*7.*contra Iulian.Pelagian.lib.*5.*cap.*8.

*Paruuli non baptizati, in damnatione omniũ leuiſſima futuri ſunt.*

Poteſt proinde rectè dici, paruulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitiſſima futuros. Multum autẽ fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo: * Iudicium ex vno delicto in condemnationem. *Et paulò poſt.* Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem. *Tom.*7.*de peccat.merit. & remiſſ.lib.*1.*cap.*16. *Paruulis neceſſarium eſſe Baptiſmum fuſiſſimè ex Scripturis probat ibidem, cap.*27.

* *Rom.*5.

### V. *Æquè paruulis atque adultis per Baptiſmi Sacramentum Chriſti gratiam conferri.*

DIcimus in baptizatis paruulis quanuis id neſciãt habitare ſpiritũ ſanctum. Sic enim eum neſciunt quanuis ſit in eis, quemadmodum & neſciunt mentem ſuam: cuius in eis ratio, qua vti nondum poſſunt, velut quædam ſcintilla ſopita eſt, excitanda ætatis acceſſu. Neque hoc in paruulis mirum debet videri, cùm Apoſtolus quibuſdam etiam maioribus dicat: * *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* De qualibus paulò antè dixerat: * *Animalis autem homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei*, quos etiam paruulos vocat, non carnis ætate, ſed mentis. Non itaque percipiebant cognitione Spiritum ſanctum, qui habitabat in eis, & habitante in ſe Spiritu ſancto, adhuc animales, nondum ſpiritales erant, quia nondum poterant inhabitatorem ſuum Spiritum ſanctũ cognitione percipere. Habitare autem ideo & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, vt ſint templum eius, ídque in proficientibus, & proficiendo

*In baptizatis paruulis, habitat Spiritus ſanctus.*

* 1.*Cor.*3.

* 1.*Cor.*2.

perſeuerantibus perficit. *Tom.2. Epiſt.57.ad Dardanum,quæſt.2.*

Ad templum Dei pertinent paruuli,ſanctificati Sacramento Chriſti,regenerati Spiritu ſancto, qui certè regenerati, per ætatem nondum poſſunt cognoſcere Deum. *Ibidem,quæſtione 1.ſub finem.*

*Hom. de baptizatis.*

Benedictus, inquit, Deus qui fecit mirabilia ſolus (*verba ſunt ex Chryſoſtomo allegata*) qui fecit vniuerſa & conuertit vniuerſa. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captiui:& ciues Eccleſiæ ſunt,qui fuerunt in peregrinationis errore:& iuſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati.Non enim tantùm ſunt liberi,ſed & ſancti:nõ tantùm ſancti, ſed & iuſti: non ſolùm iuſti,ſed & filii: non ſolùm filii,ſed & hæredes:non ſolùm hæredes,ſed & fratres Chriſti: non ſolùm fratres Chriſti,ſed & cohæredes Chriſti:non ſolùm cohæredes,ſed & membra: non tantùm membra, ſed & templum:nõ tantùm tẽplum,ſed & organa Spiritus.Vides quot ſint Baptiſmatis largitates? & nonnulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione cõſiſtere. Nos autem honores computauimus decem Hac de cauſa etiã infantes baptizamus. *Tom.7.contra* Iulian. *Pelag. lib.1.cap.2.*

*Baptizatis datur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, & vt membra Chriſti ſint, templum & organa Spiritus.*

*Cœleſtis Baptiſmi gratia, non in ſola peccatorum remiſſione conſiſtit.*

Quicunque negat paruulos per Baptiſmum Chriſti à perditione liberari,& ſalutem percipere ſempiternã, anathema ſit.*Tom.2.epiſt.90.ad Innocentium, Roman. Pontif.circa finem.*

Vt quid (*infanti*) dicis vt credat? Hoc enim reſpondetur à portante paruulum. Ad verba aliena ſanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Ieſum Chriſtum,fit interrogatio:reſpondetur,credit.Pro non loquente,pro ſilente,flente,& flendo quodammodo vt ſubueniatur orante, reſpondetur & valet. *Tom.10. de verb. Apoſt.Serm.14.Vide Concil.Mileuit.cap.2.*

*Paruulus ad verba aliena ſanatur, quia ad factũ alienũ vulneratur.*

### *VI. Paruulos baptizatos nihil ab ingreſſu cœlorum remorari.*

NAtura humana vitiata atque mutata eſt, vt repugnantem pateretur in membris inobedientiã cõ-



cupiſcendi:& ob id obſtringeretur neceſſitate moriendi: atque ita id quod vitio pœnáque factus eſt, id eſt, obnoxius peccato mortíque,generaret. A quo peccati vinculo, ſi per mediatoris Chriſti gratiam ſoluuntur infantes,hanc ſolam mortem perpeti poſſunt,quæ animam ſeiungit à corpore: in ſecundam verò illam ſine fine pœnalem liberati à peccati obligatione non tranſeunt.*Tom.5.de Ciuit.Dei,lib.13.cap.3.*

*Paruuli baptizati ſolã corporis mortem perpeti poſſunt.*

Verùm tanta eſt Dei miſericordia in vaſa * miſericordiæ quæ præparauit in gloriam,vt etiam prima hominis ætas,id eſt,infantia,quæ ſine vllo reniſu ſubiacet carni:& ſecunda,quæ pueritia nuncupatur,vbi nondum ratio ſuſcepit hãc pugnam, & ferè ſub omnibus vitioſis delectationibus iacet, quia licet iam fari valeat, & ideo infantiã tranſiſſe videatur,nondum in ea eſt præcepti capax infirmitas mentis:ſi Sacramenta mediatoris * acceperit, etiamſi hanc in eis annis vitam finiat, tranſlata ſcilicet à poteſtate * tenebrarum in regnum Chriſti,non ſolùm pœnis non præparetur æternis, ſed ne vlla quidem poſt mortem purgatoria tormenta patiatur.Sufficit enim ſola ſpiritalis regeneratio, ne poſt mortem obſit quod carnalis generatio cum morte cõtraxit.*Ibidem,lib.21.cap.16.*

* *Rom.9.*

*Paruuli baptizati, ante vſum rationis decedẽtes, nullas omnino pœnas poſt mortem patiuntur.*

* *1.Tim.2.*

* *Coloſſ.1.*

Quis ignorat quòd baptizatus paruulus ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ſe ab illicitis concupiſcentiis abſtinuerit,nihil ei proderit quod paruus accepit?Veruntamen ſi percepto Baptiſmate infans de hac vita emigrauerit, ſoluto reatu cui originaliter erat obnoxius,perficietur in illo lumine veritatis,quod incommutabiliter manens in æternum iuſtificatos præſentia creatoris illuminat. Peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum,quæ ſoluuntur Chriſti gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cùm iuſtificat * impium.*Tom.7.de pecc.mer. & remiſſ.li.1.cap.20.*

*Baptizatus infans ſi moritur, in lumine veritatis perficitur.*

* *Rom.4.*

Si iam Sacramento regenerationis (*paruulus*) imbutus eſt,nihil ei mors oberit,ſi tunc ex hac vita migrauerit.Quia ideò Chriſtus mortuus eſt,& reſurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur:nec tenebit regnũ mortis eum,pro quo Chriſtus mortuus eſt. *Tom.3. in Enchirid.cap.120.*

*Cõcupiſcẽtia in Baptizatis à reatu ſoluitur, & ad agonem relinquitur.*

Concupiſcentia tanquã lex peccati, manens in mẽbris corporis mortis huius, cũ paruulis naſcitur, in paruulis baptizatis à reatu ſoluitur, ad agonem relinquitur, ante agonẽ mortuos nulla damnatione proſequitur. *Tom. 7. de peccat. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 4.*

### *VII. Paruulos recentes ab vteris matrum, baptizandos eſſe.*

*Eccleſiæ fides eſt, paruulos mox natos, ritè baptizari.*

Beatus quidem Cyprianus non aliquod decretum condens nouum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimã ſeruans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octauum diem natiuitatis, non eſſe paruulum baptizandum: non carnem ſed animam dixit eſſe perdendam: & mox natum ritè baptizari poſſe, cũ ſuis quibuſdam coëpiſcopis cenſuit. *Tom. 2. epiſt. 28. ad Hieronymum, cap. 20.*

*Paruulis baptizandis quare ſufficiat aliorum corde credere, & aliena lingua fidẽ profiteri.*

Portantur ad Eccleſiam (*de paruulis eſt ſermo*) & ſi pedibus illuc currere non poſſunt, alienis pedibus currunt, vt ſanentur: accommodat illis mater Eccleſia aliorum pedes vt veniant: aliorum cor, vt credant: aliorum linguam vt fateantur, vt, quoniam quod ægri ſunt alio peccante prægrauantur, ſic cùm hi ſani ſunt alio pro illis confitente ſaluentur. Nemo ergo vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc à maiorum fide percepit, hoc vſque in finem perſeueranter cuſtodit. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, Serm. 10.*

*Alienæ doctrinæ cõtra Eccleſiæ traditionẽ explodendæ.*

*Eccleſiaſtica fides docet, cũ paruulis ad percipiendã Baptiſmi gratiam eſſe currendũ, vt eorum animabus tempori conſulatur.*

Cauendum eſt enim, ne vel Deus videatur auctor eſſe peccati, ſi dat animam carni, in qua eam peccare neceſſe ſit: vel poſſit eſſe anima, præter ipſius Chriſti, cui liberandæ à peccato, non ſit Chriſtiana gratia neceſſaria, quia non peccauit in Adam, ſi omnes in eo peccaſſe ſecundùm carnem tantùm, quæ de illo creata eſt, non etiam ſecundùm animam dictũ eſt: quod vſque adeò contrarium eſt Eccleſiaſticæ fidei, vt parentes ad percipiendam gratiam ſancti Baptiſmi etiam cum paruulis infantibus currant. In quibus ſi hoc vinculum peccati ſoluitur, quod tantummodo carnis, non etiam quod animæ eſt: meritò quæritur, quid eis obeſſet ſi in illa ætate, de corpore ſine Baptiſmo exirent? Si enim per hoc Sacramentum corpori eorum, & non etiam animæ conſulitur, deberent & mortui baptizari. At cum videamus hoc vniuerſaliter Eccleſiam retinere, vt cum viuentibus curratur, & viuentibus ſuccurratur, ne cum mortui fuerint nihil poſſit fieri quod proſit: non videmus quid aliud poſſit intelligi, niſi vnumquenque paruulum non eſſe niſi Adam & corpore & anima, & ideò illi Chriſti gratiam neceſſariam. Ætas quippe illa in ſeipſa nihil egit vel boni vel mali. Proinde ibi anima innocentiſſima eſt, ſi ex Adam propagata non eſt: vnde quomodo poſſit iuſtè ire in condemnationem, ſi de corpore ſine baptiſmo exierit, quiſquis iſtam ſententiam de anima tenens potuerit demonſtrare, mirandus eſt. *Tom. 3. de Geneſi ad literam, lib. 10. cap. 11.*



Conditionem ſuam gerit, qui in alterius corpore, quod * eſt templum Dei, ita conſtituitur, vt non ideò ſit & ipſe templum Dei, gratiæ beneficium eſt, non naturæ, quæ gratia non conceptione, ſed regeneratione confertur. Nam ſi ad matris corpus id quod in ea concipitur pertineret, ita vt eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata eſt, aliquo mortis vrgente periculo, cùm geſtaret eum in vtero. Nunc verò cùm etiã ipſe baptizatur, non vtique bis baptizatus habebitur. *Tom. 7. cont. Iulian. Pelag. lib. 6. cap. 5.*

** 1. Cor. 3.*

*Non ſufficit paruulo ad regenerationẽ, Baptiſmus matris ipſum in vtero geſtantis.*

Baptiſmum paruulorum more piiſſimo atque materno vniuerſa frequentat Eccleſia. *Tom. 7. de peccat. mer. & remiſſ. lib. 3. cap. 1.*

### *VIII. Paruulos, baptizatis parentibus ortos, nihilominus Baptiſmo ad ſalutem indigere.*

Reatus peccati originalis in regeneratorum prole carnali tam diu manebit, donec & illic lauacro regenerationis abluatur. Regeneratus quippè non regenerat filios carnis, ſed generat, ac per hoc in eos non quod regeneratus, ſed quod generatus eſt, traiicit. Sic igitur ſiue reus infidelis, ſiue abſolutus fidelis, non regenerat abſolutos vterque, ſed reos, quomodo non ſolùm oleaſtri, ſed etiam oleæ ſemina, non oleas generãt, ſed oleaſtros. *Tom. 7. de peccat. orig. cap. 40. Vide de nuptiis & concupiſcentia, lib. 2. cap. 32.*

*Regeneratus non regenerat filios, ſed generat reos, baptiſmate regenerandos.*

Fruſtra nonnulli argumentantur, vt dicant: Si peccator genuit peccatorem, vt paruulo eius reatus originalis peccati in Baptiſmi acceptione ſoluatur, etiam iuſtus iuſtum gignere debuit: quaſi ex hoc quiſque carnaliter gignat quod iuſtus eſt, & non ex hoc potius quod in membris eius concupiſcentialiter mouetur, & ad vſum propagandi lex peccati * mentis lege conuertitur. Ex hoc ergo gignit, quod adhuc vetuſtum trahit inter filios ſeculi, non ex hoc quod in nouitatem promouit inter filios Dei. *Filij enim* * *ſeculi huius generant & generantur*. Inde & quod naſcitur tale eſt, quia & quod naſcitur de carne caro eſt. Iuſti autem non ſunt niſi filij Dei. In quantum autem ſunt filij Dei, carne non gignunt, quia ex Spiritu ipſi, non carne nati ſunt. Sed ex hoc carne gignunt, quicunque eorum gignunt, ex quo nondum in nouitatem perfectam totius vetuſtatis reliquias commutarunt. Vnde quiſquis filius de hac parte naſcitur vetuſta & infirma, neceſſe eſt, vt etiam ipſe vetuſtus ſit, & infirmus: idcirco oportet etiam vt ipſe in aliam generationem per remiſſionem peccati, Spiritu renouetur: Quod ſi in eo non fit, nihil ei proderit pater iuſtus: Spiritu enim iuſtus eſt, quo eum non genuit: ſi autem fit, nihil etiam ei oberit pater iniuſtus. Iſte enim gratia ſpirituali in ſpem nouitatis æternæ trãſitum fecit: ille autem mente carnali totus in vetuſtate permanſit. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.2. cap.9.*

* *Rom.7.*
* *Luc.20.*

*Paruulus qui ex carne naſcitur, oportet vt per remiſſionẽ peccati ſpiritu regeneretur.*

Si de peccatore peccatores nati ſunt, quare non de baptizato iam fideli, cui remiſſa ſunt omnia peccata, iuſti naſcuntur? Citò reſpondete. Ideo de baptizato non iuſtus naſcitur, quia non eum generat vnde regeneratus eſt, ſed vnde generatus eſt. De Chriſto dictum eſt, * *Mortificatus carne, viuificatus ſpiritu*: ſic de homine dici poteſt. Tabefactus carne, iuſtificatus Spiritu. Quod naſcetur de carne caro eſt. Quæris vt de iuſto iuſtus naſcatur, cùm videas iuſtum eſſe niſi regeneratum omnino non poſſe. Nec attendis Domini ſententiam, quam tu ipſe in ore habebas. *Si quis* * *non renatus fuerit ex aqua & Spiritu*. Puto quia non hoc factum eſt in concubitu. Miraris quare peccator naſcatur de ſemine iuſti, non te delectat mirari quare oleaſter naſcatur de ſemine oliuæ? Accipe aliam ſimilitudinem. Iuſtum baptizatum, pone granum purgatum. Non attendis quia de grano purgato frumentum cum palea naſcitur, ſine qua ſeminatur? Deinde cùm ſit in propagine natorum generatio carnalis, in propagine renatorum ſpiritalis generatio, vis vt de baptizato baptizatus naſcatur, cùm videas de circunciſo non naſci circunciſum? Carnalis eſt certè iſta generatio, & carnalis eſt circunciſio, & tamen de circunciſo non naſcitur circunciſus: ſic ergo de baptizato non poteſt naſci baptizatus, quia nemo renatus antequam natus. *Tom. 10. de verbis Apoſt. Serm.14. vltra medium.*

*De baptizato non iuſtus naſcitur, quia nõ eum baptizatus generat vnde regeneratus eſt, ſed vnde generatus.*

* *1. Pet.3.*
* *Ioan.3.*

*Sicut de ſemine oliuæ oleaſter naſcitur ita de ſemine iuſti peccator.*

*Vt de circunciſo nõ naſcitur circunciſus: ſic nec de baptizato baptizatus.*

*Nemo renatus, antequã natus.*



Quod autem ſuprà reſpondimus aduerſus eos qui dicunt, ſi peccator genuit peccatorem, iuſtus quoque iuſtum gignere debuit: hoc etiam his reſpondemus, qui dicunt de homine baptizato natum, iam velut baptizatum haberi debuiſſe. Cur enim non, inquiunt, in lumbis patris ſui potuit baptizari, ſi ſecundùm epiſtolam quæ ad Hebræos ſcripta eſt: * in lumbis Abrahæ Leui potuit decimari? Hoc qui dicunt attendant, non propterea Leui poſtea non fuiſſe decimatum, quia iam fuerat decimatus in lumbis Abrahæ, ſed quia ſic ordinatus eſt honore ſacerdotij vt acciperet decimas, non præberet &c. *Et paulò pòſt.* Qui hoc dicit, ne diu diſputem, circunciſionem reſpiciat, quæ ſemel fiebat & tamen in ſingulis ſigillatim fiebat. Sicut ergo tempore illius Sacramenti de circunciſo qui naſceretur, circuncidendus fuit: ſic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus eſt. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.2. ca.15.*

* *Heb.7.*

Quàm non ſit contrarium hoc quod ait (*Apoſtolus*) cùm de alia re ageret: Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt, paululùm attende. Non vniuſmodi eſt ſanctificatio. Nam & catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari: & quod accipiunt, quanuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt: verùm & ipſos cibos quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ huius vitæ

*Locus Pauli 1. Cor.7. explicatur: Alioquin filij veſtri immũdi eſſent, nũc autem ſancti ſunt.*

*Multiplex in Scripturis ſanctificatio inuenitur.*

* 1. *Tim.*4. alimur ſanctificari idem Apoſtolus dixit: * per verbum Dei & orationem qua oramus vtique noſtra corpuſcula refecturi. Sicut autem iſta ciborum ſanctificatio non efficit, vt quod in os intrauerit, non in ventrem vadat, & in ſeceſſum emittatur per corruptionem, qua omnia terrena ſoluuntur: vnde ad aliam eſcam, quæ non corrumpitur, nos Dominus exhortatur: ita ſanctificatio catechumeni ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum aut ad peccatorũ remiſſionem. Ac per hoc & illa ſanctificatio cuiuſcunque modi ſit, quam in filiis fidelium eſſe dixit Apoſtolus, ad iſtam de Baptiſmo & de peccati origine vel remiſſione quæſtionem omnino non pertinet. Nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus ſanctificari dicit, eo
* 1. *Cor.*7. ipſo loco * ita loquens: Sanctificatur enim vir infidelis in vxore, & ſanctificatur mulier infidelis in fratre: Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nũc autem ſancti ſunt. Non opinor quiſquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, vt ob hoc exiſtimet etiam maritum non Chriſtianum, quia Chriſtiana fuerit vxor eius, neque iam baptizari oportere, & ad peccatorum remiſſionem perueniſſe, & in regnum cœlorum eſſe intraturum, quia ſanctificatus dictus eſt in vxore. *Ibidem, cap.* 26.

Quiſquis verò adhuc mouetur, quare baptizentur, qui iam de baptizatis naſcuntur, hoc breuiter accipiat:
* *Rom.* 5. Sicut generatio carnis peccati per vnum Adam * in cõdemnationem trahit omnes qui eo modo generantur, ſic generatio Spiritus gratiæ per vnum Ieſum Chriſtum ad iuſtificationẽ vitæ æternæ ducit omnes, qui eo modo prædeſtinati regenerantur. Sacramentum autem Baptiſmi profectò Sacramentum regenerationis eſt. Quocirca ſicut homo qui non vixerit, mori non poteſt: & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt: ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt. Ex quo cõficitur neminem in ſuo parente renaſci potuiſſe non natum. Oportet autem vt, ſi natus fuerit, renaſcatur, quia niſi quis natus fuerit * denuo non poteſt videre regnum Dei. *Et paulò poſt.* Neque illud fallat quod ſi nec parenti poſt conuerſionem obſint propria peccata,

*Nemo in ſuo parente renaſci potuit non natus.*

* *Ioan.*3.



quanto magis, inquiunt, filio eius obeſſe non poſſunt. Sed qui hoc ſentiunt, non attendunt, quia ſicut parenti per hoc quod ſpiritu natus eſt, propria peccata non obſunt: ita qui de illo natus eſt, niſi eo modo naſcatur, quæ à parente tracta ſunt, oberunt. *Ibidem, cap.* 27.

Ex iſto & cum iſto hominis malo, (*loquitur de peccato originali*) naſcitur homo, quod malum per ſeipſum tam magnum eſt, & ad hominis damnationem atque à regno Dei ſeparationem tantum habet obligationis, vt etiamſi de parentibus trahatur regeneratis, non niſi quemadmodum in illis ſola regeneratione ſoluatur, atque iſto vnico remedio prępoſitus mortis à prole pellatur, quo à parentibus eſt pulſus. *Tom.*7. *contra Iulian. Pelag. lib.*6. *cap.*7. *Lege & caput* 4. *eiuſdem libri. Item de pec. mer. & remiſſ. lib.*3. *cap.*9. *&* 12.

*Peccatũ originale, etiãſi de regeneratis parẽtibus trahitur, ſola regeneratione ſoluitur.*

## *IX. Paruulos nondum actu proprio credentes, in ſola fide Eccleſiæ rectiſſimè baptizari.*

Plè rectéque creditur prodeſſe paruulo eorũ fidem à quibus conſecrandus offertur. Et hoc Eccleſiæ commendat ſaluberrima auctoritas, vt ex eo quiſque ſentiat, quid ſibi proſit fides ſua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nõdum habent, poteſt aliena commodari. Quid enim filio viduæ * profuit fides ſua, quam vtique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris, vt reſurgeret? Quãtò ergo potius fides aliena poteſt conſulere paruulo cui ſua perfidia non poteſt imputari? *Tom.*1. *de libero arbit. lib.*3. *ca.*23.

*Baptiſmum aliena fide ſuſceptũ prodeſſe paruulo, Eccleſiæ auctoritate probat.*

* *Luc.* 7.

*Fides viduæ euãgelicæ profuit filio mortuo.*

Offeruntur quippe paruuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quãuis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt, quàm ab vniuerſa ſocietate ſanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur quibus placet quòd offeruntur, & quorum ſancta atque indiuidua caritate ad communicationem ſancti Spiritus adiuuantur. Tota hoc ergo mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos

*Cur potius paruulo quã adulto, fides aliena prodeſſe poſſit.*

*Baptiſmus prodeſt paruulo, non tam propter geſtantium, quàm totius Eccleſiæ fidem. Communio Sanctorum quantum proſit.*

parit. *Tom.2.Epiſt.23.ad Bonifacium.*

Vt autem poſſit regenerari per officium voluntatis alienæ, cùm offertur conſecrandus, facit hoc vnus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim ſcriptum eſt: niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide: ſed, * *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*. Aqua igitur exhibens forinſecus Sacramentum gratię, & Spiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in vno Chriſto, ex vno Adam generatum. Regenerans ergo Spiritus in maioribus offerentibus, & paruulo oblato renatóque communis eſt: ideo per hanc ſocietatem vnius eiuſdémque Spiritus, prodeſt offerentium voluntas paruulo oblato. *Ibidem.*

* Ioan.3.

*Aqua exhibens forinſecus Sacramētū, et Spiritus operās intrinſecus gratiæ beneficiū, hominem regenerant.*

Sicut in latrone, * quod ex Baptiſmi Sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat: ſic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia implere credenda eſt, quod non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec corde * credere ad iuſtitiam poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem. Ideo cum alij pro eis reſpondent vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet vtique ad eorum conſecrationem, quia ipſi reſpondere non poſſunt. *Tom.7. de Baptiſ. contra Donat. lib.4.cap.24.*

* *Luc.23.*

*Exemplo ſancti latronis probatur, paruulis conferre Baptiſmum ad ſalutē, etſi per ſe non credant.*

* *Rom.10.*

Paruulis ad conſecrationem remiſſionémque originalis peccati prodeſt eorum fides, à quibus offeruntur: vt quaſcunque maculas delictorum per alios, ex quibus nati ſunt, cōtraxerunt, aliorū etiam interrogatione ac reſponſione purgentur. *Tom.9.de pœnitentiæ medicina, cap.2. ſiue in Homilia quinquageſima.*

*Paruuli qui ex alieno actu contraxerunt peccatū, aliena fide purgantur.*

*Quod contra hunc locum adducere ſolent nonnulli: Ioannem Baptiſtam in vtero exultaſſe, ergo actu etiam poſſe paruulos credere, Auguſtinus ita refutat.* Neque cum hoc (*Ioannem in vtero exultaſſe*) antè in Euangelio narraretur, dictum, * Credidit infans in vtero eius, ſed exultauit. Neque ipſa dixit: Exultauit in fide infans in vtero meo, ſed exultauit in gaudio. Videmus autem exultationē non ſolùm paruulorum, ſed etiam pecorum, non vtique de aliqua

* *Luc.1.*



fide vel religione vel quacunque rationali cognitione venientem. Sed hæc planè inuſitata & noua extitit, quia in vtero & ad eius aduentum, quæ hominum Saluatorē fuerat paritura. Ideò mira, ideo in magnis ſignis deputanda. Ideo hæc exultatio, & tanquam matri Domini reddita reſalutatio, tanquam ſolent miracula fieri, facta eſt diuinitus in infante, non humanitus in infante. Quanquam etiam ſi vſque adeo eſt in illo puero acceleratus vſus rationis & voluntatis, vt intra viſcera materna iam poſſet agnoſcere, credere, conſentire, quod in aliis paruulis ætas expectatur vt poſſint, etiam hoc in miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum eſt exemplar naturæ. Nam quando Deus voluit, etiam iumentum mutum * rationaliter eſt loquutū. Nec ideo admoniti ſunt homines in deliberationibus ſuis etiā aſinina expectare conſilia. Quocirca nec quod factum eſt in Ioanne contemno, nec inde regulam, quid ſentiendum ſit de paruulis, figo: imò id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non inuenio. *Tom.2.Epiſt.57.ad Dardanum, quæſt.2. Vide & de Ciuitate Dei, lib.22.cap.24.*

*Exultatio Ioannis in vtero diuinitus facta, & in miraculis habenda.*

* *Num.22.*

*Ex Ioannis mirabili infantia non ſumenda regula, quid de paruulis aliis ſentiendum.*

## *X. Paruulos etſi actum credendi non habent, inter fideles tamen eſſe computandos.*

VBi ponis paruulos baptizatos? profectò in numero credentium. Nam ideo & conſuetudine Eccleſiæ antiqua, canonica, fundatiſſima, paruuli baptizati fideles vocantur. Et ſi de his quærimus: Iſte infans Chriſtianus eſt? Reſpōdetur, Chriſtianus: Catechumenus an fidelis? fidelis vtique, à fide: fides à credendo. Inter credentes igitur baptizatos, paruulos numerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis, ſi non vis eſſe apertus hæreticus. *Tom.10.de verbis Apoſtoli, Serm.14.*

*Cōſuetudine Eccleſiæ fundatiſſima, paruuli baptizati fideles vocantur.*

Paruulum etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cùm autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetit,

*Paruulum fidei Sacramētum fidelem facit.*

ſed intelligit, eiúſq; veritati conſona etiã volũtate coaptabitur. Hoc quandiu non poteſt, valebit Sacramẽtum ad eius tutelam aduerſus contrarias poteſtates: & tantum valebit, vt ſi ante rationis vſum ex hac vita emigrauerit, per ipſum Sacramentum commendante Eccleſiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per vnum * hominem intrauit in mundum, Chriſtiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt. *Tom.2. Epiſt.23. ad Bonifaciũ, circa finem.*

*Paruulus ante rationis vſum ex hac vita migrãs, per Sacramẽtum ſaluatur*

* *Rom.5.*

Qui credit in filium * habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. In quo igitur horum genere ponemus infantes? in eo qui credunt in filium, an in eorum, qui ſunt increduli filio? In neutro ait aliquis, quia cùm adhuc credere non poſſunt, nec increduli deputandi ſunt. Non hoc iudicat eccleſiaſtica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adiungit. *Tom.7. de pecc. mer. & remiſſ. lib.1. cap.20.*

* Ioan.3.

*Eccleſiaſtica regula baptizatos infantes, fidelium numero adiungit.*

Quis neſciat, credere infantibus eſſe baptizari, non credere autẽ non baptizari? *Interpretatur illud Marc.16. Qui non crediderit condemnabitur.* Ibidem, cap.27.

*Credere infantibus, eſt baptizari.*

Vbi ergo paruulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles? ſicut vniuerſæ vbique Eccleſiæ clamat auctoritas: ergo inter eos qui crediderunt: hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium reſponſionem: ac per hoc eos qui baptizati nõ ſunt, inter eos qui non crediderunt. *Ibidem, cap.33.*

Ecce iã fateris infantibus non credentibus baptizatis, aliquid prodeſſe Chriſtum. Sed ſi credentibus dicis, benè dicis, mecum dicis, credunt & infantes. Vnde credunt? Quomodo credunt? Fide parentum. Si fide parentum purgantur, peccato parentum polluti ſunt. Corpus mortis in primis parentibus generauit eos peccatores, Spiritus vitæ in poſterioribus parentibus regenerauit eos fideles. Tu das fidem non reſpondenti, & ego peccatum nihil agenti. *Tom.10. de verbis Apoſtoli, Serm.14. circa finem.*

*Paruuli parentum peccato polluti, parentum fide purgantur.*



# CAPVT QVARTVM

## DE CÆRIMONIIS ET iis rebus, quæ circa baptiſmum geruntur.

### *I. Ante Baptiſmum præcedere Catechiſmum debere, niſi aliquid ſit impedimenti.*

SPado, inquiunt (*qui ſolam fidem in baptizando requirunt*) ille quẽ Philippus baptizauit, nihil plus dixit, * quàm, credo filiũ Dei eſſe Ieſum Chriſtum, & in hac profeſſione cõtinuò baptizatus eſt. Num ergo placet vt hoc ſolum homines reſpondeant, & continuò baptizentur: nihil de Spiritu ſancto, nihil de ſancta Eccleſia, nihil de remiſſione peccatorum, nihil de reſurrectione mortuorum: poſtremò de ipſo Ieſu Chriſto nihil niſi quia filius Dei eſt, non de incarnatione eius ex virgine, de paſſione, de morte * crucis, de ſepultura, de tertij diei reſurrectione, de aſcenſione, de ſede ad dexteram Patris aliquid dicendum eſt catechizanti, ac profitendum credenti? Si enim ſpado cùm reſpondiſſet: * Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, hoc ei ſufficere viſum eſt, vt continuò baptizatus abſcederet: cur non id ſequimur atque auferimus cætera, quæ neceſſe habemus, etiam cùm ad baptizandum temporis vrget anguſtia, exprimere, interrogando, vt baptizandus ad cuncta reſpondeat, etiam ſi ea memoriæ mandare non valuit? Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda admiſit cætera, quæ cum illo ſpadone baptizando Philippus egit, atque in eo quod ait, Baptizauit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda. Pari modo etiam in eo quod ſcriptum eſt Euangelizaſſe Philippum ſpadoni Dominum, nullo modo dubitandum eſt, & illa in catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam moréſque pertinent eius, qui credit in Dominum IESVM. Hoc eſt enim Euangelizare

* *Act.8.*

*Nõ ſatis eſt fidẽ Chriſti profiteri.*

* *Act.8.*

*Accedentibus ad Baptiſmum certa quædã capita proponebantur, ad quæ reſponderent, quanuis ea mandare memoriæ nõ poſſent.*

*Multa in Scripturis tacentur, quæ ſerie traditionis ſciuntur implenda.*

*Euãgelizãs Chriſtum, nõ*

*tantum quæ ſunt credẽda, ſed etiã quæ obſeruãda, docere debet.*

Chriſtum, non tantùm dicere quæ ſunt credenda de Chriſto, ſed etiam quæ obſeruanda ei qui accedit ad compagem corporis Chriſti: imò verò cuncta dicere, quæ ſunt credenda de Chriſto, non ſolùm cuius ſit filius, vnde ſecundùm diuinitatem, vnde ſecundùm carnem genitus, quæ perpeſſus, & quare, quæ ſit virtus reſurrectionis eius, quod donum Spiritus promiſerit, dederítque fidelibus: ſed etiam qualia membra, quibus ſit caput, quærat, inſtituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam honorémque perducat. Hæc cùm dicuntur, aliquando breuius atque ſtrictius, aliquando latius & vberius Chriſtus Euangelizatur: & tamen non ſolùm quod ad fidem, verùm etiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittitur. *Tom.4. de fide & operibus, cap.9.*

*Baptizãdis traditur ſymbolum fidei diſcendum.*
* *Exod 14.*
* *Exod. 12.*
* *Act. 2.*
*Ante Baptiſmum requiri pœnitentiã in adultis, et cognitionem aliquorum capitum doctrinæ fidei, ſcripturæ teſtimonio probatur.*
* *Heb. 6.*

At enim populus Iſraël primùm per mare rubrum ductus eſt, quo ſignificatur Baptiſmus, & poſtea legem accepit, vbi diſceret quemadmodum viueret. Cur ergo baptizandis vel ſymbolum tradimus, reddendúmque repoſcimus? nihil enim tale factum eſt erga illos, quos per mare rubrum * Deus ab Ægyptiis liberauit. Si autem rectè intelligunt hoc ſignificari præcedentibus myſteriis de ſanguine * ouis poſtibus illito, & de azymis ſynceritatis & veritatis: cur non etiam illud conſequenter intelligunt, ipſam ab Ægyptiis ſeparationem ſignificare diſceſſionem à peccatis, quam baptizandi profitentur? Ad hoc enim pertinet, quod à Petro dictum eſt: * Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: tanquam diceret. Recedite ab Ægypto, & per mare rubrum tranſite. Vnde & Epiſtola quæ ad Hebræos inſcribitur, cùm eorum qui baptizantur commemorarentur initia, poſita eſt ibi pœnitentia à mortuis operibus. Sic enim dicit: * Ideóque remittentes initia, Chriſti verbum in conſummationem reſpiciamus: non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deum, lauacri, doctrinæ, impoſitionis manuum, reſurrectionis etiam mortuorum, & iudicij æterni. Hæc igitur omnia pertinere ad initia neophytorum, ſatis apertéque ſcriptura teſtatur. *Ibidem, cap. 11.*

*II. Forma*



*II. Forma breuis adultos catechizandi.*

VErè frater illa magna & vera beatitudo eſt, quæ in futuro ſeculo ſanctis promittitur. Omnia verò viſibilia tranſeunt, & omnis huius ſeculi pompa & delitiæ & curioſitas interibunt, & ſecum ad interitum trahunt amatores ſuos. A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibiipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ creatoris ſui, miſit vnigenitum filium ſuum: hoc eſt, verbum ſuum æquale ſibi, per quod condidit omnia, & manens quidem in diuinitate ſua, & non recedẽs à Patre, nec in aliquo mutatus, aſſumẽdo tamen hominem, & in carne mortali hominibus apparẽdo venit ad homines: vt quemadmodum per vnum * hominem, qui primus factus eſt, id eſt, Adam, mors intrauit in genus humanum, quia conſenſit mulieri ſuæ ſeductæ à Diabolo, vt præceptum Dei tranſgrederentur: ſic per vnum hominem, qui etiam Deus eſt, Dei filius, IESVM Chriſtum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum, omnes in æternam vitam ingrederentur. Omnia enim quæ nunc vides in Eccleſia Dei, & ſub Chriſti nomine per totum orbem terrarũ geri, ante ſecula iam prædicta ſunt, & ſicut ea legimus, ita & videmus, & inde ædificamur in fidem. Factum eſt aliquando * diluuiũ per totam terrã, vt peccatores delerentur, & tamen illi qui euaſerunt in arca, ſacramentum futuræ Eccleſiæ demonſtrabant, quæ nunc in fluctibus ſeculi natat, & per lignum crucis Chriſti à ſubmerſione liberatur. Prædictum eſt * Abrahæ fideli ſeruo Dei vni homini, quod de illo eſſet populus naſciturus, qui coleret vnum Deum inter cæteras gentes quæ idola colebãt. Et omnia quę illi populo vẽtura prædicta ſunt, ſic euenerũt vt prædicta ſunt. Prophetatus eſt in illo populo etiam Chriſtus rex omnium ſanctorum & Deus venturus ex ſemine ipſius Abraham ſecundum carnem quam aſſumpſit, vt omnes etiam filij eſſent Abrahæ, qui fidem eius imitarẽtur, & ſic eſt factũ. Natus * eſt Chriſtus de Maria virgine, quæ ex illius genere fuit. Prædictum eſt per * Prophetas, * quod in cruce paſſurus eſſet ab eodem po

* *Rom. 5.*
*Quæ in Eccleſia Dei videntur & geruntur ante ſecula prædicta ſunt.*
* *Geneſ. 7.*
*Arca Noë figura Eccleſiæ.*
* *Gen. 15. 17. & 22.*
* *Luc. 2.*
* *Sap. 2.*
*Ierem. 11.*

pulo Iudæorum,de cuius genere ſecundùm carnem ve niebat,& ſic eſt factum. Prædictum eſt * quòd reſurrecturus eſſet,reſurrexit:& ſecundùm ipſa*prædicta Prophetarum aſcendit in cælum,& diſcipulis ſuis * Spiritũ ſanctum miſit. Prædictum eſt non ſolùm à Prophetis, ſed etiã ab ipſo Domino Ieſu Chriſto, quod Eccleſia eius per vniuerſum orbem terrarum eſſet futura,per ſanctorũ martyria paſſionéſq; diſſeminata: & tunc prædictũ eſt, quando adhuc nomen eius & latebat gentes, & vbi notum erat irridebatur: & tamen in virtutibus miraculorum eius,ſiue quæ per ſe ipſe, ſiue quæ per ſeruos ſuos fecit, dum annunciantur hæc & creduntur, iã videmus quod prædictũ eſt,eſſe completum,regéſq; ipſos terræ, qui antè perſequebantur Chriſtianos iam Chriſti nomini ſubiugatos.Prædictum * eſt etiã,quòd ſchiſmata & hæreſes ex eius Eccleſia eſſent exituræ,& ſub eius nomine per loca vbi poſſent, ſuam non Chriſti gloriam quæſituræ, & iſta completa ſunt. Nunquid ergo illa quæ reſtant non ſunt ventura? Manifeſtum eſt,quia ſicut iſta prædicta venerunt, ſic etiam illa ventura ſunt: quæcunque tribulationes iuſtorum adhuc reſtant:& iudicij dies qui ſeparabit omnes impios à iuſtis in reſurrectione mortuorum, & non ſolùm eos qui ſunt extra Eccleſiã,ſed etiam ipſius Eccleſiæ paleas, quas oportet vſque ad nouiſſimam ventilationem patientiſſimè ſufferat,ad ignem debitum ſegregabit. Qui autem irrident reſurrectionem,putantes quòd caro iſta quia putreſcit, reſurgere non poteſt,ad pœnas in ea reſurrecturi ſunt: & oſtendet eis Deus,quia qui potuit hæc corpora facere antequam eſſent, poteſt ea in momento reſtituere ſicut erant. Oẽs autẽ fideles regnaturi cum Chriſto, ita reſurgent in eodẽ corpore,vt etiam cõmutari mereãtur ad incorruptionẽ euangelicam:vt fiant æquales angelis Dei, ſicut Dominus ipſe promiſit,& laudent eũ ſine aliquo defectu,& ſine aliquo faſtidio,ſemper viuẽtes in illo & de illo,cũ tali gaudio & beatitudine,qualis nec dici nec cogitari ab homine poteſt.Tu itaque credẽs iſta, caue tentationes,quia diabolus querit qui ſecũ pereant: vt non ſolũ per eos qui extra Eccleſiã ſunt, ſiue pagani, ſiue Iudæi,ſiue hęretici,nõ te hoſtis ille ſeducat:ſed etiã

** Pſal.3. & 15. * Pſal.68. Epheſ.4. * Ioel.2. * Act.2.*

*Eccleſia Chriſti per vniuerſum orbẽ,ſanctorũ martyriis diſſeminata.*

*Miraculis Chriſti et ſeruorũ eius doctrina fidei confirmata.*

** 1.Cor.11. 2 Tit.4. 2.Tim.4. 2.Pet.2.*

*Extra Eccleſiam ſunt pagani,Iudæi & hæretici.*



quos in ipſa Eccleſia Catholica videris malè viuẽtes,aut immoderatos voluptatibus vẽtris & gutturis, aut impudicos, aut vanis curioſitatibus vel illicitis deditos, ſiue ſpectaculorũ,ſiue remediorũ ſacrilegorũ,aut diuinationũ diabolicarũ,ſiue in põpa & typho auaritiæ atque ſuperbiæ,ſiue in aliqua vita quam lex damnat,& punit,nõ eos imiteris:ſed potius cõiũgaris bonis quos inuẽturus es facilè,ſi & tu talis fueris: vt ſimul colatis & diligatis Dominũ gratis, quia totum præmiũ noſtrũ ipſe erit, vt in illa æterna vita bonitate eius & pulchritudine perfruamur. Sed amandus eſt,non ſicut aliquid quod videtur oculis, ſed ſicut amatur ſapientia & veritas, & ſanctitas,& iuſtitia,& charitas, & ſi quid aliud tale dicitur, non quemadmodum ſunt iſta in hominibus,ſed quemadmodũ ſunt in ipſo fonte incorruptibilis & incõmutabilis ſapientiæ.Quoſcunque ergo videris hæc amare, illis coniungere,vt per Chriſtum, qui homo factus eſt, vt eſſet mediator Dei & hominum, reconcilieris Deo. Homines autem peruerſos, etiamſi intrent parietes eccleſiæ, non eos arbitreris intraturos in regnum cælorum, quia ſuo tempore ſeparabuntur, ſi ſe in melius non commutauerint.Homines ergo bonos imitare,malos tolera,omnes ama, quoniam neſcis quid cras futurus ſit,qui hodie malus eſt.Nec eorũ ames iniuſtitiam, ſed ipſos ideo ama,vt apprehendant iuſtitiam,quia non ſolùm dilectio Dei nobis præcepta eſt, ſed etiam dilectio proximi,in quibus duobus præceptis*tota lex pendet & prophetæ.Quam non implet,niſi qui Dominum acceperit Spiritum ſanctum,Patri & Filio vtique æqualem:quia ipſa trinitas Deus eſt,in quo Deo ſpes omnis ponenda eſt. In homine non eſt ponenda, qualiſcunque ille fuerit: Aliud eſt enim ille à quo iuſtificamur, aliud illi cum quibus iuſtificamur. Non autẽ ſolũ per cupiditates diabolus tentat, ſed etiam per terrores inſultationum & dolorum & ipſius mortis. Quicquid autem homo paſſus fuerit pro nomine Chriſti, & pro ſpe vitæ æternę,& permanens tolerauerit,maior ei merces dabitur: quia ſi ceſſerit diabolo,cum illo damnabitur: ſed opera miſericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, vt non permittat ſeruos ſuos tentari

*In Eccleſia Catholica ſunt etiã paleæ & qui male viuant.*

*Quomodo ſit amandus Deus.*

*Dilectio Dei & proximi nobis præcepta.*

** Matt.22.*

*Pati poteſt homo Chriſtian⁹ pro ſpe vitæ æternæ.*

*Opera miſericordia cũ pia humilitate impetrant*

*aliquid à Deo.*

* plusquam poſſint ſuſtinere. *Tom. 4. de catechizandis rudib. cap. 26.*

* *1. Cor. 10.*

## III. *Aquam Baptiſmi ſigno crucis conſecrari ſolitam.*

PEr mare tranſitus, Baptiſmus eſt. Sed quia Baptiſmus, id eſt, ſalutis aqua, non eſt ſalutis, niſi Chriſti nomine conſecrata, qui pro nobis ſanguinem fudit, cruce ipſius aqua ſignatur. *Tom. 10. lib. quinquaginta homiliarum, homil. 27. cap. 1.*

*Cruce Chriſti aqua ſignatur.*

Crucis myſterio rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur. *Tom. 10. de Sanctis, ſerm. 19.*

*Crucis myſterio fons conſecratur.*

Signo crucis conſecratur vnda baptiſmatis, vt ea diluatur reatus, tanquam in chirographo ſcriptus, in notitia ſpiritualium poteſtatũ, per quas pœna exigitur peccatorum. *Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 6. cap. 8.*

Quid ſignificat quod Noë per aquam & lignum liberatur? Aqua ſignificat Baptiſmum, & lignum crucem. Sicut Noë per aquã & lignum liberabatur ita & Eccleſia baptiſmo & paſſionis Chriſti ſignaculo liberatur. *Tom. 4. 65. quæſtionum, q. 51.*

## IIII. *Exorciſmum & exſufflationem baptizandis ex conſenſu Eccleſiæ & Apoſtolica traditione adhiberi.*

ILlud etiã quod circa baptizandos in vniuerſo mundo ſancta Eccleſia vniformiter agit, non ocioſo contemplamur intuitu. Cùm ſiue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorciſmis & exſufflationibus clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur: vt tunc verè appareat, quando Princeps* mundi huius mittatur foras, & quo modo prius alligetur * fortis, & deinceps vaſa eius diripiantur, in poſſeſſionem tranſlata victoris, qui captiuam* ducit captiuitatem, & dat dona hominibus. *Tom. 3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 31.*

*De conſecra. diſt. 4. cap. Siue paruul.*

* *Ioan. 12.*

* *Matt. 12.*

* *Pſal. 67.*

*Paruuli quare exſufflentur ante Baptiſmum.*

Paruuli propterea catechizantur & exſufflantur ac baptizantur, vt princeps* mundi huius foras mittatur. Aut ſi non in illis Diabolus exſufflatur, cuius opere, id

* *Ioan. 12.*



eſt, vitio peccati, per Adam tenentur obnoxij, dicitur cum imaginibus Dei fit iniuria. Verùm opinor quod eis Baptiſmo veſtro baptizandis minimè exſuffletis, ne non imagini Dei, ſed diaboli faciatis iniuriam. Aut ſi exſuffletis, nullum, vt putatis, crimen habentibus, quem in eis vrgeatis dicite. Exſufflatur ergo & increpatur in eis in Catholica Eccleſia opus Diaboli, non quod ipſi ſunt, ſed quod in ipſis eſt. *Tom. 7. hypog. lib. 5. circa finem.*

Excepto enim, quod in peccatorum remiſſionem nõ fallaci, ſed fideli myſterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis & exſufflatur poteſtas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portatur ſeſe renunciare reſpondent. Quibus omnibus rerum occultarum ſacratis & euidentibus ſignis, à captiuatore peſſimo ad optimum redemptorem tranſire monſtrantur, qui pro nobis infirmitate ſuſcepta, alligauit * fortem, vt vaſa eius eriperet, quia infirmum Dei, non ſolùm eſt hominibus, verùm & angelis fortius. *Tom. 7. de gratia Chriſti & peccato orig. cap. 40.*

*Exorciſmi et exſufflationes rerum occultarum ſacrata ſigna.*

* *Matth. 12.*

Accuſat Eccleſiam toto orbe diffuſam, in qua vbique omnes baptizãdi infantuli nõ ob aliud exſufflantur, niſi vt ab eis princeps* mundi mittatur foras, à quo neceſſe eſt vaſa iræ poſſideantur, cùm ex Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non renaſcantur, & in eius regnum per gratiam facta vaſa * miſericordiæ transferantur. Contra iſtam fundatiſſimam veniens veritatem ne vniuerſam Chriſti Eccleſiam oppugnare videatur, quaſi me vnum alloquitur. *Tom. 7. de nuptiis & concupiſc. lib. 2. cap. 17. & 18.*

* *Ioan. 12.*

*Exſufflatur paruuli, vt ab eis princeps huius mundi mittatur foras.*

* *Rom. 9.*

Hos iſte (*Patres quos Auguſt. pro teſtimonio citârat*) audeat (*Iulianus*) dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem iſto nefario crimine aſpergat, qua exorcizantur, & vt dixi, exſufflantur paruuli, vt in regnũ Chriſti à poteſtate tenebrarum, hoc eſt, diaboli & angelorum eius eruti transferantur. Nos autem paratiores ſumus cum iſtis viris & cum Eccleſia Chriſti in huius fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta & contumelias perpeti, quàm Pelagiani cuiuſlibet eloquij prædicatione laudari. *Ibidem, cap. 29.*

*Exorciſmi et exſufflationis antiquiſſima Eccleſiæ traditio, cuius cõtemptores etiam Auguſtini ætate damnati.*

Circunſtipantur enim & diuinarum auctoritate le-

*Exorcizari infantes baptizandos, antiquus & firmiter retentus Eccleſiæ ritus.*

ctionum,& antiquitus tradito & retento firmo Eccleſiæ ritu in baptiſmate paruulorum, vbi apertiſſimè demonſtrantur infantes, & cùm exorcizantur, & cùm ei per eos à quibus geſtantur renunciare reſpondent, à diaboli dominatione liberari. *Tom.2.epiſt.105.ad Sixtum.*

In veritate, non in falſitate poteſtas diabolica exorcizatur in paruulis, eique renunciant, quia per ſua non poſſunt, per corda & ora geſtantium, vt eruti à poteſtate tenebrarum in regnum ſui domini transferãtur. *To. 7. de nup. & concupiſ. lib.1 cap.20.*

*Contradicentes exorciſmis & exſufflationibus, quæ baptizandis adhibentur, ſunt à toto orbe exſufflãdi.*
** Ioan.12.*

Verum eſt quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur & creditur per Eccleſiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarũ, & à principe mortis erueret, quod in libro meo, cui velut reſpondes, à me poſitum eſt: ſed id tu commemorare timuiſti, tanquam ipſe ab toto orbe exſufflandus eſſes, ſi huic exſufflationi, qua princeps * mundi & à paruulis eiicitur foras, cõtradicere voluiſſes. *Tom 7. contra Iulian. Pelag. lib.6. cap.2.*

### *V. In Baptiſmo viſibili vnguento ſeu Chriſmate fideles inungi moris eſſe.*

*Si Chriſtiani omnes propterea ſunt Sacerdotes, vt noui dicũt Euangelici.*
*Chriſtianorũ nomen vnde.*

EX quo tempore (*aduentus Chriſti*) credentes illi & Baptiſmatis illius ſanctificatione purgati, non aliquanti, ſicut ſub lege prius fuerant, ſed omnes in Prophetis & Sacerdotibus vnguntur & regibus. Cuius vnctionis quales eſſe debeamus admonemur exemplo, vt in quibus tam ſancta eſt vnctio ſit non minus ſancta conuerſatio. Ex Sacramento enim vnctionis huius & Chriſti, & Chriſtianorum omnium, id eſt, in Chriſto credẽtium vocabulum deſcendit & nomen. *Tom.9. de vita Chriſtiana, cap.1. Lege in eundem ferè ſenſum, Tom.3. ſent.342.*

*Inunctio ante Baptiſmi lotionem.*

Interroga hominem, Chriſtianus es? Reſpondet tibi, Non ſum. Si Paganus es aut Iudæus? Si autem dixerit, non ſum, adhuc quæris ab eo: Catechumenus, an fidelis? Si reſponderit tibi, Catechumenus: inunctus eſt, nondum lotus. Sed vnde inunctus quære, & reſpondet. Quære ab illo, in quem credat, eo ipſo quo catechumenus eſt, dicit in Chriſtum. Ecce modò loquor & fidelibus & catechumenis. Quod dixi de ſputo & luto, quia



verbum caro factum eſt, * & hoc catechumeni audiũt, ſed non eis ſufficit, ad quod inuncti ſunt, feſtinẽt ad lauacrum ſi lumen inquirunt. *Tom.9. in Euang. Ioan. Tract.44.* ** Ioan.1.*

*Ad omnes Chriſtianos vnctio pertinet.*

Ad omnes Chriſtianos pertinet vnctio: prioribus autem veteris Teſtamenti temporibus ad duas ſolas perſonas pertinebat. *Tom.8. in Pſal.26. præfat. enar.2.*

*Chriſma & oleum benedictionis.*

Omnes qui ad ſalutare Baptiſmum cõſequendum Eccleſiæ offeruntur, & Chriſma & oleum benedictionis accipiunt, vt iam non vaſa vacua, ſed Deo plena & templũ Dei eſſe mereantur. *Tom.10. de temp. ſerm.206.*

Benedicimus fontem Baptiſmatis oleo vnctionis. Huic accedit quod ter oleo inungimus quos baptizamus, verbis abrenunciare Satanæ & angelis eius, informamus. Vnde & hæc, & alia in hunc modum non pauca, niſi tacita ac myſtica traditione à patribus Eccleſiaſtico more, ac reuerentiori diligentia ſunt in myſteriis obſeruata magis ſilentio, quàm publicata ſcripto. *Citatur in decretis diſt. 11. can. Eccleſiaſticarũ, Auguſtini nomine ex dictis Baſilij.*

Sacerdotium Iudæorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuiſſe futuri ſacerdotii regalis, quod eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti, ſummi & veri principis ſacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod olim regibus tantùm & ſacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus ad Chriſtianum populum ſcribens, * Regale ſacerdotium: vtrunq; nomen illi populo conuenire declaratur. *Tom.4. quæſt. Euang. lib.2. cap.40.* ** 1. Pet.2.*

### *VI. Alias etiam cærimonias fuiſſe in vſu circa baptizandos Auguſtini ætate.*

QVid eſt dilectiſſimi quod in vobis celebratũ eſt? Quid eſt quod hac nocte circa vos actũ eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt, vt ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique ceruice humiliata, quæ malè fuerat antè exaltata, in humilitate pedum cilicio ſubſtrato, in vobis celebraretur examen, atq; ex vobis extirparetur diabolus ſuperbus, dũ ſuper vos inuocatus eſt humilis altiſsimus

Chriſtus? Omnes itaque humiles eratis: humilitérque petebatis, orando, pſallendo, atque dicendo,* Proba me Deus & ſcito cor meum. Probauit, examinauit corda ſeruorum ſuorum, ſuo timore tetigit, diabolum ſua virtute fugauit, atque ab eius dominio ſuam familiam liberauit. *Tom.9. de Symbolo, lib.2. cap.1.*

** Pſal. 138.*

*Veterū ritus in Baptiſmo.*

Omnia Sacramenta, quæ acta ſunt & aguntur in vobis per miniſterium ſeruorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritualibus, inſufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipſe omni ſecuritate appetendus: hæc omnia, vt dixi, eſcæ ſunt quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex Baptiſmo hilares vos exhibeat mater Chriſto. *Ibidem, lib.4. cap.1. Pſalmum 41. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, olim circa Baptiſmum decantatum fuiſſe, meminit Aug. Tom.8 ſuper eundem, circa initium.*

## *VII. Baptizandos abrenunciare Satanæ atque pompis eius.*

*Cur Satan Chriſtianis magis quàm cæteris aduerſetur.*

** Pſal.123.*

Ex qua re nobis factus eſt aduerſarius Diabolus, niſi ex hac, quia videt liberos quos tenebat antè captiuos: quia videt ſanos quos ſuis iaculis proſtrauerat vulneratos: quia videt veſtiri denuo immortalitate quos nudauerat propinando iniquitatē: quia muſcipula * eius comminuta eſt, & nos eruti ſumus? *Adiutorium noſtrū in nomine Domini.* Si adiutoriū noſtrū in nomine eius eſt, renunciemus Diabolo, pompis & angelis eius. Hoc audiſtis, hoc & vos profeſſi eſtis, renunciare vos diabolo, pompis & angelis eius. Videte dilectiſſimi quia hanc profeſſionem veſtram in curiā profertis angelicam: nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, ſed à ſuperiore cœlitus poteſtate. Optimi iam tyrones Dei, fortes milites Chriſti, dum arma ſacramentorū ſuſcipitis, pugnā aduerſus diabolum indicitis: dum eius operibus renūciatis, vehementius in vos eius furias prouocatis. Sed nō metuat miles Chriſti: induemini enim ipſum Chriſtum, vt per eum velociter ſuperetis aduerſarium veſtrū diabolum. *Tom.9. de Symbolo, lib.2. cap.1.*

*Quæ profeſſio & militia Chriſtiani in ipſo baptiſmo inchoetur.*

*Armis ſacramentorū pugnandū aduerſus diabolum.*

** 1.Pet.2.*

Sed & Apoſtolus Petrus alloquens fideles,* *Vos, in-*



*quit, tanquam lapides viui, ædificamini in domum ſpiritalem.* Quiſquis huic ædificio coniungi deſiderat renunciet diabolo, pompis & angelis eius. Pompæ diaboli ſunt quæque illicita deſideria, quæ turpant, nō quæ exornant animā: vt ſunt deſideria * carnis, deſideria oculorum, ambitiones ſeculi. Ad concupiſcentiam carnis pertinent illecebræ voluptatum: ad concupiſcentiam oculorum nugacitas ſpectaculorum: ad ambitionē ſeculi inſana ſuperbia vbi eſt fumus inflatus, vt homo poſitus in aliqua poteſtate hominē ſe eſſe non agnoſcat, cùm de homine iudicat. Qui ergo vult mundum vincere, tria iſta vincat, quæ ſunt in mundo: & per hæc illum vincit etiam qui ſuadendo per ſuperbiam decepit mundū. Poſtq̃ autem homo renunciando diabolo excludit peſſimum inuaſorem, introducat optimum poſſeſſorem: credat in Deum Patrem omnipotentem &c. *Ibidem. lib.3. cap.1.*

*Quæ ſint pompæ diaboli, quibus renunciandum eſt in Baptiſmo.*

** 1. Ioan. 2.*

*Non ergo ſatis eſt diabolo renunciaſſe.*

Hæc eſt vox omnium, quod fecimus, faciat. (*de catechumeno loquitur.*) Quid obſecro facturus eſt? Renunciet diabolo, pompis & angelis eius. Hæc eſt illa damnoſa hæreditas, cui renūciare cōpellimur. *Et paulò pòſt.* Vigilet vnuſquiſque, ne non ex toto renuncians, poſt profeſſionem apud eū diabolus ſuos pannos recognoſcat, & incipiat ſemper reus detineri, quem Chriſtus voluit ſua gratia liberare. Nec ſibi malè blandiantur, qui poſt gratiam acceptam corrigi nolunt: atque rurſus ad illas priſtinas ſuas redeunt voluntates. Expectatur enim dies iudicij, &c. præſto erit aduerſarius diabolus, recitabuntur verba profeſſionis noſtræ. *Et poſt pauca.* Videte quid agatis filii mei, fratres mei videte quid agatis, quomodo hanc profeſsionem veſtram cuſtodiatis. Cōteſtamur vobis ipſum iudicem, omnéſque poteſtates cœleſtes, quæ & nos audiunt admonentes, & vos excipiunt profitentes, ne in vacuum gratiam accipiatis, ſed corde integro, tota virtute, perfecta fide renunciantes atque ſpernentes tam damnoſam diaboli hæreditatem, ne pupilli, vel pauperes remaneatis. *Tom. 6 concione contra Iud. Arr. & Pag. cap.4.*

Bene præcipitur etiam in miniſteriis vt omnia corporea (*hominis anima incorporea*) contemnat, vniuer-

ſéque huic mundo renunciet, qui, vt videmus, corporeus eſt, quiſquis ſe talem reddi deſiderat, qualis à Deo factus eſt, id eſt, ſimilem Deo: non enim alia ſalus animæ eſt, aut renouatio, aut reconciliatio auctori ſuo. *Tom. 1. de quant. animæ, cap. 3.*

*Suſceptores baptizatorũ quid præſtare debeant.*

Et ideo non ſolùm exemplis, ſed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis, præcipuè tamen qui filios aut filias excipere religioſo amore deſiderãt, & anteq̃ baptizentur, & poſtq̃ baptizati fuerint, de caſtitate, de humilitate, de ſobrietate, vel pace eos admonere, vel docere non deſinant, & agnoſcãt ſe fideiuſſores eſſe ipſorum. Pro ipſis enim reſpondent quod abrenuncient diabolo, pompis & operibus eius. *Tom. 10. ſerm. de tempore 116. Vide & de peccat. meritis & remiſſ. lib. 1. cap. 34.*

### *VIII. Trinam merſionem in Baptiſmo fuiſſe in vſu Auguſtini tempore.*

QVando in ſalutari lauacro tertiò Chriſtiani merguntur, tunc Ægyptij, id eſt, originalia peccata, vel actualia crimina, quaſi in rubro mari ſepeliuntur. *Tom. 10. de tempore, ſer. 91.*

*Trina merſio in Baptiſmo quid ſignificet.*

Poſtquam vos credere promiſiſtis, tertiò capita veſtra in ſacro fonte demerſimus: qui ordo baptiſmatis, duplici myſterij ſignificatione celebratur. Rectè enim tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine ſanctæ Trinitatis. Rectè tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine Ieſu Chriſti, qui etiam die tertia reſurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita demerſio typum dominicæ exprimit ſepulturæ, per quam Chriſto conſepulti * eſtis in Baptiſmo, & cum Chriſto reſurrexiſtis in fide: vt peccatis abſoluti in ſanctitate virtutum Chriſtum viuatis imitando. *Citatur de conſ. diſt. 4. can. 76. ex Auguſtino, homil. 4.*

** Rom. 61.*

Hoc etiam (*myſterium Trinitatis*) in Sacramento baptiſmatis demonſtratur, dum tertia vice homo mergitur, vt nouus ſurgere mereatur. *Tom. 10. de temp. ſerm. 201.*



# CAPVT QVINTVM DE SACRAMENTO confirmationis.

### *I. Confirmationem baptizatorum eſſe verum Sacramentum & proprium.*

*Sacramentũ Chriſmatis, in genere viſibiliũ ſignorum ſacroſanctũ, ſicut Baptiſmus.*

SAcramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus: Sed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, in operibus carnis vitam conſumentibus, & regnum cœlorũ non poſſeſſuris. *Et paulò pòſt.* Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt: illis ad præmium, illis ad iudiciũ, ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum eſt. *Tom. 7. cont. lit. Petil. lib. 2. cap. 104.*

*Externa vnctio eſſe poteſt, ſine interna vnctione charitatis.*

Cur ergo intus tales baptizant quos in maleuola diſſenſione fuiſſe Cyprianus ipſe commemorat? Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleũ tenebræ? Si autem Deus adeſt Sacramentis & verbis ſuis, per qualeſlibet adminiſtrentur, & Sacramenta Dei vbique recta ſunt, & mali homines, quibus nihil proſunt, vbique peruerſi ſunt. *Tom. 7. de Bapt. contra Donatiſt. lib. 5. cap. 19.*

*Oleum benedictum.*

*Deus adeſt Sacramẽtis & verbis ſuis, per qualeſlibet adminiſtretur.*

Vnctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cuius Sacramentum eſt in vnctione viſibili. *Tom. 9. in Epiſt. Ioannis, Tract. 3.*

*Vnctio viſibilis Sacramentum eſt vnctionis ſpiritualis.*

Omnes vngimur & omnes in Chriſto & Chriſti & Chriſtus ſumus, quia quodammodo totus Chriſtus caput & corpus eſt. Vnctio iſta perficiet nos ſpiritualiter in illa vita quæ nobis promittitur. *Et paulò pòſt.* Vngimur enim modò in Sacramento, & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam quod futuri ſumus. Et illud neſcio quid futurum ineffabile deſiderare debemus, & in Sacramento gemere, vt in ea re gaudeamus, quæ Sacramento præmonſtratur. *Tom. 8. in Pſal. 26. in præfat. enarr. 2.*

Nunquid modò quibus imponitur manus, vt accipiãt Spiritum ſanctum, hoc expectatur, vt linguis loquantur? aut quãdo impoſuimus manũ iſtis infantibus,

attendit vnuſquiſque veſtrûm vtrum linguis loquerentur? & cùm videret eos linguis non loqui, ita peruerſo corde aliquis veſtrûm fuit, vt diceret: Non acceperunt iſti Spiritum ſanctum? *Et paulò pòſt.* Si vis noſſe quia accepiſti Spiritum ſanctum, interroga cor tuum, ne fortè cùm Sacramentum habes, virtutem Sacramenti non habeas. *Tom. 9. in epiſt. Ioannis, tract. 6.*

## *II. Crucis ſignum in confirmationis Sacramento frontibus fidelium imprimi.*

MVlta Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, ſicut noſtis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubeſcitur, ille qui dixit: * *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam eum coram patre meo, qui in cœlis eſt,* ipſam ignominiam quodammodo, & quam Pagani derident, in loco pudoris noſtri conſtituit. *Tom. 8. in Pſal. 141. circa medium.*

*Quare in frõte cruce ſignemur.*

** Luc. 9.*

Non ſine cauſa ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat. *Ibidem, in Pſal. 30. conc. 3.*

Noli erubeſcere de cruce Chriſti. Ideò in fronte, tãquam in ſede pudoris, ſignum accepiſti. Recole frontem tuam, ne linguam expaueſcas alienam. Signum veteris Teſtamenti circuncisio in latenti carne, ſignum noui Teſtamenti crux in libera fronte. Ibi occultatio eſt, hîc reuelatio. Illud eſt ſub velamine, hoc in facie. Quandiu enim legitur Moſes, velamen * ſuper cor eorum poſitum eſt. Quare? quia non trãſierunt ad Chriſtum: cùm enim trãſieris ad Chriſtũ, auferetur velamen, vt qui habebas in occulto circuncisionẽ, in frõte portes crucem. *Tom. 10. in additione editionis Pariſienſis, ſer. 15.*

*Signũ veteris teſtamẽti, circunciſio occulta: ſignum noui teſtamẽti crux in frõte manifeſta.*

** 2. Cor. 3.*

Crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. *Tom. 10. de temp. ſer. 181. cap. 3.*

Poſtremò, quid eſt, quod omnes nouerunt, ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? Quod ſignum niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ qua regenerantur, ſiue oleo quo Chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id, quod mali faciunt, nihil boni ſignificatur, quando per crucem Chriſti, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum eius bonum nobis omne ſignatur? *Tom. 9. in Euang. Ioannis, tract. 118.*

*Credẽtes adhibito crucis ſigno Chriſmate vnguntur.*



## *III. Confirmationis materiam Chriſma eſſe, idque non niſi ab Epiſcopo conſecrari.*

CHriſti nomen à Chriſmate eſt, id eſt, ab vnctione. Qua ideò omnis Chriſtianus ſanctificatur, vt intelligat ſe non ſolùm ſacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra Diabolum fieri luctatorem. *Tom. 3. ex ſententiis, ſent. 362.*

*Vnctione Chriſtianus ſãctificatur.*

Vnctus eſt Deus à Deo: vnctum audis: Chriſtum intellige. Etenim Chriſtus à Chriſmate. Hoc nomen quod appellatur Chriſtus, vnctionis eſt: nec in aliquo alibi vngebantur reges & ſacerdotes, niſi in illo regno, vbi Chriſtus prophetabatur & vngebatur, & vnde venturum erat Chriſti nomen. Nuſquam eſt alibi omnino, in nulla gẽte, in nullo regno. Vnctus eſt ergo Deus à Deo. Quo oleo niſi ſpiritali? Oleum enim viſibile in ſigno eſt, oleum inuiſibile in Sacramento eſt. Oleum ſpiritale intus eſt, oleum viſibile exterius eſt. *Et infrà.* Hoc figurabatur in eo, quod Iacob lapidem * ſibi ad caput poſuerat & dormierat. Iacob Patriarcha lapidem ſibi ad caput poſuerat, dormiens autem illo lapide ad caput poſito, vidit apertis cœlis, ſcalam à cœlo in terram, & angelos aſcendentes & deſcendentes. Hoc viſo euigilauit, vnxit lapidem & diſceſſit. In illo lapide intellexit Chriſtum, ideò vnxit. Videte ex quo prædicatur Chriſtus. Quid ſibi vult illa vnctio lapidis, præſertim apud Patriarchas, qui vnum Deum colebant? Factum eſt autem in figura & diſceſſum eſt. Non enim vnxit lapidem & venit illuc ſemper adorare & ſacrificia ibi facere. Expreſſum eſt myſterium, non inchoatum ſacrificium. *Tom. 8. in Pſal. 44. circa medium.*

*Oleũ viſibile in ſigno eſt, oleũ inuiſibile in Sacramẽto eſt. Oleũ ſpiritale intus eſt, oleũ viſibile exterius eſt.*

** Gen. 28.*

*Vnxit eum * Deus Spiritu ſancto.* Non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit Eccleſia. *Tom. 3. lib. 15. de Trinitate, cap. 26.*

** Act. 10.*

*Viſibili vnguẽto baptizatos vngit Eccleſia.*

Vt presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, Chriſma verò nunquam conficiat. *Tom. 1. Con*

*Chriſmatis cõſecratio ad ſolũ Epiſcopũ pertinet.*

*ciliorum, Conc. Carthag.3.cap.36. Eadem leguntur & Conc. Carthag.2.cap.3. Auguſtinus interfuit.*

## *IIII. In ſacramento Confirmationis, quod manuum impoſitio nominatur, gratiam conferri.*

*In ſola Catholica Eccleſia, p manus impoſitionem Spiritus ſanctus datur.*
** Rom. 5.*
** 1.Cor.13.*

SPiritus autem ſanctus quia in ſola Catholica per manus impoſitionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait: * Quoniã caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Ipſa eſt enim caritas, quam non habent qui ab Eccleſiæ Catholicæ cõmunione præciſi ſunt, ac per hoc etiamſi linguis * hominum loquãtur & angelorum, ſi ſciant omnia Sacramenta, & omnem ſcientiã, & omnem habeant prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferant, & diſtribuant omnia ſua pauperibus, & tradant corpus vt ardeat, nihil eis prodeſt. Non autem habet Dei caritatem qui Eccleſiæ non diligit vnitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi niſi in Catholica Spiritus ſanctus. Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modò datur Spiritus ſanctus, ſicut antea * dabatur ad cõmendationem rudis fidei & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt hi quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina caritas inſpirari, vt poſſint dicere: Quoniã caritas Dei diffuſa * eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Tom.7. de Baptiſ.cont. Donat.libr.3. cap.16. Hunc locum eſſe interpretãdum de ſacramento Confirmationis confirmari poteſt proximis quæ hîc ſequuntur verbis.*

** Acto.10.*
*Per impoſitionẽ manuum inuiſibiliter & latenter nunc datur Spiritus ſanctus.*
** Rom. 5.*

*Fideles manus impoſitione & Chriſmate confirmandi.*

Siqui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in ſanctæ Trinitatis confeſſione baptizant & veniunt ad nos, recipiantur quidem vt baptizati, ne ſanctæ Trinitatis inuocatio vel confeſſio annulletur: ſed doceantur integrè & inſtruantur, quo ſenſu ſanctæ Trinitatis myſterium in Eccleſia teneatur, & ſi conſentiunt credere vel acquieſcũt confiteri purgati iam fidei integritate, confirmentur manus impoſitione. Si verò paruuli ſunt vel



hebetes qui doctrinam non capiunt, reſpondeant pro illis qui eos offerunt iuxta morem baptizandi: & ſic manus impoſitione & Chriſmate communiti Euchariſtiæ myſteriis admittantur. *Tom.3.de Eccle.dogma.cap.52.*

*Oleum ſanctificatur verbis etiam homicidæ.*
** Ioan. 9.*

Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ, poſſit tamen Deus oleum ſanctificare? *Et poſt pauca.* Si ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Euangelio: * Deus peccatorem non audit: vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidã deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleũ, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt, & valent etiam per homicidas, id eſt, per eos qui oderunt fratres etiam in ipſa intus Eccleſia. Cùm dare nemo poſſit quod non habet, quomodo dat homicida Spiritum ſanctũ? &c. *Tom.7. de Baptiſ.cont. Donat.lib.5.cap.20.*

## *V. Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum ſolum Epiſcopum eſſe.*

ANte aſcenſum Dominus formam diſcipulis dedit, quomodo accipere deberent bãptizati Spiritũ ſanctum, quod nunc Epiſcopis cuſtoditur. *Et paucis interiectis.* Non pertinet ad omnes credentes, ſed ad Epiſcopos tãtùm, vt baptizatis per manus impoſitionem dent Spiritum ſanctum. *Tom.4.noui teſtamenti, quæſt.42. Idem docet multoties ab Auguſtino cõmendatus Innocentius Pont. Tom.1. concil.epiſt. ad Eugubinum Epiſcopum, cap.3.&c.*

** Act. 8.*

Orabant quippe (*Apoſtoli*) vt veniret in eos (*Spiritus ſanctus*) quibus manum imponebant, non ipſi eum dabãt, quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia. Denique & Simon magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait: * Date & mihi hanc poteſtatem vt dem Spiritum ſanctum: ſed cuicunque, inquit, impoſuero manus vt accipiat Spiritum ſanctum. Quia neque ſcriptura ſuperius dixerat, Videns autem Simon quod Apoſtoli darent Spiritum ſanctum: ſed dixerat, Videns autem Simõ, quòd per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus. *Tom.3.de Trinit. lib.15. cap.26.*

# CAPVT SEXTVM DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

## *I. In ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento verum contineri corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

**Matth.26.* **Mar.14.* **Luc.22.*

HInc igitur incipiamus: ſecundùm Matthæũ, * Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, dedítque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Hæc & Marcus, * Lucáſque * commemorant. Quod enim Lucas de calice bis commemorauit, prius, antequàm panem daret, deinde poſteaquã panem dedit: illud quod ſuperius dixit, præoccupauit vt ſolet: illud verò quod ordine ſuo poſuit, non commemorauerat ſuperius. Vtrumque autem coniunctum hanc ſententiam facit, quæ & illorum eſt. Ioannes autem de corpore & ſanguine Domini hoc loco * nihil dixit, ſed * planè alibi multò vberius hinc Dominum loquutum eſſe teſtatur. *Tom.4. de conſenſu Euang. libr.3. cap.1. in initio.*

**Ioan.13.* **Ioan. 6.*

*Corpus & ſanguis Chriſti, cibus & potus & Sacramẽtum fidelium.*

Audiuimus veracem magiſtrum, diuinum redemptorem, humanum ſaluatorem, commendantem nobis precium noſtrum ſanguinem ſuum. Loquutus eſt nobis de corpore & ſanguine ſuo, quod corpus dixit eſcã, ſanguinem potum, Sacramentum fidelium. Agnoſcunt fideles: audientes autem, quid aliud quàm vitam audiunt? *Tom.10. de verbis Apoſtoli, ſerm.2.*

**1. Tim.2.*

*Fideli corde & ore ſumimus carnem Chriſti manducandã & ſanguinem bibendum.*

Mediatorem Dei * & hominũ hominem Chriſtum Ieſum, carnem ſuam nobis manducãdam, bibendúmque ſanguinem dantem, fideli corde & ore ſuſcipimus: quanuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum ſanguinem potare quàm fundere. *Tom.6. contra aduerſar. Legis & Prophet. lib.2. cap.9.*

**Act.2.*

Petrus annunciauit * Iudæis eum colendum, quem crucifi-



crucifixerũt, vt eius iam ſanguinem noſſent bibere credentes, quem fuderãt ſæuientes. *Tom.9. de vtil. pœn. cap.1. diſ.8. cap.*

*De conſecr. Tum eis.*

Ipſum ſanguinem, quem per inſaniam fuderunt, per gratiam biberunt. *Tom.8. in Pſal.65.*

Verè magnus Dominus & miſericordia eius vera, qui nobis dedit manducare corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem bibere. *Ibidem, Pſal.33. in expoſ. ſub finem.*

**Ioan. 6.*

*Verba vitæ * æternæ habes.* Videte, quemadmodum Petrus dante Deo, recreante Spiritu ſancto, intellexit. Vnde, niſi quia credidit? Verba vitæ æternæ habes: vitam enim æternam habes in miniſtratione corporis & ſanguinis tui. Et nos credimus, & cognouimus. Quid credidimus, & quid cognouimus? quia *tu* es Chriſtus filius Dei viui*: id eſt, quia ipſa vita æterna tu es, & non das in carne & ſanguine tuo niſi quod es. *Tom.9. in Euang. Ioan. Tract.27.*

**Ioan.11. Matth.16.*

*Chriſtus in carne & ſanguine ſuo non dat niſi quod ipſe eſt.*

At verò illi viderũt Chriſtum ſuo ſcelere morientem, & crediderunt in Chriſtum ſuis ſceleribus ignoſcentẽ: quouſque biberent ſanguinem quem fuderant, de ſua ſalute deſperauerunt. *Ibidem, Tractat.31.*

**Geneſ.4.*

Quomodo intelligendum eſt, quod ſanguis Abel legitur * de terra ad Dominum clamaſſe? Sanguis Abel ſignificat ſanguinem Chriſti, quo vniuerſa Eccleſia accepto dicit, Amen. Nam qualem clamorem faciat vniuerſa Eccleſia dum potatur ſanguine Chriſti, & dicit, Amen, tu ipſe ſi potes, conſidera. Iudæi ergo qui intelliguntur in perſonna Cain, quoniam non credentes in Chriſto, non potantur ſanguine Chriſti, maledicti ſunt ſuper terram. *Tom.4. 65. quæſtionum, q.49.*

*Eccleſia potatur ſanguine Chriſti.*

Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen: Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum. *Tom 6. cont. Fauſt. Manich. lib.12. cap.10.*

Nãque de his, qui crucifixerunt Chriſtum, facta ſunt poſtea miracula, quãdo de ipſo numero Iudæorum crediderũt, & donatus eſt illis ſanguis Chriſti. Impias manus & cruentas de ſanguine Chriſti portabant: lauit eos ipſe, cuius ſanguinem fuderunt. Adiuncti ſunt

*Iudæi preciũ quod fuderãt, conuerſi biberunt.*

corpori ipſius,id eſt, Eccleſiæ, qui corpus eius mortale quod viderant, perſequuti ſunt. Fuderunt precium ſuũ vt biberent precium ſuum. *Tom.8.in expoſitione Pſal.63.*

*Dominus præparauit ſeruis ſuis cibũ ſeipſum.*

** Ioan. 6.*

*Chriſtus mãducatus non deficit, ſed reficit.*

*Norunt fideles quẽadmodũ mãducent carnẽ Chriſti.*

*Sicut Chriſtus totus apud Patrem manens verè venit in virginẽ, ita in Sacramẽto verè exiſtens totus manet apud* Patrem.

Qualem vocem audiſtis Domini inuitãtis nos? Quis inuitauit? Quos inuitauit? Et quid præparauit? Inuitauit Dominus ſeruos,& præparauit eis cibum ſeipſum. Quis audeat manducare Dominum ſuum? Et tamen ait: * *Qui manducat me, viuit propter me.* Quando Chriſtus manducatur, vita manducatur. Nec occiditur vt manducetur,ſed mortuos viuificat. Quando manducatur,reficit,ſed non deficit. Non ergo timeamus fratres mãducare iſtum panem,ne fortè finiamus illum,& poſtea quod mãducemus,non inueniamus. Manducetur Chriſtus: Viuit mãducatus,quia reſurrexit occiſus. Nec quando mãducamus,partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento ſic fit,& norunt fideles,quemadmodum manducent carnem Chriſti. Vnuſquiſque accipit partem ſuam. Vnde & ipſa gratia partes vocatur. Per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes mãducatur in Sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem quando venit * in virginem: impleuit illam, nec receſſit ab illo. Veniebat in carnem, vt eum homines manducarent: & manebat integer apud Patrem, vt angelos paſceret. *Ex ſermone de verbis Euang. Citatur à Beza in 1.ad Corinth.10.*

* *Luc.1.*

* *Tit. 3.*

* *1.Pet.3.*

Sacramẽtum *Euchariſtiæ rectè vocatur vita, quia panis eſt vitæ, qui de cœlo deſcēdit, & caro Chriſti pro ſeculi vita.*

* *Ioan. 6.*

Illud etiam viuificũ Dominici corporis ſupplementum ſuſcipere,fili mi,non renuas,quin potius illud auidiſſimè quæras,fideliter comedas. Cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit ſaluberrimum, redemptionis tuæ precium, redemptoris monimentum,& redempti munimentum. *Tom.9.de viſitatione infirmorum, lib.2.cap.4.*

Quid aliud tenent, qui Baptiſmũ nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt: * *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Et quod Petrus ait: * *Sic & vos ſimili forma Baptiſma ſaluos facit?* Quid aliud etiam qui Sacramentum menſæ Dominicæ vitã vocant,niſi quod dictũ eſt. * *Ego ſum panis vitæ,qui de cœlo deſcendi*: Et, *Panis quem ego dedero,caro mea eſt pro ſeculi vita*: Et, Si non manducaueritis carnem filij hominis & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis? *Tom.7. de peccat.merit. & remiſ. lib.1.cap.24.*



*Sãguis Chriſti antequã funderetur, in Sacramento Apoſtolis datus eſt & cõmendatus.*

* *Matt.26. Mar.14.*

Non dubitemus etiam pro infantibus baptizatis ſanguinem fuſum, qui priuſquam funderetur,ſic in Sacramento datus & commendatus eſt,vt diceretur,* *Hic eſt ſanguis meus qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum Ibidem.*

Tolerat ipſe Dominus Iudam, Diabolum, furem & venditorem ſuum:ſinit accipere inter innocentes diſcipulos,quod fideles nouerunt precium noſtrum. *Tom.2. epiſt.162.ad Glorium, Eleuſium, Felicem Grammaticum, prope finem.*

*In Euchariſtia viſibilis elemẽtorũ ſpecies & inuiſibilis Chriſti Domini caro et ſanguis eſt.*

*In Euchariſtia corpus Chriſti & ſacramẽtũ eſt, & res ſacramenti.*

Hoc eſt quod dicimus,quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus modis confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine: & Sacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Sicut Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine: cùm ipſe Chriſtus verus ſit Deus, & verus ſit homo:quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus, Sacramento & re ſacramẽti,id eſt,corpore Chriſti: eſt igitur Sacramentum & res ſacramenti, corpus Chriſti. *Citatur ex Auguſtino de conſec. diſt.2.cap.47.*

Sicut aliud eſt carnis circũciſio Iudæorum, aliud autem quod octauo die baptizatorum nos celebramus, & aliud eſt Paſcha quod adhuc illi * de oue celebrant, aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus: ſic alius fuit Baptiſmus * Ioannis, alius eſt Baptiſmus Chriſti. Illis enim ventura iſta prænunciabantur: iſtis completa illa prædicantur. *Tom.7. cont.lit. Petil.lib.2.cap.37.*

* *Exod.12.*

* *Act.19.*

*Paſcha igitur Chriſtianorum in vero corpore & ſanguine Domini ſumitur: alioqui Paſchati Iudæorum nihilo præſtaret, cùm agnus qui in eo fuit, nobilior fuerit creatura, quàm panis aut vinum, nec Chriſtum paſſum minus expreſsè ſignificarit.*

** Ioan.19.* *Vnus ex militibus * lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua*, quæ ſunt matris Eccleſiæ gemina Sacramenta. Percuſſit latus lancea perſecutor,& fudit precium redemptor: hic ſanguis inebriat mentem, vt amorem obliuiſcatur mundi: hæc aqua mundat animam,vt corpus ſordibus careat diaboli. *Nec relinquetis* ** Exod.12.* ** ex eo quicquam vſque in mane:* Hoc nunc agitur. Comeditur enim agnus per noctem huius ſeculi, vt cùm mane illud venerit,quod veſperum non habebit, non iam offeratur ſacrificium imaginis agni: ſed ipſum agnum quem quotidie immolamus,comedimus, & cuius ſanguinem bibimus, inueniamus illic cum ſacerdotē perfectum, quem conſtat hîc pro noſtra ſalute occiſum. *Tom.9.de cataclyſmo,cap.4.*

*Chriſtum agnū quotidie immolamus, comedimus, eiúſque ſanguinem bibimus.*

De quo alio dicit: (*Propheta*) Tu es Sacerdos * in æternum ſecundùm ordinem,niſi de illo cuius noſtis ſacrificium? *Pſal. 109.* Sublatum eſt enim ſacrificium Aaron,& cœpit eſſe ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech. Ergo mutauit neſcio quis vultum ſuum. Quis eſt iſte,neſcio quis? Non ſit neſcio quis. Notus eſt enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus. In corpore & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commendauit corpus & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. ** Ioan.1.* Reſpice altitudinem ipſius. *In principio * erat Verbum,& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant angeli, manducāt ſupernæ virtutes,manducant cœleſtes ſpiritus,& manducant & ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur,niſi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus eſt infans qui pane veſcatur,ipſum panem mater incarnat,& per humilitatem mammillæ & lactis ſuccum de ipſo pane paſcit infantem.Quomodo ergo de ipſo pane pauit nos ſapientia Dei? Quia Verbum ** Ioan. 1.* caro * factum eſt,& habitauit in nobis. Videte ergo hu-

*Chriſtum in Sacramento vultu mutato edimus.*

*Quia nos caro & ſanguis ſumus, Chriſtus homo factus eſt, vt eius carnē & ſanguinē percipere poſſimus.*



militatem, quia panem angelorum manducauit homo, vt ſcriptū eſt: * Panem cœli dedit eis, panem angelorū manducauit homo. *Tom.8.in pſal.33.conc.1.* ** Pſal. 77.*

Non vnius modi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari,& quod accipiunt, quanuis non ſit corpus Chriſti, ſanctū eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt. *Tom.7. de peccat. mer. & remiſſ. lib.2.cap.26.*

*Si expenderis Lector id quod proximè poſitum eſt teſtimoniū, manifeſtè intelliges, plus eſſe in Euchariſtia quàm ſignum corporis Chriſti. Panis enim ſanctificatus, vel (vt in quibuſdam locis catholicorum etiam nunc vocatur) benedictus, (*εὐλογίαν *Paulinus appellat epiſt.35. ad Alipium) cathecumenis dabatur,& aliquid ſanctius ab Auguſtino dicitur cæteris quibus alimur cibis: imò & Sacramentum,quod etiam verum eſt, ſi Sacramenti nomen pro quocunque myſterio aut ſigno rei ſacræ accipiamus. At huiuſmodi panis (vt idem ait) non erat corpus Chriſti,hoc eſt,non erat Euchariſtia: nam eam ſumere catechumenis minimè licebat,vt conſtat ex libro de peccat.mer.& remiſſ.cap.20.& ex tract.11.& 96.in Ioan.Conſequens igitur eſt, Euchariſtiam plus eſſe quàm communes cibos, & plus quàm panem illum ſanctificatum,qui Catechumenis concedebatur, & plus quàm ſignum corporis Chriſti. Quorſum enim Catechumeni prohiberentur Euchariſtiam ſumere, imò & intueri,vt teſtatur Baſilius lib.de Spiritu ſancto,cap.27. ſi tantum ſignum eſſet corporis Chriſti, cùm ad panem benedictum ſumendum admitterentur, qui non minus quàm Euchariſtia, ſignum fuiſſet corporis Chriſti? Quò magis mirum, reperiri hodie nonnullos, qui non modò panem hunc benedictum, verùm etiam agapen cum Euchariſtia corporis & ſanguinis Domini confundunt. Hi quantum fallantur, de pane benedicto quidē, paulò antè citatus Auguſtini locus manifeſto ſatis indicio eſt. De Agape verò tale Auguſtini teſtimonium eſt:* Agapes, *inquit,* noſtræ pauperes paſcunt,ſiue frugibus, ſiue carnibus. *Et paulò pòſt.* Plerunque in Agapibus etiam carnes pauperibus erogantur. *Tom.6.cont.Fauſtum Manich. lib.20.cap.20.*

### *II. In Euchariſtiæ admirabili Sacramento non in vſu tantùm dum ſumitur, verùm etiam ante & poſt ſumptionem verum corpus & verum ſanguinem Chriſti eſſe.*

APoſtolus potuit ſignificando prædicare Dominum Ieſum Chriſtum, aliter per linguam ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per Sacramentum corporis & ſanguinis eius. Nec linguam quippè eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua æditos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: ſed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica cõſecratum ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis. Quod cum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnũ Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei. *Tom.3. de Trin.lib.3.cap.4.*

*Sacramẽtum corporis & ſanguinis prece myſtica cõſecratur, operãte inuiſibiliter Dei ſpiritu, vt ſit tã magnũ Sacramẽtum. Non igitur in vſu vel ſumptione eius perfectio cõſiſtit.*

Et ferebatur in manibus ſuis. Hoc verò fratres quomodo poſſet fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecũdùm literam non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: * *Hoc eſt corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſa multum commendatur hominibus, ad ipſam nos hortatur, fratres, vt viuamus, id eſt, vt humilitatem eius imitemur, vt percutiamus Goliam, & tenentes Chriſtum vincamus ſuperbiã. *Tom.8. Pſalm.33.concione 1.*

*De conſec. diſt.2.cap. Acceſſerũt ad Ieſum.*

*Chriſtus in vltima cœna tulit ſe ſuis manibus.*

** Matt.26.*

*Nõ ſignum corporis, ſed verũ corpus hominibus reliquiſſe, humilitatis Chriſti indiciũ eſt.*

**Matth.26.*

Et ferebatur in manibus ſuis. Quomodo ferebatur in manibus ſuis? Quia cùm commendaret ipſum corpus ſuum & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cùm diceret: * *Hoc eſt corpus meum. Ibidem, concione 2.*

Cur autem arbitretur Fauſtus parem nobis eſſe religionem circa panem & calicem, neſcio, cũ Manichæis vinum guſtare non religio, ſed ſacrilegium ſit. In vua



enim agnoſcunt Deum ſuum, in cupa nolunt, quaſi aliquid eos calcatus, & incluſus offenderit. Noſter autem panis & calix, non quilibet quaſi propter Chriſtum in ſpicis & in ſarmentis ligatum, ſicut illi deſipiunt, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quanuis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non Sacramentum religionis, niſi quod benedicimus, gratiáſque agimus Domino in omni eius munere: non ſolùm ſpiritali, verùm etiã corporali. Vobis autem per fabulam veſtram in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur: adhuc ligandus veſtris viſceribus, ſoluendúſque ructatibus. Nam & cùm manducatis Dei veſtri defectione vos reficitis: & cùm digeritis, illius refectione deficitis: Cùm enim vos plenos reddit, reſumptio veſtra ipſum premit. Quod quidẽ miſericordiæ deputaretur, quando aliquid pro vobis patitur in vobis: niſi vos rurſus inanes relinqueret, vt à vobis liberatus effugeret. Quomodo ergo comparas panem & calicem noſtrum, & parẽ religionem dicis, errorem longè à veritate diſcretum, peius deſipiens quàm nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere exiſtimant? *Tom.6. contra Fauſtũ, lib.20.cap 13.*

*Panis & calix noſter nõ naſcitur nobis, ſed certa conſecratione fit myſticus. Quid ad hæc, qui nullã in hoc Sacramento conficiendo tranſmutationem agnoſcũt, aut in ſolo vſu illud agnoſcũt?*

### *III. Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, à ſumentibus, vel ſacramentaliter tantùm, vel ſimul etiam ſpiritualiter manducari.*

*Hæretici & Schiſmatici idẽ cum fidelibus de altari percipiunt Sacramentũ, ſed non ſibi vtile.*

QVi eſt in Chriſti corporis vnitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum: cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt: ipſe verè dicendus eſt manducare corpus Chriſti & bibere ſanguinem Chriſti. Ac per hoc hæretici & ſchiſmatici ab huius vnitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere Sacramentum: ſed non ſibi vtile, imò verò etiam noxium, quo iudicentur grauius quàm vel tardius liberentur. Non ſunt enim in eo vinculo pacis quod in illo exprimitur ſacramento. *Et infrà*, Ipſe dicens: * Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinẽ meũ, in me manet, & ego in eo: oſtendit quid ſit non Sacramẽto tenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare, &

** Ioan. 6.*

*In Chriſto manere, eſt vtiliter & ſpiritualiter eius carnem manducare.*

eius ſanguinem bibere:hoc eſt enim in Chriſto mane-re,vt in illo maneat & Chriſtus. *Tom. 5. de Ciuitat. Dei, lib. 21. cap. 25.*

Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnẽ eius,nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentũ corporis & ſanguinis Chriſti:ſed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium* ſibi manducat & bibit,quia immũdus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacraméta. *To. 9. in Euan. Ioan. tr. 26.*

** 1. Cor. 11.*

*Corpus Chriſti vitam confert,ſi non ſolũ in Sacramento,ſed & ſpiritualiter ſumatur.*

Vita vnicuique erit corpus & ſanguis Chriſti:ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur,in ipſa veritate ſpiritaliter manducetur,ſpiritaliter bibatur. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm. 2.*

Edent pauperes,* & ſaturabuntur. Quid edunt? Quod ſciũt fideles. Quomodo ſaturabuntur? Imitando paſſionem Domini ſui, & non ſine cauſa accipiendo precium ſuum. *Tom. 8. in Pſalm. 48. conc. 1.*

** Pſal. 21.*

*Sacramentalis ſumptio corporis & ſanguinis Chriſti ſine ſpiritus participatione non prodeſt.*

Carnẽ Criſti & ſanguinem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali: ſed vſque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus. *To. 9. in Euang. Ioannis, tract. 27.*

*Eſt apud Auguſtinum & alia ſpiritalis manducatio, qua præter Euchariſtiæ Sacramentum,etiam paruuli baptizati corporis & ſanguinis Domini participes fiunt,de qua ipſe lib. 3 de pecc. merit. & remiſſ. cap. 4. Ibi enim affirmat: Vitam æternam paruulos habere non poſſe præter Chriſti corpus, cui vt incorporentur,inquit, Sacramento baptiſmatis imbuuntur. Sed & ſermone ad infantes ad altare loquitur in hæc verba:* Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquenque fidelium corporis ſanguiniſque Dominici participem fieri,quando in baptiſmate membrum Chriſti efficitur: nec alienari ab illius calicis paniſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat ac calicẽ bibat, de hoc ſeculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio nõ priuatur,quando ipſe hoc quod illud Sacramentum ſignificat, inuenit. *Citatur à Beda in decimum caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios.*



## *IIII. Quomodo intelligendum ſit illud: Caro non prodeſt quicquam &c. Ioan. 6.*

SPiritus eſt* qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, dicamus ei,patitur enim nos non contradicentes, ſed noſſe cupientes. O Domine magiſter bone, quomodo caro non prodeſt quicquam, cùm tu dixeris: niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam? An vita non prodeſt quicquam? & propter quid ſumus quod ſumus, niſi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid eſt ergo,non prodeſt quicquam? Caro nõ prodeſt quicquam,ſed quomodo illi intellexerũt. carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, nõ quomodo Spiritu vegetatur. *Tom. 9. in Euang. Ioannis, tract. 27.*

** Ioan. 6.*

*Caro in cadauere dilaniata,vel in macello vendita non prodeſt, ſed caro ſpiritu vegetata.*

Hoc vos* ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Quid ſibi vult: Hoc vos ſcandalizat? putaſtis quia de hoc corpore quod videtis partes facturus ſum, & membra mea conciſurus,& vobis daturus? Quid ſi ergo videritis filium hominis aſcẽdentem vbi erat prius: Certè qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit. Ergo & de corpore ac de ſanguine ſuo dedit nobis ſalubrem refectionem, & tam magnam breuiter ſoluit quæſtionem. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm. 2.*

** Ioan. 6.*

*Iudæi offenſi quia exiſtimabãt Chriſtũ velle corpus ſuum in partes concidere.*

*Chriſtus data nobis ex corpore et ſanguine ſuo ſalubri refectione magnã breuiter ſoluit quæſtionem.*

Durum illis viſum eſt quod ait:* *Niſi quis manducauerit carnem meam,non habebit vitam æternam*: acceperunt illud ſtultè,carnaliter illud cogitauerũt, & putauerunt, quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo,& daturus illis, & dixerunt: Durus eſt hic ſermo. Ipſi erant duri, non ſermo. Etenim ſi nõ duri non eſſent,ſed mites eſſent, dicerent ſibi. Nõ ſine cauſa dicit hoc,niſi quia eſt ibi aliquod Sacramentum latens. *Sequitur* Ille autem inſtruxit eos,& ait illis, Spiritus eſt qui viuificat,caro autem nihil prodeſt. Verba quæ locutus ſum vobis ſpiritus eſt & vita. Spiritaliter intelligite quod locutus ſum: non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod

** Ioan. 6.*
** Ibidem.*

vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. *Tom. 8 in Pſal. 98.*

*Berēgarius olim aduerſus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, vt complures qui circa eius tempora vixerunt nobis auctores ſunt, hæc poſtrema Auguſtini verba*, Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis &c. *id quod etiam hodie eius aſſeclæ Sacramentarij faciunt, ita accipiebat, vt ab Auguſtino negari corporis Chriſti veritatem in Euchariſtia, atque ipſum Chriſtum per ſpiritalem tantummodo gratiam nobis præſentem, affirmari crederet. Reſpondit autem Berengario conformiter ad huius articuli noſtri ſenſum vir ſanctimonia vitæ pariter & doctrina præclarus Iuo Carnotenſis Epiſcopus, epiſtola ad Haimericum. Ipſum & non ipſum (inquit) corpus manducaturi eſtis: ipſum quidem materiali eſſentia, ſed non ipſum viſibili forma. Quamuis enim Dominus ſemel in diſtinctione membrorum ſuorum, in manifeſtatione corporis ſui ſe obtulerit hoſtiam viuentem, paſſibilem & mortalem, quotidie tamen ſub velamento panis & vini à ſancta Eccleſia immolatur, & non in partes ſciſſum atque cruentum corpus eius fidelium ore percipitur. Et hoc eſt quod dicitur*, Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, *neque enim quod de altari ſumimus, B. Auguſtinus verum corpus eſſe negaret, qui hoc in pleriſque tractatuum ſuorum locis euidenter affirmat. Hæc Iuo. Beatus Thomas rem breuiter pro ſuo more comprehendens, non hoc corpus, vt tale, inquit. Sed & ante vtrunque horum Guimundus Aruernenſis Eccleſiæ Epiſcopus grauiter aduerſus Berengarium eodem Auguſtini teſtimonio abutentem, inſurgit: Infœlix homo (inquit) diu in peſte hæretica inueteratus, ſuadente diabolo, cuius retibus penè inexplicabiliter implexus eſt, libētius omnes ingenij ſui vires ad aucupādum vnum verbum, quo malè intellecto propagatam ſtultitiam munire videatur accommodat, quàm diuinarum ſcripturarum prouidentiſſimam vigilantiam contra ſe validè reclamantem vel tenuiter attendat. In eodem quippe Pſalmo hæc præmiſit Auguſtinus.* Suſcepit Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit *Si ergo ipſam carnem. quam de carne Mariæ accepit, & in qua hîc ambulauit, nobis maducandam ad ſalutem dedit, quomodo non hoc corpus, &c. Interpretatus deinde ſupe-*



*riora Auguſtini verba*, Non hoc corpus, *id eſt, non tale corpus vt videtis, ad citata in hoc articulo noſtro teſtimonia ſe refert, declarans carnem quidem ſuam Chriſtum dicere voluiſſe, ſed non quomodo in cadauere dilaniatur, aut macello venditur, quoniam viſibilem carnem ſuam ſecum portaturus eſſet in cælum. Adduciunt alij dictum eſſe ab Auguſtino*, non hoc corpus quod videtis, *ſicut dictum eſt ab Apoſtolo, cum de reſurrectione corporum humanorum, ex aliorum corporum comparatione nos docere inſtituiſſet: Non hoc corpus quod futurum eſt ſeminas &c. Sed arbitror rem alioqui haud obſcuram, ab hiſce tam vetuſtis in Eccleſia Dei ſcriptoribus abundè declaratam, explicatione prolixiori nulla indigere, tantùm vt conſiderent carnales homines, qui nihil niſi carnem in Sacramento carnis Chriſti ſapiunt, verba Auguſtini, qui ait*: Caro vocatur quod non capit caro: & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Norunt fideles corpus Chriſti, & cæt. *Tom. 9. in Euangel. Ioannis, tract. 26.*

Quando loquebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus de corpore ſuo, ait * *Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam æternam. Caro enim mea verè eſt eſca & ſanguis meus verè potus:* Et diſcipuli eius qui eum ſequebātur, expauerunt & exhorruerunt ſermonem: & non intelligentes, putauerunt neſcio quid durum dicere Dominum nonoſtrum Ieſum Chriſtum, quod carnem eius, quam videbant manducaturi erant & ſanguinem bibituri. *Et poſt pauca.* Quaſi furor & inſania videbatur, dare carnē ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinē &c. Nónne videtur inſania, manducate carnem meā, & bibite ſanguinem meum? Et, Quicunque non manducauerit carnem meam, & non biberit ſanguinē meū, non habebit in ſe vitam? Quaſi inſanire videbatur. Sed regi Achis inſanire videbatur, id eſt, ſtultis & ignorantibus (*reſpicit ad Hiſtoriam Dauidis, qui Chriſti figuram expreſſit. 1. Reg. 21.*) ideò dimiſit eos & abijt. Fugit corda eorū intellectus, ne eū poſſint cōprehendere. Et quid dixerunt illi? Quomodo poteſt hic nobis dare manducare carnem ſuam? Arreptitium putabant Dominū, & neſcire quid loqueretur & inſanire. Ille autem qui nouerat ꝙ dicebat, in illa mutatione vultus ſui, & quaſi furore &

* *Ioan. 6.*

*Corpus Chriſti non viſibiliter carnis ſpecie, ſed in Sacramento editur.*

inſania, Sacramenta prædicabat. *Tom.8. in Pſal.33. conc.1.*

** Ioan.6.* ** 1.Cor.8.*

Proinde ſic dictum eſt:* *Caro non prodeſt quicquam*, quomodo dictum eſt: * *Scientia inflat.* Iam ergo debemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Et quid eſt, *Scientia inflat*? Sola ſine charitate. Ideò adiunxit. *Charitas verò ædificat.* Adde ergo ſcientiæ charitatem & vtilis erit ſciẽtia: ſic etiam nunc caro non prodeſt quicq̃, ſed ſola caro. Accedat Spiritus ad carnem, quomodo charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum: nam ſi caro nihil prodeſſet, verbum * caro non fieret, vt inhabitaret in nobis. *Et paulo pòſt.* Spiritus ergò eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicq̃. Sicut illi intellexerunt carnem, non ſic ego do ad manducandum carnem meã. *Tom.9. in Euang.Io.tract.27.*

** Ioan.1.*

*Ad hunc locum etiam illud Auguſtini pertinet, ex lib.3.de doct.Chriſt.cap.16. vbi ait:* Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem, aut beneficentiam iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt. *Niſi manducaueritis*, inquit, **carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura eſt ergo, præcipiẽs paſsioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit. *Vbi notandum quòd manducare carnem filij hominis & ſanguinem eius bibere, figurata locutione dicimur: quia reuera nos non Læſtrigonum aut Antropophagorum in morem humanam carnem dentibus terimus atque manducamus, etſi carnem Chriſti Sacramento panis velatam fidei dentibus veraciter manducare, atque ſub vini ſpecie ſanguinem eius bibere dicimur, id quod Auguſtinus hîc paſsioni Domini communicare dixit, iuxta illud Chriſti Domini: hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, & illud Apoſtoli.1.Cor.11. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Sub figura verò panis carnem Chriſti manducare, & ſub figura vini ſanguinem*

** Ioan.6.*



*Chriſti bibere cuinam mortalium facinus aut flagitium videri poteſt?*

## *V. In Euchariſtiæ ſanctiſsimo Sacramento, Chriſtum vnigenitum Dei filium cultu latriæ, etiam externo eſſe adorandum.*

** Pſal.98.*

*Adorate ſcabellum * pedum eius, quoniam ſanctum eſt.*) Quid habemus adorare? ſcabellum pedum eius. Suppedaneum dicitur ſcabellũ, quod dicitur græcè ὑποπόδιον, dixerunt Latini ſcabellum, & alii dixerũt ſuppedaneum. Sed videte fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit, * *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, * quod ſit ſcabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cùm dicat apertè Scriptura: * *Dominum Deum tuum adorabis*: & hîc dicit: *Adorate ſcabellum pedum eius*? Exponens autem mihi quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit, *Terra autem ſcabellum pedum meorũ.* Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedũ Domini mei, quia pſalmus mihi dicit, Adorate ſcabellum pedum eius. Quæro quid ſit ſcabellum pedũ eius, & dicit mihi Scriptura: Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedũ eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ * carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: Inuentum eſt quemadmodũ adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat? Ipſe Dominus dixit: * cùm de ipſa commendatione eiuſdem terræ loqueretur. *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt.* Ideo & ad terrã quamlibet cùm te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum, cuius pedum ſcabellum eſt quod adoras, propter ipſum

** Eſai.66.* ** Matth.5.* ** Deut.6. Matth.4.* ** Luc.1.*

*Caro Chriſti ſumpta ex Maria adoranda eſt in Euchariſtia: Quid ad hæc Sacramẽtarij? quid etiam qui extra vſum negãt eſſe ibi corpus & ſanguinẽ Chriſti?*

** Ioan.6.*

*Ait Augu-*

*ſtinus: Ad terrã quamlibet cùm te inclinas & quia in pluribus locis Euchariſtia eſſe & adorari poteſt.*

enim adoras: ideò & hîc ſubiecit, Adorate ſcabellũ pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Quis ſanctus eſt? In cuius amore adoras ſcabellũ pedum eius. *To. 8. Pſal. 98*

*Videtur huius Pſalmi tam germanam & propriam interpretationem Auguſtinus ab Ambroſio, cuius præ cæteris ſectator fuit, mutuatus. Is enim lib. 3 de Spiritu ſancto, cap. 12.* Videamus, *inquit*, ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit. Itaque per ſcabellum terra intelligatur: per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſuprà diximus, adorarunt. Neque enim diuiſus Chriſtus, ſed vnus. Neque cùm adoraretur tanquam Dei filius, natus ex virgine negabatur.

** Pſal. 21.*

Manducauerũt *& adorauerunt omnes diuites terræ. Manducauerunt corpus humilitatis Domini ſui etiam diuites terræ, nec ſicut pauperes ſaturati ſunt, vſque ad imitationem, ſed tamen adorauerunt. *Tom. 8. expoſ. 1. in Pſal. 21.*

** Pſal. 21.* ** Pſal. 21.*

*Si adoranda Euchariſtia eſt, quidni oſtendatur populo, & honorificè circumferatur, vt adorari poſſit?*

** Philip. 2.* ** Matth. 5.*

Neque enim fruſtra ita diſtincti ſunt, vt de pauperibus ſuprà diceretur: * *Edent pauperes & ſaturabuntur.* Hîc verò: * Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipſi qui adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius: Sed adorant tantùm, non etiam ſaturantur, quoniam nõ imitantur. Manducantes enim pauperem dedignãtur eſſe pauperes. *Et paulò poſt.* Sed quia Deus excitauit * eum à mortuis, & donauit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu flectatur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: fama celſitudinis eius, & gloria nominis eius in Eccleſia vſquequaque diffuſa, permoti & ipſi veniunt ad menſam, manducãt & adorant, non tamen ſaturantur, quia non eſuriũt & & ſitiunt * iuſtitiam. *Tom. 2. epiſt. 120. cap. 27. ad Honoratum. Eadem fermè leges & in Pſalmum 48. Conc. 1.*

*Saluberrimum corporis Chriſti*

Neuter eorum (*qui tanquam ſalutarem medicinam, Chriſti corpus quotidiè ſumit, & qui propter humilitatem non niſi rarò ad illud valdè præparatus accedit*) exhonorat corpus & ſanguinem Domini; ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque



*Sacramentũ certatim honorandum.*

** Luc. 19.* ** Matth. 8.*

enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus * & ille Centurio *, cùm alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominũ: alter dicit, *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum:* ambo ſaluatorem honorificantes diuerſo & quaſi contrario modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinẽ, quod in primo populo vnicuique manna * ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore cuiuſque Chriſtiani Sacramẽtum illud, quomodo ſumatur æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidiè ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolùm non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita. Continuò quippe cùm dixiſſet: * *Iudicium ſibi manducat & bibit:* addidit, vt diceret. Nõ diiudicãs corpus Domini: quod ſatis toto ipſo loco in epiſtola ad Corinthios prima, ſi diligenter attendatur, apparet. *Tom. 2. Epiſt. 118. cap. 3. ad Ianuarium.*

** Exod. 16.*

*Veneratio ſingularis Euchariſtiæ debita.*

** 1. Cor. 11.*

*Adducunt, Chriſtiane Lector, Eccleſiæ hoſtes, ad realem & eſſentialem exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, de Chriſtiana religione tollendam, tria potiſſimum ex Auguſtino teſtimonia: quibus etſi ſuperioribus articulis hinc inde ſit reſponſum: tamen vt aduerſus ſingularem illorum impietatem, Auguſtinum orthodoxum, Catholicum, & quem nullus vnquam ſiniſtræ ſuſpicionis, vt grauiſſimus nobis auctor eſt papa Celeſtinus, rumor aſperſit, Eccleſiæ doctorem, propriis ipſum ſuis armis ab iniuria vindicemus, duximus operæprecium eorum vnumquodque ſeparatim proprio ſcholio illuſtrare, atque ex aduerſariorum manibus eripere. Citant inprimis illud, ex Epiſt. 23. ad Bonifacium:* Nónne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento, non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur, nec vtique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari. Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sa-

cramenta ſunt, non haberent, omninò Sacramenta nō eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quendam modum Sacramētum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, Sacramētum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei, fides eſt. *Si ſecundùm quendam modum, inquiunt, Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, non ergo verè, realiter & eſſentialiter Chriſti corpus in Sacramento eſt. Sed animaduertere debebant in Auguſtini libris, non rarò Sacramenti nomine, ipſum, quod per Sacramentum celebratur, ſacrificium ſignificari, vt cùm contra Fauſtum, lib. 20. cap. 21. illud pſalmiſtæ explicans, Sacrificium laudis glorificabit me.* Huius, *inquit*, ſacrificii caro & ſanguis ante aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in paſsione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur, poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur: *hîc niſi Sacramentum pro ſacrificio ſumas, cùm de ſacrificio laudis declaratio inſtituta ſit, obſecro quî conuenit interpretatio? Iam verò eodem planè ſenſu & in ſuprà citato loco, Sacramenti nomine Auguſtinum vti voluiſſe, illa quoque eius præcedentia verba,* In Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur, nec vtique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit immolari: *abundè declarant. Sacrificium autem corporis Chriſti, quod omni die populis immolatur, etſi ex Eccleſiæ & Auguſtini ſententia, verum atque propriè dictū ſacrificium ſit, omnéſque veri ſacrificij, (id quod proximè ſequenti capite de ſacrificio Miſſæ pluribus articulis maniſeſtiſsimè declarabitur) effectus & proprietates habeat, ad illud tamen cruentum, quod in ara crucis Deo Patri vnigenitus eius filius de propria carne ſua immolauit comparatum, memoriale ſignum quoddam,* ἀναπεμπαζόμενον, *ſeu vt ita dicam, recordatiuum, ſalutare licet & efficax ſacrificium eſt: non ad viuum planè, quale tunc erat, mortale Chriſti corpus & è corpore viſibiliter profluētē Chriſti ſanguinem, nobis ob oculos ponens, ſed ſecūdùm quendam modū Chriſti corpus, id eſt, corpus quidem, ſed Sacramento panis velatum, corpus inuiſibile, glorioſum & immortale: nempe*

*vt hic*



*vt hic ſit ſenſus verborum Auguſtini: Secundùm quendam modum, id eſt, ſecundùm ſimilitudinem eam, quam Chriſti corpus ſub panis ſpecie latens, cū ſeipſo viſibili habere poteſt, Sacramentum corporis Chriſti, cum id omni die populis immolatur, Chriſti corpus eſt, id eſt, Chriſti corporis iam olim factam oblationem figurat. Hac interpretatione ante annos non minus quingentos, vſus Cantuarienſis Archiepiſcopus Lanfrancus, B. Gregorij inſuper teſtimoniū ad eam confirmandam accommodatiſsimè affert atque ſcribit in hæc verba: Sacramentum corporis Chriſti quantum ad id ſpectat, quod in cruce immolatus eſt ipſe Dominus Chriſtus, caro eius eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus,* Caro *videlicet carnis, & ſanguis* Sa*cramentum eſt ſanguinis.* Carne *& ſanguine, vtroque inuiſibili, intelligibili, ſpirituali ſignificatur redēptoris corpus viſibile, palpabile, manifeſtè plenum gratia omniū virtutum, & diuina maieſtate: quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi ſalutem diuiditur, alterum verò effuſum de calice ab ore fidelium ſumitur, mors eius in cruce, & ſanguinis eius de latere emanatio figuratur. Vtrunque B. Gregorius & ſolerter attendit, & enucleatè in quarto dialogorum libro ità exponit, dicens:* Eius quippe caro ibi ſumitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Penſandum ergo eſt quale ſit hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra mortem vnigeniti filii ſemper imitatur. *Hæc Gregorius. Imitatur dixit, non operatur, quia reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Caro *ergo & ſanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis noſtris Dei miſericordiam quotidie alimur,* Chriſti *corpus ac ſanguis vocantur, non ſolùm quia eſſentialiter idem ſunt, qualitatibus plurimùm diſcrepantes, verùm etiam eo locutionis modo, quo res ſignificans ſignificatæ rei vocabulo ſolet nuncupari. Hactenus Lanfrancus. Quanquam & Sacramentum ipſum per ſe conſideratum, viſibiles nimirum panis & vini ſpecies, quæ tanquam externa & viſibilia ſigna, propriè magis Sacramentum dicuntur, non niſi ſecundùm quendam modum metonymicῶs nimirum* Chriſti *corpus &* Chriſti

S f

*ſanguis ſunt, quatenus humanam effigiem & naturã Chriſti, tanquam ſigna res à ſe ſignatas, repræſentant. Qui ſenſus ex illis Auguſtini verbis eruitur, de verbis Domini, ſerm. 46.* Velatum eſt, ſed ſi volueris erit reuelatũ. *Quin & ſerm. ad recens baptizatos.* Quomodo eſt, *inquit*, panis corpus eius? & calix vel quod habet calix, quomodo eſt ſanguis eius? Iſta fratres ideò dicuntur Sacramẽta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritalem. *Solerter hæc annotauit Lanfranci coætaneus Algerus, cùm ſuprà citatum Auguſtini locum, Berengario illum eripere volens hiſce verbis eſt interpretatus. Quod dixit Auguſtinus ad Bonifacium*, Sicut Sacramẽtũ corporis Chriſti, ſecũdùm quædam modũ corpus Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei, fides eſt: *intelligendum eſt, de forma panis & vini, quæ non verè, ſed figuratè & nuncupatiuè dicitur corpus Chriſti (quatenus metonymicos ſignatum ſigni nomine nuncupatur). Quia igitur Auguſtinus ad comprobandum quod Sacramentum fidei, fides diceretur, duas ſimilitudines dedit, vnam actualis Sacramenti, immolationis ſcilicet imaginariæ: alteram verò realis, formæ ſcilicet panis & vini, vt ſicut immolatio imaginaria figuratè vocatur mors, crucifixio Chriſti, & ſicut forma panis & vini figuratè vocatur corpus Chriſti, ſic Sacramentum fidei, ſcilicet Baptiſma figuratè vocatur fides. Notandum quod in altera harum ſimilitudinũ cœleſtem panem, qui verè Chriſti caro eſt, non communi, ſed ſuo, & quaſi proprio modo corpus Chriſti vocari dixit: quia ſcilicet corpus illud non corporale, ſed ſpirituale (id eſt, glorioſum, ſicut Apoſtolus dixit, reſurget corpus ſpirituale) & diuinum præ omnibus corporibus ſingulariter vidit: In altera autem Sacramentum corporis Chriſti, id eſt formam panis, abſolutè, ſecundùm quendam modum corpus Chriſti dixit, quia communi figura non exiſtentium quod dicuntur, illud dici corpus Chriſti notauit. Hucuſque Algerus. Vides igitur Lector, realem Chriſti corporis præſentiam, ſuprà commemoratis Auguſtini verbis, non modò non conuelli, verùm etiam fortiter aſtrui? cùm neque ſecundùm quendam modum Sacramentum corporis Chriſti, quod eſt externa viſibiliſque materia panis & vini, corpus Chriſti eſſe poſſit, niſi illud ipſum verum, propriũ, reale & eſſentiale corpus, quod in cruce quondam mortale, cruentum atque viſibile oblatũ eſt, ipſum, inquam, iam immortale atque inuiſibile factum, ἀναιμάκτως repræſentaret?*



*Alterum quo aduerſum nos atque Catholicam verborum Chriſti interpretationem, non minus imperitè vtuntur, ex lib. contra Adimantum Manichæum eſt, cap. 12. vbi Auguſtinus loquitur in hæc verba.* Poſſum etiam interpretari præceptum illud * (*in quo dicitur ſanguinem pecoris, animam eius eſſe*) in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitauit dicere, * hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui. *Vbi ego arbitror non eſſe neceſſe credere, hæc Auguſtini verba, quaſi ex aduerſariorum notiſſimo omnibus errore, ſicut quidam doctiſſime diſputant, aſſumi tantùm, non autem affirmari: ſed neque ante hæc noſtra tempora, ab Berengarij ſectatoribus, quod non minus probabiliter alij faciunt, Auguſtini libris inſerta ſuſpicari. Quid enim hæc, ſi vel modicũ illuſtrentur, aut ab Auguſtini conſtantiſſima ſententia, quæ tam multis teſtimoniis atque articulis hactenus à nobis declarata eſt, alienum: vel non Catholicæ doctrinæ per omnia conſonum atque conſentaneum proponunt? Auguſtinus, inquiunt, ſignum corporis ſui Dominum dediſſe aſſerit, corpus negat. Falſum eſt, Auguſtinus nihil negat. At ſi ſignum corporis Chriſti eſt, inquiunt, corpus Chriſti eſſe quî poteſt? Signum eſt quia Sacramentum. Quid enim aliud Sacramentum dicitur, quàm vt ex Auguſtino primo capite huius libri docuimus, ſacræ rei viſibile ſignum? Sed interrogabo & ego vnum: Chriſtus Sacramentum filij Dei eſt (ita enim loquitur & Auguſtinus) anne idcirco filius Dei non eſt? Signum corporis ſui Dominus dedit, quia Sacramentum dedit: ſignum, quia rem ſignatam CHRISTI corpus in ſe continens. Quomodo enim dicere non dubitaſſet, hoc eſt corpus meum, cùm ſignum corporis ſui, ſi inane ſignum, & non ſignum corporis, id eſt panis & vini Sacramentales formas, corpus Chriſti naturale, proprium & verum continentes Apoſtolis exhibuiſſet? Si dixiſſet ſignum gratiæ*

* Deut. 12.

* Matt. 26.

Lib. octoginta triũ quæſtionũ. q. 42.

*ſuæ, ſuſpicari poteramus, vt in Baptiſmo, ita & in Euchariſtia, nihil præter Chriſti gratiam, virtutem nimirum & efficaciam ad ſpiritualiter vel ſanandam, vel confirmandam hominis mentem contineri: nunc verò cùm ſignum corporis dicat, & quidem tale ſignum, de quo Chriſtus dicere non dubitarit, hoc eſt corpus meum, quis Chriſtianus Chriſto non dubitanti dicere, hoc eſt corpus meum, fidem ipſe dubitet adhibere, & verum eſſe in Euchariſtia Chriſti corpus, etſi ſignatum, & panis ſpecie velatum, credere? Auguſtini verba plana certè & aperta ſunt, dictum eſſe à Domino, hoc eſt corpus meum, ſicut quondam à legislatore Moſe, Sanguinem pecoris eſſe animam eius, non quia ſanguis pecoris anima eius eſt, ſed quia animæ in corpore latentis ſignum. Quod & de Sacramentalibus ſpeciebus ita* Catholicè *dicitur: ſiguram panis & vini in Euchariſtiæ* Sacramento, *corpus* Chriſti *eſſe, non quia reuera externæ illæ ſpecies, corpus Chriſti ſunt, ſed quia latentis in ſe Chriſti corporis & ſanguinis, iuxta verbum Chriſti, certiſſimum præbent indicium. Poteſt etiam ſigni nomen ad ſacrificium Miſſæ referri, quod ab Apoſtolis ſuis Chriſtus, cùm dixiſſet hoc eſſe corpus ſuum, in ſuæ paſsionis memoriam celebrari voluit atque mandauit. Id nanque veriſſimum Chriſti corporis pro nobis in ara crucis oblati, expreſsiſſimum pariter atque efficaciſſimum ſignum eſt: quod Guimundus Aruernenſis Archiepiſcopus, qui & ipſe ante annos nõ minus quingentos in Eccleſia Dei floruit, aſſerit atque ex Auguſtino hiſce verbis confirmat, Celebrationem dominici corporis, inquit, ſignum dixit, quod idem & nos credimus. Nam quoties celebratio corporis & ſanguinis Domini agitur, nõ equidem Chriſtum iterum occidimus, ſed mortem eius in ipſa, & per ipſam celebrationem memoramus. Eſtque ipſa celebratio, paſſionis Chriſti quidẽ cõmemoratio: cõmemoratio autẽ paſſionis, ipſam paſſionẽ ſignificat. Celebratio igitur corporis & ſanguinis Domini, paſſionis Chriſti eſt ſignũ. Et hoc eſt, quod ait beatus Auguſtinus:* Hoc verò tempore, poſteaquam per reſurrectionem Domini noſtri manifeſtiſſimum indicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorum quidem ſignorum quæ iam intelligimus operatione graui onerati ſumus, ſed quædam pauca pro multis eadémque factu facillima & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima ipſe Dominus & Apoſtolica tradi-

*De doctr. Chri. lib. 3. cap. 9.*



dit diſciplina, ſicuti eſt baptiſmi Sacramentum & celebratio corporis & ſanguinis Domini. *Et infrà: Nam in celebratione Dominici corporis, quam Auguſtinus ſignum vocauit, Chriſtus immolatur, nemo carnaliter hoc ſecundùm literam debet accipere. Chriſtus enim ſemel mortuus, iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur. Sed dum paſsionem eius Miſſas celebrando memoramus, pro nobis olim mortuus deſignatur. Denique ſi quis dicat:* Celebratio *dominici corporis eſt dominica paſſio, tanquam carnaliter ſentiens à nobis repellitur. Non eſt celebratio ipſa Dominica paſſio, ſed dominicæ paſſionis iam peractæ ſignificatiua commemoratio. Hæc Guimundus.*

*Rom. 6.*

*Veniam ad id, quod ad euertendam veritatem à nonnullis etiam robuſtius atque ſolidius putatur.* Iudam Dominus adhibuit ad conuiuium, *inquit Auguſtinus*, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis cõmendauit & tradidit. *præfa. in Pſal. 3. Quæ Auguſtini verba ſi vel octo tantum voculis Catholicus quiſpiam illuſtrare volens reſponderit, id ipſum ab Auguſtino figuram vocari quod Chriſtus commemorationem appellat, cùm addit:* Hoc facite in meam commemorationem, *non video quid prudens Lector in iis deſiderare amplius, vel quaſi de obſcuritate dictionis conqueri poſſit. Figuram corporis & ſanguinis ſui Dominus diſcipulis commendauit, quando quæ à ſolis ortu vſque occaſum, iuxta prophetiam Malachiæ hoſtia munda in altari conſecratur & ſacrificatur, à* Chriſto *Domino primitus inſtituta fuit atque præcepta. Hæc enim idcirco figura rectiſſimè dicitur, quia per eam repræſentamus, & quaſi per antitypa, vt græci Patres loquuntur, carnem Chriſti in cruce pro ſalute humani generis oblatam ſignificamus atque memoramus. Quod ne cui mirum videatur, idem ſui ipſius figuram eſſe atque appellari, meminerit Chriſtum, iuxta teſtimonium Apoſtoli, in ſimilitudinem hominis factum, verùm nihilominus hominem fuiſſe: eundem appellari imaginem inuiſibilis Dei & figuram ſubſtantiæ eius, verùm nihilominus abſque temporis initio Deum eſſe Patri ὁμούσιον atque conſubſtantialem. Quod ſi in hiſce loquendi modis, quibus Scri-*

*ptura utitur, nihil repugnãs apparet, Chriſtum imaginem Dei, pariter & Deum eſſe, figuram ſubſtantiæ Dei, & ipſam Dei eſſe ſubſtantiam: quid miramur, idem figurá corporis, pariter & corpus appellari: figuram, quia mortem Domini repræſentat: corpus, quia eſſentialiter nihilominus Chriſti corpus eſt? Scripſit aduerſus Berengarium hæreticum toto orbe damnatum, is cuius & antea teſtimonio vſi ſumus, Guimundus, vir exercitatus in Scripturis. Is cùm propoſitum haberet declarare, quonam Catholico ſenſu Auguſtinus Chriſti corpus figuram corporis appellet ſermonem ſuum, ſæpè quidem ad ſacrificium crucis Chriſti, nonnunquam verò & ad corpus Chriſti myſticum refert: Apoſtoli ſecutus doctrinam, qui cùm ad Corinthios ſcribens de eodem iſto ſanctiſſimo altaris Sacramento locutus dixiſſet, Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Subiũgit deinde id cuius ratione, corpus Domini figura corporis appellari poſſit: Quoniam, inquit, vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes quidem de vno pane & de vno calice participamus. Guimundi verba ſunt hæc: Iam verò quod vnitatem corporis Eccleſiæ ſacra figuret oblatio, non eſt neceſſe vt hoc probando laborem. Paulus enim id ſufficienter declarat Apoſtolus dicens: Panis quem frangimus, & calix cui benedicimus nónne participatio corporis & ſanguinis eſt? quia multi vnum ſumus in Chriſto. Quod beatus Cyprianus intelligens in Epiſtola ad Magnum quendam ita proſequitur.* Denique vnanimitate Chriſtianos firma ſibi atque inſeparabili charitate connexos, ipſa etiam dominica ſacrificia declarant. Nam quãdo Dominus corpus ſuum panem vocat, de multorum granorum adunatione congregatum, populum noſtrum quem portabat, indicat adunatũ. Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expreſſum atque in vnum coactum, gregem iterũ noſtrum ſignificat commixtione adunatæ multitudinis copulatũ. *Vnde et beatus Auguſtinus ſuper Ioannẽ dicit:* Hũc itaq; cibũ & potũ, ſocietatẽ vult intelligi corporis & membrorũ ſuorũ, quæ eſt Eccleſia. *Et paulò pòſt.* Propterea quippè, ſicut ante nos intellexerũt, ait, homines ſancti Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus cõmendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Nam aliud in vnum ex multis granis conficitur, aliud in vnum ex multis acinis. *Aptiſſimè igitur & rationabiliter ſacra oblatio, cùm aliorum multorum bonorum, tum etiam corporis Domini, id eſt, Eccleſiæ ex multis hominibus & populis velut granis inter duo teſtamenta, tanquam ſuperiorem & inferiorem molam contritis, id eſt, humiliatis per aquam Baptiſmi & ignem Spiritus ſancti in vnum collectæ atque compactæ Dei ſignum dicitur. Hactenus Guimundus. Nunc vtram expoſitionem verbis Auguſtini aptius exiſtimet conuenire ſapiens Lector, ipſe diſpiciat. Vtroque certè modo corpus Chriſti quod in iugi ſacrificio offertur Deo, corporis Chriſti figura appellari poteſt, vel quia corpus Chriſti in cruce pendens in memoriam hominibus vocat, iuxta illud Apoſtoli: Quotieſcunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: vel quia corporis Chriſti myſtici ſignificationem habet, ſiquidem vnus panis & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Nec repugnat illud, quod ex Aug. citatur de conſec. diſ. 2. can. 71. & lib. 4. ſent. diſ. 10.* Corpus Chriſti & veritas & figura eſt: veritas, dum corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus ſancti in virtute ipſius, ex panis & vini ſubſtantia efficitur: figura verò eſt, id quod exterius ſentitur: *ſiquidem externa quoque panis & vini ſpecies, poſt tranſſubſtantiationem in Sacramento altaris remanens figura eſt corporis & ſanguinis Chriſti, cùm non corpus ipſum, ſed panis ſpecies ſub oculorum ſenſum cadẽs, tanquam figura quædam, cruentam illam, quam dixi, in cruce factam pro nobis oblationem, repræſentet.*



### *VI. In ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantiam panis & vini, poſt conſecrationem non remanere.*

** Matth. 6. Verba igitur Chriſti, quibus in conſecratione vtimur, aliquid efficiunt.*

PAnem noſtrum * quotidianũ da nobis hodie. Memini ſermonis mei, cùm de Sacramẽtis tractarem, dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur, vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam

non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica quæ poſtea ſequitur, ait, Panem noſtrum? Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt, ſuperſubſtãtialem. Non iſte panis, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitę æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtãtiam fulcit. *Tom.10. de verbis Domini, serm.28.*

*De conſecr. diſt.2. can. Non iſte.*

Nos autem in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt carnem & ſanguinem honoramus: nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, quemadmodum ante conſecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur, ante conſecrationem panem eſſe & vinum quod natura formauit: poſt conſecrationem verò carnem Chriſti & ſanguinem eſſe, quod benedictio conſecrauit. *In libro ſentent. Proſperi, ex Auguſtino, & habetur de conſecr. diſt.2. can.40.*

*Ante cõſecrationẽ panis & vinũ, quod natura formauit: poſt conſecrationẽ verò corpus & ſanguis Chriſti.*

Vtrum ſub figura an ſub veritate hoc myſticum calicis Sacramentum fiat, veritas ait: * *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Alioqui quomodo magnum erit, Panis quem ego dabo caro mea eſt, pro mũdi vita, niſi vera ſit caro? Sed quia Chriſtum fas vorari dentibus non eſt, voluit Dominus hunc panem & vinum in myſterio verè carnem ſuã & ſanguinem ſuum conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari: Et quotidie pro mundi vita myſticè immolari, vt ſicut de virgine per Spiritum ſanctũ vera caro ſine coitu creatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini, myſticè idem corpus Chriſti conſecretur. *Citatur ex Auguſtino, de conſecr. diſt.2. can.71. & lib.4. ſent. diſt.10.*

** Ioan. 6.*

*Quid magnũ eſſet, quod dixit Chriſtus: Panis quẽ ego dabo caro mea eſt, pro mũdi vita, niſi vera ſit caro? Quid plus, quã manna, vel quàm agnus typicus haberetur?*

Intra ſanctam Eccleſiam Catholicã in myſterio corporis Chriſti, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote, quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris & in virtute Spiritus ſancti: ſi enim in merito eſſet ſacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret: Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per Spiritum ſanctum hãc ſubſtantiam efficit carnem, & tranſit vinum in ſanguinem. *Ibidem.*

*Hinc ſacramẽtariorũ obiectiones multæ diluuntur. Subſtãtia panis efficitur caro Chriſti, & vinũ trãſit in eiuſdem ſanguinem.*

Credendum eſt, quòd in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur, cuius enim potentia creantur prius, eius vtique verbo ad melius procreantur. *Ibidem.*



Dominus Ieſus ab eis quorum oculi * tenebantur, ne illum agnoſcerent, in fractione panis voluit agnoſci. Nouerunt fideles, ſciunt quid dicam. Nouerunt Chriſtum in fractione panis. Non enim omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit corpus Chriſti. *Citatur à Beda in prima ad Corinth.10. ex ſermone de verbis Euangelij.*

** Luc.24.*

*Panis accipiẽs benedictionẽ Chriſti, fit corpus Chriſti.*

## *VII. Sacroſancta Euchariſtiæ myſteria Auguſtini tempore, propter ſummam eorum profunditatem gentilibus & catechumenis expoſita temerè non fuiſſe.*

IPſis ſe credit Ieſus, qui nati fuerint denuò. Ecce illi crediderunt in eum, & Ieſus * non ſe credebat eis. Tales ſunt omnes Catechumeni: ipſi iam credunt in nomine Chriſti, ſed Ieſus non ſe credit eis. Intendat & intelligat caritas veſtra. Si dixerimus catechumeno: Credis in Chriſtum? Reſpondet, credo: & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine eius: interrogemus eum: Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? neſcit, quid dicimus: quia Ieſus non ſe credidit ei. *Tom.9. tract.11. in Ioannem.*

** Ioan. 2.*

*Catechumenis nõ ſe credit Chriſtus, quia ad Euchariſtiã ſumẽdã nullus ante Baptiſmũ admittitur, aut de Euchariſtia apertè edocetur.*

Notum eſt quid acceperint Iudæi, populus ille Iſraël: Notum eſt, quid illis pluiſſet Deus de cœlo, & neſciunt Catechumeni quid accipiunt Chriſtiani? Erubeſcant ergo quia neſciunt: tranſeant per mare rubrum, manducent manna, vt quomodo crediderunt in nomine Ieſu, ſic ſeipſis credat Ieſus. *Ibidem.*

*Neſciũt Catechumeni quid accipiãt Chriſtiani.*

Etſi Catechumenis Sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quòd ea ferre non poſſunt, ſed vt ab eis tanto ardentius concupiſcantur, quanto honorabilius occultantur. *Ibidem, tract.96.*

Vident (*Iudæi*) periſſe iam ſacerdotium ſecundùm ordinem Aaron, & non agnoſcunt ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech. Fidelibus loquor. Siquid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam. Non ergo opus eſt myſteria pro-

mere: ſcripturæ vobis intiment, quid eſt ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech. *Tom.8. in Pſal.109. ſuper illud, Tu es ſacerdos in æternum &c.*

Sicut audiuimus, cùm ſanctum Euangelium legeretur,
*Ioan.6. * Dominus Ieſus Chriſtus exhortatus eſt promiſſione vitæ æternæ ad manducandam carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum. Qui audiſtis hæc, nondum omnes intellexiſtis. Qui enim baptizati & fideles eſtis, quid dixerit noſtis. Qui autem inter vos adhuc catechumeni vel audientes vocantur, potuerunt eſſe cùm legeretur audientes, nunquid & intelligentes? Ergo ſermo noſter ad vtroſque dirigitur. Qui iam manducant carnem Domini, & bibant ſanguinem eius, cogitent quid manducent, & quid bibant, ne, ſicut Apo-
*1.Cor.11. ſtolus dixit,* iudicium ſibi manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati feſtinent. Per iſtos dies magiſtri paſcunt, Chriſtus quotidiè paſcit, menſa ipſius eſt illa in medio conſtituta. Quid cauſæ eſt, ô audientes, vt menſam videatis, & ad epulas non accedatis? Et fortè modò cùm Euangelium legeretur, dixiſtis in cordibus ve-
* Ioan. 6. ſtris, putamus quid eſt hoc quod dicit, * *Caro mea vera eſca eſt, & ſanguis meus verè potus eſt.* Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur ſanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis cõtra te clauſit vt hoc neſcias? Velatum eſt: ſed ſi volueris, erit reuelatum. Accede ad profeſſionem & ſoluiſti quæſtionem. Quid enim dixerit Dominus Ieſus, iam fideles nouerunt. Tu autem catechumenus diceris, audiens, & ſurdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia verba quæ dicta ſunt audis. Sed aures cordis adhuc clauſas habes, quia quod dictum eſt, non intelligis. *Tom.10. de verbis Domini, Serm.46.*

*Frequens eſt apud Auguſtinũ cùm de ſacroſanctis Euchariſtiæ myſteriis ſermo eſt, huius deſcriptionis modus,* Sacramẽtum quod nouerunt fideles. Sacramento altaris, *inquit,* fidelibus noto &c. *de ciuit. Dei lib.10. cap.6. Item in Pſal. 39.* Sacrificium verum, quod fideles norunt &c. Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis: quod vtinam qui noſtis omnes, non ad iudicium noueritis &c.



*Et iterum.* Hoc promittebatur quibuſdam ſignis: ablata ſunt ſigna promittẽtia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus, huius corporis participes ſumus, quod accepimus nouimus, & qui non noſtis, noueritis, & cùm didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis &c. *Item lib.50. homiliarum ho.42.* Norunt fideles, quid accipiant. *Et paſsim alibi. Ex quibus apparet, Auguſtinum dedita opera noluiſſe quibuſuis, ſiue pro concione, ſiue ſcriptis publicè editis myſterium ſacroſanctum præſentiæ Chriſti in Euchariſtia manifeſtare. Quanquam nec gentiles ipſos omni ex parte latere potuit:* Siquidem *Maximus Madaurẽſis Grammaticus, homo idololatra ad Auguſtinum ſcribens:* Illud quæſo vir ſapientiſſime, *inquit,* vti remoto facundiæ robore atque exploſo, qua cunctis clarus es, omiſſis etiam quibus pugnare ſolebas Chryſippæis argumentis, poſtpoſita paululùm dialectica, quæ neruorum ſuorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur, ipſa re approbes, quis ſit iſte Deus, quem vobis Chriſtiani, quaſi proprium vendicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis. Nos etenim Deos noſtros luce palàm ante oculos omnium atque aures omnium mortalium piis precibus adoramus, & per ſuaues hoſtias propitios nobis efficimus, & à cunctis hæc cerni & probari contendimus &c.

*Quibus verbis Auguſtinus, ne aduerſario Thyeſtæas cœnas* Hiſt. Eccl.
*calumniandi (quod in Gallia factum Euſebius commemorat)* lib.5.cap.1.
*occaſionem præberet, dum pauca reſpondendo, nihil dilucidè reſpondet, ſatis inſinuat, ſe quod obiectum erat non negare, Deum in abditis locis populo Chriſtiano præſentem fieri, ſed nolle ſe idololatris huiuſmodi myſterium pro tempore facere manifeſtum. Vide Lector Tom.2. Epiſt 44. ad Maximum. Quò nimirum & illa Auguſtini veba ſpectant, ſermone ad recens baptizatos.* Hoc quod videtis in altari Dei, etiã tranſacta nocte vidiſtis: ſed quid eſſet, quid ſibi vult, quã magnæ rei Sacramentũ contineret, nondũ audiſtis. Quod ergo vidiſtis panis eſt & calix: quod vobis etiam oculi veſtri renunciant. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis. Breuiter quidem hoc dictum eſt, quod fidei fortè ſuffi-

ciat:ſed fides inſtructionem deſiderat: dicit enim propheta:* *Niſi credideritis, non intelligetis*. Poteſtis ergo modò dicere mihi: Præcepiſti vt credamus, expone vt intelligamus. Poteſt enim in animo cuiuſquam cogitatio talis ſuboriri: Dominus noſter Ieſus Chriſtus nouimus vnde acceperit carnem &c. In cælo eſt modò ſedens ad dexteram patris, quomodo eſt panis corpus eius,& calix,vel quod habet calix, ſanguis eius? *Et reſpondet.* Iſta fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur,aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritalem. *Citatur hic lous ex ſerm. Auguſt. ad recens baptiZatos à venerabili Beda in* 10. *caput prioris ad Corinthios. Sed & illud ad hunc locum pertinet, quod alibi legitur:* De Sacramento ſanè quod accepit (*Catechumenus poſt Baptiſmum ad Euchariſtiæ communionem admiſſus*) cũ ei benè commẽdatum fuerit: ſignacula quidẽ rerum diuinarũ eſſe viſibilia, ſed res ipſas inuiſibiles in eis honorari, nec ſic habendam illam ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in vſu quolibet dicendum etiam quid ſignificet, & ſermo ille quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res ſimilitudinem gerit. *Tom.* 4. *de Catechizandis rudibus, cap.* 26.

** Iſa.7.*

## *VIII. Vtilem ac ſalutarem fidelibus eſſe frequentem ſacroſancti corporis Chriſti communionem*

INtelligitur hoc valdè benè. Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie, Euchariſtiam tuam quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant,& bonum eſt eis accipere panem quotidianum huic tempori neceſſarium. Pro ſe rogant vt bona faciant, vt in bonitate ac fide, & bona vita perſeuerent. Hoc optant, hoc orant: quia qui non perſeuerant in bona vita, ſeparabuntur ab illo pane. Ergo, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quid eſt? Sic viuamus vt ab altari tuo non ſeparemur. *Tom.* 10. *lib.* 50. *homiliarum, hom.* 42. *Idem habet ex verbis Cypriani, Tom.* 7. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum, lib.* 4. *cap.* 9.

** Matth.6. Euchariſtia panis quotidianus.*

Si quotidianus eſt panis, cur poſt annũ illum ſumis?



quem iam modum Græci in Oriente facere conſueuerunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Quomodo ſanctus Iob * quotidie pro filiis offerebat ſacrificium, ne fortè aliquid vel in corde, vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis, quotieſcunque offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, eleuatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum,& panem iſtum vitæ noſtræ quotidianum non aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus: medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum. *Tom.* 10 *de verbis Domini, ſerm.* 28.

*Sic nobis viuendum, vt quotidie mereamur Euchariſtiam ſumere.*

** Iob.1.*

Hũnc autem panem dari nobis quotidie* poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus,& Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſentes, & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur. *Tom* 7. *de bono perſeuerantiæ, cap.* 4.

** Matth.6.*

Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris quare? quoniam, inquit, eligendi dies ſunt, quibus purius homo continentiúſque viuit, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. *Qui enim manducauerit * indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Alius contra, Imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda ſint auctoritate antiſtitis debet quiſque ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam,& eadem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio ſuo cũ libet vel auferat ſe communioni, vel reddat. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, vt excommunicandus quiſquam homo iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare. Rectius inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem vnuſquiſque quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare cõtendunt, &c. *To.2. Epi.118.ca.3.ad Ianu.*

** Cor.11.*

*Ab Euchariſtiæ cõmunione nemo remouebatur et nemo remotꝰ rurſum accedebat, niſi antiſtitis iudicio & auctoritate.*

*De conſecr. diſt. 2. can. quotidie.*

Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. *Tom. 3. de Eccl. dogmat. cap. 53.*

*Alibi nullus dies intermittitur, quo Euchariſtia non offeratur, alibi ſabbato tātum & Dominico.*

Alij quotidie communicant corpori & ſanguini dominico, alij certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico. *Subiungit deinde* Totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes, Nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentique Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quamcunque fortè deuenerit. *Tom. 2. Epi. 118. ad Ianuar. cap. 2. Idē habes & To. 9. in Ioannē, tra. 26.*

## IX. *Ante Euchariſtiæ ſumptionem confeſſionem peccatorum, ſi conſcientia mortalis peccati grauat, præmittendā, mentémque diligenter eò eſſe præparandam.*

** Ioan. 6.*

Ab his venenis pietas Domini noſtri Ieſu Chriſti nos liberet, & ſeipſum nobis edendum tribuat, qui dixit:* *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, qui mãducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam in ſemetipſo*. Sed vnuſquiſque antequam corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti accipiat, ſeipſum probet, & ſecundum Apoſtoli præceptum* *ſic de pane illo edat & de calice bibat. Quia qui indignè manducat & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quando enim illud accipere debemus, antea ad confeſſionem & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus noſtros curioſius diſcutere: & peccata obnoxia ſi in nobis ſenſerimus, citò feſtinemus per confeſſionem & veram pœnitentiam abluere, ne cum Iuda proditore, diabolum intra nos celantes, pereamus, protrahentes & celantes peccatum noſtrum de die in diem. *Tom. 4. de ſalutaribus documentis, cap. 33.*

** 1. Cor. 11. Confeſſio peccatorum & pœnitentia ante ſumptionem Euchariſtiæ neceſſaria.*

In hac ergo pœnitentia maiorem quiſque in ſe ſeue-



ritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Deo. Sicut idem Apoſtolus ait:* *Si enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.* Aſcendat itaque homo aduerſum ſe tribunal mētis ſuæ, ſi timet illud, quod oportet nos exhiberi* ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque illud quod per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum: conſtituit ante faciem ſuam ne hoc ei poſtea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: * *Arguam te & ſtatuam te ante faciem tuam*. Atque ita conſtituto in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animæ confitentis per lachrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, vt ſe indignum homo iudicet participatione corporis & ſanguinis Domini. Vt qui ſeparari à regno cælorum timet per vltimam ſententiã ſummi iudicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cæleſtis panis interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipſe nō accedit, cogitet, quàm ſit cōtremiſcenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alij in mortem præcipitentur æternam. *Tom. 10. lib. 50. homiliarum, homil. 50. cap. 9.*

** 1. Cor. 11. * 2. Cor. 5. * Pſal. 49. In pœnitentia carnificē timorē exigit Auguſtinus. Non igitur ſatis eſt credere & ſumere Euchari. Per Eccleſiaſticam diſciplinam quidam à Sacramēto cæleſtis panis ſeparãtur. De cõſe. diſt. 2. can. 12. ſub finem.*

Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quod in primo populo vnicuique manna* ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat: ſic in ore cuiuſque Chriſtiani Sacramentum illud, quo modo ſumatur æſtimandum.* Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus* indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita. Continuò quippe cùm dixiſſet, Iudicium ſibi manducat & bibit: addidit vt diceret, Non diiudicans corpus Domini. *Tom. 2. Epi. 118. cap. 3. ad Ianuarium.*

** Exod. 16. Num. 21. *aliàs, quo ſubiugatus eſt mũdus. * 1. Cor. 11. Diſcernendũ eſt corpus Chriſti, à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita, alioqui ſumitur in iudiciũ. Quorſum hæc ſitã tũ ſit in Euchariſtia ſignũ corporis et ſãguinis Chriſti.*

Cogitantes ergo gradus veſtros, ſeruantes & profeſſionem veſtram accedite ad carnem Domini. Qui ſe ſcit aliter eſſe, non accedat. Compungimini magis

*Euchar. ſũptio requirit nõ leuẽ præparationẽ.*

ſermone meo. Congratulamur enim qui ſciunt ſeruare coniugibus,quod à coniugibus exigunt:qui ſciunt ſeruare omni modo continentiam,ſi hanc Deo vouerunt. *Tom.10. de verbis Domini, Serm.46.*

*Omni modo continentia, ſeruanda is, qui eam Deo vouerunt.*

Et ſancta poſſunt obeſſe:In bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt, in malis ad iudicium. Certè enim fratres nouimus quid accipiamus, & vtique ſanctum eſt quod accipimus, & nemo dicit, non eſt ſanctum. Et quid ait Apoſtolus?* *Qui autem manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Non ait,quia illa res mala eſt:ſed quia ille malus malè accipiendo, ad iudicium accipit bonum quod accipit. Num enim mala erat buccella, * quæ tradita eſt Iudæ à Domino? Abſit. Medicus non daret venenum:ſalutem medicus dedit,ſed indignè accipiendo ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit. *Tom.9. in Euang. Ioannis, tracta 6.*

** 1.Cor.11.*

** Ioan.13.*

*Euchariſtia etiam cùm ad iudicium ſumitur, dicitur vita.*

Mutet vitam qui vult accipere vitam,nam ſi non mutat vitam,ad iudicium accipit vitam. Et magis ex ipſa corrumpitur,quàm ſanetur,magis occiditur, quàm viuificetur. *Tom.10. Serm.1. de tẽpore.*

Ad altare Dei inuiſibile,quò non accedit iniuſtus,ille peruenit, qui ad hoc præſens iuſtificatus accedit. Inueniet enim illic vitam ſuam, qui hîc diſcreuerit cauſam ſuam. *Tom.3. ex ſententiis, ſent.189.*

*Ante Euchariſtiæ ſumptionẽ peccator pœnitentiam agat, et Sacerdotis iudicio reconcilietur.*

Quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad iudicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere. *Tom.3. de Eccleſiaſticis dogmat. cap.53.*

## *X. Continentiam à propriis etiam vxoribus, acceſſuris ad ſacram Euchariſtiæ ſynaxin, iam olim in vſu fuiſſe.*

*Quibus temporibs continentia maximè ſit exercẽda Chriſtianis.*

QVoties ad Eccleſiam in qualibet ſolennitate venitis,& Sacramenta Chriſti percipere volueritis, ante dies plures caſtitatem ſeruate,vt cum ſecura cõſcientia ad altare Dei poſſitis accedere. Quam rem etiam per totam Quadrageſimam, & vſque ad clauſulam Paſchæ fideliter cuſtodite,vt vos ſolennitas Paſchalis caſtos & puros



puros inueniat. Qui enim bonus Chriſtianus eſt, non ſolùm ante dies plures, quàm communicet, caſtitatem ſeruet, ſed & vxorem ſuam accepto deſiderio filiorum non agnoſcat. *To.10. ſerm.244. de tempore. Vide etiam 216.*

*Continentia decet ſumpturos Euchariſtiam, & pœnitentia.*

*Ante ſumptionem Euchariſtiæ etiam à cõiugibus ad tempus abſtinendum.*

Inuitati enim ſumus ad menſam, vbi non inuenitur cibus hominum, ſed panis ponitur Angelorum. Et ideò videamus, ne fortè intus in anima, vbi deberemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus vitiorum pannis veteribus inuoluti:& quando eos qui boni ſunt in oculis Dei caſtitas reddet candidos, tũc eos qui mali ſunt reddat luxuria ſordidatos. Et ideo quotieſcunque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ feſtiuitates adueniunt, ſicut frequenter admonui, ante plures dies non ſolùm ab infœlici concubinarum conſortio,ſed etiam à propriis vxoribus abſtinete, ab omni iracundia alienos vos efficite. Peccata præterita per eleemoſynam & pœnitentiam redimantur. *Ibidem, ſermone 2.*

*32.q.6. cap. Si ducturi.*

*Votum Cõtinentiæ.*

*Continentes Angelorum vitã ducunt in terris.*

Qui autem vxores nondum habetis,& tamen ad menſam Dominicam iam acceditis,& carnem Chriſti manducatis, & ſanguinem bibitis, ſi ducturi eſtis vxores, ſeruate vos vxoribus veſtris. *Et infrà:* Qui verò iam vouiſtis, corpus arctiùs caſtigate, & concupiſcentiæ frænos nec ad ipſa quæ permiſſa ſunt, patiamini relaxare,vt non ſolùm à concubitu illicito diuertatis,ſed etiam licitum contemnatis aſpectum. Mementote in quocunque ſexu ſitis,ſiue mares,ſiue fœminæ, angelorum vitam ducere vos in terra. Angeli enim non nubunt, neque vxores ducunt: Hoc erimus cùm reſurrexerimus. Quanto vos meliores, qui id quod erunt homines poſt reſurrectionem, hoc vos incipitis eſſe ante mortem? *Et paulò pòſt:* Cogitantes ergo gradus veſtros, ſeruantes & profeſſionem veſtram, accedite ad carnem Domini, accedite ad ſanguinem Domini. Qui ſe ſcit aliter eſſe, non accedat &c. *Tom.10. de verb. Domi. ſer.46.*

## *XI. Fructum ſacramenti Euchariſtiæ in ſola haberi Catholica Eccleſia, eundémque non eſſe poſitum in ſola peccatorum remiſſione.*

SVnt autem qui hanc liberationem (*à damnatione æterna*) nec omnibus habentibus Sacramentum: baptiſmatis & corporis Chriſti, ſed ſolis Catholicis, quanuis malè viuentibus pollicentur, quia non ſolo, inquiunt, Sacramento, ſed re ipſa manducauerunt corpus Chriſti, in ipſo ſcilicet eius corpore conſtituti. De quo corpore ait Apoſtolus: * *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus*. Qui ergo eſt in eius corporis vnitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt, ipſe verè dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti. Ac per hoc hæretici & ſchiſmatici, ab huius vnitate corporis ſeparati poſſunt idem percipere Sacramentum, ſed non ſibi vtile, immo verò etiam noxium, quo iudicẽtur grauius quàm vel tardius liberentur. Nõ ſunt enim in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur Sacramento. Sed rurſus etiam iſti qui rectè intelligunt, non dicendum eum manducare corpus Chriſti, qui in corpore non eſt Chriſti, non rectè promittunt eis, qui vel in hæreſin, vel etiam in gentilium ſuperſtitionem ex illius corporis vnitate labuntur, liberationem quandoque ab æterni igne ſupplicij: Primũ quia debent attendere, quàm ſit intolerabile atque à ſana doctrina nimis deuium, vt multi ac penè omnes qui hæreſes impias condiderunt, exeuntes de Catholica Eccleſia, & facti ſunt hæreſiarchæ, meliores habeant cauſas quàm hi qui nũquam fuerunt Catholici, cùm in eorum laqueos incidiſſent, ſi illos hæreſiarchas hoc facit liberari à ſupplicio ſempiterno, quòd in Catholica Eccleſia baptizati ſunt, & Sacramentum corporis Chriſti in vero Chriſti corpore primitus acceperunt: cùm peior vtique ſit deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator eius effectus, quàm ille, qui non deſeruit quam nunquam tenuit. *To. 5. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 25.*

* 1 Cor. 10.

*Peior eſt hæreſiarcha & deſertor fidei, quàm ille qui eam nũquam tenuit.*

*Panis quem * ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*. Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro quod non capit caro, & ideò magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt: hoc ad ſe multum eſſe dixerunt: hoc non poſſe fieri

* *Ioan. 6.*





putauerũt. Caro mea eſt, inquit, pro mundi vita. Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant corpus Chriſti, ſi volũt viuere de Spiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non viuit niſi corpus Chriſti. Intelligite fratres mei quid dixerim. Homo es, & ſpiritũ habes, & corpus habes. Spiritum dico quæ anima vocatur, qua conſtat quòd homo es: Conſtas enim ex anima & corpore. Habes enim ſpiritum inuiſibilem, corpus viſibile. Dic mihi quid ex quo viuat, Spiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis qui viuit, qui autem hoc non poteſt reſpondere, neſcio ſi viuit. Quid reſpondet omnis qui viuit? Corpus vtique meum viuit de ſpiritu meo. Vis ergo & tu viuere de ſpiritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti. Nũquid enim corpus meum viuit de ſpiritu tuo? Meum viuit de ſpiritu meo, & tuum de tuo. Non poteſt viuere corpus Chriſti niſi de ſpiritu Chriſti. Inde eſt quod exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: * *Vnus panis, inquit, vnum corpus multi ſumus*. O Sacramentum pietatis, ô ſignum vnitatis, ô vinculum charitatis. Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori, viuat Deo de Deo, nunc laboret in terra, vt poſtea regnet in cælo. *Tom. 9. ſuper Euangel. Ioannis, Tractat. 26. vltra medium.*

* 1. Cor. 11.

Sola quippe eſt (*Eccleſia*) per quam Sacrificium Dominus libenter accipiat, ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de agni hoſtia Dominus præcepit dicens: * *In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras*. In vna namque domo agnus comeditur, quia in vna Catholica Eccleſia vera hoſtia redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina iuſſio efferri foras prohibet, quia * dari ſanctum canibus vetat. *Tom. 10. de temp. ſerm. 181 cap. 12.*

* Exod. 12.

*In vna Catholica Eccleſia vera hoſtia redẽptoris immolatur.*

Non quærant Spiritum ſanctum niſi in Chriſti corpore, cuius habent foris Sacramentũ, ſed rem ipſam nõ tenent intus, cuius eſt illud Sacramentum, & ideò ſibi

* *Matth. 7.*

* 1.Cor.11. * 1.Cor.10.

*Eccleſia Catholica ſola corpus eſt Chriſti.*

* *Ioan.* 14.

iudicium * manducant & bibunt. Vnus enim panis, Sacramentum eſt vnitatis, quoniam ſicut Apoſtolus dicit: * *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus.* Proinde Eccleſia Catholica ſola corpus eſt Chriſti, cuius ille caput eſt, ſaluator corporis ſui. Extra hoc corpus neminē viuificat Spiritus ſanctus, quia ſicut ipſe dicit Apoſtolus: * *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Non eſt autē particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis. *Tom.2. epiſt.50. ad Bonifacium, in fine.*

*Sacrificium vnū atque idē, tale cuique fit, quali corde ad accipiendū acceſſerit.*

## *XII. Impios etiam, ſicut Iudam, accipere corpus Chriſti.*

VNum atque idem Sacrificiū propter nomen Domini quod inuocatur, & ſemper ſanctum eſt, & tale cuique fit, quali corde ad accipiēdum acceſſerit. Qui enim * manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. *Tom.7. cont. epiſt. Barinen. lib.2. cap.6.*

* 1.Cor.11. * *Ioan.* 13.

*De conſecr. diſt.2. can. Sicut Iudas.*

Sicut enim Iudas, * cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus erat etiā illis, quibus dicebat Apoſtolus: * Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib.5. cap.8.*

*Etiā iudiciū ſibi manducantes & bibētes, corpus & ſanguinē Domini ſumunt.*

Sicut qui manducat & bibit ſanguinem Domini indignè, iudicium * ſibi manducat & bibit: ſic & qui accipit indignè baptiſma, iudicium accipit, non ſalutem. Nam & Iudas proditor * bonū corpus, & Simon Magus * bonū baptiſma Chriſti percepit: ſed quia bono benè non vſi ſunt, mali malè vtendo deleti ſunt. Bonū eſt Baptiſma, bonum eſt Chriſti ſanguis & corpus, bona eſt * & lex: ſed ſi quis ea legitimè vtatur. *Tom.7. cont. Fulgentium Donat. cap.6.*

* 1.Cor.11. * 1.Cor.11. * *Ioan.*13. * *Act.*8.

*Iudas Chriſti bonū corpus accepit malè.*

Ex vna quippe re ſancta Iudas ſibi ſumebat iudiciū, Petrus ſalutem. (*loquitur de Sacramento altaris*) *Tom.7. cont. lit. Petil. lib.2. cap.40.*

* *1.Tim.1.*

Si vos Macarius, ſi vos Cæcilianus offendit: Chriſtus



quid fecit vobis, qui dixit: * *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, quam vos nefanda diſſenſione violaſtis? Chriſtus quid fecit vobis, qui traditorem * ſuum tanta patientia pertulit, vt ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis, traderet? *Tom.8. Pſalm.10. Vide Tō.10. de verbis Domini, ſer.11. & Tom.6. de Adulterinis coniugiis, lib.1. cap.27. & Tract.50. in Ioan.*

* *Ioan* 14. 1.q.1. can. *Chriſtus.*

*Chriſtus Iudæ vt cæteris Apoſtolis tradidit Euchariſtiam.*

* *Ioan.*13.

Quid eſt autem dementius, quàm Sacramentis Domini communicare (*loquitur de hæreticis*) & verbis Domini non communicare? Hi vtique dicturi ſunt, In nomine tuo manducauimus & bibimus: & audituri: * *Non noui vos*: qui corpus eius & ſanguinem in Sacramento manducant & bibunt, & membra eius toto orbe diffuſa in Euangelio non agnoſcunt, & ideò cum eis in iudicio non computantur. *Tom.7. cōtra lit. Petil. lib.2. ca.55.*

* *Luc.*13.

*Aduerte Lector, fuiſſe iam olim, atque etiam hodie ſupereſſe nonnullos, qui Auguſtini verbis illis, lib.21. de ciuit. Dei, cap.25.* Nec illi duo ergo (*nempe hæretici & Catholici mali*) dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti: *aliiſque ſimilibus temerè intellectis, Auguſtinum exiſtiment ſenſiſſe, Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia tantùm à bonis atque Catholicis ſumi poſſe. Qui ſi animaduertiſſent nō vnius modi eſſe corporis & ſanguinis Chriſti manducationem: quandam nempe Sacramentalē bonis & malis æquè communem, qua ſub viſibilibus ſpeciebus panis et vini, carni & ſanguini Chriſti participamus: quandam verò ſpiritalem eandémque bonorū propriā, qua Chriſti corpori, ſiue ſimul cū ipſa Euchariſtiæ cōmunione, ſiue præter eandē, pia erga ipſam affectione & voluntate, arctius illigamur: huiuſmodi ſententiam nec tribuiſſent vnquam Auguſtino, nec tam temere ſuſceptā tā atrociter ipſi defenderet. Vide ſuprà huius capitis, art.3. Sed & Magiſtrū ſent. lib.4. diſt.9.*

## *XIII. Datam à Chriſto Domino Euchariſtiam in Emaus, eandémque ſub altera interdum ſpecie Auguſtini tēpore ſumptā eſſe.*

NOn enim aliter quàm erat (*quādo apparuit Dominus * duobus diſcipulis euntibus in Emaus*) ſed ſicut erat apparuit eis, quorum oculi tenebantur, ne agnoſcerēt eū.

* *Luc.*24.

Non autem incongruëter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum, à Satana factum fuiſſe, ne agnoſceretur Ieſus. Sed tamen à Chriſto eſt facta permiſſio vſque ad Sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimẽtum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci. *Tom.4 de conſenſu Euangeliſtarum, lib.3 cap.25.*

*Significat Auguſtinus, diſcipulos hos ſumpſiſſe Euchariſtiam ſub altera tantũ ſpecie.*

Tenebantur oculi *eorum, ſicut audiuimus, ne eum agnoſcerent. Eia fratres vbi voluit Dominus agnoſci? in fractione panis. Securi ſumus, panem frangimus & Dominũ agnoſcimus. Noluit agnoſci niſi ibi propter nos: qui non eum viſuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius carnem. *Tom.10 de tempore, ſerm.140. Vide & 144. qui ſequitur, & 146. Idem dicit Tom.2. epiſt.59. ad Paulinum in ſolut. quæſt. nonæ, & Tom.9. in epiſt. Ioan. tra.2.*

** Luc.24.*

*Nos non videmus Chriſtũ in carne, & tamẽ eius carnem manducamus.*

Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant. Non eſt graue quod dico fratres, quomodo viri lauant aqua manus ſuas, ſic eleemoſynis lauent conſcientias ſuas. Similiter & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Chriſti accipiant: ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeat, vt cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant. *Ibidem, ſerm.252.*

*Euchariſtia percipiebatur linteolo nitido & domum delata ſumebatur, cùm autem ſub ſpecie vini non potuerit linteolo inuolui, videtur veriſimile ſub ſpecie tantùm panis tunc fuiſſe ſumptam. Quò etiam ſpectat Cypriani locus, ſerm.5 de lapſis, vbi narrat exemplũ Chriſtianæ fœminæ, quæ domi Euchariſtiam in arca concluſam aſſeruabat.*

Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audiuerunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. *Concil. Carthag.4. cap.76. Tom.1. concil.*

*Huiuſmodi ægroti, tantùm ſub ſpecie vini videntur Euchariſtiam ſumpſiſſe, quod eam ſub ſpecie panis deglutire non poſſent.*



*Vide Lector in eandem ſententiam, præter multos alios, Ambroſ. de exceſſu fratris Satyri, cap.7. Vnde colligitur nauigaturis dari ſolitã fuiſſe in Aphrica Euchariſtiam, ſub ſpecie panis tantùm, quam reſeruarent, & deinde imminente fortè mortis periculo ſumerent. Vide etiam* Concil. Toletanum 40. cap.11. *quod fuit circa tempora Vitaliani Papæ, vbi ſermo eſt de quibuſdam ægrotis, qui tantùm ſumere poſſunt* Euchariſtiam, *ſub ſpecie vini ſorbendo, non autẽ ſub ſpecie panis deglutiendo, ſed ſint hæc pro vſu communionis ſub vna ſpecie tanquam probabilia argumenta, dummodo conſtet vtramque ſpeciem nõ eſſe Chriſtianis omnibus, Auguſt. ſententia, præceptam.*

Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento ſic fit, & norunt fideles quẽadmodum manducent carnem Chriſti. Vnuſquiſque accipit partem ſuam. Vnde & ipſa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem, quando venit in virginem: impleuit illam, nec receſſit ab illo. Veniebat in carnem vt eum homines manducarẽt: & manebat integer apud Patrem, vt angelos paſceret. *Ex ſerm. de verb. Euang. Citatur à Beda in 1. ad Corinth.10. ſuper illud. Calix benedictionis cui benedicimus &c.*

*Norunt fideles quemadmodũ mãducent carnẽ Chriſti.*

*Chriſtus per partes mãducatur, & manet integer totus.*

*Si Chriſtus per partes mãducatus, integer totus permanet, nihil amplius ſub duabus quàm ſub vna ſpecie ſumitur.*

# CAPVT SEPTIMVM
## DE SACRIFICIO MISSÆ.

### I. *Errare negantes viſibile Sacrificium Deo offerendum eſſe.*

QVI autem putant hæc viſibilia ſacrificia diis aliis congruere, illi verò tanquam inuiſibili inuiſibilia, & maiori maiora, melioríque meliora, qualia ſunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profectò neſciunt hæc ita eſſe ſi-

*Sacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſignũ eſſe debet.*

gna illorum, ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Quocirca ſicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus: ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerendum eſſe nouerimus, quam illi cuius in cordibus noſtris inuiſibile ſacrificium, nos ipſi eſſe debemus. Tunc nobis fauent, nobiſque cõgaudent, atque ad hoc ipſum nos pro ſuis viribus adiuuant angeli quique, virtutéſque ſuperiores, & ipſa bonitate ac pietate potẽtiores. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 10. cap. 19.*

*Sacrificium viſibile ſicut & inuiſibile Deo tantùm offerendum.*

Si templo, ſi Sacerdote, ſi Sacrificio, quod Deo vero debetur, colatur aliquod elementum mundi, vel creatus aliquis ſpiritus, etiamſi non immundus, & malus, non ideò eſt malum, quia illa mala ſunt quibus colitur, ſed quia illa ſunt talia, quibus ſolus ille colendus ſit, cui talis cultus, ſeruitúſque debetur. *Ibidem. lib. 7. cap. 27.*

*Templo, Sacerdotio & ſacrificio rectè colitur Deus verus, male verò creatura quæuis.*

Hoc ſanè nec in iſta breuitate prætereundũ eſt, quòd templum, ſacerdotem, Sacrificium, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, niſi vni vero Deo deberi noſſent dii falſi, hoc eſt, Dæmones, qui ſunt præuaricatores angeli, nunquam hæc ſibi à cultoribus ſuis quos decipiunt expetiſſent. Verùm, hæc cùm exhibentur Deo ſecundùm eius inſpirationem atque doctrinam, vera religio eſt: cùm autem Dæmonibus ſecundùm eorum impiam ſuperbiam, noxia ſuperſtitio. Quapropter qui Chriſtianas literas vtriuſque Teſtamenti ſciunt, non hoc culpant in ſacrilegis ritibus Paganorum, quòd cõſtruant templa, & inſtituant ſacerdotia, & faciant ſacrificia, ſed quòd hæc idolis & Dæmoniis exhibeant. *Tom. 2. Epiſt. 49. quaeſt. 3. ad Deogratias.*

*Templũ, Sacerdotes, & ſacrificium Deo vero deberi, etiam dæmones agnoſcunt.*

Diſpertita autem diuinis eloquiis Sacrificia pro temporum congruentia, vt alia fierent ante manifeſtationem noui Teſtamenti, quod ex ipſa vera & in vnius ſacerdotis victima, hoc eſt, effuſo Chriſti ſanguine miniſtratur, & aliud nunc quod huic manifeſtationi eſt cõgruum, qui iam declarato nomine Chriſtiani appellamur offeramus, non ſolùm Euangelicis, verùm etiam Propheticis literis demonſtratur. Mutatio quippè non Dei, non ipſius religionis, ſed Sacrificiorum & Sacra-

*Euangelicis & Propheticis literis demõſtratur, aliud nunc eſſe offerendum, quam olim, nempe quod ſit huic tẽpori accommodatum.*





mentorum impudenter nunc videretur prædicata, niſi fuiſſet antè prædicta. Quemadmodum enim vnus idémque homo; ſi Deo manè aliud offerat, aliud veſpere pro congruentia diurni temporis, non Deũ mutat, non religionem, ſicut nec ſalutem, qui alio modo manè, alio veſpere ſalutat: ita in vniuerſo tractu ſeculorum, cùm aliud oblatum eſt ab antiquis ſanctis, aliud ab eis qui nunc ſunt offertur, nõ humana præſumptione, ſed auctoritate diuina tẽporibus congrua ſacra myſteria celebrantur, non Deus aut religio commutatur. *Ibidem, ſub finem quæſtionis.*

*Mutatio ſacrificiorum à Prophetis prædicta.*

*Non humana præſumptione, ſed auctoritate diuina aliud nũc offertur Sacrificium, & aliud olim offerebatur.*

Vnum ſciant inſipiẽtes, tardi ad intelligendũ, & præcipites ad reprehendendum, quòd Dæmon ſibi Sacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret. Falſus enim deus ſic ſe vult honorari ab eis quos decipit, quomodo verus Deus honoratur ab eis quibus conſulit, & maximè Sacrificium eſt, quod præcipuè debetur Deo. Nam obſequia cætera quæ diuinitati exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbiæ faſtu homines arrogare. Rariſſimi autẽ cõmemorantur qui ſibi vt ſacrificaretur, cũ regia poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare. Quicunque tamẽ auſi ſunt, per hoc ſe deos haberi voluerunt. Sacrificiis autem Deum nõ egere, quis neſcit? ſed nec laudibus noſtris eget; verùm ſicut nobis, non illi, vtile eſt laudare Deum, ſic nobis, non illi, vtile eſt offerre Sacrificium Deo. *Tom. 6. cont. aduerſarium Legis & Prophetarum, lib. 1. cap. 18.*

*Dæmõ ſibi ſacrificiũ nõ exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret.*

*Sacrificium viſibile Deo non deberi probare nitebantur Manichæi, teſtimonio Pauli: Qui ſacrificant, dæmoniis ſacrificant: concludentes ex eo, omnes qui ſacrificant, non ſacrificare niſi dæmonibus, ideóque diuinos honores ac ſacrificia in ſolis orationibus, & ipſis puris ac ſimplicibus eſſe ponenda: Reſpondet autem Auguſtinus, non dixiſſe Apoſtolum*, qui ſacrificant, ſed * quæ ſacrificant, vel ſicut à me poſitum eſt (*inquit*) quæ immolant: illi ſcilicet, qui idola colunt, quæ ſacrificant dæmoniis & nõ Deo ſacrificant, ſiue immolant. *Et ideo ſubiunxit:* Nolo vos ſocios dæmoniorum fieri. *Ibidem, cap. 19.*

*Manichæorum hæreſis viſibile tolli Sacrificium.*

** 1. Cor. 10.*

### II. *In Miſſa offerri Deo verum & proprium Sacrificium.*

** Apoc. 6.*

SVb ara, inquit, * Dei vidi animas occiſorũ. Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt Sacerdos, ſicut ſcriptum eſt: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech? Rectè ſub altari iuſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur. *Tom. 10. de Sanctis, ſerm. 11.*

** Pſal. 109.*
*Super altare corpus Domini offertur.*

Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, ipſum vnigenitum Deum, verbum * carnem factum ſe pro nobis obtuliſſe Sacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: cui cum Patre & Spiritu ſancto à Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus tempore veteris teſtamenti animalia ſacrificabantur: & cui nunc, id eſt, tẽpore noui Teſtamenti, cum Patre & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt vna diuinitas, ſacrificium panis & vini in fide & charitate, ſancta Eccleſia Catholica per vniuerſum orbem terræ offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorũ noſtrorum. In iſto autem ſacrificio gratiarũ actio atque cõmemoratio eſt carnis Chriſti, quã pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in actibus Apoſtolorum, * Attẽdite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã Dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo. In illis ergo ſacrificiis quid nobis eſſet donandum, figuratè ſignificabatur: in hoc autem ſacrificio quid nobis iam donatum ſit euidenter oſtẽditur. In illis ſacrificiis prænunciabatur Filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occiſus. *Tom. 3. de fide ad Petrum, cap. 19.*

** Ioan. 1.*
*Per vniuerſum orbẽ terræ, ſacrificiũ panis & vini olim Eccleſia Catholica offerebat.*
*In ſacrificio Miſſæ gratiarũ actio, & commemoratio eſt carnis Chriſti pro nobis oblatæ, & ſanguinis pro nobis effuſi.*
** Act. 20.*

Erat, vt noſtis, ſacrificium Iudæorum antea ſecundùm ordinem Aaron in victimis pecorũ, & hoc in myſterio. Nondum enim erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Euange-

*Sacrificium corporis & ſanguinis*



lium legerunt, quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum. Proponite ergò vobis ante oculos duo ſacrificia, & illud ſecundùm ordinem Aaron, & hoc ſecundùm ordinem Melchiſedech. Scriptum eſt enim: * Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Tom. 8. in Pſalmo 33. Concil. 1.*

*Chriſti fidelibus notũ, & toto orbe terrarũ diffuſum.*
** Pſal. 109. Heb. 7.*

Verum ſacrificium, quod vni vero debetur Deo, quo eius altare ſolus Chriſtus impleuit in victimis pecorũ imitata Dæmonia ſibi arroganter expoſcunt. Vnde dicit Apoſtolus: * Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo: non quod offerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur. Hebræi autẽ in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiã celebrabant futuræ victimæ quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani, peracti eius ſacrificij memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Manichæi verò neſcientes, quid damnandum ſit in ſacrificiis gentium, & quid intelligendum in ſacrificiis Hebræorum, & quid tenendum vel obſeruandum in ſacrificio Chriſtianorum, vanitatem ſuam ſacrum offerunt Diabolo, qui eos decepit, recedentes * à fide, intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi mendaciloquorũ. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 20. cap. 18.*

** 1. Cor. 10.*
*Ethnici non damnandi quia ſacrificauerint, ſed quia dæmoniis ſacrificauerint.*
*Habes ſacroſanctam oblationem & participationẽ corporis & ſanguinis Chriſti.*

Quod Dominus dicit leproſo mũdato * *Vade, oſtende te ſacerdoti & offer &c.* Videtur approbare ſacrificium, quod per Moſen præceptum eſt, cùm id non receperit Eccleſia. Quod ideò iuſſiſſe intelligi poteſt, quia nondum eſſe cœperat ſacrificium ſanctũ ſanctorum, quod corpus eius eſt. Nondum enim paſſione obtulerat holocauſtum ſuum, quo ſacrificio confirmato in credentium populis, templum ipſum euerſum eſt, vbi illa ſacrificia offerri ſolebant. *Tom. 4. quæ. Euang. lib. 2. cap. Vide & contra aduerſarium Legis & Prophet. lib. 1. cap. 19.*

*Nec etiã hæretici noſtri tẽporis ſatis intelligunt quid tenendum vel obſeruandũ ſit in ſacrificio Chriſtianorum.*
** 1. Tim. 4.*
** Math. 8. Luc. 5.*

Iſte autem (*Vrbicus*) qui vetera tranſiſſe ſic dicit, vt in Chriſto cederet ara altari, gladius ieiunio, precibꝰ ignis, pani pecus, poculo ſanguis, neſcit altaris nomen magis Legis & Prophetarum literis frequentatum, & altare

*Exod. 40.
*Apoc. 6.
*Luc. 12.

*Cõmunicantes ſumũt de corpore agni immaculati partem.*

*In ſacro poculo ſumitur ſãguis Chriſti.*

*In nouo Teſtamẽto eſt altare, quare et ſacrificium.*

Deo prius in tabernaculo, quod per Moſen * factum eſt, collatum: aram quoque in Apoſtolicis literis inueniri, vbi martyres clamant ſub ara * Dei. Dicit ceſſiſſe ieiunio gladium; non recordans illum, quo milites Euangelici armantur ex vtroque Teſtamento gladium bis acutum. Dicit ceſſiſſe precibus ignem, quaſi non & tunc preces deferebãtur in templum, & nunc à Chriſto ignis * eſt miſſus in mundum. Dicit ceſſiſſe pani pecus, tanquam neſciens & tunc in Domini menſa panes propoſitionis poni ſolere, & nunc ſe de agni immaculati corpore partem ſumere. Dicit ceſſiſſe poculo ſanguinem; non cogitans etiam nunc ſe accipere in poculo ſanguinem. Quantò ergo melius & congruentius vetera tranſiſſe, & noua in Chriſto facta eſſe ſic diceret, vt cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, ſanguis ſanguini? *Tom. 2. epiſt. 86. ad Caſulanum, poſt medium.*

*Sacrificiũ Eccleſiæ, corpus ſacerdotis Chriſti eſt.*

Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri? *Tom. 3. de Trinit. cap. 14.*

*Chriſtus in Sacramẽto omni die populis imolatur.*

Nõnne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur: nec vtique mentitur qui interrogatus eum reſponderit immolari. Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. *Tom. 2. epiſt. 23. ad Bonifaciũ.*

### *III. Sanctam Euchariſtiam, Auguſtini ſententia, oblationem, Sacrificium, victimam atque hoſtiam eſſe.*

*1. Cor. 12.

*Simul cũ oblatione veri corporis & ſãguinis Chriſti myſticum corpus, quod eſt Eccleſia, offertur.*

Sicut in vno corpore * multa membra habemus, omnia autem membra non eoſdem actus habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra, habentes dona diuerſa ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis. Hoc eſt Sacrificium Chriſti; quorum multi vnum corpus ſumus in Chriſto, quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequẽtat Eccleſia, vbi ei demonſtratur, quod in ea oblatione



quam offert, ipſa offeratur. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 10. c. 6.*

*1. Tim. 2.
*Philip. 2.

*Chriſtus in forma Dei ſacrificiũ ſumit, in forma ſerui Sacrificiũ eſſe voluit.*

*Quotidianũ Sacrificiũ Eccleſiæ, Sacramẽtum oblationis à Chriſto factæ.*

*Eccleſia offertur p Chriſtũ Deo, & viciſsim Chriſtus per Eccleſiã, p manus ſcilicet Sacerdotis, qui miniſter Chriſti eſt, & perſonam ſuſtinet Eccleſiæ.*

Verus ille mediator, * in quantum formam * ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, cùm in forma Dei Sacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus eſt Deus: tamen in forma ſerui Sacrificium maluit eſſe, quàm ſumere, ne, vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret, cuilibet ſacrificãdum eſſe creaturæ. Per hoc & Sacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacrificium, cùm ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tam ipſa per ipſum quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri. Huius veri ſacrificij multiplicia variáque ſigna erãt, ſacrificia priſca ſanctorum, cùm hoc vnum per multa præfiguraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſtidio multùm commendaretur. Huic ſummo veróque Sacrificio, cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt. *Ibidem, cap. 20.*

*Monica moriens optauit ſui memoriã fieri ad altare cui quotidie ſeruiebat.*

Memoriam ſui ad altare fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt Chirographum quod erat contrarium nobis. *Tom. 1. lib. 9. confeſ. cap. 13.*

Cum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúſque ſanguinis de latere effuſio deſignatur? *Citatur ex Auguſt. in ſentent. Proſperi, de conſecr. d. 2. can. 36.*

*Euchariſtia dicitur hoſtia.*

*1. Reg. 2.

*In nouo Teſtamento, in pane eſt*

Breuis eſt iſta confeſſio & ſalubriter humilis, qua dicitur: Iacta me in partem ſacerdotij tui manducare panem: ipſe eſt obolus argenti, quia & breue eſt, & eloquium Domini eſt, habitantis in corde credentis. Quia enim dixerat ſuperius, dediſſe ſe domui Aaron cibos de victimis veteris Teſtamenti, vbi ait: * Dedi domui patris tui omnia quæ ſunt ignis filiorum Iſraël in eſcã: hæc quippè fuerant Sacrificia Iudæorum: ideò hîc dicit manducare panem, quod eſt in nouo Teſtamento, Sacrificium Chriſtianorum. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 17. cap. 5.*

*Chriſtianorum Sacrificium.*

*Sā́cti altaris oblatio Deo vouetur & offertur.*
** 1. Cor. 10.*

Vouentur omnia quæ offeruntur, Deo, maximè ſancti altaris oblatio, quo Sacramento, prædicatur noſtrũ aliud votum maximum, quo nos vouimus in Chriſto eſſe manſuros, vtique in compage corporis Chriſti. Cuius rei Sacramentum eſt, quod vnus * panis, vnum corpus multi ſumus. *Tom. 2. epiſt. 59. ad Paulinum, in ſolut. quintæ quæſtionis.*

## *IIII. Offerri corpus & ſanguinem Chriſti, non eſſe idẽ quod Chriſtum nobis ad manducandum dari.*

*Diaconi poteſtatem corpus Chriſti offerendi non habent.*

PEruenit ad ſanctum & magnum Concilium, quòd in quibuſdã locis aut ciuitatibus, presbyteris gratiam ſacræ communionis diaconi porrigant: quod neque canon, neque conſuetudo tradidit, vt qui poteſtatem offerendi non habent, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant. Sed etiam hoc quoque innotuit, quod diaconi ante Epiſcopos contingant Euchariſtiam. Omnia igitur hæc amputentur &c. *Tom. 1. Conciliorum, Concil. Nicæn. ca. 18. Hoſce canones fatentur Africani patres allatos à Cæciliano Carthaginenſi Epiſcopo, qui Concilio Nicæno interfuit, & ſalubriter vſque ad ea tempora in Eccleſiis Africanis obſeruatos, in poſterum etiam obſeruandos diſcernunt. Ibidem, Concil. Carthag. ſexto, ca. 9. Auguſtinus ſubſcripſit.*

*Laici per ſacerdotes oblationẽ ad altare Dei faciunt Deo.*
** Dan. 3.*

Ora Deum pro eis (*loquitur de fœminis captiuis inter barbaros, quæ caſtitatem ſuam obtulerunt Deo*) & roga vt etiam ipſas doceat talia dicere, qualia ſuprà memoratus ſanctus Azarias inter cætera in oratione & confeſſione ſua fudit ad Deum. Sic enim ſunt illæ in terra captiuitatis ſuæ, quomodo erant illi in ea terra, vbi nec ſacrificare more ſuo poterant Domino, ſicut nec iſtę poſſunt, vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi ſacerdotem per quem offerant Deo. Donet ergò eis Dominus vt ei dicant, quod Azarias dixit in conſequẽtibus precum ſuarum. Non eſt in hoc tẽpore princèps & propheta & dux, nõ holocauſta, neque oblatio, neque ſupplicationes, nec locus ad ſacrificandum in conſpectu tuo, & inuenire miſericordiam, ſed in anima contrita, & ſpiritu humilitatis accipiamur. Sicut in holocauſtomatibus arietum & taurorum & in multitudine



agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in cõſpectu tuo hodie perficere ſubſequentes te, quoniam non erit confuſio iis, qui in te confidunt. *Tom. 2. epiſt. 122. ad Victorianum, ſub finem.*

*Hymni rectè ad altare decãtãtur ante & poſt oblationem.*
*Oblatio Euchariſtiæ ante diſtributionem.*

Inter hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus Catholicus, neſcio vnde aduerſus Dei miniſtros, vt fieri aſſolet, irritatus, morem qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de Pſalmorum libro, ſiue ante oblationem, ſiue cum diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione vbicunque poterat lacerabat, aſſerens fieri non oportere. Huic reſpondi iubentibus fratribus. *Tom. 1. lib. 2. Retract. cap. 11.*

*In fine Miſſæ (id enim eſt celebratio illa pietatis) Euchariſtia ſumebatur.*
*Quomodo vidiſſent paruuli Euchariſtiã dum offerebatur, niſi fuiſſet interius oſtenſa?*
** Ioan. 19.*
** Luc. 15.*

Sicut infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, vnde, vel quomodo conficiatur, vnde in vſum religionis aſſumatur: Et ſi nunquam diſcant experimento vel ſuo vel aliorum, & nunquam illam ſpeciem rerum videant, niſi inter celebrationes Sacramentorum, cùm offertur, & datur, dicatúrque illis auctoritate grauiſſima, cuius corpus & ſanguis ſit, nihil aliud credent, niſi omninò in illa ſpecie, Dominum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere *tali percuſſo, liquorem illũ omnino fluxiſſe. *Tom. 3. lib. 3. de Trinitate, cap. 10.*

Vitulus ille (*qui filio prodigo* pœnitenti cæſus eſt*) in corpore & ſanguine Dominico offertur patri, & paſcit totam domum. *Tom. 4. quæſtionum Euangel. lib. 2. quæſt. 33.*

*Sacrificium corporis & ſãguinis Chriſti pro nõ baptizatis non offerendum.*

Salua fide Catholica & Eccleſiaſtica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis, cuiuslibet ætatis hominibus, offeratur ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, tanquam per huiuſmodi pietatem ſuorum, ad regnum cœlorum quò perueniant, adiuuentur. *Tom. 7. de anima & eius orig. lib. 1. cap. 11. Similem ſententiam habes, lib. 2. cap. 15. & lib. 3. cap. 12.*

## *V. Sacrificium Miſſæ à Melchiſedech ſignificatum, & à Malachia prædictum fuiſſe.*

ECcleſia ab Apoſtolorum temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas, vſque ad noſtra & deinceps tempora perſeuerat, & immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium laudis, ex quo Deus Deorum

*Per vmbras ſacrificiorum Iſraëlis ſecūdùm carnem, ſignificabatur ſingulare Sacrificiū ſecūdùm ordinē Melchiſedech, quod nūc offert Iſraël ſecūdùm ſpiritum.*

loquutus vocauit terram à Solis ortu vſque ad occaſum. Hæc quippe Eccleſia eſt Iſraël, ſecundùm ſpiritum, à quo diſtinguitur ille Iſraël ſecundùm carnem, qui ſeruiebat in vmbris ſacrificiorum, quibus ſignificabatur ſingulare Sacrificium quod nunc offert Iſraël ſecundùm ſpiritum, cui dictum atque prædictum eſt, Audi populus meus & loquar tibi, Iſraël, & teſtificabor tibi: & cætera quæ iam ſuprà commemoraui. De huius enim domo nō accipit vitulos, neque de gregibus eius hircos. Iſte immolat Deo Sacrificium laudis, non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Et paulò pòſt. Iurauit* Dominus, & nō pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech,* quando benedixit Abraham, & iam ſunt participes eius, vident tale Sacrificium nunc offerri Deo, toto orbe terrarum. Dei autem iuratio incredulorum eſt increpatio. Et quod Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia hoc Sacerdotium non mutabit. Mutauit quippè ſacerdotium ſecundùm ordinem Aaron. Vnde alius Propheta dicit ad eum qui carnaliter eſt Iſraël.* *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hoſtiam non accipiam de manibus veſtris.* Ecce quod eſt ſecundùm ordinem Aaron. Cur autem hoc nō accipiat, addit & dicit: Quia ab ortu ſolis vſque ad occaſum, glorificatum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia pura, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Ecce quod eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Tom. 6. lib. 1. cont. aduerſar. Legis & Prophetarum, cap. 20.*

* *Pſal* 109.
**Geneſ.* 14.

*Eſt ergo nūc viſibile Sacrificiū in Eccleſia, Sacrificio Melchiſedech ſignificatum.*

* *Malach.* 1.

Ibi quippè primum (*quando fuit benedictus Abraham à Melchiſedech*) apparuit Sacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarum, impletúrque illud quod longè poſt hoc factum, per Prophetam dicitur, ad Chriſtum qui fuerat venturus in carnem:* *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Non ſcilicet ſecundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illuceſcentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabātur. *Tom. 5. de ciui. Dei, lib. 16. cap. 22. Leg. & li. 17. c. 5.*

* *pſal.* 109.

Melchiſedech



Melchiſedech prolato Sacramento menſæ Dominicæ, nouit æternum eius ſacerdotium figurare. *Tom. 2. epiſt. 95. ad Innocentium Papam.*

Ecce omni modo impletum eſt, quod ait Propheta:* *Et Sacrificium non accipiam de manibus veſtris.* Nam ſi in terrena Hieruſalem manerent vobis (*alloquitur Iudæos*) templum & altare, poſſetis dicere in eis hoc eſſe completum, quorum iniquorum inter vos conſtitutorum, Sacrificia Dominus non acceptat: aliorum verò ex vobis atque in vobis, acceptare ſacrificia, qui Dei præcepta cuſtodiunt: hoc non eſt cur poſſit dici vbi nullus omnino veſtrûm eſt qui ſecundùm legem, quæ de mōte Sina proceſſit, manibus ſuis Sacrificium poſſit offerre. Neque hoc ita prædictum atque impletum eſt, vt vos Propheticæ ſententiæ reſpondere permittat, quia manibus non offerimus carnem, ſed corde & ore offerimus laudem ſecundum illud in Pſalmo:* *Immola Deo ſacrificium laudis.* Etiam hic contradicit vobis, qui dicit:* *Non eſt mihi voluntas in vobis.* Deinde ne exiſtimetis non offerentibus vobis, nec illo accipiente de manibus veſtris, Deo ſacrificium non offerri, quo quidem ille non eget, qui bonorum noſtrorum nullius indiget: tamen quod ſine Sacrificio non eſt, quod non illi, ſed vobis vtile eſt, adiūgit & dicit: Quia ab oriente Sole vſque in occidentem, nomen meum clarum eſt factum, in omnibus gentibus, & in omni loco Sacrificium offertur nomini meo, Sacrificium mūdum: quoniam magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Quid ad hæc reſpondetis? Aperite oculos tandem aliquando, & videte ab oriente ſole vſque ad occidentem: non in vno, ſicut vobis fuerat conſtitutum, ſed in omni loco offerri Sacrificium Chriſtianorum, non cuilibet Deo, ſed ei qui iſta prædixit, Deo Iſraël. *Tom. 6. in orat. cont. Iudæos, cap. 9.*

* *Malach.* 1.
* *Pſal.* 49.
* *Malach.* 1.

*Aperiāt etiā hæretici oculos tandē aliquādo, & agnoſcāt ſacrificiū Chriſtianorum.*

Malachias prophetans Eccleſiam,* quam per Chriſtum iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſſimè dicit, ex perſona Dei: *Non eſt mihi voluntas in vobis: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Ab ortu enim Solis, vſque ad occaſum magnū eſt nomen meū in gentibus, & in omni loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo

**Malach.* 1.

*Sacrificiū ſecundū ordinē Melchiſedech rectè per ſa-*

*cerdotiũ Chriſti dicitur vbiq; offerri: nã in ſacrificio Miſſæ ipſe Chriſtus eſt Sacerdos, cuius miniſtri ſunt qui ab Epiſcopis legitime facti ſunt Sacerdotes.*

oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hoc Sacrificium per ſacerdotium Chriſti ſecundũ ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu, vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri: Sacrificiũ autem Iudæorum quibus dictum eſt: Non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiã munus de manibus veſtris, ceſſaſſe negare non poſſunt. *Tom.5.de ciuit. Dei, lib.18 cap.35. Lege & lib.19.cap.23.*

** Ioan 5.* ** Iſai.2.*

Scrutamini ſcripturas* in quibus putatis vos habere vitam æternam. Et profectò haberetis, ſi Chriſtum in eis intelligeretis & teneretis. Sed perſcrutamini eas, ipſæ teſtimonium perhibent de ſacrificio mũdo, quod offertur Deo Iſraël, non ab vna gente veſtra, de cuius manibus, non ſe accepturum prædixit, ſed ab omnibus gentibus, quæ dicunt: * *Venite, aſcendamus in montem Domini.* Nec in vno loco, ſicut vobis præceptum erat in terrena Hieruſalem, ſed in omni loco vſque in ipſam Hieruſalem. Nec ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecũdùm ordinem Melchiſedech. Chriſto enim dictum eſt, & de Chriſto, tanto antè prædictum eſt: * Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Tom.6 in orat. cont. Iudæos, cap.9.*

** Pſal.109.*

** Pſal.109.*

*Iurauit * Dominus & non pœnitebit eum*: quibus verbis immutabile futurum eſſe ſignificat, quod adiungitur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*: ex eo, quod iam nuſquam eſt ſacerdotium & ſacrificiũ ſecundùm ordinem Aaron, & vbique offertur ſub ſacerdote Chriſto, quod protulit* Melchiſedech, quando benedixit Abraham, quis ambigere permittitur, de quo & iſta dicantur? *Tom 5.de ciuit. Dei, lib.17.cap.17. Vide & Tom.3.lib.4 de doct. Chriſtia.cap.21.ex verbis B. Cypriani. Item To.8.in Pſal.33.& 106.enar.vnica.*

*Sublato ſacerdotio & ſacrificio Aaronico, vbiq; offertur quod protulit Melchiſedech.*

** Gen.14.*

## *VI. Sacrificium Miſſæ à Chriſto Domino inſtitutum eſſe.*

** Pſal.109.*

Dominus noſter Ieſus Chriſtus ipſe eſt Sacerdos noſter in æternum * ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui ſeipſum obtulit holocauſtum, pro peccatis noſtris, & eius ſacrificij ſimilitudinem celebrandam, in



ſuæ paſsionis memoriam commendauit, vt illud quod Melchiſedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum, in Chriſti Eccleſia, videamus offerri. *Tom.4.lib. octogintatrium quæſtionum, quæſt.61.*

*Habes Lector, incruentum Miſſæ ſacrificium, ſimilitudinem eſſe eius quod in cruce peractum eſt. Habes, Miſſæ ſacrificium à Chriſto commendatum eſſe, vt in paſsionis eius memoriam celebretur. Habes, Melchiſedech panem & vinum Deo obtuliſſe. Habes deniq;, per totum iam terrarum orbem, viſibiliter illud in Eccleſia offerri, quod Melchiſedech obtulit Deo.*

** Prou.9.*

Miſit ſeruos * ſuos (*ſapientia*) conuocans cum excellenti prædicatione ad craterem dicens: Qui eſt inſipiẽs diuertat ad me. Et inopibus ſenſu dixit: Venite, manducate de panibus meis & bibite vinum quod miſcui vobis. Hîc certè agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt, verbum Patri coæternum, in vtero virginali domũ ſibi ædificaſſe corpus humanum, & huic tanquam capiti membra ſubiunxiſſe Eccleſiã, martyrum victimas immolaſſe, menſam in vino & panibus præparaſſe, vbi apparet etiam ſacerdotiũ ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Et infra.* Nam & in alio libro, qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: * Non eſt bonum homini niſi quod manducabit & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ huius pertinet quã Sacerdos ipſe mediator Teſtamenti noui exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? *Tom.5.de ciuit. Dei, lib.17.cap.20.*

*Chriſtus menſam in vino & panibus præparauit, vbi apparet ſacerdotiũ ſecundũ ordinẽ Melchiſedech.*

** Eccle.2.*

Coram regno ergo patris ſui mutauit (*Chriſtus*) vultũ ſuum, (*Alludit ad hiſtoriam Dauidis, in conſpectu regis Achis vultum ſuum mutantis, 1. Reg.21.*) & dimiſit eum & abiit: quia erat ibi ſacrificium ſecũdùm ordinem Aaron, & poſtea ipſe de corpore & ſanguine ſuo, inſtituit ſacrificium ſecundùm* ordinem Melchiſedech. Mutauit ergo vultum ſuum in ſacerdotio & dimiſit gentem Iudæorum. *Tom.8 in Pſal.33.conc.2.*

*Chriſtus de corpore et ſanguine ſuo inſtituit Sacrificiũ ſecũdùm ordinẽ Melchiſedech.*

** Pſal.109.*

*Hebr.7.*

Pulcherrime Ieſu Chriſte, rogo te per illam ſacratiſſimam effuſionem precioſi ſanguinis tui, quo redempti

ſumus, da mihi cordis contritionem & lachrymarum fontem, præcipuè dum preces & orationes tibi offero, dum tuæ laudis pſalmodiam tibi decanto, dum myſterium noſtræ redemptionis manifeſtæ miſericordiæ tuæ iudicium recolo vel profero, dum ſacris altaribus licet indignus aſſiſto, cupiens tibi offerre illud mirabile & cœleſte Sacrificium omni reuerentia & deuotione dignũ, quod tu Domine Deus meus Sacerdos immaculate inſtituiſti, & offerre præcepiſti* in commemorationem tuæ caritatis, mortis ſcilicet & paſſionis pro ſalute noſtra, pro quotidiana noſtræ fragilitatis reparatione. Confirmetur mens mea inter tanta myſteria dulcedine præſentiæ tuæ, ſentiat te ſibi adeſſe & lætetur coram te. *Tom.9. in Manuali, cap.11.*

*Chriſtus ſacrificiũ Euchariſtiæ inſtituit & offerri præcepit.*

** Luc.22.*

*Non igitur tantũ eſt ad gratiarũ actionẽ, ſed etiã ad fragilitatẽ noſtrã reparandam.*

Placuit vt in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinũ aquæ mixtum. Nec amplius in ſacrificiis offeratur, quàm de vuis & ſacramẽtis. *Concilio Carthag.3. cap.24. Auguſtinus interfuit.*

*Tradidit ergo Chriſtus quid ĩ ſacramẽto Euchariſtiæ ſit offerendum.*

Longè minoris peccati eſt ebrium derideri à martyribus, quàm vel ieiunum ſacrificare martyribus. Sacrificare martyribus, dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis martyrum, quod frequentiſsimè facimus, illo duntaxat ritu quo ſibi ſacrificari, noui Teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, & vni Deo debetur. *Tom.6. lib.20. cont. Fauſtum, cap.21.*

*Deus certo ritu ſibi ſacrificari, in nouo Teſtamẽto præcepit.*

In Epiſtola tua poſuiſti, cur hic Deus, qui & veteris Teſtamenti Deus eſſe firmatur, ſpretis veteribus ſacrificiis, delectatus ſit nouis? Nihil enim corrigi poſſe aſſerunt, niſi quod ante non rectè factum probaretur, vel quod ſemel rectè factum ſit, nullatenus immutari debuiſſe. *Interpoſitis nonnullis reſpondet.* Aptum fuit primis temporibus ſacrificium, quod præceperat Deus, nunc verò non ita eſt. Aliud enim præcepit, quod huic tempori aptum eſſet, qui multò magis quàm homo nouit, quid cuique tempori accommodatè adhibeatur: quid quando impertiat, addat, auferat, detrahat, augeat, minuátue immutabilis mutabiliũ. *Tom.2. epiſt.5. ad Marce.* Chriſtus nouo Eccleſiæ populo nouum ſacerdotium, &

*Deus veteribus ſacrificijs abrogatis, aliud, quod huic tẽpori aptũ eſſet, præcepit.*



nouum Sacrificium initiauit, vt videlicet nouum vinum in vtres nouos mitteret. *Tom.10. de temp. ſer.150.*

*1.3.q.2.ca. Tempus.*

Ipſe Dominus etiam quos mũdauit à lepra, ad eadem Sacramenta (*ſermo erat de Sacramentis veteris Teſtamenti*) miſit, vt offerrent pro ſe ſacrificium Sacerdotibus: quia nondum eis ſucceſſerat ſacrificium, quod ipſe pòſt in Eccleſia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipſe prænunciabatur. *Tom.7. de Baptiſmo contra Donat. lib.3. cap.19. iuxta finem.*

*Chriſtus in Eccleſia, ſacrificiũ voluit celebrari, veteribus ſacrificiis præfiguratum.*

## *VII. Sacrificium Miſſæ verè propitiatorium eſſe, eiuſque oblatione peccatorum veniã impetrari.*

CVm Sacrificia ſiue Altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valdè malis, propitiationes ſunt: pro valdè malis, etſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcũque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè vt tolerabilior fiat ipſa damnatio. *Tom.3. Enchirid. cap.109. Eadem habes Tom.4. ad Dulcitium, quæſt.2.*

*13.q.2.ca. Tempus.*

*Sacrificia altaris pro non valdè malis, ꝓpitiationes ſunt: prodeſt ergo non tantũ ſacerdoti, ſed etiã aliis.*

Sed cum Dominus dicat:* *Niſi manducaueritis carnem meam & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quid ſibi vult quòd à ſanguine ſacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis vnum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo verà fit remiſsio peccatorum: à cuius tamen ſacrificij ſanguine in alimentum ſumendo non ſolùm nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam? *Tom.4. ſuper Leuit. quæſt.57.*

** Ioan.6.*

*Per ſacrificiũ Miſſæ vera fit remiſsio peccatorum.*

Filios autem Leui* & Iuda & Hieruſalem, ipſam Dei Eccleſiam debemus accipere, nòn ex Hebræis tantùm, ſed ex aliis gentibus congregatã, nec talem qualis nunc eſt, vbi *ſi dixerimus * quia peccatũ non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis*, ſed qualis tũc erit velut area per ventilationem, ita per iudiciũ purgata nouiſsimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio neceſſaria eſt, ita vt nullus omnino ſit qui offerat ſacrificium pro peccatis ſuis. Omnes enim qui ſic offe-

** Malach.3.*

** 1. Ioan.4.*

*Non poſt diẽ iudicij, ſed nũc in eccleſia ꝓ dimittẽdis peccatis offertur ſacrificium.*

runt; profectò in peccatis ſunt, pro quibus dimittendis offerunt: vt cùm obtulerint, acceptúmque Deo fuerit, tunc dimittantur. *Tom. 5. lib. 20. de ciuit. Dei, ca. 25.*

## *VIII. Sacrificium Miſſæ ſacrificiis veteris Legis ſucceßiſſe, ac bonorum omniũ, quæ per illa ſignificabãtur, veluti conſummationẽ & perfectionẽ eſſe.*

** Pſal. 49.*

SAcrificium * laudis glorificabit me, & illic via eſt, vbi oſtẽdam illi ſalutare meum. Huius ſacrificij caro & ſanguis, ante aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur: In paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur: Poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentũ memoriæ celebratur. *Tom. 6. cont. Fauſtum, lib. 20. cap. 21. in fine.*

*Chriſtus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, exhibet mẽſam de corpore & ſanguine ſuo.*

Sacerdos ipſe mediator Teſtamenti noui exhibet (*menſam*) ſecundùm ordinem Melchiſedech, de corpore & ſanguine ſuo. Id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris Teſtamenti, quæ immolabãtur in vmbra futuri, propter quod etiam vocem illam in Pſalmo triceſimo & nono eiuſdem mediatoris per prophetiã loquentis agnoſcimus: * *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi*, quia pro omnibus illis ſacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participãtibus miniſtratur. *To. 5. de ciu. Dei, li. 17. ca. 20.*

** Pſal. 39.*

*Ergo diſtinguitur oblatio corporis Chriſti à diſtributione et ſumptione.*

Reuelatæ veritatis, quę diu promiſſis myſticis velabatur, ſacrificio ſuccedente, illa ſacrificia, quibus hoc figurabatur, templi ipſius euerſione tolluntur. *Tom. 2. epiſt. 3. ad Voluſianum, verſus finem.*

Cum autem datum eſt quod promiſſum eſt, ablata ſunt verba promiſsiua, data ſunt completiua. Sacrificia ergo illa tanquam verba promiſsiua ablata ſunt. Quid eſt quod datum eſt completiuum? Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis, quod vtinam qui noſtis omnes, non ad iudicium noueritis. Videte quando dictum eſt. Chriſtus enim ille eſt Dominus noſter, modò loquens ex membris ſuis, modò loquens ex perſona ſua. *Sacrificium*, inquit, * *& oblationem noluiſti.* Quid ergo? Nos iam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit. *Corpus autem perfeciſti mihi.* Ideò illa noluiſti, vt hoc perficeres; illa voluiſti antequam hoc per-

** Pſal. 39.*

*Nõ ſumus in nouo Teſtamẽto dimißi ſine Sacrificio: Habemus enim corpus Chriſti.*



ficeres. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia: Nam ſi adhuc ſunt promittentia, nõdum impletum eſt, quod promiſſum eſt. Hoc promittebatur quibuſdam ſignis: ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus, huius corporis participes ſumus, quod accepimus nouimus, & qui non noſtis noueritis, & cùm didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis. Qui enim * manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. *Tom. 8. in Pſal. 39. v. ſeculo illo, Sacrificium & oblationem noluiſti.*

** 1. Cor. 11.*

*Manichæi de ſacrificio Chriſtianorum externo malè ſenſerũt, ideóque ſæpè ab Auguſtino redarguuntur.*

De Sacrificio autem iſte valde nihil ſapit, & ideò fallitur, quia iam ſacrificia talia non offert Dei populus Deo, poſteaquam venit vnicum ſacrificium, cuius vmbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, ſed hoc ſignificantia. Sicut enim res vna multis loqutionibus & multis linguis ſignificari poteſt: ſic vnum verum & ſingulare Sacrificium, multis eſt antea ſacrificiorum ſignificatum figuris. *Et poſt pauca.* Quod eſt autem ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera ſacrificiorum. *Tom. 6. cont. aduerſ. legis & prophet. lib. 1. cap. 18.*

*Quod eſt hoc Eccleſiæ ſacrificiũ, quod fideles ſciũt?*

## *IX. Miſſæ ſacrificium rectè in honorem & memoriam ſanctorum celebrari, etſi illud Deo tantummodo, non ſanctis offeratur.*

*Non ſolùm igitur exẽpla Sanctorũ, ſed etiam merita & orationes nobis prodeſſe poſſunt.*

POpulus Chriſtianus, memorias martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamuis in memorias martyrum conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorũ corporum aſſiſtẽs altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronauit, apud memorias eorũ quos coronauit, vt ex ipſorũ locorũ admonitione maior affectus exurgat ad acuẽdã caritatẽ, & in illos quos

*Quare in locis vbi ſunt Martyrum corpora, cõſtituantur altaria et in illis Deo ſacrificetur.*

imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate paſſionẽ paratum eſſe ſentimus: ſed illos tãtò deuotius, quantò ſecurius poſt incerta omnia ſuperata: quantò etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quàm in iſta adhuc vſque pugnantes. At illo cultu qui Græcè latria dicitur, latinè vno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi vnum Deũ. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificij, vnde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus aut offerẽdum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. *Tom. 6. contra Fauſtum Manichæum, lib. 20. cap. 21.*

*Quis cultus martyribus tribuatur à Cotholicis.*

*Sanctos iam in patria degentes, deuotius & ſecurius colimus, quàm hîc adhuc peregrinantes.*

*Memoriæ martyrũ honorandæ, tum quòd pro veritate vſque ad mortẽ certauerint, tum vt vera innoteſcat religio.*

Nec tamen nos eiuſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei, qui vſque ad mortem corporum ſuorum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio falſis religionibus fictíſque conuictis: quod etiam ſi qui antea ſentiebant, timẽdo reprimebãt. Quis autẽ audiuit aliquãdo fideliũ ſtantem ſacerdotem ad altare etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultũmque conſtructum dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium Petre vel Paule, vel Cypriane, cùm apud memorias eorum Deo offeratur, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociauit, vt ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur? Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia in martyrum locis ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra vel ſacrificia mortuorũ tanquam Deorum, quicunque etiam epulas ſuas eò

*En tibi ô Lector ſacerdotẽ Chriſtianum, qui ad altare ſupra martyris corpus extructũ Miſſæ ſacrificiũ offert. Ne autẽ ſine cauſa id fieri putes, cauſam expende.*

*Deferentes epulas ad martyrũ memorias excu-*



deferũt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo: tamen quicunq; id faciunt, quas cùm appoſuerint, orãt, & auferunt, vt veſcãtur, vel ex eis etiã indigentibus largiantur: ſanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem iſta eſſe ſacrificia martyrũ nouit, qui nouit vnum, ꝙ Deo illic offertur ſacrificiũ Chriſtianorũ. *Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 8. cap. 27.*

*ſantur ab Auguſtino, quòd eas ibi per merita martyrũ in nomine Dei ſanctificari exiſtimarent.*

Nos martyribus noſtris non tẽpla ſicut Diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus, nec ibi erigimus altaria in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed vni Deo, & Martyrum & noſtro ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, nõ tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur. Deo quippe non ipſis ſacrificat, quanuis in memoria ſacrificet eorum: quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. *Ibid. lib. 22. cap. 10.*

*Sacrificium Chriſtianorũ offertur Deo.*

*Hæretici nunc dicunt ſanctos martyres homines mortuos: ſed nõ addũt: quorum ſpiritus apud Deũ viuunt.*

### *X. Pro mortuis Miſſæ ſacrificium ritè offerri.*

Membris omnibus ſui corporis incolumis, integro aſpectu atque auditu, & vt ſcriptum eſt: * Nobis aſtantibus & videntibus: ac cum eo pariter orantibus obdormiuit in pace cum patribus ſuis, enutritus in bona ſenectute: & nobis coram poſitis, pro eius commendanda corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt. *Poſsidonius in vita Auguſtini, cap. 31.*

*Tẽpore igitur Auguſtini fabricabãt Chriſtiani memorias, vel oratoria martyribus, erigebant altaria, in altaribus Deo ſacrificium immolabatur.*

*Pro Auguſtino Miſſæ ſacrificium offertur.*

Nanque illa (*loquitur de Monica matre ſua*) imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum cõcupiuit, aut curauit ſepulchrum patriũ. Non iſta mandauit nobis, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpẽſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum * quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem ſanguinem? Quis ei reſtituet preciũ quo nos

*Monicæ pietas & erga Miſſæ ſacrificium peculiaris affectus. Euchariſtia victima ſancta.* * *Coloſſ. 2.*

emit, vt nos auferat ei? Ad cuius precij noſtri Sacramentum ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei. *Tom.1 lib 9. Confeſſionum, cap.14.*

*Precatur Lectores Auguſtinus, vt ad altare memoriam ſuorum parentũ defunctorum faciant.*

Inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce & corde & literis ſeruio, vt quotquot hæc legerint meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patritio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodũ neſcio. *Ibidem.*

*Commemoratio defunctorũ ad altare.*

* *aliâs* communicatione.

*Pœnitentiæ Sacramentũ neceſſarium peccatori ante mortem.*

Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparãtur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad altare Dei eorum fieret memoria, in communione* corporis Chriſti: nec aliquid prodeſſet ad eius in periculis Baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: nec ad reconciliationem, ſi fortè per pœnitentiam, malámue conſcientiam quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiunt iſta, niſi quia fideles etiam defuncti, membra* eius ſunt? *Tom.5. de Ciuitat. dei, lib.20. cap.9. Plura in hanc ſent. lege lib.4. cap. de Purgat.*

* *Fidelium defunctorum animæ membra ſunt etiã Eccleſiæ, pro quibus ad altare fit memoria. Et hanc Apoſtolicam eſſe traditionem* Chryſoſtomus, *Tertullianus, Dionyſius & priſci Theologi plures confirmant.*

*XI. Sacrificio Miſſæ, quod priuatim etiam celebrabatur, Dæmones Auguſtini tempore eſſe fugatos.*

*Heſperius à dæmonũ infeſtatione ſuos liberat virtute ſacrificij, ab vno presbyterorum in ipſius domo oblati.*

Vir tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Cubedi appellatum. Vbi cùm afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituũ malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogauit noſtros me abſente presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit: vt ceſſaret illa vexatio, Deóque protinus miſerante, ceſſauit. *Tom.5. de Ciu. Dei, lib.22. cap.8.*

*Hactenus pie Lector, quæ ad ſacrificij Chriſtiani neceſſitatẽ pertinent vtcunque declarata ſunt. Nomen verò Miſſæ (ne forte prætermiſſum à nobis exiſtimes) legere poteris Tom. 10. ſerm 237. qui eſt ſerm. 2. Dominicæ 19. poſt Trinitat. ad menſam S. Cypriani habitus. Et apud Iuonem, parte 2. Decret. cap.119. ex dictis Auguſtini, & in concilio Mileuitano, cui Auguſtinus interfuit, cap.12. Item Concilio Carthag.2. cap.3. & Carthag. 4. cap.84. Et Tom.10. de temp. ſerm.251.*



# CAPVT OCTAVVM DE CAERIMONIIS ET ALIIS ad Miſſam pertinentibus.

*I. Ritum & ordinem certum in offerendo ſumendóque Euchariſtiæ Sacramento ab Apoſtolo Paulo conſtitutum eſſe.*

*Obſecrationũ ſacerdotaliũ Sacramẽta ab Apoſtolis tradita.*

*Præſules Chriſtianæ plebis qua fũgantur legatione, & quorum cauſam agant.*

*Quàm varia ſint pro quibus Deo publicè à Sacerdotibus ſupplicatur.*

*Fructus publicarũ precationum.*

Obſecrationum quoque ſacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mũdo atque in omni Catholica Eccleſia vniformiter celebrãtur, vt legẽ credẽdi lex ſtatuat ſupplicãdi. Cùm enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud diuinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente, poſtulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt ſchiſmatici Spiritum redíuiuæ charitatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum, transferat in regnum filij charitatis ſuæ, & ex vaſis* iræ, faciat vaſa miſericordiæ. *Tom.3. de Eccl. dogm. cap.30.*

* *Rom.9.*

* *1.Cor.11.*

*Totum illum agendi ordi-*

Cùm verò ait Apoſtolus de hoc Sacramẽto loquẽs: * *Propter quod fratres cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis eſurit, domi manducet, vt non*

*nẽ, quem in Miſſa vniuerſa ſeruauit Eccleſia, ab Apoſtolo Paulo inſtitutũ eſſe, ex verbis Scripturæ colligit Auguſtinus.*

*ad iudicium conueniatis*: ſtatim ſubtexuit. *Cætera autem cùm venero, ordinabo.* Vnde intelligi datur, quia multũ erat, vt in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſum per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variatur. *Tom.2.epiſt.118.cap.6.ad Ianuarium.*

*1. Tim.2.*

*Series precationum in Miſſa, ante conſecrationem & poſt, vſque ad fractionẽ & communionẽ, ex Scriptura ſacra Auguſtini iudicio colligitur, ex verbis ſcilicet illis Pauli 1.Tim.2. Obſecro primùm omniũ fieri obſecrationes, orationes &c.*

Cum igitur * & qui precatur oret, & qui orat precetur, & qui interpellat Deum, ad hoc interpellet, vt oret & precetur: quid ſibi vult quòd iſta ita poſuit Apoſtolus, vt non ſit eorum negligenda diſtinctio? Excepto itaque nomine generali, & ſalua loquendi conſuetudine, ſecundùm quam ſiue dicas precationem, ſiue orationem, ſiue interpellationem, vel poſtulationem, vna eadémque res intelligitur, aliqua etiam ſingulorũ iſtorum proprietas inquirẽda eſt: ſed ad eam liquidò peruenire difficile eſt. Multa quippe hinc dici poſſunt quæ improbanda non ſint, ſed eligo in his verbis hoc intelligere, quòd omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: orationes, cũ benedicitur & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur: quam totam petitionem ferè omnis Eccleſia, Dominica oratione concludit. Ad quem intellectũ etiam verbi Græci origo nos adiuuat. Nam eam quam dicunt εὐχὴν, raró ita Scriptura ponit, vt intelligatur oratio, ſed plerunque & multò vſitatius votum appellat εὐχὴν. προσευχὴν verò, quod verbum ita poſitum eſt, vnde tractamus, ſemper orationem vocat. Vnde hanc verbi originẽ, ſicut ſuperius dixi, nonnulli minus eruditè intuentes, προσευχὴν non orationem, ſed adorationem dicere voluerunt, quæ potius προσκύνησις dicitur. Sed quia oratio interdum dicitur, quæ vocatur εὐχὴ, adoratio putata eſt προσευχή. Porrò ſi vſitatius, vt dixi, in Scripturis votum appellatur εὐχὴ, excepto nomine generali orationis, ea propriè intelligenda eſt oratio, quam facimus ad votum, id eſt, πρὸς εὐχὴν. Vouentur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè ſancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur noſtrum aliud * votum maximum, quo nos vouimus in Chriſto

*Oblatio Eucharistiæ ab aliarũ rerũ oblatione diuerſa.*

** aliâs illud.*



eſſe manſuros, vtique in compage corporis Chriſti. Cuius rei Sacramentum eſt, quod vnus * panis & vnũ corpus multi ſumus. Ideò in huius ſanctificatione & diſtributionis præparatione exiſtimo Apoſtolũ iuſſiſſe propriè fieri προσευχὰς, id eſt, orationes, vel (vt nonnulli minus peritè interpretati ſunt) adorationes: hoc eſt enim ad votum, quod vſitatius in Scripturis nuncupatur εὐχή. Interpellationes autem, ſiue, vt veſtri codices habent, poſtulationes fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc enim Antiſtites velut aduocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem, miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apoſtolus. *Tom.2.epiſt.59.quæſt.5.ad Paulinum, ediſſerens illud 1.Tim.2.Obſecro primum omnium fieri obſecrationes &c.*

** 1. Cor. 10.*

*Benedictio populi in Miſſa.*

## *II. Vino in calice offerendo ex Apoſtolica traditione aquam eſſe miſcendam.*

Cyprianus *in Epiſt.de Sacramento calicis.*

*In calice vino miſcetur aqua, Chriſti exẽplo & traditione.*

Beatus Cyprianus ſubmiſſo dicendi genere vtitur in eo libro, vbi de Sacramento calicis diſputat. Soluitur quippè ibi quæſtio, in qua quæritur, vtrum calix Dominicus aquam ſolam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum eſt. Poſt principiũ ergo Epiſtolæ, iam ſoluere incipiens propoſitam quæſtionem: Admonitos autẽ vos ſciatis, inquit, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, vino mixtus offeratur. *Tom.3.de doctrina Chriſt.lib.4.cap.21.*

Ergo Cypriani *ſententia, quam Auguſtin⁹ etiã probat, ipſe* Chriſtus *prior calicẽ obtulit.*

In Euchariſtia non debet pura aqua offerri, vt quidam ſobrietatis falluntur imagine, ſed vinũ cum aqua mixtum. Quia & vinum fuit in redemptionis noſtræ myſterio, cùm dixit: * Non bibam à modo de hoc genimine vitis: & aqua mixtum, non quòd poſt cœnam dabatur, ſed quòd de latere * eius lancea perfoſſo aqua cum ſanguine egreſſa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expreſſum oſtenditur. *Tom.3.de Eccleſ.dog. cap.75.*

*Quare in calice vino miſceatur aqua.*

** Matt.26.*

** Ioan.19.*

Vt in Sacramento corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aquæ mixtum. Primitiæ verò, ſeu mel & lac, quod vno die ſolemniſſimo pro infantibus myſterio offerri ſolet, quãuis in altari offeratur, ſuam tamen habet propriam benedictionem, vt à Sacramẽto Dominici corporis diſtinguatur: nec amplius de primitiis offeratur, quàm de vuis & frumentis. *Concil. Carthag. 3. cap. 24. Idem confirmatur poſtea in Concil. Africano iiſdem planè verbis repetitis.*

*Ex his teſtimoniis, quæ proximis duobus artic. & præcedenti cap. recitata ſunt, concluditur, pie Lector, primò conſecrationem, diſtributionem & ſumptionem Euchariſtiæ, quod nec aduerſarij diſſitentur, eſſe à* Chriſto *Domino inſtitutam: ſecundò Euchariſtiam eſſe* Chriſtianorum *ſacrificium in veteri Teſtamento ſignificatum ac prædictum, & eiuſdem* Chriſti, *tum exemplo, tum præcepto tempore noui teſtamenti faciendum. Tertiò in ſacro calice vinum aqua mixtum offerendum eſſe. Vltimò ſeriem precationum non modò traditam ab Apoſtolo eſſe, ſed etiam ſcripturæ auctoritate confirmari. Hæc autem iccirco notamus, vt recentium hæreticorum cauillis, quibus temerè hoc ſacrificium tentant abolere, ac facinus Antichriſto reſeruatum fruſtra præoccupare, non tam totius Eccleſiæ, quàm vnius nunc Auguſtini auctoritatem opponamus qui antiquitate, grauitate, pietate atque doctrina huius farinæ Theologos facile vincet.*

*Aquarij dicti ſunt, qui ſola aqua in ſacrificio olim vtebantur, de quibus Tom. 6. hæreſ. 64. ad Quoduultdeum.*

### *III. Vaſa ſacra in vſu fuiſſe Auguſtini tempore ad diuina myſteria peragenda.*

*Ad redimẽdos captiuos, & ſubleuãdos pauperes vaſa ſacra (cùm alia nõ ſuppeterent) Ambroſius & Auguſtinus frangebant.*

INterea dum Eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denunciabat, nõ ſe habere quod indigẽtibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis propter captiuos, & quàm plurimos indigentes frangi & conflari iubebat, & indigentibus diſpenſari. Quod nõ commemoraſſem, niſi contra carnalem ſenſum quorundam fieri peruiderem. Et hoc ipſum etiam venerabilis memoriæ Ambroſius in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum & dixit, & ſcripſit. *Tom. 1. Poſſidonius in vita B. Auguſt. cap. 24.*

Sed enim & nos pleraq; inſtrumẽta & vaſa ex huiuſcemodi materia vel metallo habemus in vſum celebrandorum Sacramẽtorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata ſancta dicuntur in eius honore, cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur. *Tom. 8. Pſal. 113. conc. 2.*

### *IIII. Surſum corda, & Gratias agamus Domino Deo noſtro, in Miſſa olim etiam recitata fuiſſe.*

ET illud quod inter ſacra myſteria cor habere ſurſum iubemur, ipſo adiuuante id valemus, quo iubẽte admonemur. *Tom. 4. de bono viduitatis, cap. 16.*

Si per vrbes atque oppida, caſtella, vicos & agros etiam, villáſque priuatas in tantum apertè perſuadetur, & appetitur à terrenis auerſio, & in vnum Deum verúmque conuerſio, vt quotidiè per vniuerſum orbem humanum genus vna penè voce reſpõdeat, ſurſum corda ſe habere ad Dominum, quid adhuc oſcitamus crapulam heſternam, & in mortuis pecudibus diuina eloquia perſcrutamur? *Tom. 1. de vera religione, cap. 3.*

Quia corda fidelium cœlũ ſunt, quia in cœlos quotidiè eriguntur dicente ſacerdote, Surſum corda, ſecuri reſpondent, Habemus ad Dominũ. *Tom. 10. de tempore, ſerm. 44. Eadem propè verba leguntur ibidem, ſerm. 54. Item, Tom. 2. epiſt. 156. ad Probam.*

Iocunda animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Iocunda eam, quia ad te leuaui eam. In terra enim erat, & in terra amaritudinem ſentiebat: ne in amaritudine contabeſceret, ne omnẽ tuæ gratiæ ſuauitatem amitteret, leuaui eam ad te, iocunda eam apud te. Solus enim tu es iocunditas, amaritudine plenus eſt mundus. Certè rectè admonet membra ſua, vt ſurſum corda habeant. Audiant ergo & faciant, leuent ad cœlum quod malè eſt in terra. Ibi enim non putreſcit cor, ſi leuetur ad Deum. *Tom. 8. in expoſ. Pſal. 85.*

Per caput noſtrum reconciliamur Deo, quia in illo

eſt diuinitas vnigeniti facta particeps mortalitatis noſtræ vt & nos participes eius immortalitatis eſſemus. Hoc Sacramentum longè eſt à cordibus ſapiẽtium ſuperborum,& ideò non Chriſtianorum, ac per hoc nec verè ſapientium. Illorum etiam dico ſapientium qui cognouerunt Deum, quia cognoſcentes Deum, ſicut dicit Apoſtolus, * *non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt*. Noſti autem in quo ſacrificio dicatur, Gratias agamus Domino deo noſtro. A cuius ſacrificij humilitate longè abeſt typhus & cothurnus illorum. *Tom.2.Epiſt.57.ad Dardanum,quæſt.1.*

* *Rom.1.*

*Miſſæ ſacrificium veriſſimũ & ſingulare.*

Theoſebia porrò,ſi ad verbi originem latinè expreſſam interpretaretur,Dei cultus dici poterat, qui in hoc maximè conſtitutus eſt, vt anima ei non ſit ingrata. Vnde & in ipſo veriſſimo & in ſingulari ſacrificio,Domino Deo noſtro agere gratias admonemur. *Tom 3.de ſpirit.& lit.cap.11.*

*Auguſtinus & quod à ſacerdote dici, & quod ab adſtantibus reſponderi in Miſſa ſolitum fuit, exponit.*

Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, vt ſurſum corda habeamus ad Dominum, munus eſt Domini: de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere à ſacerdote poſt hanc vocem quibus dicitur, admonentur,& Dignum & iuſtum eſſe reſpondent. Cùm enim non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum,ſed diuino ſubleuetur auxilio,vt aſcendat, & quæ ſurſum ſunt * ſapiat,vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens,nõ quæ ſuper terram: cui de hac tanta re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc facienti Domino Deo noſtro, vt qui nos per tale beneficium liberando,de profundo huius mundi elegit & prædeſtinauit ante conſtitutionem mundi? *Tom.7.de bono perſeuerantiæ,cap.13.*

* *Coloſſ.3.*

### *V. Quædam etiam alia ad Canonem vel reliquas ſacrificij partes pertinentia,ſimiliter recitata fuiſſe.*

IVbe,inquit (*Sacerdos*) hoc offerri per manus Angeli tui ſancti in ſublime altare tuum in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ. Vt quid deferenda in lucem depoſcit, niſi vt intelligatur; quod iſta fiant in ſacerdotio? Hanc igitur oblationem benedictam,per quam benedicimur: adſcriptam,per quam omnes in cœlo adſcri-





bimur: ratam,per quam de viſceribus Chriſti eſſe cenſemur: rationabilẽ,per quam à beſtiali ſenſu exuimur: acceptabilem,vt qui nobiſipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio ſumus &c. *Citatur ex Auguſtino de conſecr.diſt.2.cap.Vtrum ſub.*

Reliqua omnia quæ ſacerdos dicit, aut clerus chori canit: nihil aliud quàm laudes & gratiarum actiones ſunt:aut certè obſecrationes,& fideliũ petitiones. Vnde & ſacerdos dicit, prius Euangeliſtarum verba aſſumẽs: Qui pridie quàm pateretur &c. *Ibidem.*

In Eccleſia ad altare Dei quotidie dicitur oratio dominica,& audiunt iſtam fideles. *Tom.10.lib.50. homiliarum, homil.42. Vide & Tom.2.epiſt.59.quæſt.5.ad Paulinum.*

Ecce poſt ſermonem fit Miſſa catechumenis. Manebunt fideles,venietur ad locũ orationis. Scitis quò acceſſuri ſumus, quid prius Deo dicturi ſumus? Dimitte nobis debita noſtra &c. *Tom.10.de temp.ſerm.38.*

κύριε ἐλέησον *mentio fit, Tom.2.numero 178. in altercatione cum Paſcentio.* Amen & Halleluia, *paßim in enarrationibus Pſalmorũ,in ſermo. & homiliis occurrunt.*

### *VI. Preces vel orationes aut Miſſas non recitandas,niſi probatæ fuerint.*

PLacuit etiam & illud, vt preces vel orationes, ſeu Miſſæ,quæ probatæ fuerint in Concilio, ſiue præfationes,ſiue commendationes, ſeu manus impoſitiones ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem,vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum. *Tom.1.Concil.concilio Mileu.cui Auguſtinus interfuit,cap.12.*

### *VII. Sacrificium Miſſæ à ieiunis offerendum eſſe.*

*De conſecr. diſt.2.c. Sacramẽta altaris.*

VT Sacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur. Nam ſi aliquorũ pomeridiano tempore defunctorum ſiue Epiſcoporum, ſeu clericorum,ſiue cæterorum commendatio faciẽda eſt,

*Moris ergo fuit, vt græ*

*defunctis Epiſcopis & alius Miſſæ ſacrificium fieret.*

ſolis orationibus fiat, ſi illi qui faciunt, iam pranſi inueniantur. *Concil. Carthag. 3. cap. 29.*

*Offerendum ſacrificium à ieiunis.*

** aliâs dignum.*

Verum & de ſacrificiis inhibendis poſt prandium, vt à ieiunis, ſicut dictum * eſt, offerantur, & tunc & nunc confirmatum eſt. *Ibidem. cap. 48.*

** Marc. 14. Matt. 26.*

*De conſecr. diſt. 2. c. Liquidò.*

*Semper à ieiunis accipitur Euchariſtia, & cur hic Eccleſiæ mos introductus.*

** aliâs exteri.*

** 1. Cor. 11.*

Illud magis mouere potuit homines, vtrum iam refecti die illa vel offerrent vel ſumerent Euchariſtiam, quod in Euangelio dicitur: * *Cùm autem illi manducarent, accepit Ieſus panem & benedixit*: cùm etiam ſuperius dixiſſet: * *Cùm ſero factum eſſet, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit, Quoniam vnus ex vobis me tradet.* Pòſt enim tradidit Sacramentum. Et liquidò apparet quando primum acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandũ eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quod à ieiunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret quàm cæteri * cibi. Nam ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent. Aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus * arguit & emendat menſis ſuis iſta miſcere. Nanque ſaluator quò vehementius commẽdaret myſterii illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum. *Tom. 2. epiſt. 118. ad Ianuarium, cap. 6. Vide etiam eiuſdem Epiſtolæ caput 7.*

### VIII. *Ad altare Deo, cum ab omni populo, tum à Sacerdotibus, pro viuis ſupplicare, moris olim fuiſſe.*

*Pro incredulis etiam in Eccleſia oratur.*

Dic ergo apertiſſimè nos pro iis, quibus Euangeliũ prædicamus, non debere orare, vt credant, ſed eis tantummodo prædicare. Exerce contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis ſacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem, & pro catechumenis, vt eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus, vt in eo quod eſſe cœperunt eius munere





perſeuerẽt, ſubſanna pias voces, & dic te nõ facere quod hortatur, id eſt, Deum pro infidelibus, vt eos fideles faciat non rogare, eò quòd non ſint iſta diuinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis. *Tom. 2. epiſt. 107. ad Vitalem, circa initium.*

*Piè facit Eccleſia pro infidelibus orans.*

** Ierem. 24.*

** Matt. 13.*

Nunquid & orare prohibebis Eccleſiam pro infidelibus, vt ſint fideles, pro iis qui nolunt credere, vt velint credere, pro iis qui ab eius lege doctrinaque diſſentiũt, vt legi eius doctrinæque conſentiant, vt det illis Deus quod per Prophetam * promiſit, cor cognoſcendi eũ, & aures audiendi, quas vtique acceperant, de quibus Saluator ipſe dicebat: * *Qui habet aures audiendi audiat*? Nunquid vbi audieris ſacerdotem Dei, ad eius altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clara voce orantẽ, vt incredulas gentes ad fidẽ ſuã venire cõpellat, nõ reſpõdebis, Amen? *Ibidem, ſub finẽ.*

*Eccleſia ab exordiis ſuis donec finiatur hoc ſeculum, pro variis hominibus orare ſolita.*

Atque vtinã tardi corde & infirmi qui non poſſunt, vel nondum poſſunt Scripturas, vel earum expoſitiones intelligere, ſic audirent, vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, vt magis intuerentur orationes ſuas, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis, donec finiatur hoc ſeculum. De hac enim re, quam nunc aduerſus nouos hæreticos non commemorare tantùm, ſed planè tueri & defenſare compellimur, nunquam tacuit in precibus ſuis, & ſi aliquando in ſermonibus exerendam, nullo vrgente aduerſario putauit. Quando enim non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus atque inimicis eius, vt crederent? *Et paulò poſt.* Aut quis ſacerdotem ſuper fideles Domini inuocantem, ſiquando dicit: Da illis Domine in te perſeuerare vſque in finem, non ſolùm voce auſus eſt, ſed ſaltem cogitatione reprehendere, ac non potius ſuper eius talem benedictionem & corde credente, & ore confitente reſpondit, Amen? *Tom. 7. de bono perſeuerantiæ, cap. 22. & 23.*

*Pro aliis etiam malis orandum cũ Eccleſia.*

Pro infirmis, pro carnaliter ſapientibus, pro animalibus & carnalibus, tamen pro fratribus noſtris eadem Sacramenta celebrantibus, & ſi non nobiſcum eadem, tamen vnum Amen reſpondentibus; & ſi non nobiſcum vnum Amen, hortamur medullas

charitatis veſtræ,fundatis ad Deum preces pro eis.Aliquid enim pro ſalute ipſorum egimus in Concilio, quod explicare vobis hodie iam tempus non ſufficit. *Tom.8.in Pſal.32.con.2.ſub finem.*

Auguſtinus Epiſcopus dixit: Bene habet, vt ea quæ Dei ſunt circa ſacrificium eius agere valeamus,in qua hora ſupplicationis noſtræ maximè commendo charitati veſtræ, vt omnes veſtras cauſas & negotia intermittatis,& pro iſta Eccleſia,& pro me,& pro preſbytero Eradio, Domino precem fundatis. *Tom.2.in actis Eradij ante Epiſtolam* 111.

*Pro quibus oret Eccleſia, pro quibus verò non oret, docet Auguſtinus,lib.21.de Ciuit.Dei,cap.24. Fieri etiam in Miſſæ ſacrificio commemorationem ſanctorum,vt ipſi pro nobis apud Deum intercedant, & aliorum defunctorum,vt pro ipſis nos oremus,cùm ex dictis in proximo capite colligitur,tum ex lib.4. cap. de ſanctis,& cap. de Purgatorio manifeſtè conſtabit.*

# CAPVT NONVM DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

*I. Pœnitentiæ virtutem, quæ in fide fundatur, vt in omnibus peccatoribus: ita in adultis ante Baptiſmum ad conſequendam iuſtitiam requiri.*

*Fides fundamentum pœnitentiæ.* ** Matth. 7.* *Pœnitentia ſine fide inutilis.*

SI fides fundamentum eſt pœnitentiæ, præter quam nihil eſt,quod bonum ſit, appetenda eſt pœnitentia, quam conſtat in fide eſſe fundatam. *Non enim* poteſt arbor bona fructus malos facere.* Pœnitētia itaque quæ ex fide nō procedit, vtilis nō eſt. Oportet autem credi remedium pœnitentiæ à Saluatore cōcedi. Si enim omnis pœnitentia ſterilis eſſet peccatoribus, nequaquam ad pœnitentiam reuocarentur Chriſti in-



terfectores,quam prædicauit Dominus mitis & manſuetus, & eius præcurſor: dixit enim * *Fructus facite dignos pœnitentiæ*: oſtendens pœnitentiam non ſterilem,ſed dignè fructificare. ** Matth. 3.* Qui enim * maluit miſericordiam quàm ſacrificium, ** Oſee 6.* non expectabat mortem peccatorum,* ſed vt conuerſus viueret. ** Ezech.18.* Quis autē conuerti poteſt vt viuat, niſi qui erat in regione longinqua? In iniquitatibus ſe meminit conceptum Dauid, * & in delictis à matre ſua genitum: cui Dominus teſtimonium perhibet: * *Inueni hominem ſecundùm cor meum.* ** Pſal.50.* Hic idem à Domino laudatus præſumēs de Domino dicit: propitius eris peccato meo, multum eſt enim:non quia multum erat,ſed quia Dauid multum id reputabat,ſicut qui iam inde ſatur erat & faſtidioſus. Non enim laborat exonerari peccato, cui non videtur nimium.

*Non curat exonerari peccato, qui exiſtimat illud leue.*

Quomodo ergo multum videretur, ſi adhuc in eo delectaretur? Quomodo rogaret perdere,niſi doleret habere? Si enim non doleret habere, gauderet commiſiſſe. Scimus quia deleuit Dominus peccatum Dauid, aut quia dolebat peccaſſe, aut quia gemebat, & ſtratum * ſuum lachrymis rigabat, & tanquam panem * cinerem manducabat. ** Pſal.6.* ** Pſal.101.* Si autem gauderet, non magnum ſed paruum peccatum ſuum diceret. Falluntur itaque qui obiicientes pœnitentiam Apoſtolo, & eum irridentes,dicunt contra eum,peccabimus,vt gratia abundet.Dicebat enim:Conuertimini per pœnitentiam, ſperate de venia etiamſi maxima ſit iniquitas, quia vbi abundauit* peccatum, ſuperabundabit ibi & gratia. ** Rom.5.* Nullum peccatum poterit remanere ante pœnitentiam.Prædicat enim conuerti,ſed vnde ſe conuerteret aliquis, cui prior ſtatus placeret? Qui itaque conuertitur,neceſſariò dolet habere quod gaudet perdere.

*Nullus impius ad Deū conuertitur, niſi cui prior ſtatus diſplicet.*

Pœnitentia itaque acquirit indulgētiam, ſine qua nemo peruenit ad veniam. Si enim ſine ea anima ſaluaretur,non diceretur,peccaſti,quieſce. Quomodo enim quieſceret, niſi quia malum eſt ſi peccaret? Quomodo diligi,& non odio haberi poteſt,quod retentum damnet & fugatum ſaluat?Qui ergo nūc quieſcit dolere oportet quod non prius quieuit: ſicque ſaluatur, quia dolet, ſicque liberatur, quia pœnitet. *Tom.* 4.

*de vera & falſa pœnitentia, cap. 2.*

Omnis qui iam arbiter voluntatis ſuæ cõſtitutus eſt, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia cũ baptizantur, ſoli paruuli immunes ſunt. Nondum enim vti poſſunt libero arbitrio. *Tom. 10. lib. quinquaginta homiliarum, homil. vltima.*

*De pœnit. diſt. 4. cap. Omnis.*

*Ad Sacramenta ſuſcipienda pœnitẽtia requiritur.*

Cùm ergo ſpina illa recordationis cõpuncti (*Iudæi*) dicerent Apoſtolis: *Quid ergo faciemus?* Ait illis Petrus: * *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ, in nomine Domini Ieſu Chriſti, & remittuntur vobis peccata.* Ergo interim nunc, qui fortè adſunt ex eo numero, qui baptizari diſponunt: credimus enim eos adeſſe tantò ad verbum ſtudioſius, quantò ad indulgentiam vicinius: hos primùm paucis alloquimur, vt erigant mentes in ſpem, ament fieri quod non ſunt, oderint quod fuerunt. Nouum hominẽ naſcituri iam voto concipiant, quicquid de vita præterita remordebat, quicquid angebat conſcientiam, quicquid omninò vel magnum vel paruum, vel dicendum vel non dicendũ, non dubitent poſſe dimitti, ne fortè quod vult Dei miſeratio dimittere contra ſe teneat humana dubitatio. *Tom. 9. de vtilit. pœnitent. cap. 1.*

* *Act. 2.*

*Vides nõ ſolam fidẽ in his ad iuſtitiã requiri, ſed & ſpem, amorem iuſtitiæ, atque odiũ peccati.*

Prima ſalus eſt declinare peccatũ, ſecunda nõ deſperare de venia. Nam ipſe ſe in æternũ perimit, qui apud miſericordem iudicem ad pœnitentiæ remedia nõ recurrit. *Tom. 3. ex ſent. Sent. 200.*

*Perimit ſe peccator, qui ad pœnitentiæ remedia non recurrit.*

Horum ſimile eſt, quod de pœnitendo nunc dicam: nam vt inter omnes ſanos conſtat, & quod ipſi Manichæi, nõ ſolùm fatentur, ſed & præcipiunt, vtile eſt pœnitere peccati. Quid ego nunc in hanc rem diuinarum ſcripturarũ teſtimonia, quæ vſquequaque diffuſa ſunt, colligam? vox eſt etiam iſta naturæ. Neminem ſtultũ rei huius notitia deſeruit. Hoc nobis niſi etiam penitus inſitum eſſet, periremus. Poteſt aliquis dicere, non ſe peccare: non autem ſibi eſſe, ſi peccauerit, pœnitendum, nulla barbaries hoc dicere audebit. *Tom. 6. de duabus animabus, contra Manich. cap. 14.*

*Nulla barbaries negare audet: peccatori neceſſariam eſſe pœnitentiã.*

II. *Baptizatos in Chriſto non poſſe in peccata relabi, falſum & hæreticum eſſe dogma.*



HIC (*nempe Iouinianus*) omnia peccata, ſicut Stoici philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe ieiunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiã. *Tom. 6. de hæreſib. ad Quoduultdeum, hæreſi 82.*

*Ieiunia & delectũ ciborũ, cum Ioniniano, recẽtes hæretici reijciunt.*

In id etiam progrediũtur, (*Pelagiani*) vt dicant vitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: * Dimitte nobis debita noſtra. *Ibidem, hæreſi 88.* * *Matth. 6.*

Niſi eſſent quædam ita grauia, vt etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus: * *Congregatis vobis & meo Spiritu tradere eiuſmodi hominem ſathanæ in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu.* Vnde etiam dicit: * *Ne lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immũdiciam & fornicationem quam geſſerunt.* Item niſi eſſent quædam non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis qui propriè pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, nõ diceret ipſe Dominus: * *Corripe eum inter te & ipſum ſolum, & ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Poſtremò niſi eſſent quædã, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, vt dicamus: * Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Tom. 4. de fide & operibus, cap. 26. De hac materia lege ſuprà lib. 2. cap. de lapſis.*

*Quædã peccata excommunicatione plectenda.*

* *1. Cor. 5.*

* *2. Cor. 12.*

*Peccata nõnulla correptionũ medicamentis ſananda.*

* *Matth. 18.*

* *Matth. 6.*

III. *Fidelibus quoties poſt Baptiſmum in peccata relabuntur, pœnitentiæ Sacramentum ſupereſſe, quo veniam peccatorum conſequentes Deo reconcilientur.*

QVisquis poſt Baptiſmum aliquorum priſtinorum malorum opere obligatus tenetur, vſque adeò ſibi inimicus eſt, vt adhuc dubitet vitam mutare, dum tempus eſt cùm ita peccat, & viuit? Nam vtique quod ita perſeuerans peccat, theſaurizat * ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Quod autẽ adhuc viuit, * *Rom. 2.*

*Pœnitẽs Eccleſiæ clauibus ſoluẽdus, vt ſit ſolutus in cœlo.*

**Matth. 16.*

** Matth. 7.*

** Gal. 5.*

*Hæc omnia peccata, Apoſtoli & Aug. ſentẽtia mortifera ſunt: etiã poſt Baptiſmũ: At nouis euãgelicis venialia ſunt oĩa, p̃ter infidelitatẽ.*

*De pœnitẽt. diſt. 1. cap. Iudicet.*

** Prou. 26.*

** Pſal. 138.*

*A Deo ſeuero ad eũdẽ miſericordem fugiendum.*

*Pœnitẽtibus dãda venia.*

** Apoc. 2.*

*Nulli quantũuis ſcelerato negãda pœnitentia, etiamſi fidelis*

patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit. Implicatus ergo tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipſas claues Eccleſiæ, quibus ſoluatur * in terra, vt ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri? Nec illud veridicum Dominicæ vocis * tonitruum contremiſcit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorum, &c? Quid? ad Galatas idem Apoſtolus, nonne talia enumerans eodem fine concludit? * *Manifeſta ſunt*, inquit, *opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, comeſſationes & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Iudicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate dum poteſt, & mores conuertat in melius, ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. *Tom. 10. homil. 50. cap. 10. & 11.*

Hic fortaſſe dicis, ſed ego iã baptizatus ſum in Chriſto, à quo omnia mihi peccata præterita dimiſſa ſunt, vilis factus ſum nimis iterans vias meas, & canis* horribilis oculis Dei, conuerſus ad vomitum ſuum. Quò abibo* à Spiritu eius, & à facie eius quo fugiam? quò frater, niſi ad eius miſericordiam pœnitendo, cuius poteſtatem peccando contempſeras? Nemo enim rectè fugit ab illo niſi ad illum, ab eius ſeueritate ad eius bonitatem. *Ibidem, cap. 14.*

Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, vt dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cùm ſcriptum ſit: * Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera: Vtique ei dicitur quem cõſtet excidiſſe. *Tom. 10. de tempore, ſerm. 181. cap. 14.*

Et nolo putes quia de his ſermo mihi ſit tantùm, qui in paucis & leuibus peccauerunt: de illo loquor qui omnibus ſuccũbuit malis, qui immanitate ſcelerũ viam ſibi præcluſerit regni cœlorum, & non de infidelibus, ſed de fidelibus fuerit: & ex his qui prius placuerunt *Deiique amicus ante lapſum fuerit.*



** 2. Cor. 12. Epheſ. 4.*

*Pœnitentiæ Sacramẽtum cathari tollebant.*

** aliàs ſupplici.*

** Ezech. 18.*

** Baptiſmus quia mortem & ſepulturã Chriſti repræſentat, repeti non debet.*

Deo, poſt hæc autem ceciderunt vel in adulteria, vel in omnes impudicitias, quæ, vt Apoſtolus ait, * turpe eſt dicere. Nunquam enim ſpernit (*Deus*) pœnitentiam, ſi ei ſyncerè & ſimpliciter offeratur, ſuſcipit, libenter accipit, amplectitur, facit omnia, quatenus eum (*lapſum*) ad priorem ſtatum reuocet. *Ibidem, cap 16.*

CATHARI, qui ſeipſos iſto nomine quaſi propter mundiciem, ſuperbiſſimè atque odioſiſſimè nominant, ſecundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant. *Tom. 6. de hæreſ. ad Quoduultdeum, hæreſi 38.*

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamſi in vltimo vitæ Spiritu admiſſorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia propoſitum Dei quo decreuit ſaluare quod perierat, ſtat immobile, & ideo quia voluntas eius non mutatur, ſiue emendatione vitæ, ſi tempus conceditur, ſiue publica *confeſſione ſi continuò vita exciditur, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illo qui non vult mortem *peccatoris, ſed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & ſaluatus miſeratione Domini viuat. Si quis aliter de iuſtiſſima Dei pietate ſentit, non Chriſtianus, ſed Nouatianus eſt. *Tom. 3. de Eccleſiaſt. dog. cap. 30.*

### *IIII. Chriſtiani hominis pœnitentiam, qua poſt Baptiſmum remiſsio peccatorum impetratur, multo eſſe aliã ab ea quæ in adultis baptizandis requiritur.*

SEd de baptiſmo hoc intellexit (*exponit illud Apoſtoli Heb. 6. impoſsibile eſt &c.*) dixit enim eos renouari per pœnitentiam impoſſibile eſſe, vt rurſum crucifigant Filium Dei, & oſtentui habeant: id eſt, vt iterum baptizentur. Qui enim baptizatur mortem crucis & ſepulturam Chriſti repræſentat in immerſione ſua. In ſigno enim crucis quiſque in aqua ſubmergitur, & ſubmerſus ſepultus oſtenditur: Non enim qui lapſi ſunt, per iteratum Baptiſmum conſequi veniam poterunt. Sicut enim ſemel Chriſtus crucifixus eſt, ſic Baptiſmus * iterandus non eſt. Vna enim morte ſua omnes rede-

*Per fructus pœnitẽtiæ baptizatis adhibetur ſpes veniæ.*

mit, vt amplius mori non oporteat. Quod videns Eccleſia, intellexit non iterãdum Baptiſmum. Per fructus itaque pœnitentiæ baptizatis adhibetur ſpes veniæ. *Tom. 4. de vera & falſa pœnit. cap. 3.*

*Tres actiones pœnitẽtiæ in Eccleſia vſitatæ.*

Tres ſunt actiones pœnitentiæ, quas mecum veſtra eruditio recognoſcit. Sunt enim vſitatæ in Eccleſia, & diligenter attendẽtibus notæ. Vna eſt quæ nouum hominem parturit, donec per Baptiſmum ſalutare omniũ præteritorum fiat ablutio peccatorum, vt tãquam puero nato dolores tranſeant, quibus viſcera vrgebantur ad partum, & triſtitiam lætitia conſequatur. Omnis enim, qui iam arbiter voluntatis ſuæ cõſtitutus eſt, cùm accedit ad Sacramenta fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptizãtur ſoli paruuli ſunt immunes. Nondum enim vti poſſunt libero arbitrio, quibus tamen ad conſecrationẽ remiſſionémque originalis peccati prodeſt eorum fides, à quibus offeruntur, vt quaſcunque maculas delictorum per alios, ex quibus nati ſunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione ac reſponſione purgentur. Veriſſimè quippè in Pſalmis * plangitur, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea*. Item ſcriptum eſt: * Non eſſe mundum in conſpectu Dei, nec infantem, cuius eſt vita diei vnius ſuper terram. Exceptis ergo talibus, de quorum ordine ac merito in futura illa quæ promittitur ſorte ſanctorum, velle amplius quærere, hominum modum excedit: piè tamen creditur eis prodeſſe ad ſpiritalem ſalutem, quod Eccleſiaſticæ auctoritatis per totum orbem terrarum tam firmo robore cuſtoditur: cæterorum hominum nullus tranſit ad Chriſtum, vt incipiat eſſe quod non erat, niſi eum pœniteat fuiſſe quod erat. Hæc prima pœnitentia præcipitur Iudæis, dicente Apoſtolo Petro: * *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Talis ab ipſo Domino imperabatur, cùm diceret, * *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* De hac etiam Ioannes baptiſta, plenus Spiritu ſancto, præcurſor & præparator viæ Domini, ita dicit, * *Generatio viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœ-*

*Paruuli aliorum interrogatione & reſpõſione ab originalis peccati macula purgantur.*

* *Pſal. 50.*
* *Iob. 24.*
* *Act. 2.*
* *Matth. 4.*
* *Matth. 3.*



*nitentiæ.* Altera verò pœnitentia eſt, cuius actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt. Primò, quia vitam æternam, incorruptibilem, immortalémque nullus deſiderat, niſi eum vitæ huius temporalis, corruptibilis, mortaliſque pœniteat. *Et infrà.* Sed neque tam facilè ab inimico deiicimur, quàm cùm eũ ſuperbiendo imitamur: nec vehementius eum proſternimus, quã cùm humilitate Deum ſequimur: Nec acriores ei dolores infligimus, quàm cum plagas peccatorum noſtrorum cõfitendo & pœnitendo ſanamus. Tertia actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet. Et de quibus Apoſtolus ait: * *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. In hac ergo pœnitentia, maiorem quiſque in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à Deo. Sicut idem Apoſtolus ait, * Si enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. *Tom. 10. lib. 50. homiliarum, homil. vltima.*

* *Gal. 5.*

*Pro peccatis mortalib. maior pœnitẽtiæ ſeueritas à pœnitẽte ſuſcipienda.*

* *1. Cor. 11.*

Non poteſt autem (*paruulus*) ſemel Dei Spiritu regeneratus ex parentum carne regenerari, vt obligatio quæ ſoluta eſt, iterum cõtrahatur. Et ideo ſemel perceptam paruulus Chriſti gratiam non amittit, niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus euaſerit. Tũc enim propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur. *Tom. 2. Epiſt. 23. ad Bonifacium.*

*Baptizatus paruulus non amittit gratiã, quouſque propria volũtate peccet.*

Semel abluimur baptiſmate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere pro quibus neceſſe eſt, vt à Chriſti corpore ſeparemur, quod abſit à nobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt pœnitentiam. Nam ſi leuia peccata ipſorum eſſent, hæc quotidiana oratio delendo ſufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia: in Baptiſmate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ, &c. *Tom. 9. de ſymb. lib. 1. cap. 6.*

*Peccata poſt Baptiſmũ admiſſa nõ regeneratione tollenda, ſed alia curatione ſananda.*

*Tres modi quibus in eccleſia peccata remittuntur.*

Agunt homines ante Baptiſmum pœnitentiam de ſuis prioribus peccatis, ita tamen, vt etiam baptizentur; ſicut ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum,

*Pœnitẽtia ante baptiſmũ.*

*Act.2.* loquente Petro ad Iudæos & dicente:* *Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Domini Ieſu Chriſti, & dimittentur vobis peccata veſtra*. Agunt etiam homines pœnitẽtiã, ſi poſt Baptiſmum ita peccauerint, vt excõmunicari & poſtea reconciliari mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia locutus eſt Apoſtolus Paulus, vbi ait:* Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immunditia & luxuria & fornicatione, quam egerunt: neque enim ſcribebat iſta, niſi eis qui iã baptizati fuerant. Habemus etiam in actibus Apoſtolorum,* Simonem iam baptizatum cùm pecunia vellet emere, vt ei per impoſitionem manus daretur Spiritus ſanctus, admonitũ à Petro, vt de hoc graui peccato ageret pœnitentiam. Eſt etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna, in qua pectora tundimus, dicentes:* *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa nõ dubitamus in Baptiſmo, ſed illa vtique quæ humanæ fragilitati, quanuis parua, tamen crebra ſubrepunt. *To. 2. Epiſt. 108 ad Seleucianam. Huc etiam pertinet magna pars expoſitionis epiſt. ad Rom. inchoatæ.*

*Pœnitentia pro grauioribus delictis poſt Baptiſmum.*

** 2. Cor. 12.*

** Act. 8.*

** Matth. 6.*

*Pœnitentia pro quotidianis erratis venialibus.*

## *V. Pœnitentiam extra vnitatem Eccleſiæ inutilem eſſe.*

REctè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiis præſunt, tẽpora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ in qua remittuntur peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ipſa nanque propriè Spiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur vlla peccata, ita vt quibus dimittuntur conſequantur vitam æternam. *Tom. 3. in Enchirid. cap. 65.*

*Ab iis qui Eccleſiis præſũt rectè conſtituuntur tempora pœnitẽtiæ.*

In Apoſtolis cùm eſſet etiam ipſe numerus duodenarius, id eſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit:* *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, & ei dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum*, tanquam ligandi & ſoluendi ſolus acceperit poteſtatem, cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas eſt in omnibus. *Tom. 9. Euangel. Ioannis, Tractat. 118.*

** Matt. 16.*



Eccleſia eſt corpus Chriſti, ſicut Apoſtolica doctrina* commendat, quæ etiam coniunx eius dicitur. Corpus ergo ſuum multis membris diuerſa officia gerentibus, nodo vnitatis & charitatis tanquam ſanitatis aſtringit. Exercet autem hoc tempore & purgat medicinalibus quibuſdam moleſtiis, vt erutã de hoc ſeculo in æternum ſibi copulet coniugem Eccleſiam, non habentem* maculam neque rugam aut aliquid huiuſmodi. Porrò quoniam in via ſumus, nec via iſta locorum eſt, ſed affectuum, quam intercludebant quaſi ſepta quædam ſpinoſa præteritorum malitiæ peccatorum, quid liberalius & miſericordius facere potuit, qui ſeipſum nobis viam, qua reuerteremur, ſubſternere voluit, niſi vt omnia donaret peccata conuerſis, & grauiter fixa interdicta reditus noſtri pro nobis crucifixus euelleret? Has igitur claues dedit Eccleſiæ ſuæ, vt quæ ſolueret,* in terra ſoluta eſſent & in cœlo, quæ ligaret in terra, ligata eſſent & in cælo: ſcilicet, vt quiſqs in Eccleſia eius dimitti ſibi peccata nõ crederet, non ei dimitterentur, quiſquis autem crederet, ſeque ab his correptus auerteret, in eiuſdem Eccleſiæ gremio conſtitutus, eadem fide atque correptione ſanaretur. *Tom. 3. de doctr. Chriſt. lib. 1. cap. 16. 17. et 18. Huc pertinet & articulus 9. lib. 2. cap. de lapſis.*

** Epheſ. 1.*

** Epheſ. 5.*

** Matt. 16.*

## *VI. Contritione, quæ verus & vtilis eſt de peccatis dolor, ad ſalutarem pœnitentiam opus eſſe, eáque ad percipiendam gratiam nos præparari.*

INtuere Dauid regem, iam vtique & ipſe illius temporis Sacramenta perceperat. Iam circunciſus erat vtique, quod patres noſtri pro Baptiſmo habebant. Nam ad hoc dicit Apoſtolus:* ſanctum Abrahã ſignaculum iuſtitiæ fidei accepiſſe. Iam etiam vnctus erat vnctione venerabili, qua regale ſacerdotium præfigurabatur Eccleſiæ. Repentè autem factus eſt & adulterij* & homicidij reus. Non fruſtra tamen de tam immani & abrupto profundo ſceleris pœnitẽs clamauit ad Dominum

*Patres pro baptiſmo circunciſionem habebant.*

** Rom. 4.*

** 2. Reg. 11.*

** Pſal. 50. Vide nũ per fidem ſpecialẽ hæreticorũ Dauid conſequutus ſit veniã peccatorum, an potius per cor contritum et humiliatum.*

dicēs: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes inquitates meas dele*. Quo tandem merito, niſi quia idem dicit: Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum ante me eſt ſemper? Quid autem obtulit Domino, vnde illum propitiaret ſibi? Quoniã ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Non ſolùm ergo deuotè obtulit, ſed etiam iſta dicendo, quid offerri oporteret oſtendit. *Tom. 10. lib. homiliarum quinquaginta, homil. 50 cap. 15.*

*Redeũtes ad Catholicam Eccleſiã non videbantur Donatiſtis mundari, niſi iterum baptizarentur.*

** Ioan. 15.*

** Pſal. 50.*

*Sacrificio cõtriti cordis à peccatis mundamur.*

Sed ideo vobis, (*Donatiſtis*) non videntur mundari, cùm ad nos à vobis tranſeunt, quia non denuo baptizantur: quaſi ſolo baptiſmo, quem repeti non oportet, cùm idem atque vnus eſt, homines ab errore mundentur. Mundantur & verbo veritatis ab illo, qui ait: * *Iam vos mundi eſtis propter verbum, quod loquutus ſum vobis.* Mundantur & ſacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictũ eſt: * Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. *Tom. 7. cont. Creſconium Grammat. lib. 2. cap. 12.*

*Pœnitẽtiam certã non facit niſi odium peccati & amor Dei, non fides ſpecialis*

** Pſal 50.*

Sed videte qualis debet eſſe pœnitentia, quia multi aſſiduè ſe dicunt eſſe peccatores, & tamen adhuc eos delectat peccare. Profeſſio eſt, non emendatio. Accuſatur anima non ſanatur. Pronunciatur offenſa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Quando ſic pœnites, vt tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente: iam tunc benè ingemiſcis ad Deum, & dicis: * Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. *Tom. 10. ſerm. 7. de temp.*

** Pſal. 50.*

*Peccata noſtra à nobis ipſis iudicanda atque punienda.*

Tolle te de dorſo tuo, vbi te videre non vis, diſſimulans à factis tuis, & conſtitue te ante te. Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto ibi iudex, torqueat te timor, erumpat confeſſio, dic Deo tuo, * *Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum ante me eſt ſemper.* Quod erat poſt te, fiat ante te, & cùm factum fuerit ante te, puniatur à te, ne tu ipſe poſteà à Deo iudice fias ante te, & nõ ſit in quo fugias à te. *Tom. 10. lib. 50. homiliarum, hom. 2.*



Iſta continua & aſſidua (*peccata*) & quaſi quodammodo neceſſaria, aſſidua lauentur confeſſione, aſſidua reſtaurentur compunctione. Surgamus puriſſimi ad puriſſimam perfectionem, ne iſtis, quæ parua ſunt, multiplicatis quaſi quadam ſcabie patiamur corrumpi, & collidine pinguedine charitatis imminuta ſinamur macie affligi, & tortura immundæ conſcientiæ macerari. Semper tẽdamus in melius, ſemper in puritatẽ baptiſmi tendentes, & eam ſummopere conſeruantes: vt cùm de hac vita exibimus ad eum qui mundiſſimus eſt mundi perueniamus, & ſine mora ab eo ſuſcipiamur. Doleamus eſſe exules à patria, doleamus viuere in corruptibili materia. Hic dolor magis ex deſiderio, quàm ex vindicta ſit. Vnde differt à pœnitentia. Pœnitentia enim eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. Qui autem dolet quòd retinetur in mortali corpore, deſiderat quod amat, plorans quod tardat. Omnis pœnitentia eſt de malè vſa libertate: iſte verò dolor magis de neceſſitate eſt. Nullum enim peccatũ eſt neceſſarium. *Tom. 4. de vera & falſa pœnitent. cap. 8.*

*Pœnitentia quid ſit.*

*De pœnitẽt. diſt. 1. cap. In actione.*

*In agẽda pro criminibus pœnitẽtia nõ tam menſura temporis conſideranda, quàm doloris*

** Pſal. 50.*

Sed neque de ipſis criminibus quàlibet magnis remittendis in ſancta Eccleſia, Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam ſecundùm modum ſui cuiuſque peccati. In actione autem pœnitentiæ vbi tale crimen commiſſum eſt, vt is qui commiſit, à Chriſti corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum * & humiliatum Deus non ſpernit. *Tom. 3. in Enchirid. cap. 65.*

### *VII. Sacramentalem pœnitentiam atque confeſſionem iure diuino inſtitutam, & ad ſalutem neceſſariam eſſe.*

MOrtales delectationes vſque ad reparãdam ſeu cuſtodiendam iſtam mortalem ſalutem ſiue vniuſcuiuſque hominis, ſiue ipſius humani generis, vel excitandæ vel relaxandæ ſunt: vltra ſi prolapſæ fuerint & contra temperantiæ rationem hominem non ſe regentem arripuerint, libidines erunt profectò illicitæ ac turpes & dignæ doloribus emendari. Quid ſi etiã perturbatum rectorem in tantã voraginẽ perditæ conſuetudinis

*Peccator poſt illicitas delectationes confeſſionis & pœnitentiæ medicinã negligens,damnatione dignus diuina lege cenſetur.*

mergant,vt vel inultas fore credens,confeſſionis & pœnitentiæ negligat medicinam, qua correctus emergat, vel peiore morte cordis contra illam æternam prouidentiæ legem, blaſphemum eis patrocinium defenſionis adhibeat,atque ita diem fungatur extremum, non iam emẽdatione,ſed damnatione dignum, lex illa irreprehenſibilis cenſet. *Tom.6.cont.Fauſtum Manich.lib.21. cap.29.*

Sunt multi quos peccare non pudet,agere pœnitentiam pudet. O incredibilis inſania:de vulnere ipſo non erubeſcis,de ligatura vulneris erubeſcis? Nónne nudũ vulnus fœdius & putidius eſt? Confuge ergo ad medicum,age pœnitentiam. *Tom 8.in Pſal.50.*

In omnibus ſcripturis diuinis,fratres dilectiſſimi,vtiliter ac ſalubriter admonemur, vt peccata noſtra debeamus iugiter & humiliter non ſolum Deo,ſed etiam ſanctis,&Deum timentibus confiteri.Sic enim per Iacobum Apoſtolum nos admonet Spiritus ſanctus dicens: * *Confitemini alterutrum peccata veſtra,et orate pro inuicem, vt ſaluemini* Et Pſalmiſta, * *Confitemini Domino, quoniam bonus*:Et iterum:* *Dixi,pronunciabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino,& tu remiſiſti impietatem cordis mei.* Quomodo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deeſſe poſſunt,ſic & confeſſionis medicamenta deeſſe non debent.Non enim ideò vult Deus, vt confiteamur peccata noſtra,quod ea ipſe ſcire non poſſit:ſed quia diabolus hoc deſiderat,vt inueniat, quod nobis ante tribunal iudicis æterni obiicit. Ideò vult vt magis defendere quàm accuſare peccata noſtra velimus. E contrario autem Deus noſter quia pius eſt & miſericors, vult vt ea confiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro.Si enim nos confitemur,ille parcit.Si nos agnoſcimus, ille ignoſcit.Primo homini non dictum eſt,confitere peccatum, quia non fecerat quod fateretur,ſed dictum ei eſt,*vt non peccaret. Non obtemperauit, peccauit. Nati ſumus mortales ex vinculo peccati,propagata eſt miſeria noſtra per ſucceſſionem fragilitatis humanæ,& dicitur nobis,Fatemini peccata veſtra. Serpens autem ille quomodo tũc inſtituit vt nõ ſeruaret homo*quod illi dictũ eſt,ne peccaret,ſic nunc inſtat

** Iacob.5.*
** Pſalm.135.*
** Pſalm.31.*

*Quare peccatorum confeſſionem à nobis Deus requirat.*

** Geneſ.2.*
** Geneſ.3.*

inſtat



inſtat vt non ſeruet homo quod ei dictum eſt: Confitere peccatum. Quomodo enim tunc fecit vt caderet qui ſtabat,ſic nũc agit,ne ſurgat qui cecidit. Itaque aduerſus incãtationes eius,& inſidias quibus nũc impedire vult reditum noſtrum,ſuſcipiamus præcepta ſaluberrima aduerſus eum,qui nunc impedire vult nobis confeſſionem peccati. *Tom.10.lib.50.homiliarum,hom.12.*

Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere: Te accuſa, illum glorifica:Te reprehende, illum lauda, vt & ipſe veniens inueniat te punitorem tuum, & exhibeat ſe tibi ſaluatorem tuum.Quid enim timetis confiteri, qui inuenitis hanc viam in omnibus gentibus? Quid timetis confiteri, & in confeſſione veſtra cantare canticum nouum cum omni terra?In omni terra in pace Catholica:confiteri times Deo ne confeſſum damnet?Si non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis. Times confiteri qui non confitendo eſſe non potes occultus: dãnaberis tacitus,qui poſſes liberari confeſſus. *Tom.8.in Pſalm.66.circa medium.*

Non alium ſtatuatis nunciũ,qui pro vobis offerat munus à Moſe ſtatutum.Sed qui per vos peccaſtis,per vos erubeſcatis.Erubeſcẽtia enim ipſa partem habet remiſſionis,ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, vt neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quod per ſeipſum dicit ſacerdoti & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis: fit enim per confeſſionem veniale,quod criminale erat in operatione. Et ſi non ſtatim purgatur, fit tamen veniale quod commiſerat mortale.Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans,nihil eorum, quæ commiſit,nuncio Dei denegauit. *Tom.4.de vera & falſa pœnitent.cap.10.*

*Qui per ſe peccant, per ſe erubeſcãt. Quid opus eſt cum erubeſcentia tantopere pugnare, ſi generatim tantum confiteri ſufficiat?*

An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum (*loquitur de obſidionibus ciuitatum*) peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi, quatenus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu,atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus,aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionẽ & erogationem? Vbi ſi miniſtri deſint,quantum exitium ſequitur eos qui de iſto ſeculo,vel non regenerati exeunt, vel

*Magnũ exitiũ ſequitur eos qui de iſto ſeculo vel nõ*

*regenerati exeunt vel ligati.*

ligati? Quantus eſt etiam luctus fideliũ ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum & miniſtrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum? Si autem miniſtri adſint, pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubuenitur: alij baptizãtur, alij reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudãtur &c. *Tom.2.epiſt.180.ad Honoratum.*

*Miniſtrorũ Eccleſiæ eſt baptizare, recõciliare, & dominicum corpus erogare.*

Ego non ſolùm alios Catechumenos, verùm etiam ipſos, qui viuentium coniugiis copulati retinent adulterina conſortia, cùm ſaluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati & intra ſe pœnitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cũ cæteris lauacro regenerationis abluatur. *Et paulò poſt.* Quæ autem baptiſmatis, eadem recõciliationis eſt cauſa, ſi fortè pœnitẽtem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arra ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia. *Tom.6.de adulter.coniug. lib.1.cap.28. Huius rei mentio fit & lib.20.de ciuit. Dei, c.9.*

*Quæ baptiſmatis in non baptizato, ea in pœnitẽte, reconciliationis neceſſitas eſt per miniſterium Eccleſiæ.*

Eſt pœnitentia grauior atque luctuoſior, in qua propriè vocantur in Eccleſia pœnitentes, remoti etiam à Sacramentis altaris participandis, ne accipiendo indignè, iudicium * ſibi mãducent & bibant. Illa verò pœnitentia luctuoſa eſt: graue vulnus, adulteriũ fortè cõmiſſum eſt, fortè homicidium, fortè aliquid ſacrilegum. Grauis res, graue vulnus, lethale, mortiferũ, ſed omnipotens medicus. Iam poſt ſuggeſtionem facti & delectationem, & conſenſionem, & perpetrationem, quaſi quatriduanus * mortuus putet. Sed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamauit, Lazare veni foras. Ceſſit voci miſericordiæ moles ſepulturæ, ceſſit mors vitæ, ceſſit infernus ſuperno. Eleuatus eſt Lazarus, proceſſit tumulo, & ligatus erat ſicut ſunt homines in confeſſione peccati agentes pœnitentiam. Iam proceſſerunt à morte: nam non confiterentur niſi procederent. Ipſum confiteri ab occulto & tenebroſo procedere eſt. Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ inquit? Quæ ſolueritis in terra ſoluta erũt

** 1.Cor.11.*
** Ioan.11.*
*Sicut Lazarus è ſepulchro ligatus prodiit, inde ab Apoſtolis Chriſto iubente ſolutus eſt, ita peccator confitens primò in lucẽ prodit, inde per Eccleſiã ſoluitur.*
** Matth.18.*



in cælo. *To.10.lib.50.homiliarum, hom.27.*

*Ante mortem Deo & Sacerdoti confitenda peccata.*

Et aliud dico: Non ſolùm poſt pœnitentiam ab iſtis vitiis, (*intelligit ebrietatem, furtũ &c.*) ſe homo ſeruare debet, ſed & ante pœnitentiam dum ſanus eſt: quia ſi ad vltimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit. Ecce quare dixi, quia & ante pœnitentiam bene viuendum eſt, & poſt pœnitentiam melius. *Ibidem hom.41.*

*De pœniten. diſt.1.can. Agite.*

Qui poſt vxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter vxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia, vt oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: * Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euãgelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus nobis, quod ille negat? *Ibidem hom.49.*

*Si occulta in corde pœnitẽtia apud Deum ſufficit, ſine cauſa datæ ſunt claues Eccleſiæ.*
** Matth. 8.*
*Fruſtrat Euãgeliũ Dei qui ſine Sacramẽtali pœnitẽtia remiſſionem peccatorũ ſibi promittit.*

### *VIII. Peccata omnia mortalia, quorum memoria habetur, cum circunſtantiis neceſſariis confitenda eſſe Sacerdoti.*

TRiſtis eſto antequam confitearis, confeſſus exulta: iam ſanaberis. Non confitentis cõſcientia ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat, adhibet medicinale ferrum in corruptione tribulationis. Tu agnoſce medici manum, confitere, exeat in cõfeſſione, & defluat omnis ſanies &c. *Tom.8.in Pſalm.66.*

*Quorſũ varia hæc medicamenta, ſi omnes eodem modo, hoc eſt generatim peccata confiteantur?*
*Exeat & defluat in cõfeſſione omnis ſanies.*

Conſideret (*pœnitens*) qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem, ſecundùm excellentiam ſui ſtatus, & officij, & ſecundùm modum meretricis, & ſecundùm modum operis ſui, & qualiter turpitudinẽ ſuam peregit. Si in loco ſacro, aut cui debuit excellentiam fidei, vt ſunt domus domino-

*Variæ criminis circũſtantiæ pœnitẽti conſideranda, vt dolere ac confiteri rectè valeat.*

*Quidam non ex‹ſp›ectāt tentationem, ſed præueniunt voluptatem.*

rum & aliorum multorum, ſi in tempore orationi conſtituto, aut in feſtiuitate ſanctorum & in tempore ieiunij. Conſideret quantum perſeuerauerit, & defleat quòd perſeueranter peccauerit, & quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non ſolùm non vincuntur, ſed vltrò ſe peccato offerunt: nec expectant tentationem, ſed præueniunt voluptatem, & pertractant ſecum, quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccent. Omnis iſta varietas confitenda eſt & deflenda, vt cùm cognouerit, quòd peccatum eſt multum, citò inueniat Deum propitium. In cognoſcendo augmentum peccati inueniat ſe cuius fuerit ætatis, cuius ſapientiæ & ordinis & ſtatum omnem alterius non peccantis. Immoretur in ſingulis iſtis, & ſentiat modum criminis: purgás lachrymis omnem qualitatem vitij &c. *Tom 4. de vera & falſa pœnitent. cap.* 14.

*Cauēdum ne pudore vict⁹ pœnitens confeſſionem diuidat.*

Cautus ſit, ne verecūdia ductus diuidat apud ſe confeſſionē, & diuerſa diuerſis ſacerdotibus velit manifeſtare. Quidā enim vni celant, quæ alij manifeſtanda conſeruant, quod eſt ſe laudare & ad hypocriſin tendere, & ſemper venia carere, ad quam totā per fruſta putat peruenire. *Ibidem, cap.* 15.

*Semper caret venia, qui ad eam per fruſta putat ſe peruenturū.*

*Spirituali iudici in Sacramento pœnitentiæ ſcientia & prudentia neceſſaria.*

Caueat ſpiritalis iudex, vt ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet enim vt ſciat cognoſcere, quicquid debet iudicare. Iudiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, vt quòd debet iudicare diſcernat. Diligens igitur inquiſitor, & ſubtilis inueſtigator ſapienter & quaſi aſtutè interroget à peccatore quod forſitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates eius non dubitet inueſtigare, & locum & tēpus & cætera quæ ſuprà diximus in exponendo eorum qualitates, quibus cognitis adſit beneuolus paratus erigere & cum ipſo onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, diſcretionem in varietate. *Ibidem, ca.* 20.

*Hoc etiam nunc exiſtimāt quidam ab hæreticis ſeducti.*

Sunt quidam, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubeſcunt ſiue dedignantur oſtendere ſe Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernere per



legiſlatorem conſtituit Dominus. Sed nolo vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris cōfiteri coram Domini vicario, tabeſcens præ rubore vel ceruicoſus præ indignatione: nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem dominus ſibi nō dedignatur vicarium.

*Subeundum humiliter Sacerdotis iudicium.*

*Ergo ſingulatim aperienda ſunt peccata letalia.*

Ergò ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem. Nō ſeducat te ſomniantiū illa ſuperſtitio, quæ in viſitando confirmat, quia ſaluat Sacerdote inconſulto ad Deum confeſſio peccatorum. Nos autem non abnegamus quin ſit ad Deū frequenter referenda cōfeſſio peccatorum: *Beatus etenim* qui tenebit & allidet paruulos ad petram*, petra autem Chriſtus eſt. Sed teſtamur, & teſtatur illud ſana doctrina, ne tibi applaudentiū faueas auribus, quoniam prius eges Sacerdotis, qui mediator ſit ad Deum tuum ſalubri iudicio: alioquin & ſub lege, & ſub gratia, Ite* & oſtendite vos Sacerdotibus, reſponſum diuinum, quomodo conſummaretur? Confitemini * alterutrum peccata veſtra, quomodo compleretur? *Et paulò pòſt*: Aſtantem corā te Sacerdotem angelum Dei exiſtima. Labia quidem Sacerdotis, ait Malachias, * cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: angelus enim Domini exercituum eſt. Et cum qua & Deum & angelum eius decet reuerentia, Dei miniſtrum affari. Aperi ei penetralium tuorum abditiſſima latibula, conſcientiarum verecundarum penitiora reuela repagula. Nō te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forſitan coram multis, & cum multis facere: Nam humanum eſt peccare, Chriſtianum eſt à peccato deſiſtere, diabolicum eſt perſeuerare. Ergo quæ mentem grauius exacerbant facinora, Dei angelo manifeſta, nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circuitionibus, quod verum eſt operiens. Deſignanda ſunt etiam in quibus peccaſti loca, ſi recordaris, & tempora, cum quibus peccaſti perſonis, non nomina ipſarum, etiam vt à peccato deſiſtant ſecreto corrigenda familiaritas, in qua peccaſti labilis ætas, quo gradu iam Eccleſiæ inſeruiebas, vtrum ſemel an ex conſuetudine: vtrum neceſſitate, an ex voluptate cecidiſti &c. *Tom. 9. lib. 2. de viſit. infirm. cap. 4 & 5.*

** Pſalm. 136*

*Sacerdos mediator ad deū*

*Sacerdos in ſacramēto pœnitentiæ iudex.*

** Luc. 17.*

** Iac. 5.*

** Mala. 2.*

*Penetralium conſciētiæ abditiſſima latibula, Sacerdoti aperienda.*

*In confeſſione peccatorū apud Sacerdotē, quæ obſeruanda ſint.*

*De pœn.diſt. 1.can. Quem poenitet. Et diſt.3.can.ſũt plures.*

** Luc.17.*

Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confeſſionem. Præcepit enim Dominus mundatis, vt oſtenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim, ora mõſtrate, & omnes, non vnus pro omnibus. *Tom. 4. de vera & falſa poenitentia, cap.* 10.

## *IX. Sacerdoti poteſtatem abſoluendi à Chriſto Domino eſſe tributam.*

*Qui confitendo peccata ſacerdotibus pudeſit, ſperans veniam, fit dignus miſericordia.*

** Ioan.11.*

** Matth.18.*

*Sententia Sacerdotis confirmatur in coelo.*

*Confiteri peccata, eſt ab occultis exire ſéque manifeſtare.*

QVoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia. Vnde patet, quod quantò pluribus confitebitur in ſpe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius conſequitur miſericordiam remiſſionis. Ipſi enim Sacerdotes plus iam poſſunt proficere, plus confitentibus parcere, quibus enim remittunt, remittit Dominus, Lazarum* quem de monumento iam ſuſcitatum obtulit Dominus diſcipulis ſoluendum, per hoc oſtendens poteſtatem ſoluendi conceſſam Sacerdotibus. Dixit enim, * *Quodcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluetur & in coelis*: hoc eſt: Ego Deus & omnes ordines cœleſtis militiæ, & omnes ſancti in mea gloria laudant vobiſcum, & confirmant quos ligatis & ſoluitis. Non dixit, quos putatis ligare & ſoluere, ſed in quos exercetis opus iuſtitiæ aut miſericordiæ. *Tom. 4. de vera & falſa poenitentia, cap.* 10.

*Etiam qui à morte peccatorũ excitat⁹ à deo eſt, adhuc à Dei miniſtro ſolui debet.*

** Ioan.11.*

** Matth.18.*

Quando contemnis, mortuus iaces: & ſi tanta quanta dixi contemnis, ſepultus iaces: quãdo confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo, te manifeſtare? Sed vt confitearis, Deus facit magna voce clamando, id eſt, magna gratia vocando: ideo cùm proceſsiſſet mortuus, adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt ſoluerentur peccata eius, miniſtris hoc dixit Dominus, * *ſoluite illum, & ſinite abire.* Quid eſt, ſoluite & ſinite abire? Quæ ſolueritis * in terra, ſoluta erunt in cœlo. *Tom. 9. Tract. 49. ſuper Ioannem, ca.* 11.

*Quid verba illa, Ioan. 11. Soluite & ſinite abire, ſignificent.*

*Reuixit, quẽ pœnitet peccatorũ ſuorum: à ſepulchro eductus eſt, qui peccata confitetur: tamẽ adhuc à ſacerdote ſoluendus eſt.*

Quid enim prodeſſet Lazaro, quia proceſsiſſet de monumento, niſi diceretur, ſoluite eum, & ſinite abire? Ipſe quidem voce de ſepulchro ſuſcitauit, ipſe clamando animam reddidit, ipſe terrenam molem terreno ſepulchro impoſitam vicit, & proceſſit ille vinctus. Non ergo pedibus propriis, ſed virtute producentis fit hoc in corde pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, iam reuixit: cùm audis hominem confitendo proferre conſcientiam, iam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſoluitur? à quibus ſoluitur? Quæ ſolueritis, inquit, * in terra, erũt ſoluta & in cœlo. *Tom. 8. in Pſalmum* 101. *concio.* 2.

** Matt.18.*

** Ioan.11.*

*Peccator, antequam cõfiteatur ſacerdoti peccata, occultus eſt, cùm autẽ confitetur, procedit è tenebris in lucem.*

Clamauit Dominus * ad ſepulchrum Lazari, & quatriduanus mortuus reſurrexit. Qui putebat, in auras proceſſit: ſepultus erat, lapis ſuperpoſitus erat. Vox Saluatoris irrupit duritiam lapidis, & cor tuum ita durum eſt, vt nondum illa vox diuina te rumpat. Surge in corde tuo, procede de ſepulchro tuo. Etenim mortuus in corde tuo, tanquam in ſepulchro iacebas, & tanquam ſaxo malæ conſuetudinis grauaris. Surge & procede, & crede & confitere. Qui enim credit, ſurrexit: qui confitetur proceſſit. Quare proceſſiſſe dicimus confitentem? Quia antequam confiteretur, occultus erat: cùm autem confiteretur, procedit de tenebris ad lucẽ. Et cùm confeſſus fuerit, quid dicetur miniſtris? Quod dictum eſt ad funus Lazari: *Soluite illum, & ſinite abire.* Quomodo dictum eſt miniſtris Apoſtolis? * Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo. *Tom. 9. in Ioan. Tract. 22. Lege & de vtilitate pœnitentiæ, cap.* 3.

** Matt.18.*

** Matth.16*

*Fides circa Eccleſiæ claues neceſſaria.*

Has igitur claues dedit Eccleſiæ ſuæ, * vt quæ ſolueret in terra, ſoluta eſſent in cœlo: quæ ligaret in terra, ligata eſſent & in cœlo: ſcilicet vt quiſquis in Eccleſia eius dimitti ſibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quiſquis autem crederet, ſéque ab his correctus auerteret in eiuſdẽ Eccleſiæ gremio cõſtitutus, eadem fide atq; correctione ſanaretur. Quiſquis enim non credit, dimitti ſibi poſſe peccata, fit deterior deſperãdo, quaſi nihil illi melius, quàm malũ eſſe remaneat, vbi de fructu ſuæ conuerſionis infidus eſt. *Tom. 3. de doctrina Chriſt. lib. 1. cap. 18. Vide Tom. 6. contra aduerſar. legis & Prophetarum, lib. 1. cap.* 17.

Circunſtant ergo nos & præcepta rectè faciendi, &

exempla non tantùm rectè facientium, ſed etiam ad recipiendam ſalutem pœnitentium, quæ fuerat amiſſa peccando. Sed fac incertum eſſe, vtrum ignoſcat Deus. Quid perdit cùm ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitauerit, cùm offenderet Deum? Quis enim certus eſt, quòd etiam Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarũ incerta ſubeuntur, & penè vt mors vitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini, ſine dubitatione fiunt iſta, cùm ſit dubium quo fine proueniant, & tamen certiores ſunt claues Eccleſiæ, quàm corda regia. Quibus clauibus quodcunque in terra * ſoluitur, etiam in cœlo ſolutum eſſe promittitur. Et multò eſt honeſtior humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ Dei, & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo, mors æterna vitatur. *Tom. 10. lib. Quinquaginta homili. homil. 50. ſub finem.*

*Certiores ſunt claues Eccleſiæ quã corda regia.*

** Matth. 16*

*Quàm tutũ, honeſtũ & vtile ſit peccatori, Eccleſiæ clauibus ſeſe ſubiicere.*

## X. *Abſolutionem ſacerdotis actum iudicialem eſſe.*

** Apoc. 20*

VIdi, inquit (*Ioannes*) * ſedes, & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt. Non hoc putandum eſt de vltimo iudicio, ſed per ſedentes ſuper ſedes, ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos nunc Eccleſia gubernatur. Iudicium autem datum, nullum melius accipiendũ videtur, quàm id quod dictum eſt: * Quæ ligaueritis in terra erunt ligata & in cœlo. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 20. cap. 9.*

** Matt. 18.*

*Subdat ſe peccator omnino ſacerdotis iudicio, nihil ſibi reſeruans ſui.*

Ponat ſe (*peccator*) omninò in poteſtate iudicis in iudicio ſacerdotis, nihil ſibi reſeruans ſui, vt omnia eo iubente paratus ſit facere pro reparanda animæ vita, quæcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum deſiderio, quia vitam recuperat infinitam. *Tom. 4. de vera & falſa pœnitentia, cap. 15.*

## XI. *Ad veram pœnitentiam ſpectare non ſolùm nouam vitam, ſed & pro peccatis præteritis ſatisfactionem.*

*De pœn. di. 3. cap. Sane. A criminibus, quæ à regno Dei excludunt, difficilius expiamur quàm à leuioribus peccatis.*

SAnè cauendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnũ Dei nõ poſſidebunt, quotidiè perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippè eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea ſemper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentũ peccandi, quamuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi nõ ſatisfactio congrua negligatur. *Tom. 3. in Enchirid. cap. 70. Lege & caput proxime præcedens.*



*Eleemoſynis propitiatur Deus de peccatis præteritis.*

Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcunque etſi longè minorem, quam debeat, ſoluerit pœnam. Atque ita impartitur largitas miſericordiæ, vt nõ relinquatur etiam iuſtitia diſciplinæ. *Tom. 4. de continentia, cap. 6.*

*Ad delenda peccata, ſatisfactio congrua requiritur.*

*Largitas miſericordiæ non tollit iuſtitiam diſciplinæ.*

*Pſal. 37.*

*Lachrymis & eleemoſynis ſtudioſè redimenda peccata.*

Hoc eſt gerere curam pro delicto, ſemper niti, ſemper intendere, ſemper ſtudioſè & ſedulò agere, vt ſanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuũ, ſed fortè lachrymæ currunt & manus ceſſant. Fiant eleemoſynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei. Eges tu: eget & ille: eget ille ad te, eges & tu ad Deum: tu contemnis egentem tui, Deus nõ te contemnit egentem ſui. Ergo impleto tu egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua. Hoc eſt, curam geram pro peccato meo, faciã omnia quæcunque facienda ſunt ad abluendum & ſanandum peccatum meum. *Tom. 8. in Pſal. 17. ſub finem.*

*Non ſufficit mores in melius mutare, & à malis recedere.*

** Matth. 5.*

** Eccle. 21.*

*Exẽplo Petri deflenda peccata commiſſa.*

Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis. *Beati * enim miſericordes, quoniã ipſorũ miſerebitur Deus.* Non enim dictum eſt, vt tantùm abſtineatis à peccatis, ſed & de præteritis, inquit, * deprecare Dominum, vt tibi dimittantur. Et Petrus iam erat fidelis, iam in Chriſto & alios baptizauerat. Intuere ergo Petrum præſumentem accuſatum, timentem vulneratum, flentem ſanatum. Iam etiam poſt aduentũ de cœlo Spiritus ſancti, quidam Simon * pecunia voluit eundem Spiritum emere, ſceleratiſſimum & impium mercimonium cogitans, iam baptizatus in Chriſto, & tamen pœnitentiæ conſilium ab ipſo Petro correptus

** Act. 8.*

accepit.Dicit etiam Apoſtolus Paulus,* qui vtique fidelibus mittebat Epiſtolas,Ne iterum cùm venero ad vos, humiliet me Deus, vt lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt,& non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & luxuria,& fornicatione quam geſſerũt. Circunſtant ergo nos & præcepta rectè faciendi,& exempla non tantùm rectè facientium, ſed etiam ad recipiendam ſalutem pœnitentiũ,quæ fuerat amiſſa peccando. *Tom.9.de pœnitentiæ medicina, cap. 15. qui Tractatus eſt idem cum homilia quinquageſima, in Tom. 10. Lapſus eſt igitur Eraſmus, cùm eundem Tractatum in altero loco negat eſſe Auguſtini, in altero inter eius opera admittit.*

*Simoni mago iam baptizato pœnitentiæ cõſiliũ à Petro datum eſt.*

* 2.Cor. 12.

Ergo, *Pauli ſentẽtia, neceſſaria illis eſt pœnitentia,qui poſt baptiſmum peccauerũt.*

Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum com miſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere,& ita ſacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari,ſi vult non ad iudicium * & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere:ſed & ſecreta ſatiſfactione ſolui mortalia crimina non negamus, ſed mutato prius ſeculari habitu,& confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem,& iugi,imò perpetuo luctu miſerante Deo:ita duntaxat,vt cõtraria pro his quæ pœnitet agat,& Euchariſtiam omnibus diebus Dominicis ſupplex & ſubmiſſus vſque ad mortem percipiat. Pœnitentia verò eſt pœnitenda non admittere, & admiſſa deflere.Satisfactio pœnitentiæ, eſt cauſas peccatorum excidere,nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere. *Tom.3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap.53. & 54. & habentur hæc etiam homil.50.*

* 1.Cor.11.

*Habes hinc pœnitentiam publicã & ſecretam.*

*Nõ hîc fides ſpecialis, ſed iugis luctus, & piæ actiones peccatis contrariæ in pœnitente requiruntur.*

*Pœnitentia & ſatisfactio quid.*

Dicitis quo modo aliquis dignum ſe facere poſſit? Quomodo niſi vt errores priſtinos relinquat & pœnitentiam petat,vt qui criminũ ſuorum ſorde pollutus eſt, exhomologeſis ſatisfactione mundetur?Nec illud ſeruet vt in extremo vitæ ſuæ tẽpore tunc pœnitẽtiam petat,quando iam agere non poſſit. Inutilis eſt enim dilectiſſimi iſta perſuaſio.Parum eſt peccatorem pœnitere,niſi pœnitẽtiam peregerit.Ad emendanda enim crimina,vox pœnitentis ſola non ſufficit:nam in ſatiſfactione ingentium peccatorum,nõ verba tantùm, ſed opera quæruntur. *Tom.10.de tempore,ſerm.57.*

*Qui criminũ ſorde pollutꝰ eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur.*

*In ſatisfactione ingentium peccatorum, non verba tãtũ, ſed opera quæruntur.*



Bona eſt peccati confeſſio, ſi & curatio conſequatur.Nam quid prodeſt detegere plagam, & non adhibere medicinam? *Tom.3. in ſententiis ex Auguſtino decerptis,ſent.101.ex Tom.8.in Pſalm.[illegible]7.*

*Nõ ſatis eſt plagã oſtendere, niſi medicinam adhibeas.*

Qui enim multos offendit peccando, placare multos oportet ſatisfaciendo:vt Eccleſia prius offenſa per culpam, in conuerſione flectatur per miſericordiam, orans pro ipſo quem defunctum dolebat, vnde Deus flecteretur ad veniam,qui prius adhibuit miſericordiã. Laboret itaque pœnitens in Eccleſia eſſe, & ad Eccleſiæ vnitatem tendere.Niſi enim vnitas Eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori ſua opitulatione compleat,de manibus inimici non eripietur anima mortui.Credendum eſt enim,& pietas fidei expoſtulat credere,quod omnes eleemoſynæ totius Eccleſiæ, & orationes & opera iuſtitiæ,& miſericordiæ ſuccurrant recognoſcenti mortem ſuam ad conuerſionem ſuam. Ideòque nemo dignè pœnitere poteſt,quem non ſuſtineat vnitas Eccleſiæ. *Tom.4. de vera & falſa pœnitentia,cap.11. & 12.*

*De pœn.di. 6.cap.Qui vult. Cuius peccatũ multos offendit, eius ſatisfactio multos placare debet.*

Quiſquis hoc tempore per merita obedientiæ & per ſatisfactionem pœnitentiæ,non ſibi prouidit locum in corpore ſacerdotis (*Chriſti*), qua fronte impudentiæ tunc (*in extremo iudicio*) volet auerti faciem Dei à peccatis ſuis? *Tom.10.lib.50.homiliarum,homil.vltima.*

*Communio orationũ & bonorum operum Eccleſiæ, peccatorẽ pœnitentẽ adiuuat.*

## *XII. Pœnitentiam publicam eis imponi ſolitam, quorum publica crimina fuiſſent, aliis verò ſecretam.*

IOb Dicit:* Si erubui in conſpectu populi confiteri peccata mea.Talis iuſtus theſauri diuini obrizi,tali camino probatus iſta dicit. Et reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei:quod non erubuit Imperator, erubeſcit nec ſenator, ſed tantùm curialis? Superba ceruix,mens tortuoſa, fortaſſis, imò quod non dubitatur, propterea Deus voluit, vt Theodoſius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conſpectu populi,maximè quia peccatum eius celari non potuit,& erubeſcit ſenator,

* Iob.31.

*Pœnitẽtiam publicã Imperatoris Theodoſij*

*quare Deus voluerit.*

quod non erubuit Imperator? Erubeſcit nec ſenator, ſed tantùm curialis, quod non erubuit Imperator. Erubeſcit plebeius ſiue negociator, quod non erubuit Imperator. Quæ iſta ſuperbia eſt? Nónne ſufficeret gehẽnæ, etiamſi adulterium nullum eſſet? *Tom.10. quinquaginta homil. homilia 49.*

*De pœnit. diſt.1. cap. Quẽ pœnitet, & diſt.6. ca. Qui vult.* — ** Luc.8.* — ** Luc.7.* — *Pœnitentia ſecreta & publica.* — ** Ioan.11.* — *Eccleſiæ meritũ prodeſt peccatori, ad veniã à Deo impetrãdã.*

Et ſi peccatum occultũ eſt, ſufficit referre in notitiã Sacerdotis, vt grata ſit oblatio muneris. Nam in reſuſcitatione filiæ principis,* pauci interfuerunt qui viderent. Nondum enim erat ſepulta, nondum extra * portam ciuitatis delata, nõdum extra domum in notitiam deportata. Intus reſuſcitauit, quam intus inuenit, relictis ſolis Petro & Ioanne & Iacobo, & patre & matre puellæ. In quibus figuraliter continentur Sacerdotes Eccleſiæ. Quos autem extra inuenit, animaduertendum eſt quomodo ſuſcitauit. Flebat autem turba poſt filium viduæ, fleuit Martha & Maria * ſupplicans pro fratre, flebat etiam turba quæ Mariam fuerat ſecuta, lachrymis Mariæ admonita. In quo docemur publicè peccãtibus non proprium, ſed Eccleſiæ ſufficere meritũ. Sic itaque mortuus iaceat, ſicque ſe mortuum oſtendat, publicè mortem ſuam prædicando, publicè fructus pœnitentiæ oſtendendo, vt turba ploret amiſſum, & defleat quem dolet mortuum. Iſtis lachrymis mouebitur Dominus, qui reddet matri vnicum filium. Si nimis perſeuerauerit, ſi ſe mortuum per fructus pœnitẽtiæ non declarauerit, tantò plus oportet addere. Vnde lachrymis excitetur non ſolùm Marthæ, ſed etiam Mariæ. Tantum ſe affligat, tantum ſe dolere, & ſe mortuum ſentire oſtendat, vt audientes & contemplantes plorãdo orent veniam. Quorum fletum miretur Eccleſia. Qui enim multos offendit peccando, placare multos oportet ſatisfaciendo: vt Eccleſia prius offenſa per culpam, in cõuerſione flectatur per miſericordiam, orans pro ipſo, quem defunctũ dolebat, vnde Deus flecteretur ad veniam, qui prius adhibuit miſericordiam. *Tom.4. de vera & falſa pœnitentia, cap.11. Vide etiam Tom.2. Epiſtolam 108. ad Seleucianam.*

*Per humillimam pœnitẽtiam, non quãuis publicã, ſed ſolennem quandã intelligit.*

Quanuis cautè ſalubritérque prouiſum ſit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia conceda-



tur, ne medicina vilis, minus vtilis eſſet ægrotis, quæ tãtò magis ſalubris eſt, quantò minus contemptibilis fuerit. *Tom.2. Epiſt.54. ad Macedonium.*

*Hîc habes, peccati occulti occultã cõfeſſionẽ ſacerdoti fieri.*

Si quis inceſtum occultè commiſerit, & Sacerdoti occultè cõfeſſionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi eius facinus publicatum fuiſſet. Verùm quia latet commiſſum, detur ei à ſacerdote conſilium, vt ſaluti animæ ſuæ pro occulta pœnitentia proficiat, hoc eſt, vt veraciter ex corde ſe grauiter deliquiſſe confiteatur, & per ieiunia & eleemoſynas, vigiliáſque ac ſacras orationes cum lachrymis ſe purgare contendat, & ſic ſe ad ſpem veniæ pro miſericordia Dei peruenire confidat. *Citatur ex dictis Auguſtini à Burchardo, lib.19. cap.36.*

*Eccleſiæ claues p Antiſtites adminiſtrantur.* — *Satisfactionis modus à præpoſitis ſacrorũ præſcriptus, pœnitẽti ſeruandus.* — ** Pſal.50.* — *Pro peccato quod aliis fuit ſcãdalo publica pœnitẽtia iudicio antiſtitis imponebatur.* — ** Iacob.4.*

Cum (*peccator*) in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur, & tãquam bonus incipiens iam eſſe filius maternorum membrorum, ordine cuſtodito à præpoſitis ſacrorum, incipiat ſatisfactionis ſuæ modum, vt in offerendo ſacrificio cordis* contribulati deuotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Vt ſi peccatum eius non ſolùm in graui eius malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire vtilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam, non recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit tamen ſemper, quòd ſuperbis Deus reſiſtit,* humilibus autem dat gratiam. Quid enim infœlicius? quid peruerſius? quàm de illo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura illius erubeſcere? *Tom.10. lib.50. homiliarum, hom.50. cap.11.*

### XIII. *Satisfactionem à Sacerdote præſcribi.*

CONfeſſionem quæramus puro corde, & pœnitentiam datam à Sacerdotibus perficiamus. *Tom.10. de Sanctis, ſerm.39. qui eſt, 2. de animabus fideliũ defunctorũ.*

Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel

quæcunque alia ſigna procedit,cùm ſit coram illo, cui dicitur:* *Gemitus meus à te non eſt abſconditus*: rectè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: extra eam quippè non remittuntur. Ipſa nanque propriè Spiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur vlla peccata,ita vt quibus dimittuntur,conſequantur vitã æternã. *Tom.3. Enchirid.ca.65.*

**Pſal.37.*

***Ab iis qui Eccleſiæ præſunt,pœnitẽtiæ tẽpora cõſtituuntur.***

Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis iudicio recõciliatum communioni ſociari,ſi vult non ad iudicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere. *Tom.3. de Eccleſiaſtic. dogmatibus, cap.53.*

***Pœnitentes Sacerdotis iudicio recõciliati in cõmunionẽ admittebantur.***

Vt pœnitentibus, ſecundùm peccatorum differentiam,Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. *Concil.Carthaginenſ.3.cap.31.*

Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit,vel in phreneſim verſus fuerit,dent teſtimonium,qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. Si ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus,quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit. *Concil.Carthaginenſ.4.cap.76.*

***Recõciliatio p manus impoſitionem. Erãt ergo ſtatutæ pœnitẽtiæ leges, quibus pœnitẽtes, quãdiu Sacerdoti viſum eſſet, ſubderetur.***

### *XIIII. Pœnitentibus ſimul cum culpa non totam pœnam ſemper remitti.*

TAle aliquid nobis inſinuatum eſt de Patriarcha Dauid in libro Regnorum,* ad quem Propheta cùm miſſus eſſet, eíque propter peccatum quod commiſerat euentura mala ex iracundia Dei comminaretur, confeſſione peccati veniam meruit, reſpondente Propheta,quòd illud ei flagitium facinúſque remiſſum ſit,& tamen conſecuta ſunt, quæ Deus fuerat comminatus,vt ſic humiliaretur à filio. *Tom.7.de peccato.me. & remiſſ.lib.2.cap.34.*

**2. Reg.12. Dauid p cõdonata iam culpa pœnã ſubiuit.*

Sed ſi etiam ſic conuerſus euadat, vita viuat & non moriatur: non tamen promittimus, quòd euadat omnem pœnam. Nam prius purgandus eſt igne purgationis,qui in aliud ſeculum diſtulit fructum conuerſionis. Hic autem ignis etſi æternus non ſit, miro tamẽ modo eſt grauis, excellit omnem pœnam,quam vnquã paſſus eſt aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta eſt pœna, licet mirabilia paſſi ſint martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tãta ſuſtinuerunt ſupplicia. Studeat ergo quilibet ſic delicta corrigere,vt poſt mortem non oporteat talem pœnam tolerare. Quædam enim peccata ſunt, quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia,non tamen ſtatim ſanata. *Tom.4. de vera & falſa poenitentia,cap.18.*

*De pœn.diſt. 7.ca. Nullus & diſt.25. ca. Qui in aliud.*

***Iuſtus,qui ſatisfactionem in aliud differt ſeculum, ignẽ purgatoriũ vt ferat neceſſum erit.***



Quid enim aliud, quàm cordis eius (*nempe Dauidis*) profunda cernebat ſpiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit:* Peccaui: continuóque adhuc vnum verbum audire meruit,quòd acceperit veniam?Ad quã rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecundùm Dei comminationem flagelli paterni diſciplina, vt & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Haud verò mediocre fidei robur fuit, aut paruum mitis & obedientis animi indicium, cùm audiſſet à Propheta, quòd ſibi Deus ignouiſſet, & tamen quæ fuerat comminatus, conſequenter eueniſſent, non ſe dicere Prophetæ deceptum eſſe mendacio,nec murmurare aduerſus Deum,quaſi falſam peccatorum eius indulgentiam pronunciauerit. Intelligebat enim vir altè ſanctus, & non contra Deum,ſed ad Deum leuans animam ſuam, niſi Dominus eſſet confitenti pœnitentíque propitius, quantum pœnarum æternarum eius eſſent digna peccata: pro quibus cum temporalibus emendationibus vreretur,videbat erga ſe, & manere veniam, & non negligi medicinam. *Tom.6.cont. Fauſtum,lib.22.cap.67.*

****2.Reg.12. Quare Dauid poſt acceptã veniam peccatorũ,poenas adhuc luerit.***

***Poena, poſt veniã culpæ, & emẽdatio eſt & medicina.***

In malis autem quæ quiſque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus eſt patientia. Hanc itaque vitam de qua ſcriptum eſt:* Nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram? in qua quotidiè clamamus ad Dominũ,* Libera nos à malo: cogitur homo tolerare

****Iob.7.*** **** Matth.6.***

etiam remiſſis peccatis: quanuis vt in eam veniret miſeriam, primùm fuerit cauſa peccatum: Productior eſt enim pœna quàm culpa: ne parua putaretur culpa, ſi cùm illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna: etiam quem iam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa. *Tom.9. Tract.124. in Euang. Ioannis.*

*Productior eſt pœna quã culpa, & quare.*

In hac autem vita vſque adeò valet quod ſcriptum eſt:* Graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, vt etiam paruulos videamus poſt lauacrum regenerationis, diuerſorum malorum adiũctione cruciari: vt intelligamus totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præſentiũ pertinere. Multa etiam mala hîc videntur ignoſci, & nullis ſupplicijs vindicari, ſed eorum pœnæ reſeruantur in poſterum. Neque enim fruſtra ille propriè dicitur dies iudicij, quando venturus eſt iudex viuorum atque mortuorum. Sicut econtrario vindicantur hîc aliqua, & tamen ſi remittuntur, profectò in futuro ſeculo non nocebunt. Propterea de quibuſdam temporalibus pœnis quæ in hac vita peccantibus irrogantur, eis quorum peccata delentur, ne reſeruentur in finem, ait Apoſtolus,* Si enim noſmetipſos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. *Tom.3. in Enchirid. cap.66. Ad hũc articulum pertinet controuerſia de purgatorio, quæ tractatur libro ſequenti.*

** Eccleſ.40.*

*Paruuli baptizati, cùm careãt peccato, luunt tamen pœnas ex peccato relictas.*

*Multorũ peccatorũ pœnæ reſeruãtur in poſterum.*

*Peccata hîc vindicata nõ nocebunt in ſeculo futuro.*

** 1.Cor.11.*

### *XV. Pœnitentiam differendam non eſſe.*

ISti ergo non hoc credunt, vel non firmiter opinantur, etſi adhuc forſitan quærunt. Sed magis eos decipit ſpes dilationis, dum ſe diutius victuros putant, & perditos mores aliquãdo in melius mutaturos. Contra quos dicitur: * Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te. *Tom.4. ex Matthæo, quæſt.11.*

** Eccle.5.*

Manſuetus



Manſuetus Dominus, * longanimis Dominus, miſericors Dominus: ſed & iuſtus Dominus, & verax Dominus, largitur tibi ſpatium correctionis, ſed tu plus amas dilationem quàm emendationem. Malus fuiſti heri, hodie bonus eſto, & hodiernum diem in malitia peregiſti, vel cras mutare: ſemper expectas, & de miſericordia Dei tibi plurimùm polliceris, quaſi ille qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam. Vnde ſcis quid pariat* craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo, quando me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non poſſumus quòd correctis atque conuerſis indulgẽtiam Deus promiſit: nam in quo Propheta mihi legis, quia promiſit correcto indulgentiam: non mihi legis, quia promiſit tibi Deus longam vitam. *Tom.9. Tract.33. in Ioan.*

** Pſal.102.*

*Non tãtùm Dei miſericordiæ, ſed & iuſtitiæ memores ſimus.*

** Prou.27.*

*Reſipiſcenti promittitur venia: ſed nõ tibi promittitur longa vita.*

Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam viuere debuit, poſt reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, à populo Diaboli ſeparabitur. Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere pœnitentiã, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia bene hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo: Fidelis bene viuens, ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus cùm ſanus eſt, & poſtea bene viuens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum dico, & do ſecuritatem: vnde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. *Tom.10. lib.50. Homil. homil.41.*

*De pœn. diſt. 7. ca. Qui egerit. Solutio vinculi excommunicationis.*

*De pœn. diſt. 7. ca. Si quis.*

*De agẽtibus pœnitẽtiã in exitu vitæ, dubitat Auguſtinus.*

Nullus hominum debet ſub ſpe miſericordiæ Dei diutius in ſuis peccatis remanere, cùm etiam nemo in ipſo corpore velit ſub ſpe futuræ ſalutis ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt, & ſibi de Deo indulgentiã repromittunt, nonnunquam

ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuerſionis tempus, nec beneficium remiſſionis accipiant. *Tom.3.de fide ad Petrum,cap.3.*

# CAPVT DECIMVM DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis.

## I. *Ex auctoritate Iacobi Apoſtoli & veteris Eccleſiæ, Sacramentum hoc approbandum & retinendum eſſe.*

NEc prætermittendum eſt illud Apoſtoli Iacobi præceptum: * *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eũ oleo ſancto in nomine Domini Ieſu, & oratio fidei ſaluabit infirmum.* Ergo ſic roges de te & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, imò per Apoſtolũ ſuum Dominus: Ipſa videlicet olei ſacrati delibutio, intelligitur Spiritus ſancti typicalis vnctio. Illud etiam viuificum Dominici corporis ſupplementum ſuſcipere fili mi nõ renuas. *Tom.9 de viſitatione infirmorum, lib.2.cap.4.*

* *Iac.5.*

*Externa corporis vnctio, internæ vnctionis ſignũ.*

Propterea quotiens aliqua infirmitas occurrerit, alicui, non quærātur præcantatores, non diuini, non ſortilegi, non caraarij, neque per fontes, aut arbores, aut biuia phylacteria exerceantur, ſed qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & deuotione accipiat, oleúmque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde corpus ſuum vngatur, & ſecundùm Apoſtolum: * *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus:* non ſolùm corporis, ſed & animæ ſanitatem accipiet, complebitúrque in illo, quod Dominus in Euangelio promiſit, dicens: * Omnia, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, in oratione, credentes accipietis. *Tom.9.de rectitudine Catholicæ conuerſationis.*

* *Iacob.5.*

*Vnctio igitur, qua Eccleſia Catholica in grauiter ægrotātibus vtitur, animæ ſanitatem confert.*

* *Matth.21.*

Quotiens aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinem Chriſti, ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt, im-



pleatur in eo: * Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. *Tom.10. de tempore, ſerm.215.*

* *Iacob.5.*

*Si quis plura de hoc extremæ vnctionis Sacramento teſtimonia deſideret, legat ea quæ habet Clemens conſtit. Apoſtolic.lib.8.cap.25. Concilium Florentinum in decreto de vnione Græcorum & Armenorum. Concil.Trident.Seſſ.14. Concil. VVormacien.cap.72. & Concil.Cabilon.cap.48. circa tempora Caroli Magni. Innocentius primus in epiſt.ad Decentiũ Eugubinum, cap.8. Innocentius 3.lib.1. Decretal.cap.vnico, de ſacra vnctione. Chryſoſt.lib.3. de Sacerdotio, cap.6. Beda & Oecumenus in caput 5.Iacobi. Theophylactus in cap.6. Marci. & ſuper Naum Prophetam, cap.2. Bernard. in vita Malachiæ, & alij. Vnum ex his omnibus Innocentij, ſiquidem is eſt, cuius cùm auctoritatem tùm doctrinã, Tom.7.atq; in epiſt. tam ſæpe commendat Auguſtinus, lubet aſcribere.* Adiecit etiam filius meus Cœleſtinus Diaconus in epiſtola ſua, eſſe à tua dilectione propoſitum illud, quod in beati Apoſtoli Iacobi epiſtola conſcriptum eſt: *Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Presbyteros, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit laborantem, & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi peccata fecit, remittet ei.* Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus vti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adiectum, vt de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterùm ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem à ſe viſitandum, & benedicere & tangere Chriſmate, ſine cunctatione poteſt,

*Innocẽtius 1.*

* *Iacob.5.*

cuius eſt ipſum Chriſma conficere. *Tom.1. Conciliorum, in Epiſt. Innocentij primi Papæ ad Eugubinum, cap.8.*

# CAPVT VNDECIMVM, DE SACRAMENTO ORDINIS.

## I. *Ordinem ſiue ſacram ordinationem verè Sacramentum eſſe, nec poſſe in aliquo iterari.*

*Sacramẽtum ordinis manet in improbis & officio priuatis clericis.*

SI fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, Manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini ſemel impoſito, non carebit, quanuis ad iudiciũ permanente. *Tom.6. de bono coniugali, cap.24.*

*1.q.1.c. quod quidã. 4.q. 1.cap. Miramur.*

Nam illud quod quidam eorum, (*Donatiſtarum*) veritate conuicti dicere cœperãt, Baptiſmum quidem non amittit qui recedit ab Eccleſia, ſed ius tamen dandi amittit: multis modis apparet fruſtra & inaniter dici. Primò, quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille qui ipſum Baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi amittere poſſit. Vtrunque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrunque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur: Ideóque in Catholica vtrunque non licet iterari. Nam ſiquando ex ipſa parte (*Donati*) venientes etiam Præpoſiti pro bono pacis, correcto ſchiſmatis errore, ſuſcepti ſunt: & ſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſum ordinandi: ſed ſicut Baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum eſt, non in Sacramentis, quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt. Et cùm expedire hoc videatur Eccleſiæ, vt Præpoſiti eorum venientes ad Catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos, ideóque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat iniuria. Et ſi quando ignoranter fit, nec animosè defenditur factũ,

*Sacer ordo cõuenit cũ Baptiſmo, quòd ſit Sacramentũ, & quòd iterari nequeat.*



ſed corrigitur cognitũ, venia facilius impetratur. Deus enim noſter * non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: nec Eccleſię eius Sacramenta, in eis qui ab Eccleſia receſſerunt, ſed ipſi qui receſſerunt inimici ſunt. *Tom.7. contra Epiſt. Parmen. lib.2. cap.13.*

**1.Cor.14.*

*De conſecr. diſt.4. cap. Oſtenditur.*

*Qui ordinatur, ſuſcipit Sacramẽtum dãdi Baptiſmi, ex officio ſcilicet.*

Sacramentum Baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi Baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi nõ amittit: ſic etiam ordinatus ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non amittit. Nulli enim Sacramento iniuria facienda eſt: Si diſcedit à malis, vtrũque diſcedit: ſi permanet in malis, vtrunque permanet. Sicut ergo acceptatur Baptiſmus, quem non potuit amittere qui ab vnitate diſceſſerat: ſic accipiendus eſt Baptiſmus, quem dedit ille qui Sacramentum dandi cùm diſcederet, non amiſerat. Nam ſicut redeuntes, qui priuſquàm recederent baptizati ſunt non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priuſquàm recederent, ordinati ſunt, non vtique rurſus ordinantur, ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ vtilitas poſtulat, aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum ordinationis ſuæ tamen gerunt, & ideo eis manus inter laicos non imponitur. *Tom.7. de Bapt. contra Donatiſt. lib.1. cap.1.*

*Semel ordinatus, etiam ab Eccleſia recedẽs, Sacramẽtum retinet.*

*Quibus in rebus cõueniãt Baptiſmus et ſacer ordo.*

*Ordinationẽ ſacrã, eſſe Sacramẽtum nemo dubitat.*

Sed ſi nos malefacimus, ipſi explicent: quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti: quoniam dicunt, recedens ab Eccleſia, Baptiſmum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim vtrunque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt. Si ſancta malos fugiunt, vtrunque fugiat: ſi ſancta in malis inuiolabiliter manent, vtrunque maneat: ſi dixerint, Baptiſmus in ſola vera Eccleſia rectè datur: Reſpondetur eis, Baptiſmus in ſola vera Eccleſia rectè habetur. Cur non poteſt dari, vbi non rectè datur, cum poſſit haberi, vbi non rectè habetur? An quia non habere aliud eſt, aliud non rectè habere: ſic & non dare aliud eſt, aliud non rectè dare. Sicut non rectè habent qui ab vnitate diſcedunt, ſed tamen habent, & ideo redeunti non redditur:

ſic etiam non rectè dat, qui ab vnitate diſcedit, ſed tamen dat: & ideo quod ab eo accepit, venienti ad vnitatem non reiteratur. *Tom.7.cont.Epiſt. Parmen.lib.2.ca.13.*

## *II. In Eccleſia Catholica hierarchiam eſſe diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, aliíſque miniſtris, & quales in eorundem ordinatione cærimoniæ.*

*Qui ſunt hi presbyteri, qui poſt Epiſcopos & ante Diaconos recenſentur? nũquid ſenes quicũque, an potius ij, quos vocamus ſacerdotes? Diſt.23. Epiſcopus cùm ordin.*

QVàm multos Epiſcopos optimos viros ſanctiſſimóſque cognoui, quàm multos presbyteros, quã multos diaconos, & huiuſmodi miniſtros diuinorum Sacramentorũ? quorum virtus eò mihi mirabilior & maiore prædicatione dignior videtur, quò difficilius eſt eam multiplici hominũ genere & in iſta vita turbulentiore ſeruare. *Tom.1 de morib.eccle. Cathol lib.1.cap.32.*

** aliâs, verticem.*

Epiſcopus cùm ordinatur duo Epiſcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput & ceruicem* eius, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt manibus ſuis caput eius tangant. *Concilio carthaginenſ.4. cap.2.*

*Presbyter fit ordinatione, non ætate. Cærimoniæ ĩ ordinatione Presbyteri.*

Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt manus ſuas iuxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant. *Ibidem, cap.3.*

*Diaconus nõ ad ſacerdotiũ ſed ad miniſterium cõſecratur.*

Diaconus cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. *Ibid.ca.4.*

*Cærimoniæ ĩ Subdiaconi ordinatione.*

Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patinam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum, de manu verò Archidiaconi, vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. *Ibidem, cap.5.*

*In Acolytho ordinãdo q̃ cærimoniæ.*

Acolythus cùm ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiat & vrceolum vacuum, ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti. *Ibidem, cap.6.*

*Cereorum & luminarium vſus antiquus in Eccleſia.*



*Quæ cærimoniæ in Exorciſta ordinãdo. Liber exorciſmorum. Ordinatione datur poteſtas in Energumenos.*

Exorciſta cùm ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum, ſiue baptizatum, ſiue catechumenum. *Ibidem, capite ſeptimo.*

*In lectore ordinando quæ ſeruentur. * aliâs relator.*

Lector cùm ordinatur, faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ei fidem ac vitam atque ingenium. Poſthæc ſpectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus eſt, dicens ad eum: accipe, & eſto lector* verbi Dei, habiturus ſi fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum eis, qui verbum Dei miniſtrauerunt. *Ibidem, cap.8.*

*De oſtiarij ordinatione.*

Oſtiarius cùm odinatur, poſtquàm ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conuerſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi, tradat ei Epiſcopus claues Eccleſiæ de altario dicens: ſic age quaſi redditurus Deo rationem, pro his rebus quæ his clauibus recluduntur. *Ibidem, cap.9.*

## *III. Per ſacram ordinationem dari Spiritum ſanctum, ac proinde non fruſtra ab Epiſcopis dici, Accipe Spiritum ſanctum.*

*Verbis illis (Ioan. 20. Accipite Spiritũ ſanctũ) poteſtas Eccleſiaſtica remittẽdi peccata ſimul cũ Spiritu ſancto, diſcipulis collata eſt. * Ioan.20. * 1.Tim.4. Cũ traditione Eccleſiaſticæ poteſtatis (ſcilicet ordinis ſacri) ſimul Spiritus ſanctus ad*

ILlud autem quod inſufflaſſe in diſcipulos Dominus legitur poſt dies paucos reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe, Accipite Spiritũ ſanctum, Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. Quia enim omnia in traditione Dominica, per Spiritum ſanctum aguntur, idcirco cum regula eis & forma traditur huius diſciplinæ, dicitur eis, *Accipite Spiritum ſanctum.* Et quia verè ad ius Eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubiecit dicens:* *Cuius tenueritis peccata, tenebuntur: & cuius remiſeritis, remittentur ei.* Inſpiratio ergo hæc gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apoſtolus* dicit ad Timotheum, *Noli, inquit, negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyteri.* Semel ergo fieri oportuit vt de cætero traditio iſta non ſine dono Spiritus ſancti eſſe crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data

*vſum illius poteſtatis tribuitur.*

eſt viſibiliter, vt poſt Baptiſmum Spiritus ſanctus credentibus de cætero inuiſibiliter dari non ambigeretur: ita & in ſupradicta cauſa forma data eſt in principio, vt ex eo traditioni Eccleſiaſticæ Spiritus ſanctus infuſus credatur. Vt autem Apoſtoli præſente Domino virtutes facerent, poteſtas data eſt, ſicut & prius Prophetis. Trium ergò officiorum formæ doni Spiritus ſancti in Apoſtolis ſunt oſtenſæ. Quarum prima eſt hæc quæ ad ius Eccleſiaſticum pertinet, in regenerandis vel cæteris officiis: ſecunda quæ in Pentecoſte data eſt, quæ eſt generalis. Non ſolùm enim in Apoſtolos, verùm etiã in omnes decidit * Spiritus ſanctus credentes. Tertia forma eſt, quæ ſolis Apoſtolis conceſſa eſt in ſignis ac virtutibus faciendis, vſque dum fidei ſemina iacerentur ad crementum. *Tom. 4. quæſt. ex nouo Teſtam. quæſt. 93.*

*Tres officiorum formæ cum triplici dono Spiritus ſancti in Apoſtolis oſtenduntur.*

*Ius ergo vel poteſtas ordinis non fuit Apoſtolis cum omnibus credẽtibus cõmunis.*

* *Act. 2.*

Cum dixiſſet Dominus diſcipulis: * *Accipite Spiritum ſanctum*, continuò ſubiecit. *Si cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei, ſi cui tenueritis, tenebuntur.* Huic ergo dono gratiæ Dei quicunque reſtiterit & repugnauerit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus, vſque in finem huius temporalis vitæ non remittetur ei, neque in hoc ſeculo neque in futuro: hoc ſcilicet tam grande peccatum vt eo teneantur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo eſſe commiſſum niſi cùm de corpore exierit. *Tom. 2. Epiſt. 50. ad Bonifacium, ſub finem.*

*Prærogatiua Apoſtolorũ propria.*

* *Ioan. 20.*

*Poteſtati remittendi peccata, quæ penes ſacerdotes eſt, quiſquis reſtiterit, vel eam contempſerit, ſicque affectus moriatur, peccat in ſpiritum ſanctum.*

Nam illud ex Euangelio, * Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet inſufflauit & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur: & ſi cui retinueritis retinebuntur: contra nos eſſet, vt cogeremur fateri ab hominibus hoc, non per homines fieri, ſi poſteaquã dixit: Et ego mitto vos, ſubieciſſet continuò, Si cui dimiſeritis peccata, dimittentur, & ſi cui tenueritis, tenebuntur. Cùm verò interpoſitum eſt, hoc cùm dixiſſet, inſufflauit, & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum: & deinde illatum, per eos vel remiſſionem vel retentionem fieri peccatorum: ſatis oſtenditur, non ipſos id agere, ſed per eos vtique Spiritum ſanctum, ſicut alio loco dicitur, * *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus qui in vobis eſt.* Spiritus autem ſanctus in Eccleſiæ Præpoſito vel miniſtro ſic ineſt, vt

* *Ioan. 20.*
* *Matth. 10.*
*Marc. 13.*
*Luc. 12.*



ſi fictus non eſt, operetur per eum Spiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorũ regenerationem vel ædificationem, qui per eum ſiue conſecrantur, ſiue euangelizantur. Si autem fictus eſt, quoniam veriſsimè ſcriptum eſt, * Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: deeſt quidem ſaluti eius, vt auferat ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, miniſterium tamen eius non deſerit, quo per eum ſalutem operatur aliorum. Propter quod Apoſtolus ait: * *Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt*: id eſt, illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum. Qui enim inuitus facit propter commoda gaudiáque carnalia, quæ ſi aliter habere poſſet, illud deſereret, ipſe vtique fictus eſt, ideóque inuitus facit, ſed eis prodeſt erga quos facit: ſe autem tantùm à mercede ſalutis alienat, non etiam illos priuat, quibus cibaria Dominicus etiam malus ſeruus impendit. *Tom. 7. contra Epiſt. Parmen. lib. 2. cap. 11.*

*Spiritus ſanctus per bonũ Eccleſiæ miniſtrum operatur & ad eius mercedẽ in ſalutẽ ſempiternam, & aliorum regenerationẽ vel ædificationẽ.*

* *Sap. 1.*
* *1. Cor. 9.*

*Spiritus ſanctus ficti miniſtri ſaluti deeſt, miniſterium tamen eius non deſerit, quo per eum ſalutem operatur aliorum.*

### *IIII. In nouo Teſtamento ſacerdotes eſſe, qui non Baptiſmo aut ſanctitate, ſed ordinatione fiant.*

Aliud eſt bene viuere, & aliud poteſtatem alicuius officij accipere. Sicut enim qui ſacerdos eſt, nõ ex eo vitam ſuam commendatam putare debet: ita & qui ſanctæ cõuerſationis & vitæ eſt, non iã ex eo ſibi ſacerdotium vendicare debebit. Quanuis enim bonum ſit ſacerdotium, tamen malum erit ei, cui conceſſum non eſt & præſumit. Nam ſi reſpiciamus quod ſcriptum eſt de ſancto Samuele, videbimus, quale teſtimonium det ei ſcriptura, dicens: * Et innotuit, inquit, omni populo, quoniam fidelis eſt Samuel Propheta Domino. Et in Pſalmo, * Fiant, inquit, Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocãt nomen eius. Quis non aduertat ex hac diſtinctione diuiſas eſſe perſonas dignitatum cauſa, vt Moſes & Aaron ſacerdotalem dignitatem adepti noſcantur, Samuel verò inter Prophetas Deo dignus extitiſſe habeatur? *Tom. 4. quæſt. ex veteri Teſtam. quæſt. 46.*

*Quis ſit fict⁹ miniſter.*

*Nemo propter vitæ ſanctitatem ſibi vẽdicet ſacerdotium.*

* *1. Reg. 3.*
* *Pſalm. 98.*

Denique dictum eſt à Deo in Numeris, ad Moſen ad Aaron ſacerdotes, * Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſraël, ego Dominus benedicam eos: vt gratiam traditio per miniſteriũ ordinantis transfundat hominibus, nec voluntas ſacerdotis obeſſe aut prodeſſe poſſit, ſed meritum benedictionem poſcentis. Quanta autem ſit dignitas ordinis ſacerdotalis hinc aduertamus. Dictũ eſt * enim de nequiſſimo Caipha interfectore Saluatoris inter cætera. Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet princeps ſacerdotũ anni illius, prophetauit. Per quod oſtenditur, Spiritum gratiarum nõ perſonam ſequi, aut digni aut indigni, ſed ordinationem traditionis: vt quanuis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſſit benedicere, niſi fuerit ordinatus, vt officium miniſterij exhibeat: Dei autem eſt, effectum tribuere benedictionis. *Ibidem, quæſt.11.*

** Num.6. Per miniſteriũ ordinantis transfunditur gratia.*

** Ioan.11. Spiritus gratiarum poteſtatis ſacerdotalis, perſonã digni vel indigni non ſequitur, ſed legitimã ordinationem.*

Comparauit autem Dominus illos tanquam per ſimilitudinem filiis Iſraël, offerentibus ei ſuas hoſtias, cum pſalmis in domo eius, quod vbique iam facit Eccleſia, & promiſit * ab ipſis ſe accepturum ſibi Sacerdotes & Leuitas: quod nihilominus nunc fieri videmus. Non enim ex genere carnis, & ſanguinis, ſicut erat primùm ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſicut oportebat in Teſtamento nouo, vbi ſecundùm ordinem * Melchiſedech, ſummus ſacerdos eſt Chriſtus, * pro cuiuſque merito, quod in eo gratia diuina contulerit, ſacerdotes & Leuitas elegit, ſicut nũc videmus, qui non iſto nomine, quod ſæpè aſſequũtur indigni, ſed ea quæ nõ eſt bonis maliſque communis, ſanctitate penſandi ſunt. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.20. cap.21.*

** Eſa.66. In nouo Teſtamento nõ ex genere carnis, ſed electione fiũt ſacerdotes.*

** Pſal.109. In eligẽdo ſacerdote ſanctitas penſanda eſt.*

Auguſtinus reſpondit: Erras, vt dicitur, toto cælo per ſuperbiam, dum non vis communicare orbi terræ per humilitatem. Nam neque hoc (*Ne communices peccatis alienis, 1.Tim.5.*) laico dictum eſt, & neſcis quẽadmodum dictum ſit. Ad Timoth. cùm ſcriberet Apoſtolus, hoc monebat eundem ipſum Timotheum, cui alio loco dicit: *Noli contemnere gratiam, quæ in te eſt, quæ tibi data eſt, per impoſitionem manuum preſbyteri.* Et multis aliis documentis oſtenditur, quòd non erat laicus: Quòd autem ait: Ne communices peccatis alienis, conſenſu & placi-

** 1.Tim.4. Timotheus per impoſitionem manuũ preſbyteri, laicorum numero exẽptus eſt.*



to intelligi voluit. *Tom.7. contra lit. Petil. lib.2. cap.106.*

Pepuziani à loco quodam nominati ſunt, quam ciuitatem deſertam dicit Epiphanius. Hanc autem iſti diuinum aliquid eſſe arbitrantes, Hieruſalem vocãt. Tantum dantes mulieribus principatum, vt ſacerdotio quoque apud eos honorentur. *Tom.6. de hæreſibus ad Quod vult Deum, hæreſi 27. Ita & Epiſtola 74.* Auditores Manichæorum, *inquit*, ante electos genua figunt, vt eis manus ſupplicibus imponatur, non à ſolis epiſcopis vel preſbyteris, aut Diaconis, ſed à quibuſlibet electis.

*Nõ multum ab his differũt recentes hæretici, qui mulieribus poteſtatẽ tribuũt à peccatis abſoluẽdi, tributuri fortè etiã ſacrificandi, niſi ſacrificium abſtuliſſent.*

### *V. Epiſcoporum atque presbyterorum officium eſſe Sacramenta & Dei verbum adminiſtrare.*

TVnc ordinatus ſum, cùm de ipſo actionis tempore ad cognoſcẽdas diuinas ſcripturas cogitaremus, & ſic nos diſponere vellemus, vt nobis ocium ad hoc negotium, poſſet eſſe. Et quod verum eſt, nondum ſciebam, quid mihi deeſſet ad tale opus, quale me nunc torquet, & conterit. Quod ſi propterea in re ipſa didici, quid ſit homini neceſſarium, qui populo miniſtrat Sacramentum, & verbum Dei, vt iam non mihi liceat aſſequi, quod me non habere cognoui. *Tom.2. Epiſt.148. ad Valerium.*

*In eo qui populo miniſtrat Sacramentum & verbum Dei, multa requiruntur.*

Volo quærere vtrum non ſit aliquid miniſter Chriſti: Quis hoc dixerit? Quomodo ergo verũ eſt: * *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, niſi quia ad aliud aliquid eſt? Ad miniſtrandum & diſpenſandum verbum ac Sacramentum aliquid eſt: ad mundandum autem & iuſtificandum non eſt aliquid, quia hoc nõ operatur in interiore homine, niſi per quem creatus eſt totus homo, & qui Deus manens factus eſt homo, ille ſcilicet de quo dictum eſt: * *Fide mundans corda eorum*, Et, *Credenti * in eum qui iuſtificat impiũ.* Quod teſtimoniũ in verbis meis ponere voluit Petilianꝰ, in ſuis autẽ nec tractauit, nec attigit. Miniſter ergo, id eſt, diſpenſator verbi & Sacramẽti Euãgelici, ſi bonus eſt, conſocius fit Euangelij: ſi autem malus eſt, non ideo diſpenſator non eſt Euangelij. Si enim bonus eſt,

** 1.Cor.3.*

** Act.15.*

** Rom.4. Etiam mali ſunt miniſtri ac diſpẽſato-*

*res verbi & Sacramenti.*
** Philip.2.*
** 1. Cor.9.*
*Epiſcopi nō propter ſe, ſed propter populū ſunt, cui verbū & Sacramentū adminiſtrāt.*
*Oblationem conſecrant Epiſcopi & presbyteri.*

volens hoc facit,ſi autem malus,hoc eſt,ſua * quærens, non quæ Ieſu Chriſti , inuitus * hoc facit propter alia quæ requirit. *Tom.7.contra lit.Petil.lib.3.cap.54. & 55.*

Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus , ſed propter eos, quibus verbum & Sacramētum Dominicum miniſtramus:ac per hoc vt eorum ſine ſcandalo gubernandorum,ſete neceſſitas tulerit,ita vel eſſe vel nō eſſe debemus,quod non propter nos,ſed propter alios , ſumus. *Tom.7.lib.2.contra Creſcon.Grammat.cap.11.*

Epiſcopi vel preſbyteri ſi cauſa viſitandæ Eccleſiæ ad alterius Eccleſiam venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum , quàm ad oblationem conſecrandam inuitentur. *Tom.1. Conciliorum , conc. Carthag.4.cap.33.Aug.interfuit.*

## *VI. Epiſcopis atque ſacerdotibus,etiam dyſcolis , propter Sacramenti ſanctitatem,obedientiam & honorem deberi.*

** Eſa. 52.*
*Etiā in malis magiſtratibus ſanctionis & miniſterij dignitas honorāda.*
** Pſal.25.*
*Vnctionē in Saule improbo veneratus eſt Dauid.*
*Ob ſolā vnctionē olim mali reges honorati.*
**1. Reg.24.*
**2. Reg.1.*
** 1.Reg.24.*

DIxit Eſaias,* *Recedite,recedite, exite inde , & immundum nolite tangere.* Sed cur ipſe in illo populo immunditiam,quam grauiter arguebat,in vna cum eis congregatione tangebat?Legant quanta in malos populi ſui & quàm vehementer ac veraciter dixerit,à quibus ſe tamen nulla corporali direptione ſeparauit. Dixit Dauid,* *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum facinoroſis non introibo.* Odio habui curiam nequiſſimorum,& cum impiis nō ſedebo.Legant quales in ſe temporibus ſuis in illo populo tolerauit,qui vnctionis myſtico Sacramento tantùm honorem detulit, vt id nec in ſceleratiſſimo Saule contemneret, imò tantum veneraretur,vt amplius omnino non poſſet. *Tom.7. cōtra Epiſt.Parmen.lib.3.cap.4.*

Deinde ſi ſatis abſolutum tibi videtur quod dixiſti, qui non fuerit innocens,non habet ſanctitatem. Quæro ſi non habebat Saul Sacramenti ſanctitatem , quid in eo Dauid * venerabatur? Si autem habebat innocētiam,quare innocentem perſequebatur? Nam eū propter ſacroſanctam vnctionem,& honorauit viuum, & vindicauit *occiſum. Et quia vel panniculum * ex eius



*1.q.1.ca. Dominus.*
*Saul nō habebat innocentiam, & tamē habebat vnctionis ſanctitatem.*
** Eccle.10.*
** Ierem.17.*
** Eccle.10.*
** Matt.23.*

veſte præſcidit,percuſſo corde trepidauit. Ecce Saul nō habebat innocentiam, & tamen habebat ſanctitatem, non vitæ ſuæ,ſed vnctionis : nam hoc ſine innocentia nemo poteſt,ſed Sacramenti Dei,quod & in malis hominibus ſanctum eſt. *Tom. 7. contra lit. Petil. lib. 2. cap. 48.*

Et illud quod ſcriptum eſt : * ſecundùm principem populi,ſic & miniſtri ipſius:& qualis rector eſt ciuitatis,tales inhabitantes:ſi intelligerent quò pertinet, nec nobis talia obiicerent,nec ipſi vana iactantia ſuperbirent. Nos enim vt hominum ſpem,quæ in ſolo Deo tuta rectéque ſecura eſt , non in hominibus collocemus, quoniam ſcriptum meminimus: * *Maledictus qui ſpem ſuam ponit in homine*:non intelligimus hoc loco principem populi & rectorem ciuitatis,Epiſcopum ſignificari. Non ideo,quia non poſſumus innumerabiles ſanctos in Catholica fide Epiſcopos intueri, ſed ne cuiuſquam,vt dixi,ſpes hominis collocetur in homine, & ſi fortè ei contingat in ea viuere ciuitate, vbi non ſit bonus Epiſcopus,arbitretur impunè ſe malum fieri , vſurpans ad defenſionem ſuam tam peruerſè iſtam ſcripturam,quàm peruerſè ab iſtis intelligitur,& dicens ideo ſe bonum eſſe non poſſe, quia ſecundum principem * populi,ſic & miniſtri eius : & qualis rector eſt ciuitatis,tales inhabitantes. Contradicitur enim huic errori, veritatis ore dicentis,* *Quæ dicunt facite:quæ autem faciunt,nolite facere,dicunt enim & non faciunt.* Habentes itaque plebes tales Epiſcopos , qui bona dicunt ex cathedra Moſi,& ea quæ dicunt non faciunt ex peſtilentia ſua:ſi illi faciunt ea bona quæ dicunt,& non faciūt ea mala quæ faciunt,ſicut præcepit Dominus , nónne ſatis indicant , non ita intelligendum eſſe principem populi,& rectorem ciuitatis,quomodo iſti intelligunt? Poſſunt enim eſſe populi boni , vbi fuerint Epiſcopi mali , ſicut potuit eſſe populus malus , vbi fuit Moſes princeps & rector bonus. *Tom.7. contra epiſt. Parmen. lib.2.cap.4.*

## *VII. Epiſcopos presbyteris ſuperiores eſſe.*

IN Eccleſia Hipponenſi Catholica, Valerius ſanctus Epiſcopatum gerebat. Qui cum flagitante Eccleſiaſtica neceſſitate de prouidendo & ordinando presbytero ciuitatis, plebem Dei alloqueretur & exhortaretur, iam ſcientes Catholici ſancti Auguſtini propoſitum & doctrinam, manu eiecta, quoniam & idem in populo ſecurus, & ignarus quid futurum eſſet, aſtabat: Solebat autem Laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantùm Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam: Eum ergo tenuerunt, & vt in talibus cõſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt, omnibus in vno conſenſu, & deſiderio fieri perficíque petẽtibus, magnóque ſtudio & clamore flagitantibus, vbertim eo flente: nonnullis quidem lachrymas eius, vt nobis ipſe retulit, tunc ſuperbè interpretãtibus, & tanquam eum conſolantibus ac dicentibus: quia locus presbyterij, licet ipſe maiore dignus eſſet, appropinquaret tamen epiſcopatui. *Tom. 1. Poßid. de vita Auguſtini, cap. 4.*

*Ad Epiſcopum ordinatio presbyterorũ ſpectat.*

*Presbyteri Epiſcopis inferiores.*

Beatus ſenex Valerius cæteris ex hoc (*quòd tam doctum & ſanctum virum Auguſtinum presbyterum nactus eſſet*) amplius exultans, & Deo gratias agens de conceſſo ſibi ſpeciali beneficio, metuere cœpit, vt eſt humanus animus, ne ab alia Eccleſia Sacerdos probatus ad Epiſcopatum quæreretur, & ſibi auferretur: nam & id proueniſſet, niſi & hoc idem Epiſcopus cognito, ad locum ſecretum eum tranſire curaſſet, occultatúmque à quærentibus minimè inueniri feciſſet. Vnde amplius formidans idem venerabilis ſenex, & ſciens ſe corpore & ætate infirmiſſimum, egit ſecretis literis apud primatem Epiſcopum ſedis Carthaginenſis, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatíſque grauitatem & obſecrans, vt Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, qui ſuæ cathedræ non tam ſuccederet, ſed conſacerdos accederet Auguſtinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit & rogauit, ſatagens reſcripto impetrauit. Poſt quam petitionem ad viſitandum adueniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo, & Valerius antiſtes, Epiſcopis qui fortè tunc aderant, & clericis omnibus Hipponenſibus, & vniuerſæ plebi inopinatam cunctis ſuam inſi-

*Primas inuiſebat Eccleſias Epiſcoporũ inferiorum.*



nuat tunc voluntatem: omnibúſque audiẽtibus & gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere contra morem Eccleſiæ ſuo viuẽte Epiſcopo presbyter Auguſtinus recuſabat. Dúmque id fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro tranſmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam, & maioris loci ordinationem ſuſcepit. Quod in ſeipſo poſtea fieri non debuiſſe, vt viuo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit & ſcripſit, propter Concilij vniuerſalis vetitum, quod iam ordinatus didicit: nec quod ſibi factum eſſe doluit, aliis fieri voluit. *Ibidem, cap. 8.*

*Epiſcopatũ ſuſcipere cõtra morem Eccleſiæ ſuo viuẽte Epiſcopo, presbyter Auguſtinus recuſabat.*

*Auguſtinus Presbyter Epiſcopatus curã, & maioris loci ordinationem ſuſcepit.*

Auguſtinus Epiſcopus dixit: Scio, quod ſcitis & vos, ſed nolo de illo (*Eradio, quem deſignauerat ſibi ſucceſſorem in Epiſcopatu*) fieri, quod de me factũ eſt: quod autem factum ſit, multi ſcitis: illi ſoli neſciunt qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem ſciendi. Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cũ illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo. A populo acclamatum eſt: Deo gratias, Chriſto laudes: dictum eſt tredecies. Cúmque reticeretur, Auguſtinus Epiſcopus dixit: Erit presbyter vt eſt, quando Deus voluerit futurus Epiſcopus. *Tom. 2 in actis, circa deſignationem Eradij, numero* 110.

*Conciliorũ vniuerſaliũ decreta reuerẽter eſſe ſeruanda Auguſtinus & dixit & ſcripſit.*

*Concilio Nicæno cautũ, ne in vna ciuitate duo ſint Epiſcopi.*

Vos presbyteri noſſe debetis & ſemper meminiſse, quia nos quibus regendarũ animarũ cura cõmiſſa eſt, pro his qui noſtra negligẽtia pereunt, rationẽ reddituri ſumus, pro his verò quos verbis & exẽplis lucrati fuerimus præmiũ æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à Domino dictũ eſt: * *Vos eſtis ſal terræ.* Quod ſi populus fidelis, cibus eſt Dei, eiuſdẽ cibi cõdimentũ nos ſumus. Scitote veſtrũ gradum, noſtro gradui ſecundũ, & penè coniũctum eſſe. Sicut enim Epiſcopi Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirũ Presbyteri cæterorum diſcipulorũ Domini vicem tenent. Et illi tenẽt gradũ ſummi Pontificis Aaron, iſti verò filiorum eius. Vnde oportet vos

*Differt ergo Presbyter ab Epiſcopo.*

** Matth. 5.*

*Apoſtolis Epiſcopi ſuccedũt, cæteris verò diſcipulis Presbyteri.*

*Presbyteri cõſecrationis ſuæ memores eſſe debent.*

ſemper memores eſſe tantæ dignitatis,memores veſtræ conſecrationis ſacræ,quam in manibus ſuſcepiſtis, vnctionis,vt nec ab eadem dignitate degeneretis , ne veſtram conſecrationem irritam faciatis , nec manus ſacro vnguine delibutas peccando polluatis : ſed cordis & corporis munditiam conſeruantes , plebibus exemplum bene viuendi præbentes,his quibus præeſtis ducatum ad Cœleſtia regna præbeatis. **D. Iuo** *ex dictis Aug. in 6.par.cap.151.*

Quanquam ſecundùm honorum vocabula,quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit,Epiſcopatus Presbyterio maior ſit,tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. *Tom.2. Epiſt.19.ad Hieronymum.*

*Presbyter Epiſcopo ſe corripienti ſubiectus eſſe debet.*

Alypius Epiſcopus Eccleſiæ Tagaſtenſis,legatus prouinciæ Numidiæ, dixit:Nec illud prætermittendũ eſt, vt ſi quis fortè Presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus aut excommunicatus,tumore vel ſuperbia inflatus,putauerit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda : vel aliud erigendum altare, contra Eccleſiaſticam fidem diſciplinámque , crediderit, non exeat impunitus.Valentinus primæ ſedis prouinciæ Numidiæ dixit : Neceſſariò diſciplinæ Eccleſiæ & fidei congrua ſunt, quæ frater noſter Alypius proſequutus eſt.Proinde quid exinde videtur veſtræ dilectioni,edicite : Si quis presbyter contra Epiſcopum ſuum inflatus,ſchiſma fecerit, anathema ſit . Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt:Si quis presbyter à præpoſito ſuo excommunicatus vel correptus fuerit,debet vtique apud vicinos Epiſcopos conqueri , vt ab ipſis eius cauſa poſſit audiri , ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbia (quod abſit) inflatus , ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione duxerit , ac ſeparatim cum aliquibus ſchiſma faciens,ſacrificium Deo obtulerit,anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominus & de ciuitate & congregatione in qua fuerit, longius repellatur,ne vel ignorantes,vel ſimpliciter viuentes , ſerpẽtina fraude decipiat , quoniam (ſecundùm Apoſtolũ)* Eccleſia vna eſt,vna fides,vnum baptiſma. **Tom.1. Conciliorum,concil.Carthag.2.cap.8.**

*Anathema Presbyter qui extra communionẽ vnius Eccleſiæ ſacrificiũ Deo offert.*

* *Eph.4.*

Aerius



Aërius cùm eſſet presbyter,doluiſſe fertur,quòd Epiſcopus non potuit ordinari. *Tom.6.hæreſ.ad Quoduultdeum,hær.53.*

Dicebat etiam ( *Aërius hæreticus* ) Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. *Ibidem.*

### *VIII. Quædam Epiſcopis reſeruari, & ab ipſis Presbyteros iuriſdictionem in pœnitentes accipere.*

*Pœnitentiæ tempora ſecundùm differentiã peccatorũ, Epiſcopi arbitrio decreta.*

VT pœnitentibus ſecundùm peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio , pœnitentiæ tempora decernantur. *Concilio Carthag.3.cap.31.*

Vt presbyter inconſulto Epiſcopo,virgines non cõſecret,Chriſma verò nunquam conficiat. *Ibidem, cap.36.Eadem iſta leguntur in Concilio Carthag.2.cap.3. De adminiſtrando ordinis & confirmationis Sacramento, habes ſuprà.*

*Presbyter Epiſcopum conſulere & eius præcepto pœnitentem reconciliare debet.*

Aurelius Epiſcopus dixit,ſi quiſquam in periculo fuerit cõſtitutus & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit,ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare.Quam rem debemus ſalubri conſilio corroborare.Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt , placet,placet,quod ſanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt. *To.1. Conciliorũ,concil. Carthag.2.cap.4.*

*Publici criminis alia habenda ratio quàm occulti.*

Vt Presbyter,inconſulto Epiſcopo , non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo , & neceſſitate cogente. Cuiuſcunque pœnitentis publicum , & vulgatiſſimum crimen eſt,quod vniuerſam Eccleſiam commouerit , ante abſidem manus ei imponatur. *Ibid.concil. Carthag.3.cap.32.*

### *IX. Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, plebi præeſſe.*

GEnuerunt te Apoſtoli,ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicauerunt,ipſi Patres.Sed nunquid corporaliter nobiſcum ſemper eſſe potuerunt?Et ſi vnus eorum dixit, * *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto* , multò magis optimum eſt,manere in carne neceſſarium propter vos.Dixit hoc quidem,ſed quandiu hîc manere potuit. Nun-

* *Philip.1.*

quid vſque ad hoc tempus? Nunquid vſque in poſterum? Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? abſit.
*Pſal. 44.* *Pro patribus* * *tuis nati ſunt tibi filij.* Quid eſt, pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, cõſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes deſertã (*alloquitur Eccleſiam*) quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia nõ vides illos per quos nata es, de prole tua tibi creuit Paternitas, pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. *Tom.* 8. *Pſal.* 44. *ſub finem.*

*Pro Apoſtolis patribus, Eccleſiæ nati ſunt Epiſcopi, tãquã filij.*

Ad cuſtodiam (*Eccleſiæ*) pertinet quod dicit Apoſtolus: * *Timeo ne ſicut ſerpens* * *ſeduxit Euam aſtutia ſua: ſic & veſtræ mentes corrumpantur à caſtitate quæ eſt in Chriſto.* Cuſtodiebat, cautus erat, vigilabat quantum poterat ſuper eos quibus præerat. Et Epiſcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus poſitus eſt Epiſcopis: vt ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum. Nam & græcè quod dicitur, Epiſcopus, hoc latinè, ſuperintentor, interpretatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad cuſtodiendam vineam, ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt. Et de iſto alto loco periculoſa redditur ratio, niſi eo corde ſtemus hîc, vt humilitate ſub pedibus veſtris ſimus, & pro vobis oremus, vt qui nouit mentes veſtras, ipſe cuſtodiat. *Ibid. in expoſ. Pſal.* 126. *poſt initium.*

* 2. Cor. 11.
* *Gen.* 3.
*In altiori loco poſiti ſunt Epiſcopi, tã quam cuſtodes populi.*

* *Apo.* 20. Vidit* inquit (*Ioannes*) ſedes, & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum. Non hoc putandum eſt de vltimo iudicio dici, ſed per ſedentes ſuper ſedes ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos nunc Eccleſia gubernatur. Iudicium autem datum nullum, melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt: * Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo. *Tom.* 5. *de Ciuitate Dei, lib.* 20. *cap.* 9.

*Eccleſia præpoſitos habet, qui eam gubernẽt & iudicent.*
* *Matt.* 18.

### X. *Epiſcopis poteſtatem coercendi conuenire.*

ERgo, inquiunt (*quidam*) præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, &



vt faciamus orent pro nobis, nõ autem nos corripiant & arguant ſi non fecerimus. Imò omnia fiant, quoniã doctores Eccleſiarum Apoſtoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant ſi non fierent, & orabãt vt fierent. *To.* 7. *de corrept. & grat. ca.* 3.

*Apoſtoli præcipiebãt quæ fierent, & corripiebant ſi non fierent.*

Quicunque Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonſtrari: non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quo medicũ quæras: non vis tibi tuipſe oſtendi, vt cùm deformem te vides, reformatorẽ deſideres, eique ſupplices ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium eſt, quòd malus es, & maius vitium corripi nolle, quia malus es. *Et poſt pauca.* Porrò ſi hoc non audent dicere, ſed patiuntur ſibi Euangelium ab homine prædicari: quanuis etiam poſſit non per hominem homini dari, concedunt etiam corripi ſe debere à præpoſitis ſuis, à quibus Chriſtiana gratia prædicatur: quanuis non negetur Deus poſſe quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigere, & ad dolorem ſalubrẽ pœnitentiæ occultiſſima & potentiſſima medicinæ ſuæ poteſtate perducere. Et ſicut non eſt ab oratione ceſſandum, pro eis quos corrigi volumus, etiamſi nullo hominum orante pro Petro, Dominus reſpexit * eum, & fecit eũ ſuum peccatũ flere: ita non eſt negligenda correptio, quanuis Deus quos voluerit etiam non correptos, facit eſſe correctos. *Ibidem, cap.* 5.

*Delinquẽtes qui corripi nolunt magis corripiẽdi.*
*Nõ eſt negligenda correptio, ſicut nec oratio, quãuis Deus abſque his aliquos corrigat vel ſubleuet.*
* *Luc.* 22.

Parabolis & figuris Eccleſia prænunciata eſt vſque in finem ſeculi bonos & malos ſimul habitura, ita vt nec mali bonis obeſſe poſſint, cùm vel ignoranter, vel pro pace & tranquillitate Eccleſiæ tolerantur, ſi eos prodi aut accuſari non oportuerit, aut aliis bonis non potuerit demonſtrari, ita ſanè vt nec emendationis vigilantia quieſcat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæteriſque coërcitionibus licitis atque cõceſſis, quæ ſalua vnitatis pace in Eccleſia quotidie fiunt, ſecundùm præceptum Apoſtolicũ charitate ſeruata, qui dixit, * *Si quis autem non obaudit verbo noſtro, per epiſtolam hũc notate & nolite cõmiſceri cum eo vt erubeſcat, & non vt inimicum exiſtimetis, ſed corripite vt*

*Correptio, degradatio, excõmunicatio & reliquæ coercitiones Eccleſiaſticæ, cùm res poſtulat, adhibendæ.*
* 2. *Theſſ.*

*Patiẽtia ſine diſciplina fouet iniquitatem, & diſciplina ſine patientia diſſipat vnitatem.*

ſratrem. Sicut enim & diſciplina ſeruat patientiam, & patientia temperat diſciplinam, & vtrunque refertur ad charitatem, ne fortè aut indiſciplinata patientia foueat iniquitatem, aut impatiens diſciplina diſſipet vnitatem. *Tom.7.cont. Donat. poſt collatio.cap.4.*

** Num.25.*

*Excommunicationes & degradationes.*

** 2. Cor. 11.*
** Philip.1.*
** 1.Cor.5.*

*Apoſtolus Paulus poteſtate coercendi vſus.*

Neque enim quia illam primi populi commixtionẽ Moſes Dei famulus patientiſſimè perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicauit. Et Phinees * ſacerdos, adulteros ſimul inuentos ferro vltore confixit. Quod vtique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum in hoc tempore, cùm in Eccleſiæ diſciplina viſibilis fuerat gladius ceſſaturus. Nec quia beatus Apoſtolus * inter falſos fratres tolerantiſſimè cõgemiſcit, quoſdam etiam diabolicis inuidentiæ ſtimulis agitatos, Chriſtum tamẽ* prædicare permittit: ideo parcendum cenſet * illi, qui vxorem patris ſui habuit, quem præcepit congregata Eccleſia tradere Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Tom.4.de fide & operibus, cap.2.*

*Damnatione quam facit Epiſcopale iudiciũ, nulla in Eccleſia maior eſt pœna.*

Corripiantur itaque à præpoſitis ſuis ſubditi fratres correptionibus de charitate venientibus pro culparum diuerſitate diuerſis, vel minoribus vel amplioribꝰ: quia & ipſa quæ damnatio nominatur, quam fecit Epiſcopale iudicium, qua pœna in Eccleſia nulla maior eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in correptionem ſaluberrimam cedere atque proficere. Neque enim ſcimus quid contingat ſequenti die: an ante finem vitæ huius de aliquo deſperandum eſt, aut contradici Deo poteſt, ne reſpiciat & det pœnitentiam, & accepto ſacrificio ſpiritus contribulati cordiſque contriti, à reatu, quamuis iuſtæ damnationis, abſoluat, damnatumque ipſe non damnet. Paſtoralis tamen neceſſitas habet, ne per plures ſerpant dira contagia, ſeparare ab ouibus ſanis morbidam, ab illo cui nihil eſt impoſſibile, ipſa forſitan ſeparatione ſanandã. *Tom.7.de corrept. & gratia, cap.15.*

*Quare paſtores morbidas oues à ſanis ſeparare debeant.*

## *XI. Ad Epiſcoporum cognitionem quondam ſecularia quoque negotia à fidelibus fuiſſe delata.*



SVis vitioſis & negotioſis cupiditatibus adiuuandis vt occupemur, & eis noſtra tempora impendamus (*maligni homines*) efflagitant, aut certè infirmos premunt, vt cauſas ſuas ad nos deferre compellant: quibus dicere non audemus, dic homo, quis me cõſtituit * iudicem aut diuiſorẽ inter vos? Conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus * cognitores, in foro prohibens iurgare Chriſtianos. Ne illis quidem, qui non aliena rapiunt, ſed ſua cupidè repetunt, dicimus: Cauete ab omni cupiditate, conſtituentes eis ante oculos hominem cui dictum eſt: * Stulte hac nocte auferetur à te anima tua, quæ præparaſti cuius erunt? quia & quando dicimus, non recedunt nec declinant à nobis: ſed inſtant, vrgent, precantur, tumultuantur, extorquent, vt ipſis potius ad iſta quæ diligunt, quàm ſcrutandis Dei mandatis quæ diligimus, occupemur. *Et infrà.* Obedientes fideles, qui pro ſuis ſecularibus cauſis raro nos quærunt, & iudiciis noſtris facillimè acquieſcunt: nec nos conterunt litigando, ſed obtemperando potius conſolantur. Certè propter eos, qui & inter ſe pertinaciter agunt, & quando bonos premũt, noſtra iudicata contemnunt, faciuntque nobis perire tempora rebus eroganda diuinis: certè inquam propter iſtos & nobis liceat exclamare in hac voce corporis Chriſti, Declinate à me maligni &c. *Tom.8. in Pſal.118. concil.24.*

*Ad Auguſtinum cauſæ ſeculares à fidelibus deferebãtur*

** Luc.12.*
** 1.Cor.6.*
** Luc.12.*

*Iudicabat Auguſtinus in cauſis ſecularibus fidelium.*

Homines quidem cauſas ſuas ſeculares apud nos finire cupientes, quando eis neceſſarii fuerimus, ſic nos ſanctos & Dei ſeruos appellant, vt negotia terræ ſuæ peragant: aliquando agamus & negotium ſalutis noſtræ & ſalutis ipſorum, non de auro, non de argento, non de fundis & pecoribus, pro quibus rebus quotidie ſubmiſſo capite ſalutamur, vt diſſenſiones hominũ terminemus, ſed de ipſo capite noſtro tam turpis inter nos & pernicioſa diſſenſio eſt. Quantumlibet capita ſubmittant qui nos ſalutant, vt eos concordes in terra faciamus, de cœlo vſque ad crucem ſubmiſſum eſt caput noſtrum, in quo concordes nõ ſumus. *Tom.2. epiſt. 147. ad Proculeianum Donatiſtam.*

## *XII. Eccleſiaſticas & Eccleſiaſticorum cauſas ad Eccleſiaſtica Epiſcoporum tribunalia eſſe referendas.*

* *aliâs* Selābinitanus.

FElix Epiſcopus Selemſelitanus * dixit: Illud autē veſtræ ſuggero ſanctitati, vt ſi qui pro facinoribus ſuis de Eccleſia pelluntur, & auſi fuerint ad comitatum pergere, aut ad iudicia publica proſilire, aut forſitan Eccleſiæ Catholicæ limina conturbare, ſi Epiſcopus vel clericus cuiuslibet plebis, eos ſine conſenſu ſuſceperit, de his quid cenſetis? Epigonius Epiſcop⁹ Bulleuſium regionum dixit: Si quis Epiſcopus, communionem tenens Catholicam, huiuſmodi homines, vanis blandimentis incedentes, temerè ſuſceperit, ſciat cum his ſe rectiſsimè deprauatum vel damnatum. Genedius Epiſcopus dixit: Ergo rectè ſuggerunt fratres & coëpiſcopi, vt qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, ſi ab aliquo Epiſcopo aut Presbytero vel clerico fuerint in communione ſuſcepti, refugientes ſui Epiſcopi regulare iudicium, etiam ipſe pari cū eis crimine teneatur obnoxius. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: omnibus placet. *Tom. 1. Conciliorum, concil. Carthag. 2. cap. 7.*

*Refugientes ſui Epiſcopi regulare iudicium, ad cōmunionem à nullo vſquam Epiſcopo vel Presbytero ſuſcipiendi.*

Aurelius Epiſcopus dixit: Quiſquis Epiſcoporum accuſatur, ad primatem prouinciæ ipſius cauſam deferat accuſator. Nec à communione ſuſpendatur, cui crimen intenditur, niſi ad cauſam ſuam dicendam primatis literis euocatus, minimè occurrerit, hoc eſt, intra ſpatium menſis, ex ea die, qua eum literas accepiſſe conſtiterit. Quòd ſi aliquas veras neceſsitatis cauſas probauerit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem, integram habeat facultatem. Verùm poſt menſem ſecundum tam diu non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad concilium vniuerſale anniuerſarium occurrere voluerit, vt vel ibi cauſa eius terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe iudicetur. *Ibidem, Concil. Carthag. 3. cap. 7.*

*Epiſcoporum cauſæ nō ad ſeculares iudices, ſed ſuperiores Epiſcopos, vel Epiſcoporū Concilia, referēda ſunt.*

Si autem Presbyteri vel Diaconi fuerint accuſati,

*Epiſcopi in-*



adiuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id eſt, in Presbyteri nomine quinque, in diaconi duobus, Epiſcopi ipſorum cauſas diſcutiant, eadem dierum & dilationum & à communione remotionum, & diſcuſſione perſonarum, inter accuſatores, & eos qui accuſantur, forma ſeruata. Reliquorum autem cauſas, etiam ſolus Epiſcopus loci agnoſcat & finiat. *Ibid. ca. 8.*

*dicăt cauſas Presbyterorū & Diaconorum.*

Item placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit intētatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiam ſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali iudicio. In ciuili verò perdat quod euicit, ſi locū ſuū obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio iudicat, qui de vniuerſa Eccleſia malè ſentiendo, de iudicio ſeculari poſcit auxilium, cùm priuatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus * ad Eccleſiam deferri, atque ibi determinari præcipiat. *Ibidem, cap. 9.*

*Pœna olim Eccleſiaſticis inflicta, qui relicto Epiſcoporum iudicio, ad ſecularia iudicia ſe conferebant.*

* *1. Cor. 6.*

Ego certè Presbyterum, & qui die ieiunij, quo eiuſdem loci etiam Eccleſia ieiunabat, valefaciens collegæ ſuo eiuſdem loci Presbytero apud famoſam mulierem, nullum ſecum clericum habentem, remanere & prandere & cænare auſus eſt, & in vna domo dormire: remouendum ab officio Presbyterij arbitratus ſum, timens ei deinceps Eccleſiam Dei committere. Quod ſi fortè iudicibus Eccleſiaſticis aliud videtur, quia ſex Epiſcopis cauſam Presbyteri terminare concilio ſtatutum eſt, committat illi qui vult Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam: ego talibus fateor quamlibet plebem committere timeo, præſertim quos nulla bona fama defendit, vt hoc eis poſſit ignoſci: ne ſi quid pernicioſius eruperit, languens imputem mihi. *Tom. 2. Epiſt. 236. ad Xantippum.*

*Ab Epiſcopis Presbyteri cauſam terminari, Cōcilio ſtatutum eſt.*

Felix Epiſcopus Selemſelitanus * dixit: Etiam hoc adiicio ſecundùm ſtatuta veterum Conciliorum, vt ſi quis Epiſcopus (quod non opinamur) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas, nō poſſe

* *aliâs* Selābinitanus.

plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à duodecim Epiſcopis audiatur, & à ſex Presbyteris, & à tribus Diaconis cum proprio ſuo Epiſcopo. Genedius Epiſcopus dixit: Quid ad hoc dicit ſanctitas veſtra? Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, A nobis veterum ſtatuta debere ſeruari. *Tom.1. Conciliorum, conc. Carthag.2. cap.10.*

Placuit, vt quicunque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Epiſcopale iudicium ab imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit. *Concil. Afric. can.71.*

### XIII. *Epiſcopum ab Epiſcopis, iiſque haud minus tribus ordinari.*

*Epiſcopi à vicinis epiſcopis ordinari ſoliti.*

HAbet Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, vt non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi, Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent, ſicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus. *Tom.7. Breuiculi collat. tertij diei, cum Donatiſtis, cap.5.*

Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus, qui ſunt intra prouinciam, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter vrgentem neceſſitatem aut propter longitudinem itineris omnimodo tres in vnum conuenientes, conſentientibus & his, qui abſentes ſunt, Epiſcopis, & ſpondentibus per ſcripta tūc manus impoſitionem fieri. Confirmatio autem eorum quæ fiunt, danda eſt vnicuique à ſuæ prouinciæ metropolitano. *Concilio Carthag.6. can.4.*

HONORATVS & Vrbanus Epiſcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum eſt, vt quia proximè fratres noſtri Numidiæ duo Epiſcopi ordinare præſumpſerūt Pontificem, non niſi à duodecim cenſeatis celebrari Epiſcoporum ordinationes. Aurelius Epiſcopus dixit: Forma antiqua ſeruabitur, vt non minus quàm tres ſufficiant, qui fuerint deſtinati ad Epiſcopum ordinādum. *Paulò poſt.* In hac Eccleſia ad quam dignata eſt ſanctitas veſtra humaniter conuenire, crebrò ac penè per diē Dominicam ordinandos habemus. Nunquid nam frequenter duodecim vel decem vel multò minus aduocare poſſum Epiſcopos? Sed facile eſt mihi duos adiun-

*Epiſcopus nō à paucioribꝰ quàm tribus Epiſcopis ordinandus.*



gere meæ paruitati Epiſcopos vicinos. *Concil. Carthag. 3. can.39.* Ab vniuerſis Epiſcopis (*inter quos & Auguſtinus*) dictum eſt: Placet ſatis. *Ibidem, cap.40.*

NVMIDIVS Epiſcopus Maſſylitanus* dixit: Alij Epiſcopi vſurpatione quadam exiſtimant, contempto Primate cuiuſlibet prouinciæ ſuæ, ad deſiderium populi Epiſcopum ordinare, ſine literis ad ſe primæ cathedræ manantibus, neque poſtea acceptis. Quid de hoc ſtatuet ſanctitas veſtra? Genedius Epiſcopus dixit: quoniam communis eſt honorificentia, quam vnicuique ſeruari oportet, idipſum fraternitati veſtræ conuenit pronunciare. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: placet omnibus, vt inconſulto Primate cuiuſlibet prouinciæ, tam facilè nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis, in quocunque loco, ſine eius (vt dictum eſt) præcepto, Epiſcopum ordinare: ſi autem neceſſitas fuerit, tres Epiſcopi in quocunque loco ſint, cum Primatis præcepto, ordinare debeant Epiſcopum. *Ibidem, Concil. Carthag.2. cap.12.*

* *aliàs* Maſelianitanus, vel Maxulitanus.

*Sine Primatus præcepto non ordinabatur Epiſcopus.*

### XIIII. *Epiſcoporum & Presbyterorum electionem ex acclamationibus laicorum haberi ſolitam, Eccleſiæ multis modis incommodam & turbarum plenam fuiſſe.*

*Poſt obitus Epiſcoporū, per tumultū populi, Eccleſiæ ſolebant perturbari.*

SCio poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos aut contentioſos ſolere Eccleſias perturbari, & quod ſæpe expertus ſum & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat huic proſpicere ciuitati. Sicuti nouit caritas veſtra in Mileuitana Eccleſia modò fui: petierant enim me fratres, & maximè ſerui Dei qui ibi ſunt, vt venirem: quia poſt obitum beatæ memoriæ fratris & coëpiſcopi mei Seueri, nonnulla ibi perturbatio populi timebatur. Veni & quomodo voluit, Dominus adiuuit nos pro ſua miſericordia, vt cum pace Epiſcopum acciperent, quem viuus deſignauerat Epiſcopus eorum. Hoc enim eis cùm innotuiſſet, volūtatem præcedentis & decedentis Epiſcopi ſui libenter amplexi ſunt. Minus tamen aliquid factum erat, vnde nonnulli contriſtabantur, quia frater Seuerus credidit poſſe

ſufficere, vt ſucceſſorem ſuum apud clericos deſignaret, ad populum inde non eſt locutus, & erat inde aliquorum nonnulla triſtitia. Quid plura? Deo placuit: triſtitia fugata eſt, gaudium ſucceſſit. Ordinatus eſt Epiſcopus, quem præcedens Epiſcopus deſignauerat. Ergo ne aliquis de me queratur, voluntatem meam quam credo Dei eſſe, in omnium veſtrûm notitiam perfero: Presbyterum Eradium mihi ſucceſſorem volo. A populo acclamatum eſt, Deo gratias. *Tom. 2. numero* 110. *in actis circa deſignationem Eradij.*

*Occulta perditorũ hominũ conſpiratio & violenta audacia in populari presbyterorũ deſignatione.*

Sancto fratri noſtro, filio tuo, Piniano nullus ab Hipponenſibus metus mortis ingeſtus eſt, etiamſi fortè ipſe tale aliquid timuit. Nam & nos metuebamus, ne ab aliquibus perditis, qui ſæpe multitudini occulta conſpiratione miſcentur, in violentam prorumperetur audaciam, occaſione ſeditionis inuenta, quam velut iuſta indignatione concitaret. Sed ſicut pòſt audire potuimus, nihil tale à quoquam dictum eſt vel molitum: ſed verè in fratrem meum Alipium multa contumelioſa & indigna clamabãt, à quo tam ingenti reatu vtinam per illius orationes mereãtur abſolui. Ego autem poſt primos eorum clamores, cùm eis dixiſſem de illo inuito non ordinãdo, quia iam promiſſione detinerer: atque adieciſſem, quod ſi mea fide violata illũ haberent Preſbyterum, me Epiſcopũ non haberent, ad noſtra ſubſellia relicta turba redieram. Tum illi aliquantulum inopinata mea reſponſione cunctati atque turbati, velut flamma vento paululum preſſa, deinde cœperũt multò ardentius excitari, exiſtimãtes fieri poſſe, vt vel mihi extorqueretur, illud nõ ſeruare promiſſum, vel me tenente promiſſi fidem, ab alio Epiſcopo ordinaretur. Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in abſidem honoratiores & grauiores aſcenderant: nec à promiſſi fide me poſſe dimoueri, nec ab alio Epiſcopo in Eccleſia mihi tradita, niſi me interrogato ac permittente, poſſe ordinari. Quod ſi permitterem, à fide nihilominus deuiarem. Addebã etiam, nihil eos velle ſi ordinaretur inuitus, niſi vt ordinatus abſcederet. Illi hoc poſſe fieri non credebant. Multitudo verò pro gradibus conſtituta, horrendo & perſeuerantiſſimo clamorum fremitu,



in eadem voluntate perſiſtens: incertos animi conſiliique faciebat. Tunc illa in fratrem meum indigna clamabantur, tunc à nobis grauiora timebantur. Sed quãuis tanto motu populi, & tanta perturbatione Eccleſiæ permouerer, nec aliud conſtipationi illi dixiſſem, niſi eum me inuitum ordinare nõ poſſe: nec ſic tamen abductus ſum, quia & hoc promiſeram non me fuiſſe facturum, vt aliquid ei de ſuſcipiendo Presbyterio ſuaderem. Quòd ſi perſuadere potuiſſem, non iã ordinaretur inuitus. Seruaui vtriuſque promiſſionis fidem, non ſolùm illius quã iam populo patefeceram: verùm etiam illius in qua vno teſte, quãtum ad homines attinet, detinebar. Seruaui, inquã, fidem promiſſionis, non iurationis, in tanto periculo: quod licet falsò, ſicut poſtea cõperimus, metuebatur, omnibus tamen, ſi quod eſſet, cõmuniter impendebat: & erat metus ipſe communis, ac per Eccleſiam, in qua eramus, maximè metuens abſcedere cogitabam. Sed metuendum fuit, ne magis me abſente tale aliquid faceret & reuerentia minor, & dolor ardentior. Deinde ſi cum fratre Alipio diſcederem per populum cõſtipatum, cauendum fuit ne quiſquam in eum manum mittere auderet. Si autem ſine illo, quæ frons eſſet exiſtimationis, ſi quid ei fortaſſis accideret: & viderer eum propterea deſeruiſſe, vt furenti populo traderetur? *Tom. 2. epiſt. 225. ad Albinam, in principio.*

## *XV. Quæ ſint ſacrorum Ordinum impedimenta.*

Sed quoniam ex multis animabus vna ciuitas futura eſt, habentium vnam animam & cor vnũ in Deum: quæ vnitatis noſtræ perfectio poſt hanc peregrinationem futura eſt, vbi omnium cogitationes, nec latebunt inuicem, nec inter ſe in aliquo repugnabunt: propterea Sacramentum nuptiarum temporis noſtri, ſic ad vnum maritum & vnam vxorem redactum eſt, vt diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinari niſi vnius vxoris * virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandũ eſſe cenſuerunt: de Sacramento enim agitur, non de peccato, nam in baptiſmo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit: * Si acceperis vxorem non peccaſti, & ſi

** 1. Tim. 3. Tit. 1. Diſt. 26. ca. Acutius. 28. q. 3. cap. Acutius. * 1. Cor. 7.*

nupſerit virgo non peccat, & quod vult faciat, non peccat ſi nubat: ſatis declarauit nuptias nullũ eſſe peccatũ: Propter Sacramenti autem ſanctitatem, ſicut fœmina, etiamſi catechumena fuerit viciata, non poteſt poſt baptiſmum inter Dei virgines conſecrari: ita non abſurdè viſum eſt eum qui exceſſit vxorum numerum ſingularẽ, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam. Ac per hoc ſicut plures vxores antiquorum patrum, ſignificauerunt futuras noſtras ex omnibus gẽtibus Eccleſias, vni viro ſubditas Chriſto: ita noſter antiſtes vnius vxoris vir, ſignificat ex omnibus gẽtibus vnitatem vni viro ſubditam Chriſto: quæ tunc perficietur, cùm reuelauerit* occulta tenebrarum, & manifeſtauerit cogitationes cordis, & tũc laus erit vnicuique à Deo. (* 1.Cor.4.) Nunc autem manifeſtè ſunt latentes diſſenſiones, etiam ſalua charitate inter eos qui vnum & in vno futuri ſunt quæ tunc vtique nullæ erunt. Ergo ſicut Sacramentum plurium nuptiarum illius temporis ſignificauit futuram multitudinem Deo ſubiectam in terrenis omnibus gentibus: ſic Sacramentum nuptiarum ſingularium noſtri temporis, ſignificat vnitatem omnium noſtrûm ſubiectam Deo futuram in vna cæleſti ciuitate. Itaque ſicut duobus pluribúſque ſeruire, ſic à viro viuo in alterius tranſire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec vnquam licebit: *Tom 6. de bono coniugali, cap.* 18.

*Mirandum eſt ſtudioſe Lector, quorundam hæreticorum ingenium, qui exiſtimantes verbis illis Apoſtoli,* * *Epiſcopum vnius vxoris virum &c. prohiberi tantùm in* Epiſcopo *creando Polygamiam multarum eodem tempore viuentium, non autem ſibi ſuccedentium vxorum, hoc Auguſtini teſtimonio ſuam cõfirmare ſententiam conentur. Addunt etiam, falli nos* Catho*licos, cum Grattano, qui verbis his Auguſtini non intellectis probare tentemus Polygamiam ſuccedentium ſibi vxorum in futuro* Sacerdote *vel Epiſcopo prohiberi. Quaſi Auguſtini ſententia adeò ſit obſcura, vt non facilè cuiuis innoteſcat, qui eius verba vel mediocriter expenderit. Dicimus ergo, Auguſtini ſententia in futuro Eccleſiæ diſpenſatore omnem Polygamiam impedimentum eſſe. Eam quidem quæ duarum eſt aut plurium* (* 1.Tim.3.)



*eodem tempore viuentium vxorum ipſi aduerſarij confitentur, atque Antitheſis Patrum veteris Teſtamenti eorum qui nouo iam promulgato vixerunt, ab Auguſtino propoſita, declaratur. Nec modò impedimentum ſed etiam peccatum eſſe tempore noui Teſtamenti, Auguſtinus libro de bono coniugali, cap. 7. & contra Fauſtum, lib. 22. cap. 47. diſertè docet. Eam autem quæ vel duarum vel plurium eſt ſuccedentium ſibi vxorum, quamuis non peccatum, impedimentum tamen cenſeri, cùm ex Epitaſi cum Antitheſi coniuncta, tum ex collectione & verbis Auguſtini manifeſtè conſtabit. Sed aduerſarij dum Antitheſi nimis attendunt, Epitaſin & collectionem per imprudentiam non aduertunt.* Propterea (*inquit Auguſtinus*) Sacramẽtum nuptiarum temporis noſtri ſic ad vnum maritum & vnam vxorem redactum eſt, (*aduerte Lector Epitaſin*) vt diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare niſi vnius vxoris virum. *Vnde hoc ab Auguſtino colligitur? Nõ ex Antitheſi proximè, vt aduerſarij cenſent, ſed ex re ſignificata per Monogamiam noui Teſtamenti, ex vnione ſcilicet futura vnius Dei cum vna ciuitate cæleſti omnium beatorum, cuius mentio proximè fuit facta. Quemadmodum enim non ſunt futuræ plures ciuitates cæleſtes ſimul, nec plures ſibi ſuccedentes, ſed omnino vna cum vno Deo perfectè coniuncta erit: ſic neque nunc Eccleſiæ miniſter conſtitui debet, qui vel eodem tempore vel diuerſo duarum vel plurium vxorum maritus fuerit. Subiungit deinde Auguſtinus.* Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus vel paganus habuerit alteram ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in Baptiſmo omnia peccata dimittuntur. *In quibus verbis manifeſtè de Chriſtiano agitur qui ante Baptiſmum dum adhuc catechumenus vel paganus eſſet, alterã habuerit. Sed hîc apertè veritatis vinculis conſtringuntur aduerſarij: nam vel ſermo eſt de illo, cuius vxor ante baptiſmum vel mortua eſt, vel propter ſuperſtitionem quam deſerere noluit, diſceſſit, Matrimonij vinculo ſoluto, qui deinde poſt baptiſmum ducit alteram: & tunc manifeſtum eſt, ſermonem eſſe de digamia ſuccedentium vxorum, quod aduerſarij negant: aut de illo qui vxorem eandem quam ante baptiſmum habuit, poſt baptiſmum retinet, & eadem viuente, & in matrimonium habita, ducit iam* Chriſtianus *alteram. Et ea ratione ſermonem eſſe fatemur de digamia ſimul viuentium vxorum.* Sed

*tunc quo modo vera erunt verba illa*: De Sacraměto agitur non de peccato: nam in Baptiſmo omnia peccata dimittuntur? *Nam digamiam iſtam tempore noui Teſtamenti (Auguſtino teſte ſicut ante probauimus) peccatum eſſe conſtat, & peccatum quod non per baptiſmum remittatur, cùm ſit poſt baptiſmum admiſſum. Denique ne prolixiores ſimus, conſtat hîc diſputare Auguſtinum de polygamia (Nam ſub hac digamiam complectimur) non ſolùm eorum, qui ante baptiſmum habuerint alteram vxorem, ſed etiam eorum qui poſt baptiſmum duas aut plures habuerint. Patet etiam eundem de Polygamia illa verba facere, quæ non ſit peccatum, ſed impedimentum ad ſacrum ordinem ſuſcipiendum. Verba autem eius hæc ſunt*: Ita non abſurdè viſum eſt eum, qui exceſſit vxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitę bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam. *Vnde conſequitur, manifeſtè ipſius verba de Polygamia ſuccedentium morte ſibi vxorum accipienda eſſe, quæ non eſt peccatum, potius, quàm de illa quæ eſt vxorum ſimul viuentium, quam tempore noui Teſtamenti eſſe peccatum (vt ſtatim cap. de ſacramento Matrimonij pluribus docebimus) ipſe fatetur. Hæc autem fuſius perſequi compulſi ſumus, vt diſcant aduerſarij non tam leuiter Gratianum & alios ſcriptores deridere: ne dum hos derident videantur ipſi & imperiti, & ridiculi deriſores.*

*Impedimenta clericatus. Si prohibetur ordinari ſimpliciter, qui duas vxores poſt baptiſmum habuerit, ergo & qui alteram poſt priorem defunctã duxerit. Non qui habuerit duas ſimul vxores, ſed qui duxerit ſecundam ordinari prohibetur.*

Placuit vt Lectores populum non ſalutent, & vt ante viginti quinque annos, nec clerici ordinentur, niſi primùm diuinis ſcripturis inſtructi. *Tom. 1. Conciliorum, Concil. Carthag. 3. cap. 4. Auguſtinus interfuit & ſubſcripſit.*

Maritum duarum poſt baptiſmum matronarum, clericum non ordinãdum (*dicimus*). Neque eũ qui vnam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit. Nec illum qui viduam aut repudiatam, vel meretricẽ in matrimonio ſumpſit. Neque eũ qui ſemetipſum quolibet corporis ſui mẽbro, indignatione aliqua, vel iuſto iniuſtóue timore ſuperatus, truncauerit. *Tom. 3 de Eccl. dogmat. cap. 72.*

Simili ſententiæ ſubiacebit Epiſcopus, ſi ſciens ordinauerit clericum eum, qui viduam aut repudiatam vxorem habuit, aut ſecundam. *Concil Carth. 4. ca. 69*



Vt conſtitueretur in Eccleſia ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. *Tom. 2. Epiſt. 50 ad Bonifacium, cap. 26.*

*Locus intelligendus de ſolenni & humillima pœnitẽtia, cuius mentio fit epiſt. 54. ad Macedonium.*

# CAPVT DVODECIMVM, DE SACRAMENTO MATRIMONIJ.

*I. Matrimonium ſeu nuptias damnandas non eſſe.*

COpulatio maris & fœminæ generandi cauſa bonum eſt naturale nuptiarum, ſed iſto bono malè vtitur, qui beſtialiter vtitur, vt ſit eius intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Quãquã in nõnullis animalibus rationis expertibus, ſicut in pleriſque alitibus, & cõiugiorum quaſi quædam confœderatio cuſtoditur, & ſocialis nidificandi ſolercia, viciſsímque ouorum diſpertita tempora fouendorum, & nutriendorum opera alterna pullorum, magis eas videri faciunt agere, cùm coëunt, negocium ſubſtituendi generis, quàm explendæ libidinis. Quorũ duorum, illud eſt in pecore ſimile hominis, hoc in homine ſimile pecoris. Verùm quod dixi ad naturam pertinere nuptiarum, vt mas & fœmina generandi ſocietate iungantur, & ita inuicem non fraudent, ſicut omnis ſocietas fraudulentiã ſociorum naturaliter non vult, hoc tam euidens bonum cùm infideles habẽt, quia infideliter vtuntur, in malum peccatúmque conuertunt. Eo modo ergo & illam concupiſcentiam carnis, qua caro * concupiſcit aduerſus ſpiritum, in vſum iuſtitiæ conuertunt fideliũ nuptiæ. Habent quippe intẽtionẽ generandi regenerãdos, vt qui ex eis filij ſeculi naſcuntur, in filios Dei renaſcantur. *To. 7 lib. 1. de nupt. & conc. cap. 4.*

*Bono nuptiarum malè vtuntur, qui illud ad voluptaeem libidinis referunt.*

* *Gal. 5.*

*Concupiſcentiam carnis in vſum iuſtitiæ conuertũt fidelium nuptiæ.*

*Nuptialia bona, proles, fides, Sacramentum.*

In nuptiis nuptialia bona diligantur, proles, fides, Sacramentum. Sed proles non vt naſcatur tantùm, verùm etiam vt renaſcatur. Naſcitur nanque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam. Fides autem non, qualem habeat inter ſe etiam infideles, zelantes carnem. Quis enim vir quamlibet impius, vult adulteram vxorem? Aut quæ mulier quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc in connubio bonum naturale eſt quidem, carnale tamen: ſed membrum Chriſti, coniugis adulterium coniugi debet timere, non ſibi, & à Chriſto ſperare fidei præmium, quam exhibet coniugi. Sacramentum verò, quod nec ſeparati, & adulterati amittunt coniuges, qui cōcorditer caſtéque cuſtodiũt. Solũ eſt enim quod etiã ſterile coniugium tenet iure pietatis, iam fœcunditatis ſpe amiſſa, propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias. *Ibidem, cap.17.*

*Ratio Sacramenti, inter ſteriles coniugium retinet.*

*Cælibatus melior nuptiis.*

** 1.Cor.7.*

*Nuptiæ ſecũdæ & tertiæ nõ dãnandæ.*

*Iis qui continentiã vouerunt, admodũ dãnabile eſt, vel appetere opus coniugale.*

Nuptias quoque diuinitus inſtitutas, & benedictas (*firmiſſimè tene*) & melius quidem ſi quiſquam ſine coniugio ſit, vt liberius atque plenius cogitet, * quæ ſunt Dei quomodo placeat Deo: tamen illis, qui continentiam non vouerunt, nullum eſſe peccatum, ſi vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Nec ſolas primas nuptias, à Deo inſtitutas, ſed etiam ſecundas & tertias, pro eorũ, qui ſe continere non poſſunt, infirmitate conceſſas. Eis verò, qui ſiue coniugati, ſiue à coniugio liberi, continentiam Deo vouerunt, admodum eſſe damnabile, ſi vel illi coniugale opus voluerint appetere, quò ſe non acceſſuros, vel illi repetere, à quo receſſuros, illi libera, illi cõmuni, profeſſi ſunt volũtate. *To.3.de fide ad Petrũ, cap.47.*

*Vituperata carnis libidine, non damnãtur nuptiæ*

** Geneſ.1.*

Quæ cum ita ſint, profectò errant, qui cum vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur, quaſi morbus iſte de connubio ſit, non de peccato. Nónne illi coniuges primi, quorum nuptias benedixit Deus dicens: * *Creſcite & multiplicamini*, nudi erant & non confundebantur? Cur ergo ex illis membris confuſio poſt peccatum, niſi quia extitit illic indecens motús? quem niſi homines peccaſſent, proculdubio nuptiæ non haberent. An fortè ſicut quidam exiſtimant, quia id quod legunt parum diligenter aduertunt, cæci creati erãt prius homines



** Geneſ.3.*

** Gen.21.*

*Luc.24.*

*Primis parẽtibus, quomodo fuerint aperti oculi.*

** Geneſ.3.*

** Geneſ.2.*

homines ſicut canes, & quod eſt abſurdius, non ſicut canes creſcendo, ſed peccando adepti ſunt viſum? Abſit hoc credere. Sed vnde mouentur qui hoc putant, illud eſt quod legitur, * ſumens de fructu eius, edit & dedit viro ſuo ſecum, & ederunt, & aperti ſunt oculi amborum & agnouerunt quia nudi erant. Hinc eſt quod parum intelligentes opinantur anteà fuiſſe illis oculos clauſos quòd eos tunc apertos diuina Scriptura teſtatur. Sed nunquid & Agar * ancilla Saræ quando ſitiẽte & plorante filio aperuit oculos ſuos, & vidit puteũ, clauſos prius oculos habuit? Aut illi duo diſcipuli poſt reſurrectionem Domini in via cum illo clauſis oculis ambulabant de quibus Euangelium * loquitur, quod in fractione panis aperti ſunt oculi eorũ, & agnouerunt eum? Quod ergò ſcriptum eſt * de hominibus primis, aperti ſunt oculi amborum, intelligere debemus attentos factos ad intuendum & agnoſcendum, quòd nouum in eorum corpore acciderat, quod vtique corpus patentibus eorum oculis, & nudum quotidiè ſubiacebat, & notum. Alioquin quomodo ad ſe adductis animalibus terreſtribus & volatilibus omnibus, Adam * clauſis oculis nomina poſſet imponere, quod niſi diſcernendo non faceret, diſcernere autem niſi videndo non poſſet? Quomodo denique ipſa mulier demonſtrata eſt, quando ait: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea? Poſtremò ſi vſque adeò quiſquam fuerit contentioſus, vt hæc eum dicat non cernendo, ſed palpando potuiſſe cognoſcere, quid dicturus eſt, quòd ibi legitur mulier lignũ de quo fuerat cibum ſumptura, prohibitum vidiſſe, quàm eſſet ſpecioſum oculis ad videndum? Erant itaque nudi, & nõ confundebantur, non quia non videbant, ſed quia nihil vnde confunderentur, in membris ſenſerant, quæ videbant. Non enim dictum eſt, erant ambo nudi & ignorabant, ſed non confundebantur. Quia enim nihil præceſſerat, quod non liceret, nihil ſecutum fuerat, quod puderet. *Tom.7.lib.1.de nupt. & concupiſ. cap.5.*

*Quia præceſſit quod non licuit, ſecutũ eſt cuius nos pudet.*

Taciani à Tacio quodam inſtituti ſunt, qui & Encratitę appellati ſunt, nuptias damnãt, atque omnino pares eas fornicationibus, aliiſque corruptionibus faciũt: nec recipiunt in ſuorum numerum coniugio vtentem, ſiue

marem; ſiue fœminam; non veſcuntur carnibus eáſque omnes abominantur. *Tom. 6. de hæreſ. ad Quod vult deum, hær. 25. de Adamianis vide hær. 31.*

*Priſcillianiſtæ carnes tã quã immundas, & nuptias damnabant.*

Carnes tanquam immundas eſcas etiam ipſa (*hæreſis Priſcillianiſtarum*) deuitat, coniuges quibus hoc malum potuerit perſuadere diſiungens, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris: opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero; ſed malignis angelis tribuunt. *To. 6. de hæreſi. ad Quod vult Deum, hæreſi 70. Lege & de nuptiis & concup. lib. 2. cap. 32. & contra duas epi. Pelag. lib. 1. cap. 5. Item de ciu. Dei, li. 14. ca. 21. et 22.*

## *II. Neque ſecundas nuptias poſſe damnari.*

*Hæreſis Cataphrygum.*
** 1. Cor. 7.*
** 1. Cor. 13.*

SEcundas nuptias pro fornicationibus habent (*Cataphryges*) & ideo dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum,* quia ex parte ſciebat,* & ex parte prophetabat: nondum enim venerat quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum, & in eius Propheciſſas veniſſe delirant. *Tom. 6. ad Quod vult deum, hæreſi 26.*

Cathari, qui ſeipſos iſto nomine quaſi propter mundiciem ſuperbiſſimè atque odioſiſſimè nominant, ſecundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Nouatum ſectantes hæreticum, *Ibidem, hæreſi 38.*

*Tertullianus cum Montano ſecundas nuptias damnauit.*
** 1. Tim. 5.*
** Geneſ. 25.*
** Gen. 17.*

Non ideo eſt Tertullianus factus hæreticus, ſed quia tranſiens ad Cataphryges, quos antè deſtruxerat, cœpit etiam ſecundas nuptias contra Apoſtolicam doctrinam tanquam ſtupra damnare, & poſtmodum etiam ab ipſis diuiſus, ſua conuenticula propagauit. *Tom. 6. hæreſi 86.*

Quid ſi & hoc (*vt Abraham *poſt mortem Saræ, Ceturam duceret vxorem*) prouiſum eſt contra hæreticos futuros, ſecundarum aduerſarios nuptiarum, vt in ipſo patre* multarum gentium, poſt obitum coniugis iterum coniugari, demonſtraretur non eſſe peccatum? *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 16 cap. 34.*

## *III. Non licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores.*

REgno terreno veteres iuſti cæleſte regnum imaginabantur & prænunciabant. Sufficiẽdæ prolis cauſa erat vxorum plurium ſimul vni viro habendarum in-



culpabilis conſuetudo, & ideo vnam fœminam maritos habere plurimos honeſtum non erat: non enim mulier eò eſt fœcundior, ſed meretricia potius turpitudo eſt, vel quæſtum vel liberos, vulgo quærere. In huiuſcemodi moribus quicquid illorum temporum ſancti non libidinosè faciebant, quanuis ea facerent, quæ hoc tempore niſi per libidinem fieri non poſſunt, non culpat Scriptura. Et quicquid ibi tale narratur, non ſolùm hiſtoricè ac propriè, ſed etiam figuratè ac propheticè acceptum, interpretandum eſt, vſque in finem illũ charitatis, ſiue Dei, ſiue proximi, ſiue vtriuſque. *Tom. 3 de doctrina Chriſtian. lib. 3. cap. 12.*

*Quare quidã Patres in veteri Teſtamento, plures ſine peccato vxores habuerint.*

*Hoc tẽpore, niſi per libidinem, plures ſimul vxores haberi non poſſunt.*

Quomodo autem viro poſſit eſſe licentia ducendæ alterius, ſi adulteram reliquerit, cùm mulieri non ſit nubendi alteri, ſi adulterum reliquerit, non video. Quæ ſi ita ſunt, tantum valet illud ſociale vinculum coniugum vt cum cauſa procreandi colligetur, nec ipſa cauſa procreandi ſoluatur. Poſſet enim homo dimittere ſterilem vxorem, & ducere de qua filios habeat: & tamen non licet, & noſtris quidem iam temporibus, ac more Romano nec ſuperducere, vt amplius habeat quàm vnam viuam: & vtique relicta adultera, vel relicto adultero poſſent plures naſci homines, ſi vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen ſi non licet, ſicut diuina regula præſcribere videtur, quem non faciat intentum, quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deſerentibus hominibus atque id diſſoluere cupientibus, inconcuſſum illis maneret ad pœnam. Siquidem interueniente diuortio, non aboletur illa cõfœderatio nuptialis: ita vt ſibi coniuges ſint etiam ſeparati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint poſt ſuum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri: nec tamen niſi in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius talis eſt cauſa cũ vxore. *To. 6. de bono coniug. ca. 7.*

*32. quæſt. 7. ca. Tantum valet.*

*Vxorem ſterilem non licet dimittere.*

*Nõ licet nũc habere, niſi vnam vxorẽ viuam.*

*Diuina regula præſcribere videtur: nõ licere vni viro, plures vna, eodẽ tempore, vxores habere.*

*32. quæſt. 7. cap. Interueniente.*

*Per diuortiũ non aboletur confœderatio nuptialis.*

*Collegit Innocẽtius 3. extra. De diuortiis. ca. Gaudemus. Diuina lege Chriſtianis prohibitũ eſſe vnà plures ſimul vxores habere, his quæ ſequuntur verbis.* Sanè veridica hæc ſententia

probatur etiam de teſtimonio Veritatis in Euangelio: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo vxore dimiſſa, duci alia de iure nõ poteſt, fortius & ipſa retenta. *Hanc eandem ſententiam multò antea Auguſtini fuiſſe, facilè intelliget, qui proximè recitata verba, & cap. 10. lib. 1. de adulterinis coniugiis, & alia quædam, quæ recitanda ſunt, expenderit. Intelligant igitur Anabaptiſtæ, qui duas vel plures ſimul vxores habent non legem tantùm humanam, ſed etiam diuinam ab ipſis violari.*

** Geneſ. 30. 32. quæſt. 4. ca. Obijciuntur.*

*Nũc crimen eſt, plures eodem tempore vxores habere.*

Iam verò filio eius Iacob, *quod pro ingẽti crimine quatuor obiiciuntur vxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis vxoribus obiicitur ſancto viro Iacob? Si naturam conſulas, non laſciuiendi, ſed gignẽdi cauſa illis mulieribus vtebatur, Si morem, illo tẽpore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia & moribus & legibus non licet? Quæ duo quiſquis contempſerit, etiamſi tantummodo cauſa generandi vti poſſit fœminis pluribus, peccat tamẽ, & ipſam violat humanam ſocietatem cui neceſſaria eſt propagatio filiorum. *Tom. 6. contra Fauſtum, lib. 22. cap. 47.*

*Quare nunc nõ liceat, plures ſimul habere vxores.*

*Vnum & vnã matrimonio iungi, magis conſentaneum primæ nuptiarum inſtitutioni, quàm vnum & multas.*

Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non vnum & multas, ſed vnum & vnam, ſatis indicat ipſa prima diuinitus facta coniugij copula, vt inde connubia ſumerent initium, vbi honeſtius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, iunctæ ſunt quibuſdã bonis viris bonæ fœminæ, ſingulis plures. Vnde apparet & illud dignitatis magis appetiſſe modeſtiam & hoc fœcunditatis permiſiſſe naturam. *Tom. 7. de nuptiis & concupiſ. lib. 1. cap. 9.*

## *IIII. Matrimonium verè & propriè Sacramentum eſſe, ſoláque morte diſſolui.*

Sed quia continentia illa meriti amplioris eſt, reddere verò debitũ coniugale nullius eſt criminis, exigere



autem vltra generandi neceſſitatem culpæ venialis, fornicari verò vel mœchari, puniendi criminis: cauere debet charitas coniugalis, ne dum ſibi quærit vnde amplius honoretur, coniugi faciat vnde damnetur. Qui enim dimittit * vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, vſque adeò fœdus illud initum nuptiale, cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat: quandoquidem viuente viro, à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit: & ille huius mali cauſa eſt qui reliquit. *Tom. 6. de bono coniugali, cap. 7.*

*Continentia amplioris meriti quàm cõiugium.*

** Matth. 5. & 19.*

*Igitur Chriſtianorũ matrimonium, non tantùm officium eſt naturæ, aut fœdus ciuilis contractus.*

Ergo quia liberorum procreandorum cauſa vxores eſſe ducendas, honeſtas cõſentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas, præter fidem, quam ſibi debent coniuges ne fiant adulteria, & prolem cuius generandæ cauſa ſexus vterque miſcendus eſt: aduerti etiam tertium bonum quod eſſe in coniugibus debet, maximè pertinentibus ad populum Dei: quod mihi viſum eſt eſſe aliquod Sacramentum, ne diuortium fiat vel ab ea coniuge quæ non poteſt parere, vel ſicut feciſſe Cato perhibetur, ne ab eo viro, qui plures non vult ſuſcipere filios alteri fœtanda tradatur. Propter hoc in illo (*coniugio Ioſeph & Mariæ*) quod ſecundùm Euangelium coniugium nũcupaui, omnia tria bona nuptiarum dixi eſſe completa. Fidem, quia nullum adulterium. Prolem, ipſum Dominum Chriſtum. Sacramentum, quia nullum diuortium. *Tom. 7. contra Iulian. Pelag. lib. 5. cap. 9.*

*Sanctitas Sacramenti facit, ne diuortium à coniugibus fiat.*

*Tria bona nuptiarum. 32. q. 7. cap. Tantum.*

*In ciuitate Dei noſtri nuptiæ Sacramentum quoddam gerunt.*

Semel initum connubium in ciuitate Dei noſtri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula, quoddam Sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo poteſt, niſi alicuius eorum morte diſſolui. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamſi proles, cuius cauſa initum eſt, manifeſta ſterilitate non ſubſequatur: ita vt iam ſcientibus coniugibus, non ſe filios habituros, ſeparare ſe tamen, vel ipſa cauſa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod ſi fecerint, cũ eis, quibus ſe copulauerint, adulterium committunt, ipſi autem coniuges manent. *Tom. 6. de bono coniugali, cap. 15.*

*Matrimonij vinculũ etiã propter manifeſtam ſterilitatẽ ſolui non poteſt.*

Nec cauſa numeroſioris prolis fecerunt ſancti noſtri, quod Cato dicitur feciſſe Romanus, vt traderet viuus vxorem etiam, alterius domum filiis impleturam, in no-

*Nuptiæ fide liũ à nuptiis*

*ethnicorũ, Sacramenti ſanctitate, diſcernuntur.*

** Geneſ. 22.*

ſtrarum quippe nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri. Si ergò & illi qui propter ſolam generationem, propter quam ſunt inſtitutę nuptiæ, coniunguntur, non comparatur patribus, multo aliter ipſos filios, quàm iſti quærentibus: quandoquidem filium iuſſus* immolare Abrahã, intrepidus ac deuotus, quem de tanta deſperatione ſuſceperat, vnico non pepercit, niſi eo prohibente manũ deponeret, quo iubente, leuauerat, &c. *Ibidem, cap.* 18.

*In nuptiis igitur fideliũ, præter finem generandæ prolis, & caſtitatis coniugalis ſeruandæ fidem, eſt ſanctitas Sacramenti.*

Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio intercedente, alteri nubere, dum vir eius viuit, nec ſaltem ipſa cauſa pariẽdi. Quæ cùm ſola ſit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non ſubſequente propter quam fiunt, ſoluitur vinculũ cõiugale, niſi cõiugis morte. *Ibi. ca.* 24.

*Quãtùm in Eccleſia Chriſti, nuptiarum vinculum & Sacramentum commendetur.*

Abſit ergo vt ſenſu non humano, ſed planè vano ſic doleamus, cùm flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur: maximè in ciuitate Domini, in monte ſancto eius, hoc eſt, in Eccleſia, vbi nuptiarum non ſolùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita cõmẽdatur, vt non liceat viro vxorem ſuam alteri tradere. Quod in Republica tum Romana, non ſolùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur. *Tom. 4. de fide & operibus, cap. 7.*

*Bona coniugij fidelium quæ ſint.*

Habeant coniugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem inuicem ſeruant, quia Sacramentum connubij non violant. *Tom 6 de ſanct. virginit. cap. 12.*

*Matrimoniũ ſanis ad officium, ægrota ad remediũ.*

Denique vtriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum eſt, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non eſt bonum: imò verò non propter illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed propter hoc bonum, veniale eſt illud malum: quoniam id non bonum habent



*Bonum nuptiarum tripertitũ, fides, proles & Sacramentum.*

*Sacramentũ efficit, vt matrimoniũ diſſolui non poſſit.*

nuptiæ, & quod bonæ ſunt nuptiæ, peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripertitum eſt, fides, proles, Sacramentum: In fide attenditur ne præter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, vt coniugium non ſeparetur, & dimiſſus aut dimiſſa, nec cauſa prolis alteri coniungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas. *Tom. 3. de Geneſ. ad liter. lib. 9. cap. 7.*

** 1. Tim. 5.*
** 1. Cor. 7.*
** Matt. 19.*

*Fideliũ matrimonium propter, Sacramẽtũ ſolui nequit.*

Bonum ergo ſunt nuptiæ in omnibus, quæ ſunt propria nuptiarum. Hæc autem ſunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij Sacramentum. Propter ordinationem generandi ſcriptum eſt: * *Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliâs eſſe.* Propter fidẽ pudicitiæ, * *Vxor nõ habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.* Propter connubij Sacramentũ, * *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet. Tom. 7. de peccato orig. contra Pelag. & cœleſt. cap. 34.*

### *V. Matrimonium eſſe ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia.*

** Geneſ. 2.*

** Epheſ. 5.*

*Quo modo Chriſtus reliquerit patrẽ & matrẽ, & adhæſerit vxori ſuæ.*

** Philip. 2.*

QVomodo intelligendum eſt quod dicit Adam; * *Quam ob rem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, Beatus Apoſtolus Paulus hoc capitulum ſibi ponens expoſuit, dicens, * *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Sed quomodo Chriſtus reliquit patrem conſubſtantialem ſibi? Et *poſt pauca.* Quomodo ergo dereliquit patrem vt adhæreret vxori ſuæ, id eſt, Eccleſiæ ſuæ: niſi illo modo quo Apoſtolus dixit, * *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens?* Ipſa ergo formæ ſeruilis acceptio, eſt exinanitio, & ipſa exinanitio quanquam non ſit diuinitatis abolitio aut naturæ amiſſio, tamen propter formam ſerui in qua dignoſcitur apparuiſſe, iure dicit Apoſtolus patrem reliquiſſe. Reliquit & matrem, ſcilicet Synagogam, veteri Teſtamento

carnaliter inhærentem,& adhæſit vxori ſuæ,id eſt, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ,vt pace noui Teſtamenti eſſent duo in carne vna. *Tom.4.lib.65.queſtion.quæſt.* 46.

* *Epheſ.5.* * *Gen.2.*

Dicit enim Apoſtolus, * Sacramentum magnum eſſe quod dictum eſt, * *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quod ipſe interpretatur ſubiiciẽdo: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Ergo quod per hiſtoriam impletum eſt in Adam, per prophetiam ſignificat Chriſtum, qui reliquit patrem cùm dicit, * *Ego à Patre exiui & veni in hunc mundum.* Sed non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque auerſione peccati, ſicut apoſtatæ relinquunt Deum: ſed apparendo hominibus in homine, cùm *Verbum* * *caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Quod ipſum non commutationem naturæ Dei ſignificat, ſed ſuſceptionem naturæ inferioris perſonæ, id eſt, humanæ. Ad hoc valet etiam quod dicitur: * *Semetipſum exinaniuit,* quia non apparuit in ea dignitate hominibus, in qua eſt apud Patrē, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, vnde videretur Verbum in principio Deus apud Deum. Quid eſt ergo quod diximus, Reliquit Patrem: niſi reliquit apparere hominibus, ſicut eſt apud Patrem? Item, reliquit & matrem, id eſt, Synagogæ veterem atque carnalem obſeruātiam, quæ illi mater erat ex ſemine * Dauid ſecundùm carnem,& adhæſit vxori ſuæ, id eſt, Eccleſiæ, vt ſint duo in carne vna. *Tom.1.de Geneſi contra Manich.lib.2.cap.24.*

* *Ioan.16.* * *Ioan.1.* * *Philip.2.* * *Rom.1.*

*Sacramentum,* inquit, * *hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Quis enim non agnoſcat Chriſtum eo modo reliquiſſe patrem, qui cùm in forma * Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: reliquiſſe etiam matrem Synagogam Iudæorū, veteri Teſtamento carnaliter inhærentem, & adhæſiſſe vxori ſuæ ſanctæ Eccleſiæ, vt pace noui teſtamenti eſſent duo * in carne vna: quia cùm ſit Deus apud Patrem, per quem facti ſumus, factus eſt per carnem particeps noſtri, vt illius capitis corpus eſſe poſſemus. *Tom.6.lib.12.cont.Fauſt.Manich.cap.8.*

* *Epheſ.5.* * *Philip.2.* * *Geneſ.2.*



*In fidelibus coniugatis non tantùm proles & pudicitia, ſed & Sacramētū nuptiarū cōmendatur.*

Quoniam ſanè non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole eſt, nec tantùm pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verùm etiam quoddam Sacramētum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apoſtolus: * *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam:* huius proculdubio Sacramēti res eſt, vt mas & fœmina connubio copulati, quandiu viuunt, inſeparabiliter perſeuerēt, nec liceat excepta cauſa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi, hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, vt viuens cū viuente in æternum nullo diuortio ſeparetur. *Tom.7.de nuptiis & concup.lib.1.cap.10. Lege & cap.21.*

* *Coloſſ.3.*

## *VI. Coniugatos ex mutuo conſenſu laudabiliter vouere caſtitatem, atque in reliquum vitæ tempus à matrimoniali copula ſe continere.*

Beatiora ſanè coniugia iudicanda ſunt, quæ ſiue filiis procreatis, ſiue etiam iſta terrena prole contēpta, continentiam inter ſe pari conſenſu ſeruare potuerint, quod neque contra illud præceptum ſit, quo Dominus dimitti coniugem vetat. Non enim dimittit qui cum ea nō carnaliter, ſed ſpiritualiter viuit, & illud ſeruatur, quod per Apoſtolum dicitur: * Reliquum eſt, vt qui habent vxores quaſi non habentes ſint. *Tom.4. lib.1.de ſerm. Dom. in monte, cap.14.*

* *Marc.10.*
*Nō dimittit coniugē qui cū ea nō carnaliter ſed ſpiritualiter viuit.*
* *1.Cor.7.*

Coniugati viri vel coniugatæ mulieres, ſi ex conſenſu perennem Deo vouerint continentiam, nouerint ſe ſui voti obnoxios detineri: nec iam ſibi debere cōmixtionem carnis, quam primitus licitam habuerunt, ſed Deo ſe debere continentiam, quam vouerunt. Tunc enim vnuſquiſque regnum cœlorum, quod ſanctis promittitur poſſidebit, ſi obliuiſcens quæ retrò ſunt & in anteriora extendens ſeipſum, ſecundùm quod in Pſal. dicitur: * *Vouete & reddite Domino Deo veſtro:* quod ſcit eſſe licitum, & ad profectum melioris vitæ pertinere cognoſcit, & libenter voueat, & celeriter reddat, & in hoc quod votum reddit, meliore ſemper conatu proficiat. Omni enim vouenti Deo & reddenti quod vouit, ipſe quoque ei reddet cœleſtis regni præ-

*Coniugati continentiā quā ex conſenſu perennem vouerunt, Deo reddere tenētur.*
* *Pſal.75.*

mia quæ promiſit. *Tom.3.de fide ad Petrum, cap.3.*

*Gratulatur Auguſtinus coniugibus, quòd mutuo cōſenſu caſtitatem Deo vouiſſent.*

Ruferius affinis veſter retulit mihi quid Domino vouerítis: qua eius narratione hilaratus, & ibidē metuens, ne aliud ſuadeat ille tentator, qui bonis talibus antiquitus inuidet, exhortandam paucis credidi charitatem tuam Domine eximie, meritóque honorabilis, & deſiderabilis fili, vt cogites quod in diuinis eloquiis legitur: * *Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: atque arripias, curéſque reddendum, quod ei te vouiſſe noſti, qui & debita exigit, & promiſſa perſoluit.* Nam & hoc ſcriptum eſt: * *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* Quanquam etſi non vouiſſes, quid aliud tibi ſuadendum fuit, aut quid melius ab homine fieri poteſt, quàm vt ei ſe reſtituat, à quo inſtitutus eſt: præſertim quia charitatis ergà nos Dei tantum apparuit atque eluxit indicium, vt filium ſuum vnigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur? *Et infrà.* Reddite igitur quod vouiſtis, quia vos ipſi eſtis, & ei vos redditis à quo eſtis, reddite obſecro. Neque enim quod redditis reddendo minuetur, ſed potius ſeruabitur & augebitur. Benignus enim exactor eſt, non egenus: & qui nō creſcit ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores. Huic ergo quod non redditur perditur: quod autem redditur, reddenti additur: imò verò in eo cui redditur, ipſe reddens ſeruatur. Idipſum quippe erit redditum, & redditor, quia idipſum erat debitum & debitor. Deo namque ſeipſum debet homo, eíque reddendus eſt vt beatus ſit, à quo accepit vt ſit. Hoc ſignificat quod in Euangelio Dominus ait: * *Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt.* Hoc enim dixit cùm ſibi demonſtrato nummo & quæſito cuius haberet imaginem, reſponſum eſſet, Cæſaris: vt hinc intelligerent quòd Deus exigeret ab homine imaginem ſuam in homine ipſo, ſicut Cæſar ſuam exigebat in nūmo. Quantò magis ergo reddenda eſt cùm promittitur, cui etiā non promiſſa debetur? Quapropter chariſſime poſſem quidem pro mea quantulacunque facultate ſancti propoſiti quòd Deo vouiſſe vos comperi, vberius laudare fructum &c. *Et paulò pòſt.* Poſſim etiam prom odulo meo eoſdem ipſos pertinentes ad dexteram regnúm-

* Eccle. 5.

* *Pſalm.75.*

*Matt.22. *Marc.12.*



que cœlorum in ſuis gradibus meritiſque diſtinguere, atque oſtendere quo differat vita coniugalis filios procreantium, patrum matrúmque familias, veruntamen religioſorum ac pioru͂, ab ea vita quam vos Deo vouiſtis, ſi nunc ad eam vouendam exhortandus eſſes: ſed quia iam vouiſti, iam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet. Priuſquam eſſes voti reus, liberum fuit quò eſſes inferior: Quanuis non ſit gratulanda libertas, qua fit vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris ſi non feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes ſi nihil tale vouiſſes: Minor enim tunc eſſes, non peior. Modò autem tantò (quod abſit) miſerior, ſi fidem Deo fregeris, quantò beatior ſi perſolueris. Nec ideò te vouiſſe pœniteat, immò gaude iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipſe adiuuabit, qui vota tua expetit. Fœlix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit. Vna ſola eſſe cauſa poſſet, qua te id quod vouiſti, non ſolùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere, ſi fortè tua coniunx hoc tecum ſuſcipere, animi ſeu carnis infirmitate recuſaret. Nam & vouenda talia non ſunt à coniugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi. Et ſi præproperè factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quàm perſoluenda promiſſio. Neque enim Deus exigit ſi quis ex alieno aliquid vouerit, ſed potius vſurpare vetat alienum. Diuina quippè de hac re per Apoſtolu͂ eſt prolata ſentētia: * *Vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier.* Sexum nomine corporis nuncupauit. Sed cùm illam tam paratam eſſe audio Deo dicare continentiam, vt eo ſolo impediatur, ſi tibi debitum reddere coniugali iure compellitur: ambo Deo reddite, quod ambo vouiſtis, vt illi perſoluatur quod ab alterutro non exigitis. Si continentia virtus eſt, ſicut eſt, cur ad eam ſit promptior ſexus infirmior, cùm virtus à viro

*Diſtinguūtur in cœlo gradibus & meritis electi Dei.*

*Qui caſtitatem Deo vouit, ei aliud facere non licet.*

*Magna iniquitas eſt, promiſſam Deo caſtitatem nō reddere.*

*A coniugatis nō vouēda cōtinētia, niſi ex conſenſu & voluntate communi.*

* 1. Cor.7.

potius cognominata videatur, ſicut ſimilitudo vocabuli reſonat? Noli ergo vir abhorrere à virtute, quam mulier eſt parata ſuſcipere: ſit veſter conſenſus oblatio ad ſupernum altare creatoris: & victa concupiſcentia tantò fortius quantò ſanctius vinculum caritatis. Gaudeamus de vobis in abundanti gratia Chriſti Domini, eximij meritóque honorabiles & deſiderabiles filij. *Tom. 2. epiſt. 45. ad Armentarium eiuſque vxorem.*

*Continẽtiæ Deo cõſecratæ, maior merces quàm caſtitatis coniugalis.*

Continentes vel mares, qui defunctis vxoribus, vel fœminæ quæ defunctis viris, vel vtrique, qui pari conſenſu continentiam Deo vouerunt, ſciant ſibi quidem mercedis amplius deberi, quàm coniugalis caſtitas poſcit*. *Tom. 6. de bono coniug. cap. 25.*

* aliâs poſſit.

Quanto meliores ſunt (*coniuges*) tanto maturius à cõmixtione carnis ſuæ pari conſenſu ſe continere cœperunt: non vt neceſſitatis eſſet poſtea non poſſe quod vellẽt, ſed vt laudis potius* eſſet noluiſſe quod poſſent. *Ibidem, cap. 3.*

* aliâs primum.

## *VII. Si ſeparentur coniuges propter fornicationem, neutri licere, etiam innocenti, quandiu alter ſit ſuperſtes, alteri matrimonio copulari.*

AVdite cariſſimi membra Chriſti, & matris Catholicæ filij: quod dico competentibus & fidelibus, audiant pœnitentes, quod dico fidelibus, dico & competentibus & pœnitentibus, audiant Catechumeni, audiant omnes, omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi in conſolationem veſter auditus, ne ſit vobis in teſtimonium dolor meus. Competentibus dico: Fornicari vobis non licebit. Sufficiant vobis vxores, aut nec vxores. Concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, ſi vos ſurdi eſtis: audiant angeli eius, ſi vos contemnitis, Concubinas vobis habere non licet. Si audiant competentes, quod dico fidelibus, non habetis vxores, non licet vobis habere concubinas, quas poſtea ducatis vxores, quãtò magis damnatio vobis erit, ſi habere volueritis & cõcubinas, & vxores dimittatis. Non vobis licet habere vxores, quarum priores mariti viuũt: nec vobis fœminæ habere viros licet, quorum priores

*Cõcubinam habere nõ licet, etiã animo ducendi eam vxorem.*

*Iure diuino prohibetur cõiugium, cum viro vel muliere, cuius cõiunx ſuperſtes eſt.*



vxores viuunt. Adulterina ſunt iſta coniugia, non iure fori, ſed iure cœli. Nec eam fœminam, quæ per repudium diſceſſit à marito, licet vobis ducere viuo marito. Solius fornicationis* cauſa licet vxorem adulteram dimittere, ſed illa viuente non licet alteram ducere. Et vobis fœminæ nec illos viros, à quibus per repudium diſceſſerunt vxores eorum, maritos habere conceditur. Non licet, adulteria ſunt, non coniugia: contemnitur Auguſtinus, timeatur vel Chriſtus. *Tom. 10. lib. quinquaginta homiliarum, homilia 49.*

*Cũ adultera cõiuge diuortiũ facere licet, ducere alterã, illa viuẽte, nõ licet.*

* Matth. 5.

Mulier ſub viro, viuo marito, iuncta* eſt legi: & viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, quoniam mulier alligata eſt, quãdiu vir eius viuit. Vnde ſi vxor* dimiſerit virum ſuum & alij nupſerit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro duxerit, mœchatur. Ideóque ex eodem præcepto Domini, & vir vxorem non dimittat, quoniam qui dimiſerit vxorem ſuam præter cauſam fornicationis,* facit eam mœchari: ſed ſi propter hanc cauſam dimiſerit, etiam ipſe ſic maneat. Omnis enim qui dimittit vxorem ſuam & ducit alteram mœchatur. Hæc conſtituta Domini ſine vlla retractatione ſeruanda ſunt. *Tom. 6. de adulterinis coniug. lib. 1. cap. 21. & 22.*

* 1. Cor. 7.
* Mar. 10.
* Matth. 5.

*Vir dimiſſa propter fornicationẽ vxore, aliã ducere non debet.*

Miror autem ſi quemadmodum licet dimittere adulteram vxorem, ita liceat ea dimiſſa alteram ducere. Facit enim de hac re ſancta Scriptura difficilem nodum, dicente Apoſtolo,* ex præcepto Domini mulierem à viro nõ debere diſcedere, quod ſi deceſſerit manere innuptam aut viro ſuo reconciliari: cùm recedere vtique & manere innupta niſi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo, qui adulter non eſt, faciat eum mœchari: reconciliari autem viro vel tolerando, ſi ſeipſa continere non poteſt, vel correcto forſitan iuſtè poteſt. Quomodo autem viro poſſit eſſe licentia ducendæ alterius, ſi adulteram reliquerit, cum mulieri non ſit nubendi alteri, ſi adulterum reliquerit, non video. *Tom. 6. de bono coniugali, cap. 7.*

*1. Cor. 7.

*Sicut mulier à viro diſcedens innupta manere debet, ex Apoſtoli ſententia, ita & vir vxore dimiſſa nõ poteſt ea viuẽte alterã ducere.*

Sed cõſulamus Apoſtolum, ne quid temerè dicamus: iis qui ſunt in coniugio, inquit,* præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſ-

* 1. Cor. 7.

*Par eſt viri et vxoris ra-*

*tio in diuortio faciendo, atq; in obligatione nouum matrimoniũ non contrahendi.*

ſerit, manere innuptam, aut viro ſuo recõciliari. Poteſt enim fieri, vt diſcedat ea cauſa, qua Dominus permiſit. Aut ſi fœminæ licet virum dimittere, etiam præter cauſam fornicationis, & non licet viro, quid reſpondebimus de hoc, quod dixit poſterius, Et vir vxorem ne dimittat? Quare non addidit, excepta cauſa fornicationis: quod Dominus permittit? Niſi quia ſimilem formam vult intelligi, vt ſi dimiſerit, quod cauſa fornicationis permittitur, maneat ſine vxore, aut reconcilietur vxori. Non enim malè reconciliaretur vir illi mulieri, * quam cùm lapidare nemo auſus eſſet, dicit ei Dominus, Vade & vide deinceps, ne pecces. *Tom.4. de ſermone Domini in monte, lib.1.cap.26. Lege quæ ibidem ſequuntur.*

* *Ioan.* 8.

*Euãgelica & Apoſtolica eſt diſciplina (.ſ.Mar.10. Luc.16.1. Cor.7) vt ſimpliciter neq; dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito, poſſint alteri cõiungi, quandiu ambo viuunt.*

Placuit vt ſecũdùm Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito, alteri coniungantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendam promulgari. *Concil. Mileuit.cap.17.& Africano, cap.69.*

*Matrimoniũ in Eccleſia ꝑpter ſignificationem inſolubile.*

Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio ſeparetur, cuius Sacramenti tanta obſeruatio eſt in ciuitate Dei noſtri, in monte * ſancto eius, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus cõiugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, vt cùm filiorum procreandorum cauſa vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec ſterilem coniugem fas ſit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit, non lege huius ſeculi, vbi interueniente repudio, ſine crimine conceditur, cum aliis alia copulare connubia, quod etiam ſanctum Moſen * Dominus propter duritiam * cordis illorum Iſraëlitis permiſiſſe teſtatur, ſed lege Euangelij reus eſt adulterij, ſicut etiam illa ſi alteri nupſerit. Et vſque adeò manent inter viuentes ſemel inita iura nuptiarum, vt potius ſint inter ſe coniuges, qui ab alterutro ſeparati ſunt, quàm cum his, quibus aliis adhæſerunt. Cum aliis quippè adulteri non eſſent, niſi ad alterutrum coniuges permanerent. *Tom.7. de nuptiis & concupiſ.lib.1.cap.10.*

* *Pſalm.*47.
* *Deut.*24.
* *Matth.*19.



*Si propterea lege Euangelij neutri coniugum, poſt factum diuortium, licet cum altero matrimonium cõtrahere, quòd ad inuicem permaneant coniuges quandiu ambo viuunt: ergo eadem lege Euãgelij prohibetur maritus, nullo etiam facto diuortio, præter vnam legitimam, vllam aliam vxorem ducere vel habere.*

Quibus conſideratis atque tractatis, ſi cõmunis conditio, commune malum, cõmune periculum, commune vulnus, cõmunis ſalus, fideliter & humiliter cogitetur, non erit turpis neque difficilis, etiam poſt perpetrata atque purgata adulteria, reconciliatio coniugũ, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorũ: non vt poſt viri diuortiũ adultera reuocetur, ſed vt poſt Chriſti conſortium adultera non vocetur. Verũ ecce non fiat, nemo compellit, quia fortè lex aliqua huius ſeculi hoc vetat ſecundùm terrenæ ciuitatis modũ, vbi cogitata non eſt abolitio criminum per ſanguinem ſanctum. Suſcipiatur ergo continentia quam nulla lex prohibet, in aliа non eatur adulteria. Et quid ad nos, ſi nec ſaltem diuina miſeratione mũdata, marito reconcilietur à Deo adultera, dum tamen non reconciliatis adulteris, non alia fiant quaſi connubia, quæ conuincũtur eſſe adulteria? *Mulier enim alligata * eſt, quãdiu vir eius viuit.* Ergo conſequenter & vir alligatus eſt, quãdiu mulier eius viuit. Hæc alligatio facit, vt aliis coniungi ſine adulterina copulatione non poſſint. Vnde, neceſſe eſt, ex duobus coniugibus quatuor adulteros fieri, ſi & illa alteri nupſerit, & ille alteram duxerit. Quanuis enim ſceleratius mœchetur, qui non cauſa fornicationis vxore dimiſſa alterã duxerit: quod genus adulterii commemorauit Matthæus: * tamen non ſolùm ipſe mœchatur, ſed ſicuti eſt apud Marcum: * *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virũ ſuum, & alij nupſerit, mœchatur:* & ſicuti eſt apud Lucam: * *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & ducit alterã, mœchatur: & qui dimiſſam à viro duxerit, mœchatur.* De quibus teſtimoniis iam ſatis libro ſuperiore diſſerui. *Tom.6. de adulterinis coniugiis, lib.2.ca.9. Lege & lib.1.cap.11.& 12.& 22.*

*23.q.1.c. Non erit.*

*Poſt factum diuortiũ inter coniuges, etiã propter alterius adulteriũ, nõ ſolũ qui eſt in culpa, ſed etiam innocẽs ad cõtinẽtiam ſeruandã tenetur: niſi malit alterũ ſibi reconciliare.*

* 1. Cor.7.

*Si vterq; coniunx, inter ques propter adulteriũ factũ eſt diuortiũ, cum altero matrimoniũ cõtrahat, quatuor ſiũt adulteri.*

* *Matth.* 5.
* *Mar.*10.
* *Luc.*16.

### VIII. *Quomodo intelligendum ſit illud Matth. 5. & 19. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam &c.*

** Matth. 5.*

Illud ergo quod Dominus, non quidem in ſermone ipſo qui exponebatur à nobis, ſed tamen alibi ait:* Quicũque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ex cauſa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, ſi hoc modo intelligendum eſt, vt quicunque cauſa fornicationis dimiſerit & aliam duxerit, non mœchetur, non videtur in hac cauſa par forma eſſe mariti & vxoris: quandoquidem mulier etiamſi cauſa fornicationis diſceſſerit à viro, & alij nupſerit, mœchatur: vir autem ſi eadem cauſa vxorem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur. At ſi par forma eſt in vtroque, vterque mœchatur, ſi ſe alteri iunxerit: etiam cùm ſe à fornicante diſiunxerit. Parem verò eſſe formam in hac cauſa viri atque mulieris, ibi oſtendit Apoſtolus, quod ſæpè commemorandum eſt, vbi cùm dixiſſet,* *Vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir:* adiecit atque ait: *ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier.* Cur ergo, inquis, interpoſuit Dominus,* & cauſam fornicationis, & non potius generaliter ait: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur: ſi & ille mœchatus eſt, qui dimiſſa fornicante muliere alteram ducit? Credo, quia illud quod maius eſt, hoc Dominus commemorare voluit. Maius enim adulterium eſſe quis negat, vxore non fornicante dimiſſa, alteram ducere, quàm ſi fornicantem quis dimiſerit, & tunc alterã duxerit: non quia & illud adulterium non eſt, ſed quia minus eſt vbi fornicante dimiſſa, altera ducitur. Nam ſimili locutione vſus etiam Apoſtolus Iacobus ait:* Scienti ergò bonum facere & non facienti, peccatum eſt illi. Nunquid ideo non peccatum eſt illi, qui neſcit bonum facere, & ideo non facit? Vtique peccatum eſt, ſed hoc grauius, ſi etiam ſciat & nõ faciat, nec illud ideo nullum, quia minus. Vt ergò eodem modo vtrũque dicamus, ſicut quicunque dimiſerit* vxorem, excepta cauſa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: ita quicunque ſcit bonum facere & nõ facit, peccat. Sed quemadmodum hîc rectè dici non poteſt: ergo ſi neſcit, non peccat. Sunt enim etiam peccata ignorantiũ, quanuis minora, quàm ſcientium: ita nec illi rectè dici poteſt, ergo ſi cauſa fornicationis dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur. Eſt enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus: ſed vtique minor quàm eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt. Poteſt quippe, ſicut dictum eſt, * ſcienti bonum facere & non facienti peccatum eſt illi, eo modo & illud dici, dimittenti vxorem ſine cauſa fornicationis, & aliam ducenti, mœchatio eſt illi. Quẽadmodum igitur ſi dixerimus: Quicunque mulierem à marito præter cauſam fornicationis dimiſſam duxerit, mœchatur, proculdubio verum dicimus: nec tamen ideò illum, qui propter cauſam fornicationis dimiſſam duxerit, ab hoc crimine abſoluimus, ſed vtroſque mœchos eſſe minimè dubitamus: Ita eum qui præter cauſam fornicationis vxorem dimiſerit, & aliam duxerit, mœchum pronunciamus, nec ideo tamen eum, qui propter cauſam fornicationis dimiſerit, & alteram duxerit, ab huius peccati labe defendimus. Ambos enim, licet alterum altero grauius, mœchos tamen eſſe cognoſcimus. Neque enim quiſquam ita eſt abſurdus, vt mœchum neget eſſe, qui duxerit eam, quam maritus propter cauſam fornicationis abiecit, cùm mœchum dicat eum, qui duxerit eam quæ præter cauſam fornicationis abiecta eſt. Sic ergo iſti ambo ſunt mœchi. Vnde cùm dicimus: Quicunque mulierem præter cauſam fornicationis, à viro dimiſſam duxerit, mœchatur: de vno quidem ipſorũ dicimus, nec tamen ideo mœchari negamus, qui eam duxerit, quam propter cauſam fornicationis maritus dimiſerit. Ita cùm ambo ſint mœchi, & ille ſcilicet, qui dimiſerit vxorem ſuam præter cauſam fornicationis, & aliam duxerit, & ille qui propter cauſam fornicationis vxore dimiſſa ſe alteri copulauerit: profectò quando de vno eorum legimus, non ita intelligere debemus, quaſi ex hoc alter mœchus negatus ſit, quòd alter expreſſus ſit. Sed ſi hoc Euangeliſta Matthæus,* qui expreſſa vna ſpecie alteram tacuit, facit intelligendum difficilè, nunquid non alij generaliter

** 1. Cor. 7.*
** Matth. 19.*

*Interpoſuit Dominus in dimiſsione vxoris, cauſam fornicationis, vt phibito leuiori adulterio, eius ſcilicet qui adulterã dimittit vxorẽ & alterã ducit, intelligatur phiberi quod grauius eſt adulteriũ, nẽpe illius qui nõ propter adulteriũ, ſed alia de cauſa vxorẽ dimittit, & ducit alteram.*

** Iacob. 4.*
** Matth. 5. & 19.*

** Iac. 4.*

*Et qui dimiſſa vxore adultera, & qui dimiſſa non adultera ducit alterã, adulterij reus eſt: ſed illius adulteriũ leuius, huius verò grauius cenſetur.*

** Matth. 5. & 19.*

idipſum ita complexi ſunt,vt de vtroque poſſet intelligi? Nam ſecundùm Marcum ſic ſcriptum eſt:* *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & alteram duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virum ſuum,& alij nupſerit,mœchatur.* Secundum Lucam ſic: * *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Qui ergo nos ſumus, vt dicamus, Eſt qui mœchatur,vxore ſua dimiſſa alteram ducens:& eſt qui hoc faciens non mœchatur,cùm Euãgelium dicat omnem mœchari,qui hoc facit? Proinde ſi quicunque hoc fecerit,vt vxore ſua dimiſſa alterã ducat,mœchatur: ſine dubio ibi ſunt ambo,& qui præter, & qui propter cauſam fornicationis dimittit vxorem. Hoc eſt enim quicunque dimiſerit: hoc eſt,omnis qui dimittit. *Tom.6.de adult.coniugiis,lib.1.cap.8.& 9.*

** Marc.10.*
** Luc.16.*
*Dictũ Chriſti apud Matthæũ, de dimittẽda vxore, quomodo ſit intelligendũ ex verbis ſimilibus apud Marcũ & Lucam, prudẽter Auguſtinus colligit quem vtinam recentes quidã hæretici imitati fuiſſent.*

Sicut enim manente in ſe Sacramento regenerationis excommunicatur qui reus criminis, nec illo Sacramento caret,etiamſi nunquã recõcilietur Deo: ita manente in ſe vinculo fœderis coniugalis, vxor dimittitur ob cauſam fornicationis,nec carebit illo vinculo,etiãſi nunquam reconcilietur viro,carebit autem ſi mortuus fuerit vir eius. Reus verò excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis Sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque, vt ſi ſapere ſecundùm Apoſtolum volumus,non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum,& ideò licere vxori eius alteri nubere. Quãuis enim ſit mors adulterium, non corporis, ſed quod peius eſt,animæ: non tamen de iſta morte loquebatur Apoſtolus cùm diceret: Quod ſi mortuus fuerit vir eius, cui vult nubat: ſed de illa ſola, qua de corpore exitur. Quoniam ſi per coniugis adulterium coniugale ſoluitur vinculum,ſequitur illa peruerſitas,quam cauendam eſſe monſtraui,vt & mulier per impudicitiam ſoluatur hoc vinculo: quæ ſi ſoluitur, libera erit à lege viri. Et ideò, quod inſipientiſſimè dicitur, non erit adultera, cum altero viro ſi fuerit, quia per adulterium liberata eſt à priori viro. Quod ſi ita eſt à veritate deuium, vt nullus id, non dico Chriſtianus, ſed humanus ſenſus admittat, profectò mulier alligata eſt, quandiu vir eius

*Dimiſſa propter adulteriũ vxore, relinquitur vinculũ matrimonij, vſque ad alterius mortem.*

*Ex verbis Apoſtoli Pauli,1.Cor.7. exponit Auguſtinus dictũ Chriſti Matth.5. de dimittenda vxore.*



viuit. Quod vt apertius dicam,quandiu vir eius in corpore eſt. Pari ergo forma & vir alligatus eſt, quandiu mulier eius in corpore eſt. Vnde ſi vult dimittere adulteram, non ducat alteram, ne quod in illa culpat, ipſe committat. Similiter & mulier ſi dimittit adulterum, non ſibi copulet alterum: alligata eſt enim quãdiu vir eius viuit, nec à lege viri niſi mortui liberatur, vt non ſit adultera,ſi fuerit cum alio viro. *Ibidem,lib.2.cap.5.*

### *IX. Diuortium quo ſolueretur matrimonij vinculum ne Iudæis quidem, Auguſtini ſententia, videri conceſſum.*

Dictum eſt autem, * Quicunque dimiſerit vxorem ſuam,det illi libellum repudij.Hæc iuſtitia minor eſt Phariſæorum,cui non eſt contrarium, quod Dominus dicit, Ego autem dico vobis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa facit eam mœchari,& qui ſolutam à viro duxerit mœchatur.Non enim qui præcepit dari libellum repudij,hoc præcepit, vt vxor dimittatur: ſed qui dimiſerit, inquit, det illi libellum repudij:vt iracundiam temerariam proiicientis vxorem,libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæſiuit,ſignificauit quantum potuit duris hominibus, ſe nolle diſſidium. Et ideo ipſe Dominus alio loco de hoc interrogatus ita reſpondit, * *Hoc Moſes propter duritiam cordis veſtri fecit.* Quantumuis enim durus eſſet qui vellet dimittere vxorem, cùm cogitaret libello repudij dato,iam ſine periculo eam poſſe nubere alteri,facilè placaretur. *Tom.4.de ſerm. Domini in monte,lib.1.cap.25.*

** Deut.24. Matth.5. & 19.*

** Matt.19.*
*Vxori nunquã licet,neque licuit,à viro diſcedere, & eo viuente,alteri nubere.*

Itaque ſicut duobus pluribúſue ſeruire, ſic à viro viuo, in alterius tranſire connubium, nec tunc licuit,nec nunc licet, nec vnquam licebit. Apoſtatare quippe ab vno Deo,& ire in alterius adulterinam ſuperſtitionem, ſemper eſt malum. *Tom.6.de bono coniugali,cap.18.*

Cæterùm aliter ſe habere iura gentilium quis ignorat, vbi interpoſito repudio ſine reatu aliquo vltionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit, cui conſuetudini ſimile aliquid propter

*Permiſſio Moſis de libello repudij, exprobratio magis apparet, quã approbatio diuortij.*

** Deut. 24.* ** Heb. 13.*

Iſraëlitarum duritiam, videtur permiſiſſe Moſes * de libello repudij. Qua in re exprobratio diuortij magis apparet, quam approbatio. Honorabiles * ergo nuptiæ in omnibus & thorus immaculatus. *Ibidem, cap.* 8.

** Matth. 5. & 19.* ** Deut. 24.*

*Quo conſilio, permiſſus Iudæis fuerit libellus repudij.*

Nam & illud de vxore non dimittenda, quod Dominus præcepit, * cùm antiquis dictum ſit, * *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij*, ſi diligenter intueamur, videbimus non eſſe contrarium. Expoſuit enim Dominus quid lex voluerit, cùm paſſim dimittenti vxorem, iuſſerit libellum repudij dare. Neque enim ait, Qui voluerit, dimittat vxorem ſuam: cui eſſet contrarium non dimittere, ſed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interpoſuit moram, vt in diſſidium animus præceps, libelli conſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet vxorem dimittere, cogitaret: præſertim quia, vt perhibent, apud Hebræos ſcribere literas Hebræas, nulli fas erat niſi Scribis ſolis, cùm & excellentiorem profiterentur ſapientiam, & ſi qui eorum eſſent æquitate ac pietate præditi, non tantùm profiterentur, verùm etiam ſectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret eſſe prudentes legis interpretes, & iuſtos diſſidij diſſuaſores, lex mittere voluit eum, quem iuſsit libellum repudij dare, ſi dimiſiſſet vxorem. Non enim ei poterat ſcribi libellus, niſi ab ipſis, qui per hanc occaſionem & neceſſitatem venientem quodammodo in manus ſuas bono conſilio regerent: atque inter ipſum & vxorem pacificè agendo, dilectionem concordiámque ſuaderent. *Tom 6. contra Fauſtum, lib. 19. cap. 26.*

*A ſapiētibus tātum legis interpretibus, libellus repudij cur olim conſcriberetur.*

### *X. Extra matrimonium quamcunque viri & mulieris commixtionem, eſſe peccatum.*

VNde tibi facit iniuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua eſt, in domo tua inaniter poſita, ad vanum honorem tuum, nec ſentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nónne in te eſſe contumeliam factam attendis? Cùm verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & per diffluentias libidinis, attendis quia ad nullius vxorem acceſſiſti, attēdis quia poſt vxorem tuam nihil feciſti, quia vxorem non ha-



bes, & non attendis per libidines illicitas fornicationis, cuius imaginem violaſti. Poſtremò Deus qui ſcit quid tibi vtile ſit, qui verè ſic ſuos ſeruos gubernat, ad vtilitatem illorum, non ad ſuam: non enim indiget ſeruis quaſi ad adiutorium, ſed tu indiges Domini auxilio. Ipſe ergo Dominus qui ſcit, quid tibi ſit vtile, vxorem conceſſit, nihil amplius. Hoc iuſſit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod eſſe cœpiſti. Nunquid hoc ego dico? Apoſtolum audite: * *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Videtis quomodo minatur. Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Certè non facis alicui, quod pati non vis. Non eſt ergo quà euadatur. Tenetur ille qui ſe teneri non putabat. *Tom. 9. de decem chordis, cap.* 10.

*Vxor cōceſſa, nihil amplius.*

** 1. Cor. 3.*

Apoſtolum audite, *Tollens*, inquit, * *membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Sed dicit aliquis, Meretrix non eſt quam habeo, concubina mea eſt. ô ſancte Epiſcope meretricem feciſti concubinam meam. Nunquid ego dixi? Apoſtolus clamat, & ego incurri calumniam. Ego volo te eſſe ſanum, quare in me furis ſicut inſanus? Habes vxorem qui hoc dicis? Habeo, inquis, bene, velis nolis, illa quæ præter vxorem tecum dormit, meretrix eſt. Ecce vade, & dic ei quia iniuriam tibi fecit Epiſcopus. Habes vxorem legitimam tuam, & alia tecum dormit, quæcunque eſt illa, iam dixi meretrix eſt. Sed ſeruat tibi vxor tua fidem, nec nouit alium niſi te ſolum, & non diſpoſuit ſe noſſe alterum. Cùm ergo illa ſit caſta, tu quare fornicaris? Si illa te vnum, quare tu duas? Sed dicis, ancilla mea, concubina mea eſt, nunquid ad vxorem alienam vado? Nunquid ad meretricem vado publicam? an non licet mihi facere in domo mea quæ volo? Dico tibi, non licet. In gehennam vadunt, qui hoc faciunt, in ſempiternum ignem ardebūt. *Tom. 10. de tempore, Serm. 164.*

** 1. Cor. 6.*

*Præter vxorē, quæuis alia cōcubina meretrix eſt.*

*Cōcubinarij ad gehēnam damnantur.*

Illicitum amorem cauete, membra Chriſti eſtis, & corpus Chriſti eſtis. Audite Apoſtolum & terremini. Non potuit enim grauius dicere, non potuit vehementius, non potuit acriùs deterrere Chriſtianos ab amore

* 1. Cor. 6.

fornicationum, niſi vbi dixit,* *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Vt autem hoc diceret ſuperius ait, Neſcitis quia qui adhæret meretrici vnum corpus eſt? Et teſtimonium de Scriptura dedit quod ſcriptum eſt,* *Erunt duo in carne vna.* Dictum eſt enim hoc diuinitus, ſed de viro & vxore, vbi licet, vbi conceſſum eſt, vbi honeſtum eſt, non vbi turpe, non vbi illicitum, non vbi ratione damnabile. Sicut autem vna fit caro in permixtione licita viri & vxoris, ſic vna fit caro in permixtione illicita meretricis & amatoris. Cum ergo vna fit caro, illud te terreat, illud exhorreat quod addidit, Tollens ergo membra Chriſti. Membra Chriſti, Chriſtiane attende. Membra Chriſti noli in altero, in te attende membra Chriſti, qui emptus es ſanguine Chriſti. *Tollens ergo* * *membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Hoc qui nõ horret, Deo horret. Prorſus prorſus obſecro vos fratres mei: Ecce ponamus, quod non eſt, promiſiſſe Deum talibus impunitatem, & dixiſſe, Qui talia fecerint, miſerebor eorum, non eos damnabo: Faciamus hoc dixiſſe Deum. Etiam promiſſa impunitate tollit quiſque membra Chriſti, & facit ea mẽbra meretricis? Non facit ſi eſt ibi tertia diuina dilectio. Etenim tres dilectiones commemoraui, de tribus me quod Dominus daret dicturum eſſe promiſi. De licita humana, de illicita humana, de illa excellenti atque diuina. Interrogemus diuinam caritatem, & ponamus ante illam duas humanas caritates, & dicamus ei, Ecce licita caritas humana, qua vxor diligitur & filij, aliæque neceſſitudines ſeculares: Ecce alia illicita qua diligitur meretrix, qua diligitur ancilla aliena, qua diligitur aliena filia, non petita, non promiſſa, qua diligitur vxor aliena. Duæ ante te ſunt caritates, cum qua iſtarum vis manere? Qui eligit manere cum illa humana licita, cum illa humana illicita non manet. Nemo ſibi dicat, ambas habeo. Si ambas habes admittendo ad te dilectionem meretricis, iniuriam facis matronæ & quæ ibi habitat diuinæ caritati. Puto enim quia ſi homo coniugatus es & diligas meretricem, non mittis meretricem in domum tuã, vt habitet cum matrona tua. Non vſque adeò progrederis: Tenebras quæris,

* Geneſ. 2.

*Illicitè cõcũbentes etiam fiunt vna caro, ſed re, non iure.*

* 1. Cor. 6.

*Horrendum eſt, membrũ Chriſti facere membrum meretricis.*



latebras quæris, turpitudinem non profiteris. *Tom. 10. ſerm. 52. de tempore.*

Lubricos & inhoneſtos amores attendite. Si quis amore fœminæ laſciuus & nequam, veſtit ſe aliter quàm illi placet, veſtit ſe aliter quàm amatæ ſuæ placet, aut ornat ſe aliter quàm illi placet, & illa dixerit, nolo te habere tale byrrhum, non habet: ſi per hyemem illi dicat, in lacerna te amo, elegit tremere quàm diſplicere. Nunquid illa cui diſplicet damnatura eſt? Nunquid in carcerem miſſura? Nunquid tortores adhibitura? Hoc ſolum ibi timetur, non te videbo, hoc ſolum ibi contremiſcitur, faciem meam non videbis. Si hoc impudica dicit & terret, Deus dicit & non terret? Sanè plurimum, ſed & ſi amamus. Si autem non amamus, non inde terremur, ſed terremur vt ſerui de igne, de gehenna, de atrociſſimis tartareis minis, de exaggeratiſſimis Diaboli angelis, eiúſque ſupplicijs, vel inde terreamur. Si illud minus amamus, vel illa timeamus: non ergo fiant fornicationes. *Templum* * *Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.* Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. Licita ſunt matrimonia, nihil amplius requiratis. *Tom. 10. de verbis Apoſt. ſerm. 18.*

*Amor Dei, perfecti timoris cauſa.*

* 1. Cor. 3.

*Licita ſunt matrimonia, nihil ampliꝰ requirẽdum.*

Cubilia & impudicitiæ tam magnum crimen putantur, vt nemo dignus non modò Eccleſiaſtico miniſterio, ſed ipſa etiam Sacramentorum communione videatur, qui ſe iſto peccato maculauit. Et rectè omnino. *Tom. 2. epiſt. 64. ad Aurelium.*

## *XI. Vagum concubitum deteſtandum eſſe.*

Hic (*Simon magus*) magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem deteſtandam turpitudinẽ, indifferenter vtendi fœminis. *Tom. 6. lib. de hæreſibus ad Quod vult Deum, hæreſ. 1.*

*Faciunt hæc contra obſcenos quoſdam huius temporis hæreticos.*

Saturniniani, à quodam Saturnino, qui turpitudinem Symonianam in Syria confirmaſſe perhibetur. *Ibidem, hæreſ. 3*

Nicolaitæ, à Nicolao nominati ſunt, vno, vt perhibetur, ex illis ſeptem, quos Apoſtoli Diaconos ordinauerant. Iſte cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi ſe cauſa permiſiſſe fertur, vt ea qui

vellet vteretur. Quod eius factum in ſectã turpiſſimam verſum eſt, qua placet vſus indifferens fœminarum. *Ibidem, hæreſ. 5. Vide proximam hæreſim Gnoſticorum.*

## XII. *Abſque carnali copula verum matrimonium conſtare poſſe.*

* *Matth. 1.*

EXequitur ergo humanam generationem Chriſti Matthæus, *ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt IESVS. Neque enim fas erat, vt ob hoc eum à coniugio Mariæ ſeparandum putaret, quòd non ex eius concubitu, ſed virgo peperit Chriſtum. Hoc enim exẽplo magnificè inſinuatur fidelibus cõiugatis, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere vocarique coniugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu: præſertim quia naſci eis etiam filius potuit ſine vllo complexu carnali, qui propter ſolos gignendos filios adhibendus eſt. *Et paulo poſt.* Quid ad illud reſpondebit, quod ipſe item Lucas ſuperius dixit,* *Et erant pater eius & mater mirantes ſuper eis, quæ dicebantur de illo?* Cùm igitur ipſe narret, non ex concubitu Ioſeph, ſed ex Maria virgine natum Chriſtum, vnde eum patrem eius appellat, niſi quia & virum Mariæ rectè intelligimus ſine commixtione carnis, ipſa copulatione coniugij: & ob hoc etiam Chriſti patrem multò coniunctius qui ex eius coniuge natus ſit, quàm ſi ei eſſet aliunde adoptatus? Vnde manifeſtum eſt illud, quod ait,* *Vt putabatur filius Ioſeph*: propter illos dixiſſe, qui eum ex Ioſeph, ſicut alij homines naſcuntur, natum arbitrantur. *Tom. 4. de conſen. Euangeliſt. lib. 2. cap. 1.*

*Mutuo cõſenſu ſeruata cõtinentia, permanet inter virum et mulierem coniugium.*

* *Luc. 2.*

* *Luc. 3.*

* *Matth. 1.*

Cum vnus idémque narrator* vtrunque dicat, vtrunque commendet, & virum Mariæ Ioſeph, & Chriſti virginem matrem, & Chriſtum ex ſemine Dauid, & Ioſeph in ſerie progeneratorum Chriſti ex Dauid, quid reſtat vt credat, qui vult diuino Euangelio, quàm hæreticorum fabulis credere, niſi & Mariam non fuiſſe extraneã à cognatione Dauid, & eam Ioſeph coniugem non fruſtrà appellatam, propter ordinem ſexus, & animorum confœderationem, quamuis ei non fuerit carne cõmix-



tus: & Ioſeph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuiſſe ſeparandum, ne hoc ipſo videretur ab illa fœmina ſeparatus, cui eum coniungebat mentis affectus: & ne homines fideles Chriſti, id quod ſibi coniuges carne miſcentur, tam magnum in coniugio deputarent, vt ſine hoc coniuges eſſe non crederent: ſed potius dicerent fidelia coniugia, multò familiarius ſe adhærere membris Chriſti, quantò potuiſſent imitari parentes Chriſti. *Tom. 6. con. Fauſtum, lib. 23. cap. 8.*

*Cõiuges fideles, quò continentiores, eò ſunt Chriſto magis familiares.*

Quibus placuit ex conſenſu, ab vſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit vt inter illos vinculum coniugale rumpatur, imò firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius, concordiúſque ſeruanda ſunt, non voluptariis corporum nexibus, ſed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum eſt ad Ioſeph,* *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Coniunx vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat cõiugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis permixtio. Erat quippe illa virgo, ideo & ſanctius & mirabilius iocunda ſuo viro, quia etiam fœcunda ſine viro, prole diſpar, fide compar. Propter quod fidele coniugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, & non ſolùm illa mater, verùm etiam ille Pater eius, ſicut coniunx matris eius, vtrunque mente, non carne. *Et paulò poſt.* Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramẽtum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Ieſum: Fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum diuortium. *Tom. 7. de nuptiis & concupiſc. lib. 1. ca. 11. Eadem aliquanto fuſius proſequitur contra Iulianum Pela. lib. 5. cap. 9.*

*Perpetua continentia, mutuo conſenſu, à coniugibus ſeruata, matrimonium non diſſoluit.*

* *Matth. 1.*

*In parẽtibus Chriſti omne bonũ nuptiarum fuit.*

Bonum ergo cõiugij, quod etiam Dominus in Euangelio* confirmauit, non ſolùm quia prohibuit dimittere vxorem, niſi cauſa fornicationis, ſed etiam quia venit inuitatus * ad nuptias, cur ſit bonum meritò quæritur. Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem; ſed propter ipſam etiam naturalem in

* *Matth. 5. & 19.*

* *Ioan. 2.*

diuerſo ſexu ſocietatem : Alioquin non iam diceretur coniugium in ſenſibus, præſertim ſi vel amiſiſſent filios vel minimè genuiſſent: Nunc verò in bono licet annoſo coniugio, etſi emarcuit ardor ætatis inter maſculum & fœminam, viget tamē ordo charitatis inter maritum & vxorem : quia quantò meliores ſunt, tantò maturius à commixtione carnis ſuæ, pari conſenſu ſe continere cœperūt, non vt neceſſitatis eſſet poſtea nō poſſe quod vellent, ſed vt laudis eſſet primùm noluiſſe quòd poſſent. Si ergo ſeruatur fides honoris, & obſequiorum inuicem debitorum ab alterutro ſexu etiamſi langueſcentibus & propè cadauerinis vtriuſque membris, animorum tamen ritè coniugatorum tantò ſyncerior, quantò probatior: & tantò ſecurior, quantò placidior caſtitas perſeuerat. *Tom. 7. de bono coniugali, cap. 3.*

*Inter ſenes poteſt eſſe abſque cōcubitu verum coniugium.*

*Cōiuges quātò meliores ſunt, tantò maturius, mutuo conſenſu, ſeſe continere incipiunt.*

## *XIII. Certos conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui impediant matrimonium, rectè ab Eccleſia conſtitutos eſſe.*

*15. q. 1. c. Coniungitur.*

CVm genus humanum poſt primam copulam viri facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere, marium fœminarúmque coniunctione opus haberet, vt gignendo multiplicaretur : nec eſſent vlli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri ſorores ſuas coniuges acceperunt : quod profectò quantò eſt antiquius compellente neceſſitate, tantò poſtea factum eſt damnabilius, religione prohibente. Habita eſt enim rectiſſima ratio charitatis, vt homines quibus eſſet vtilis atque honeſta cōcordia diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos : ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam, plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & ſocer duarum ſunt neceſſitudinum nomina. Vt ergo alium quiſque habeat patrem, alium ſocerum, numeroſius ſe charitas porrigit. Vtrunque autem vnus Adam eſſe cogebatur, & filiis & filiabus ſuis, quando fratres ſororéſque connubio iungebantur. Sic & Eua vxor eius vtrique ſexui filiorum, fuit & ſocrus & mater. Quæ ſi duæ fœminæ fuiſſent, mater

*In perſonis matrimonio iungēdis, habenda ratio graduum cognationis, vt charitas & amicitia latius propagetur.*



altera, & ſocrus altera, copioſius ſe ſocialis dilectio colligaret. Ipſa denique iam ſoror, quod etiam vxor fiebat, duas tenebat vnà neceſſitudines: quibus per ſingulas diſtributis, vt altera eſſet ſoror, altera vxor, hominū numero ſocialis propinquitas augeretur. Sed hoc vnde fieret tunc non erat, quando niſi fratres & ſorores ex illis duobus primis nulli homines erant. Fieri ergo debuit, quando potuit, vt exiſtente copia inde ducerentur vxores, quæ non erant iam ſorores. Et non ſolùm iſtud vt fieret nulla neceſſitas eſſet, verùm etiā ſi fieret, nefas eſſet. *Tom. quinto de Ciuitate Dei, lib. decimoquinto cap. 16.*

Nam & ſi nepotes primorum hominum, qui iam cōſobrinas poterant accipere, coniuges ſororibus matrimonio iungerentur: non iam duæ, ſed tres in homine vno neceſſitudines fierent, quæ propter charitatem numeroſiore propinquitate nectendam, diſſeminari per ſingulos ſingulæ debuerunt. Eſſet enim vnus homo filiis ſuis, fratri ſcilicet ſororíque coniugibus, & pater & ſocer & auunculus : ita & vxor eius, eiſdem coniugibus filiis * & mater, & amita, & ſocrus. Idémque inter ſe filij eorum, non ſolùm eſſent fratres atque coniuges, verùm etiam conſobrini : quia & fratrum filij. Omnes autem iſtæ neceſſitudines, quæ vni homini tres homines connectebant, nouem connecterent, ſi eſſent in ſingulis ſingulæ, vt vnus homo haberet alteram ſororem, alteram vxorem, alteram conſobrinam, alterum patrem, alterum auunculum, alterum ſocerum, alteram matrem, alteram amitam, alteram ſocrum: atque ita ſe non in paucitate coarctatum, ſed latius atque numeroſius propinquitatibus crebris vinculum ſociale diffunderet. Quod humano genere creſcente & multiplicato, etiam inter impios Deorum multorum falſorúmque cultores ſic obſeruari cernimus: vt etiā ſi peruerſis legibus permittantur fraterna coniugia, melior tamen cōſuetudo ipſam malit exhorrere licentiā. Et cùm ſorores accipere in matrimoniū primis humani generis tēporibus omnino licuerit, ſic auerſetur, quaſi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim ſenſum vel alliciendum vel offendēdū mos valet plurimū. Qui cùm in hac cauſa immoderationem concupiſcen-

* *aliâs* communibus filiis.

*Peruerſæ leges Ethnicorum, quæ permittebāt ſorores in matrimoniū ducere*

*Mos vel conſuetudo humana effecit, vt conſobrinæ in matrimonium non ducerētur, etiam quando per leges id fieri licebat.*

tiæ coërceat, eū deſignari atque corrumpi meritò eſſe nefarium iudicatur. Si enim iniquum eſt auiditate poſſidendi tranſgredi limitem agrorum, quantò eſt iniquius libidine concumbendi, ſubuertere limitem morum? Experti autem ſumus in connubiis conſobrinarū etiam noſtris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Verūtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti: & quod fiebat cum conſobrina, penè cum ſorore fieri videbatur: quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & penè germani ſunt. *Ibidem.*

*Si ducere cōſobrinam in matrimoniū nunc non licet: ergo in aliquo gradu cognationis nūc prohibentur cōiugia, in quo Leuit. 18. nō fuere prohibita.*

Vnde iam pleno hominibus orbe terrarum, nō quidem ſorores ex patre vel matre, vel ex ambobus ſuis parentibus natas, ſed tamen amabāt de ſuo genere ducere vxores. Veruntamen quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe cōiugia: non ſolùm ſecundùm ea, quæ diſputauimus propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſſitudines vna perſona, cùm duæ eas poſſint habere, & numerus propinquitatis augeri: ſed etiam quia neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, vt cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamuis generatricem, tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam coniugalem. *Ibidem.*

*In contrahēdis matrimoniis habenda ratio certorū graduum cognationis, tū propter amicitias & affinitates multiplicandas, tum propter verecūdiam vel laudabilem pudorem naturæ.*

*Vide in eandem ſententiam. Tom. 4. quæſt. in Leuit. 58. & deinceps: Dummodò ne exiſtimes, omnes qui in Leuitico prohibiti fuerunt gradus eſſe hoc tempore iure diuino prohibitos: vt quidam recentes hæretici docuerunt, Iudaiſmum, vt apparet, reuocantes.*

## *XIIII. In matrimonij vſu ſpectandum eſſe finem propagandæ prolis.*

*Qui matrimonio iunguntur, non cauſa prolis, ſed libidinis, tabulas fallunt matrimoniales.*

CÆterùm qui vxoris carnē amplius appetit, quàm præſcribit illi limes liberorum procreandorum cauſa, tabulas matrimoniales fallit, quibus eam duxit



vxorem. Ad hoc enim recitantur tabulæ in conſpectu aſtantium, & ad hoc dantur & accipiuntur vxores, liberorum procreandorum cauſa. Nullus ſana fronte dat filiam ſuam libidini alienæ. Ideo vt non erubeſcāt parentes, recitantur tabulæ, vt ſint ſoceri, non lenones. Cùm ergo recitantur tabulæ, tergitur frons eius atque ſeruatur, & ſpecies viri accipientis vxorem non erubeſcit. Erubeſceret maritus aliter accipere, ſi erubeſceret pater aliter dare. Et ſi exigunt vltra debitum, infirmitatem ſuam in ſe conſolentur. Non eat ille ad alteram, & illa ad alterum: inde appellatum eſt adulteriū, quaſi ad alterum. Et ſi egrediuntur metas matrimonialis pacti, non egrediantur metas coniugalis thori. Sed nunquid hoc non eſt peccatum, amplius quàm liberorum procreandorum neceſſitas cogit, exigere à coniuge debitum? Eſt quidem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus cùm de hac re loqueretur, *Nolite*, inquit, * *fraudare inuicem &c.* Et ſtatim ſubiunxit: Hoc autem dico ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium: nam vellem omnes homines eſſe ſicut meipſum. *In tract. de concord. Matthæi & Lucæ in generatione Chriſti. Citatur in Milleloquio, verbo Vxor. Meminit Poſsidonius in indiculo huius tract.*

*Adulterij nomen vnde.*

* 1. Cor. 7.

Si quis diligit vxorem ſuam, ſi ſecundùm Chriſtum, quis ei dubitet in fundamento eſſe Chriſtum? Si verò ſecundùm hoc ſeculum, ſi carnaliter, ſi in morbo concupiſcentiarum, ſicut & gentes * quæ ignorant Deum, etiam hoc ſecundùm veniam concedit Apoſtolus, imò per Apoſtolum Chriſtus. Poteſt ergo & iſte habere in fundamento Chriſtum. Si enim nihil ei talis affectionis voluptatiſque præponat, quamuis ſuperædificet *ligna, fœnum, ſtipulam, Chriſtus eſt fundamentum, propter hoc ſaluus erit per ignem. Delicias quippe huiuſmodi ⁎ amoréſque terrenos, propter coniugalē quidē copulam non damnabiles, tribulationis ignis exuret. *Tom. 5. lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 26.*

* 1. Theſſ. 4.

*Niſi actus coniugalis aliquando peccatum eſſet, nec expiaretur igne, nec illi Apoſtolus veniā daret.*

* 1. Cor. 3.

⁎ *aliâs* huius mundi.

Conſiderandum eſt, quia conſequens præceptū, quod eſt, Non mœchaberis, ita violatis, (*alloquitur Manichæos*) vt hoc maximè in coniugio deteſtemini, quod filii procreantur: ac ſic auditores veſtros, dum cauent ne

fœminæ quibus miſcentur concipiant, etiam vxorum adulteros faciatis. Ducunt enim eas ex lege matrimonii, tabulis proclamantibus, liberorum procreandorũ cauſa: ex veſtra lege metuentes, ne particulam Dei ſui, ſordibus carnis afficiant, ad explendam tantùm libidinem fœminis impudica cõiunctione miſcentur. Filios autem inuiti ſuſcipiunt, propter quod ſolum coniugia copulanda ſunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quod de te tantò antè prædixit Apoſtolus,* quando id conaris auferre de nuptiis, vnde ſunt nuptiæ? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores, meretrices vxores, thalami fornices, ſoceri lenones. *To.6. lib.15. cont. Fauſtum, cap.7.*

*Manichæi fœminis miſcebantur, ad explendã tantùm libidinem.*

** 1.Tim.4.*

Veruntamen à vobis ex veſtri erroris ſacrilega vanitate, quæro, cur diſpliceat dimittere vxorem, quam non ad matrimonii fidem, ſed ad concupiſcentiæ crimen habendam eſſe cenſetis? Matrimonium quippe ex hoc appellatum eſt, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm vt mater fiat, quod vobis odioſum eſt. *Ibidem, lib.19. cap.26.*

*Matrimonium vnde dictum.*

Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge, propter fidem thori venialem habet culpam: adulterium verò ſiue fornicatio lethalẽ habet culpã: Ac per hoc melior eſt quidem ab omni cõcubitu continentia, quàm vel ipſe matrimonialis concubitus, qui fit cauſa gignendi. *Tom.6. de bono coniugali, cap.6. Vide & cap.17.*

*Adulterium ſiue fornicatio letalem habet culpã.*

Cum culpabilis non ſit generandi intentione cõcubitus, qui propriè nuptiis imputandus eſt, quid ſecundùm veniam concedit Apoſtolus, niſi quòd coniuges, dum ſe nõ continent, debitũ ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe. Neque enim etiam iſte concubitus, quo ſeruitur concupiſcentiæ ſic agitur, vt impediatur fœtus quem poſtulant nuptiæ. Sed tamen aliud eſt, non concumbere, niſi ſola

*1.Cor.7.*



voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, ſed non præter coniugem, quod venialem habet culpam. Quia etſi non cauſa propagandæ prolis concumbitur, nec tamen huius libidinis cauſa, propagationi prolis obſiſtitur, ſiue voto malo, ſiue opere malo. Nam qui hoc faciunt, quanuis vocentur coniuges, non ſunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudini oſtendunt. Produntur autẽ quando eo vſque progrediuntur, vt exponant filios, qui naſcuntur inuitis. Oderũt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebãt. Itaque cùm in ſuos ſæuit, quos nolens genuit tenebroſa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifeſta crudelitate conuincitur. Aliquando eouſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitas venena procuret, & ſi nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando intra viſcera extinguat ac fundat, volendo ſuam prolem prius interire quàm viuere: aut ſi in vtero iam viuebat, occidit antequam naſcatur. Prorſus ſi ambo tales ſunt, coniuges non ſunt. Et ſi ab initio tales fuerunt, non ſibi per connubium, ſed per ſtuprum potius conuenerunt. Si autem non ambo ſunt tales, audeo dicere, aut illa eſt quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter vxoris. *Tom.7. de nupt. & concup. lib.1. cap.14. & 15. Vide Tom.1. de moribus Manich. cap. 18. & Tom.3. in Enchirid. cap.78. Tom.6. de adulter. coniug. lib.2. cap.12. Tom.10. lib.50. homil. hom.50.*

# FINIS LIBRI TERTII.

# CONFESSIONIS AVGVSTINIANÆ LIBER QVARTVS IN decem Capita diſtributus.

## CAPVT PRIMVM DE Purgatorio.

### *I. Animas poſteaquam è corpore migrarint, per particulare iudicium ad varia loca deſtinari.*

*Animæ cùm de corporibꝰ exeunt, iudicantur.*

NAM ILLVD quod rectiſſimè & valde ſalubriter credit (*Vincentius quidam*) iudicari animas cùm de corporibus exierint antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, atque in ipſa qua hîc vixerunt, carne torqueri, ſiue gloriari, hoc itáne tandem ipſe neſciebas? Quis aduerſus Euangelium tanta obſtinatione mentis obſurduit, vt in illo * paupere qui poſt mortem oblatus eſt in ſinum Abrahæ, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, iſta non audiat, vel audita non credat? *Tom.7. de anima et eius orig. lib.2. cap.4. De particulari hominis iudicio habes etiam quædam Tom.2. epiſt.30. ad Heſychium, circa principium.*

** Luc.16.*

*13.q.2.cap. Tempus.*

Tempus quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt vel requie, vel ærumna,



ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne cùm viueret. *Tom.3. Enchirid. cap.109.*

Sicut ergo diuerſæ cuſtodiæ agentium in officio: ſic diuerſæ cuſtodiæ mortuorum, & diuerſa merita reſurgentium. Receptus eſt pauper, receptus eſt diues: ſed ille in ſinu Abrahæ, * ille vbi ſitiret, & guttam non inueniret. Habent ergo omnes animæ, vt ex hac occaſione inſtruam charitatem veſtram, habent omnes animæ, cùm de ſeculo exierint, diuerſas receptiones ſuas. Habent gaudium boni, mali tormenta. Sed cùm facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. *Tom.9. in Euang. Ioan. tract.49.*

*Diuerſæ cuſtodia mortuorum, & diuerſa merita reſurgētium.*

** Luc.16.*

*Habēt animæ mortuorū ante vltimam reſurrectionem vel gaudiū vel tormēta, pro meritis præcedentibus.*

In requie ſunt animæ piorum à corporibus ſeparatæ: impiorum autem pœnas luunt donec iſtarū ad æternam vitam: illarum verò ad æternam mortem quæ ſecunda dicitur, corpora reuiuiſcant. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.13. cap.10.*

*Pœnas impiorum, ſeu ignem illum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius, ex Auguſt. ſententia corporeum eſſe, habes de Ciuitate Dei, lib.21. cap.10. Cuiuſmodi autem ille ſit, nempe vt animabus hominum atque adeò dæmonibus ipſis pœnam æternam inferre poßit*, Et in qua mundi, vel rerum parte futurus ſit, hominem, *inquit*, ſcire arbitror neminem, niſi fortè cui ſpiritus diuinus oſtendit. *Ibidem, lib.20. cap.6. Idem tamen ipſe non obſcurè determinat, inferos ſua ſententia ſub terra eſſe. Tom.1. lib.2. retract. cap.24.*

### *II. Animas poſt hanc vitam neque in periculo peccandi verſari, neque amplius mereri.*

AN fortè populus eſt non ſolùm hominum ſanctorum, verùm & angelorum, populus ciuitatis illius, vnde dicitur ad Hebræos: * *Sed acceßiſtis ad montem Sion & ad ciuitatem Dei Hieruſalem, & ad millia angelorum exultantium.* Huic populo apponuntur, qui

** Heb.12.*

*Poſt mortē nulla ſolicitudo tentationū, nullū periculum peccatorum.*

post hanc vitam placentes Deo fiunt. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla iam remanet ſolicitudo tentationum, & periculum peccatorum. Quod intuens ait Scriptura:* Ante mortem ne laudes hominē quenquam *Tom. 4. ſuper Geneſin, quæſt. 168.*

** Eccle. 11.*

** Geneſ. 25. & 49.*

*Poſt mortem qui Deo adhæret, nulla ab eo tentatione ſeparabitur.*

Neque enim temporalis mortis terror incuſſus eſt, cùm de iuſtis quando moriebantur, tunc potius diceretur: * Et appoſitus eſt ad populum ſuum: vel appoſitus eſt ad patres ſuos: quoniam deinceps hominum nulla tentatio formidatur, quæ illum ſeparat à populo ſuo, ſi populus eius, ipſe eſt populus Dei. *Tom. 7. de pecc. originali, cap. 30.*

** Rom. 14. 2. Cor. 5.*

*Omnes ſtabimus* * *ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Geſſit, inquit, non adiunxit, vel geſturus fuit. *Et paulò pòſt.* Cur autem dictum eſt ſecundùm ea quæ per corpus geſſit hominem iudicandum, cùm gerantur multa ſolo animo, non per corpus, nec per vllum corporis membrum, & plerunque tam magna, vt talibus cogitationibus pœna iuſtiſſima debeatur: ſicuti eſt, vt alia taceam, quod dixit inſipiens * in corde ſuo, nō eſt Deus? Quid eſt ergo, ſecundùm ea quæ per corpus geſſit: niſi ſecundùm ea quæ geſſit eo tempore, quo in corpore fuit, vt per corpus intelligamus corporis tempus? Poſt corpus autem, nemo erit in corpore, niſi reſurrectione nouiſſima, non ad vlla merita comparanda, ſed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda ſupplicia. Hoc autem medio tempore inter depoſitionem & receptionem corporis, ſecundùm ea quæ geſſerunt per corporis tempus, ſiue cruciantur animæ, ſiue requieſcunt. *Tom. 7. de prædeſt. ſanct. cap. 12.*

** Pſal. 13.*

*Poſt mortem nulla merita comparātur.*

*Poſt mortem vel cruciantur animæ vel requieſcunt.*

*Mors ſubtrahit hominem à periculo peccandi, & in non peccandi ſecuritatem conſtituit.*

Scripſit librum de mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui Eccleſiaſticas literas amant, laudabiliter notum: in quo propterea dicit non ſolùm non eſſe fidelibus inutilem mortem, verùm etiam vtilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem ſubtrahit, & in non peccandi ſecuritatem conſtituit. Sed quid prodeſt ſi etiam futura quæ cōmiſſa nō ſunt, peccata puniuntur? Ait tamen ille copioſiſſimè atque optimè peccandi pericula nec deeſſe in iſta vita, nec fu-



pereſſe poſt iſtam. Vbi & illud teſtimonium ponit de libro Sapientiæ: * *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Quod à me poſitū, fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis, tanquam non de libro canonico adhibitum: quaſi & excepta huius libri atteſtatione res ipſa non clara ſit, quam volumus hinc doceri. *Et paulò pòſt.* His atque huiuſmodi doctor ille ſententiis in Catholicæ fidei luce clariſſima, ſatis apertéque teſtatur, vſque ad huius corporis depoſitionem, peccandi pericula tentationéſque metuendas, deinceps nulla talia quenquā eſſe paſſurum. Quod etſi non teſtaretur, quando de hac re Chriſtianus qualiſcunque dubitaret? *Ibidem, cap. 14.*

** Sap. 4.*

*Dubitauit tamen, imò & docuit, huius noſtri tēporis hæreſiarcha, in purgatorio animas aſſiduè peccare.*

Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam releuari quiſpiam vel grauari: Nemo autem ſe ſperet quod hîc neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri. *Tom. 3. in Enchirid. cap. 110. Vide & Tom. 9. in Ioannem, tract. 44. ſuper illud Euangelij: Venit nox, quando nemo poteſt operari.*

*In hac vita meritū omne comparatur.*

## *III. Animas in Domino morientium, ſaluas fore, certum eſſe.*

SI autem ponas ſpem tuam in Deo tuo, non cōfunderis: quia ille in quo ſpem poſuiſti falli nō poteſt. Vnde & ille quem paulò antè commemoraui, iuſtus, confirmatus, poſitus in tempore malo in die tribulationis: quia non confundebatur, quid ait? * *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* Vnde ſpes non confundit? Quia in Deo poſita eſt. Ideo ſequitur, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Iam datus eſt nobis Spiritus ſanctus, quomodo nos fallit cuius tale pignus tenemus? *Tom. 8. in Pſal. 36. concil. 2. in illum verſiculum: Non confundentur in tempore malo &c.*

** Rom. 5.*

*Poſt mortem igitur nō poſſunt ſua ſpe fruſtrari, qui à Deo Spiritū ſanctum pignus acceperint.*

Dixit Apoſtolus, * *In timore & tremore veſtram ipſorum operamini ſalutem.* Quia dictum eſt in Pſalmo, * *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quare cum timore? Quia propter hoc ait Apoſtolus, * *Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat.* Quare

** Philip. 2.*

** Pſal. 2.*

** 1. Cor. 10.*

* Gal. 6.

cum tremore? Quia dicit alibi, * *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis: intendens teipſum, ne & tu tenteris. Et paulò pòſt.* Quando autem ridebunt? quando tranſierit iniquitas, quando tranſuolauerit, (ſicut iam ex magna parte tranſuolauit) tempus incertum, quando fugatæ fuerint tenebræ huius ſeculi, in quibus modò nos ambulamus ad lucernam ſcripturarum: & ideo timemus tanquam in nocte. *Tom. 8. Pſalm. 51. expoſit. in illum verſiculum: Videbunt iuſti & timebunt.*

*Iuſti poſt mortẽ ridere poſſunt, quia certam habẽt ſalutem.*

* Matt. 25.

Cum venerit ille dies iudicii, tunc lamentabuntur ſe omnes tribus terræ. *Cùm apparuerit * ſignum Filij hominis in cœlo, tunc ſecuri erunt omnes ſancti.* Illud enim veniet quod ſperabant, quod deſiderabant, quod vt veniret, orabant: illis autem pœnitendi locus nullus remanebit: quia eo tempore quo fructuoſa poſſet eſſe pœnitentia, cor obdurauerunt aduerſus monentem Dominum. *Tom. 8. in Pſal. 55. verſiculo illo: Ego verò in te ſperaui Domine.*

*In die iudicij non erit pœnitendi locus.*

* 1. Reg. 2.

Sic dictum eſt: * *Ipſe iudicabit extrema terræ*: ac ſi diceretur, etiam extrema terræ. Non enim alias terræ partes non iudicabit, qui omnes homines procul dubio iudicabit. Sed melius intelliguntur extrema terræ, extrema hominis: quoniam non iudicabuntur, quæ in melius vel deterius medio tempore commutantur, ſed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 17. cap. 4. ſub finem.*

### IIII. *Purgatorium ignem vel temporarias pœnas multis poſt mortem ſupereſſe.*

* Gen. 3.

*Manet eos purgatoria vel æterna pœna poſt mortem, qui agrũ conſciẽtiæ ſuæ negligẽter excoluerint.*

ET hoc (*In ſudore * vultus tui edes panem tuum*) illi dictum eſt, qui coluerit agrum ſuum, qui iſta patitur donec reuertatur in terram de qua ſumptus eſt, id eſt donec finiat vitam iſtam. Qui enim coluerit agrum ſuum interius, & ad panem ſuum quanuis cum labore peruenerit, poteſt vſque ad finem vitæ huius hunc laborem pati, poſt hanc autem vitam non eſt neceſſe vt patiatur. Sed qui fortè agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictio-



nem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam: ita nemo euadit iſtam ſententiam. Sed agendum eſt, vt ſaltem in hac tantùm vita ſentiatur. *Tom. 1. de Geneſi, contra Manichæos, lib. 2. cap. 20.*

*Agendum, vt pœna tãtùm in hac vita ſentiatur.*

Cum itaque opus ſit non hominis ſed Dei, fructifera pœnitẽtia, inſpirare eam poteſt quandocunque vult ſua miſericordia, & remunerare ex miſericordia, quos damnare poteſt ex iuſtitia. Sed quoniã multa ſunt quæ impediunt & languentem retrahunt, periculoſiſſimum eſt, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum eſt, cui Deus tunc inſpirat. Si quis eſt igitur qui veram tunc quærat pœnitentiam, expectet Dei clementiam, maiorem ſentiens Dei bonitatem ſua nequitia. Sed ſi etiam ſic conuerſus euadat, vita viuat & non moriatur: non tamen promittimus, quòd euadat omnem pœnam. Nam prius purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculum diſtulit fructum conuerſionis. Hic autem ignis etſi æternus non ſit, miro tamen modo eſt grauis: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta eſt pœna, licet mirabilia paſſi ſint Martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tanta ſuſtinuerint ſupplicia. Studeat ergo quilibet ſic delicta corrigere, vt poſt mortem non oporteat talem pœnam tolerare. Quædam enim peccata ſunt, quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia, non tamen ſtatim ſanata. *Tom. 4. de vera & falſa pœnitentia, cap. 17. & 18.*

*Differre pœnitẽtiam in tẽpus mortis periculoſiſſimum.*

*Purgandus igne purgationis, qui in aliud ſeculũ diſtulit fructum conuerſionis.*

*Pœna purgatoriæ grauiores quàm omnia huius vitæ ſupplicia.*

Fœlices qui nũc benè viuentes, facultatibus vel corpori ſuo neceſſariis contenti, & de ſuo largi, in ſe caſti, in alios non cruenti, ab huius putei profundi flammea nocte ſe redimunt. Hæc pœna illos manebit qui amiſſo & non reparato per pœnitentiam Baptiſmo, in æternum peribunt. Ad quos dicitur * *Paleas autẽ comburet igni inextinguibili.* Hi verò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit: *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*: per fluuiũ igneũ, de quo Propheticus ſermo cõmemorat: * *Et fluuius igneus currebat*

* Matth. 3.

*Exponit Auguſtinꝰ verba Pauli 1. Cor. 3. de igne purgatorio etiam poſt hanc vitam.*

* Dan. 7.

** Ezech. 24*

*Quæ peccata per ignem purgatoriũ expientur.*

*ante eum*: per fluuium igneũ, & vada feruentibus globis horrẽda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora. Quantum exegerit culpa, tantùm ſibi ex homine vendicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina. Et quãtum ſtulta iniquitas ſuggeſſerit, tantum ſapiẽs pœna deſæuiet. Et quia ſermo diuinus quodam loco æneæ ollæ animam peccatricem comparat, dicens: * *Pone illam ſuper prunas vacuam, donec concaleſcat æs eius & omne ſtannum eius defluat:* illic ſermones ocioſi, & cogitationes iniquæ vel ſordidæ, illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exuudabunt: illic ſtannum vel plumbum diuerſorum ſubrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obſcurauerant, conſumentur: quæ omnia hîc ab anima ſeparari per eleemoſynas & lachrymas compendioſa tranſactione potuiſſent. *Tom. 10. lib. Quinquaginta homiliarum. Homilia 16.*

*Compendio maiori expiãtur hîc peccata, quàm poſt mortem.*

*Ignis purgatorius durior omnibùs pœnis, quæ in hac vita ſentiri aut cogitari poſſunt.*

** Pſal. 89.*

*Ergo pro qualitate eorũ quæ expiãda ſunt, pœna purgatoria lõgiori tempore vel breuiori ſuſtinenda eſt.*

Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me, quãdiu moras habeã, ſi tamen ad vitam æternã perrexero. Nemo hoc dicat fratres chariſſimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, q̃ quid poteſt in hoc ſeculo pœnarũ videri, aut cogitari, aut ſentiri. Et cùm de die iudicij ſcriptum ſit, quòd erit dies* vn⁹ tanq̃ mille anni, & mille anni tanq̃ dies vnus, vnde ſcit vnuſquiſque, vtrũ diebus an menſibus, an fortè etiã & annis per illũ ignẽ ſit trãſiturus? Et qui modò nec vnũ digitũ ſuum in ignẽ vult mittere, timeat neceſſe eſt vel tunc paruo tẽpore, cũ anima & toto corpore cruciari. Et ideo totis viribus vnuſquiſque laboret, vt capitalia crimina poſſit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt de ipſis nihil videatur remanere, quod ille ignis poſſit abſumere. *To. 10. de Sanctis, ſerm. 41 qui eſt 4. de animabus defunctorũ.*

*Abſumũtur ergo igne purgatorio reliquiæ peccatorum.*

*Pro dæmonibus, & pro infidelibus impiiſque defunctis nõ orandum.*

Eadem cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniẽdis, quæ cauſa eſt, vt neque nunc neque tunc oretur pro angelis malis: quæ itidem cauſa eſt, vt quanuis pro hominibus nunc viuis oretur, etiam malis, tamen iam nec nunc oretur pro infidelibus impiiſque defunctis. Nam pro defunctis quibuſdã, vel vt dicitur pro mortuis, vel Eccleſiæ, vel quorundam piorum exaudiri orationẽ eius, * licet qui in Chriſto renati

** Deeſſe vi-*



non adeò ita malè vixerint in corpore, vt tali miſericordia habeantur indigni, nec iidem ſic bene, vt inueniantur tali miſericordia non egere. Tales etiam conſtat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum ſpiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus æterni ignis ſuppliciis nõ tradẽdos. *To. 5. de ciui. Dei, li. 21. ca. 23.*

*detur aliquid textui Auguſtini.*

*Quorundam defunctorum ſpiritus, ante iudicij diem, tẽporariis pœnis purgãdi.*

*V. Ex illis verbis Matth. 12. Qui dixerit verbum in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, colligere Auguſtinum, peccata quædam poſt mortem remitti poſſe.*

SEd temporarias pœnas alij in hac vita tantùm, alij poſt mortem, alij nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud ſeueriſſimum nouiſſimúmque patiuntur. Non autem omnes veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud iudicium his ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales. Nam quibuſdã quod in iſto non remittitur, remitti in futuro * ſeculo, id eſt, ne futuri ſeculi æterno ſupplicio puniantur, iam ſuprà diximus. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 13.*

** Matth. 12.*

*Quomodo peccata quædã dimittuntur in altero ſeculo, niſi luẽdo poenas debitas peccatis?*

Sicut etiam facta reſurrectione mortuorum non deerunt, quibus poſt pœnas, quas patiuntur ſpiritus mortuorum, impertiatur miſericordia, vt in ignem nõ mittantur æternum. Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur * neque in hoc ſeculo neque in futuro, niſi eſſent quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro. *Ibidem, cap. 24.*

** Matth. 12.*

Et peccata quidem nulla remittuntur in regno, ſed ſi nulla remitterẽtur in iudicio illo nouiſſimo, puto quòd Dominus non dixiſſet de quodam peccato: * *Non remittetur neque in hoc ſeculo, neque in futuro*: quando ſibi remitti ſperabat latro ille, qui dicebat: * Memento mei cùm veneris in regnum tuum. *Tom. 7. contra Iulianum Pelag. libr 6. cap. 5.*

** Matth. 12.*

** Luc. 23.*

*VI. Quo modo intelligendum illud Apoſtoli I. Corinth. 3. Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit, &c.*

*Matt. 25.

FVturi autem quidam, qui arguentur & non emendabuntur. Nam vtique arguet eos quibus dicet:* Eſuriui & non dediſtis mihi manducare, ſitiui & non potaſtis me, & cætera: quæ ibi proſequens, quandam inhumanitatem & ſterilitatem increpat, dicens malis ad ſiniſtram conſtitutis, quibus dicet, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Hæc iſte grauiora formidans, excepta vita iſta, in cuius malis plangit & gemit, rogat & dicit:* *Domine ne ĩ indignatione tua arguas me*. Non ſim inter illos, quibus dicturus es: * *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius*. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus ſit, propter illos, qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare, niſi quia hîc ædificant ſupra fundamentum, * ligna, fœnum, ſtipulam? Si ædificarẽt autem aurum, argentum, lapides precioſos, & de vtroque igne ſecuri eſſent: non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios: ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalui erũt. Dicitur enim: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Et quia dicitur, ſaluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quanuis ſalui per ignem: grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid poteſt homo pati in hac vita. Et noſtis quanta hîc paſſi ſunt mali, & poſſunt pati, tamen tanta paſſi ſunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quiſque maleficus, latro, adulter, ſceleratus, ſacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit martyr in confeſſione Chriſti? Ita ergo quæ hîc ſunt mala, multa faciliora ſunt: & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quicquid iuſſeris faciunt. Quantò melius faciunt, quod iubet Deus, ne illa grauiora patiantur? *Tom. 8. Pſal. 37. prope initium.*

** Pſal. 37.*
*Eſt ergo præter pœnã huius vitæ, pœna poſt mortẽ in quibuſdã æterna, in alijs emendatoria.*
**Matth. 25.*
** 1. Cor. 3.*
*De pœn. diſt. 7. ca. Nullus. circa finem.*
*Duplex ignis poſt mortem, æternus, & emẽdatorius ſiue purgatorius.*
*Ignis purgatorius grauior omnibus pœnis huius vitæ.*

Rogo vos fratres, audite & proficite: excutite vos de loco carnali, pergite in turturem * & columbam. Aues enim non diuiſit, ſed quicunque talis permanſerit, & ſecundùm quendam modum vitæ aptum carnalibus, & de gremio Eccleſiæ non receſſerit, & non fuerit ſeductus ab hæreticis, vt ex contraria parte diuidatur, veniet caminus & ad dexteram poni ſine camino non poterit.

** Gen. 15.*



Sed ſi caminum pati non vult, pergat in turturem * & columbam. Qui poteſt capere capiat. Si autem non ſic erit, & ædificauerit * ſuper fundamẽtum, ligna, fœnum, ſtipulam, id eſt, amores ſeculares fundamento fidei ſuæ ſuperædificauerit, tamen ſi in fundamento ſit Chriſtus, vt primum locum ipſe habeat in corde, & ei nihil omnino anteponatur: portantur tales, tolerantur & tales. Veniet caminus, incendet ligna, fœnum, ſtipulam: *Ipſe autem*, inquit, *ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Hoc aget caminus: alios in ſiniſtram ſeparabit, alios in dexteram quodammodo eliquabit. Aues * autem non diuiſit. *Ibidem, Pſal. 103. conc. 3. Exponitur & locus hic Apoſtoli in Enchir. cap. 67. & 68. & Tom. 4. de fide & operibus, cap. 15. & Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 21. & 26. & Tom. 8. in Pſalm. 80.*

** Ibidem.*
** 1. Cor. 3.*
** Gen. 15.*

*Quoniam fuſius Auguſtinus, his & aliis locis verba Pauli propoſita ediſſerit, quàm vt breuiter hîc recitari poßint, nitar ſtudioſe Lector Auguſtinianæ interpretationis capita ſummatim attingere. Primò igitur, fundamenti nomine Fidem intelligit, non quam Apoſtolus Iacobus mortuam eſſe, ſed quã B. Paulus dixit per dilectionem operari: In eo enim cuius fides mortua eſt, non tam Chriſtus fundamentum dici debet, quàm illud quod ab ipſo magis diligitur quàm Chriſtus. Secundò, per aurum, argentum, & lapides precioſos, pias omnes intelligit actiones, præſertim eas quæ ad Chriſtianam perfectionem & conſilia propius accedunt. Per lignum verò, fœnum, & ſtipulam, non peccata lethalia interpretatur, quæ fundamentum potius conuellerent, quàm ſuper illud extruerentur: ſed leuiora quædam, quæ vt animam inficiant, non tamen priuant caritate. Tertiò, Ignem non vult hîc æternum illum Gehennæ accipere, quod ipſo non ſint vniuerſim probanda bona & mala opera (qualis eſt ille de quo hîc agit Apoſtolus) ſed tantùm in damnatos perpetuò ſæuiturus ſit: Verùm temporalem, hoc eſt, afflictiones & pœnas generatim temporales, ſiue illæ dum hîc viuitur, ſiue poſt mortem tolerandæ ſint. Neceſſum eſt enim, Auguſtini ſententia, animas illas, quæ in caritate à corporibus ſeparantur, & aliquid ſordium contraxerunt, quod non fuerit huius vitæ pœnis purgatum, pœnis aliis, identidem temporalibus, poſt hanc vitam expiari. Quartò, diem*

*Domini, diem intelligit generalis iudicij, ante quod, vel in quo purgandæ ſunt omnium animæ, quibus huiuſmodi purgatio fuerit neceſſaria. Hæc autem ſi vera ſunt, conſtat ex Auguſtini ſententia & interpretatione, doctrinam veterem de purgatoriis poſt hanc vitam pœnis, non ſolùm Eccleſiæ Catholicæ auctoritate & conſuetudine, neque ſolùm aliis verbis Scripturarum, Malach.3.2. Maccab.12. & ſimilibus, ſed etiam his Pauli verbis non obſcurè confirmari.*

*VII. Nec decedentes hinc cum peccato mortali, expiandos igne purgatorio, quanuis etiam fidem vſque ad mortem retinuerint, ſed ad Gehennam dãnandos eſſe: nec rurſum, qui nihil ſordiũ poſt Baptiſmum contraxerint.*

*Error Platonicorum, qui nullas pœnas niſi purgatorias poſt mortẽ poſuerunt.*

PLatonici quidem quanuis impunita nulla velint eſſe peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel diuinis, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem: ſi autem * parcatur hîc cuiquam, aut ita plectatur, vt hîc non corrigatur. Hinc eſt Maronis illa ſentẽtia, vbi cùm dixiſſet de terrenis corporibus moribũdíſque membris, quòd animæ

*forte, aut.

Æneid. 6.

*Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentq;, nec auras*
*Suſpiciunt, clauſæ tenebris & carcere cæco:*
*ſecutus adiunxit atque ait:*
*Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit:*
*Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes*
*Corporeæ excedunt peſtes, penituſq; neceſſe eſt*
*Multa diu concreta modis inoleſcere miris.*
*Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum*
*Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes*
*Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto*
*Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*

*Vergilius Platonẽ ſecutus pœnas tãtùm purgatorias poſt mortem deſcripſit.*

Qui hoc opinãtur, nullas pœnas niſi purgatorias volunt eſſe poſt mortem, vt quoniam terris ſuperiora ſunt elementa, aqua, aër, ignis, ex aliquo iſtorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractum eſt. Aër quippe accipitur in eo, quod ait, ſuſ-



penſæ ad ventos. Aqua in eo quod ait, ſub gurgite vaſto: Ignis autem ſuo nomine expreſſus eſt, cùm dixit, aut exuritur igni. Nos verò etiam in hac quidem mortali vita eſſe quaſdam pœnas purgatorias confitemur, non quibus affliguntur, quorum vita vel non inde fit melior, vel potius inde fit peior, ſed illis ſunt purgatoriæ, qui eis coërciti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ ſiue temporariæ, ſiue ſempiternæ, ſicut vnuſquiſque diuina prouidentia tractãdus eſt inferuntur, vel pro peccatis, ſiue præteritis, ſiue in quibus adhuc viuit ille, qui plectitur, vel pro exercendis declarandíſque virtutibus, per homines & angelos, ſeu bonos ſeu malos. Nam ſi quiſquam mali aliquid alterius improbitate vel errore patiatur, peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel iniuſtitia cuiquam mali aliquid facit, ſed non peccat Deus, qui iuſto, quanuis occulto iudicio fieri ſinit: ſed temporarias pœnas alij in hac vita tantũ, alij poſt mortem, alij & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud ſeueriſſimum nouiſſimúmque, patiuntur. Non autem omnes veniunt in ſempiternas pœnas, quæ poſt illud iudicium his * ſunt futuræ, qui poſt mortem ſuſtinent temporales. Nam quibuſdam quod in iſto non remittitur, * remitti in futuro ſeculo, id eſt, ne futuri ſeculi æterno ſupplicio puniantur, iam ſuprà diximus.

*Sẽtẽtia Chriſtianorũ eſt, huius vitæ poenas quibuſdã, qui eis corriguntur, eſſe purgatorias. Poſt hãc vitam verò, quorũdã poenas eſſe purgatorias & tẽporales, aliorũ autem (vt ſic loquamur) cruciatorias & æternas.*

* videtur aliquid deſiderari.

*Matth.12.

*Tom.5. de ciuit. Dei, lib.21. cap.13.*

Creduntur autem à quibuſdam etiam ii qui nomen Chriſti non relinquunt, & eius lauacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea vllo ſchiſmate vel hæreſi præcidũtur, in quantislibet ſceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in eis vſque ad huius vitæ vltimum diem pertinaciſſimè perſeuerẽt, ſalui futuri* per ignem: licet pro magnitudine facinorum flagitiorúmque diuturno, non tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici ſunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur. Nam Scriptura diuina aliud conſulta reſpondet. Librum autem de hac quæſtione ſcripſi, cuius titulus eſt, de Fide & Operibus. Vbi ſecundùm Scripturas ſanctas, quantùm Deo adiuuante potui, demonſtraui eam fidem ſaluos facere, quam ſatis euidenter ex-

*Error eorũ, qui oẽs habẽtes fidem Catholicã ſaluos fore, quãuis p ignẽ, arbitrabãtur.*

* 1. Cor.3.

*Cap.14.15. & 16.*

* *Galat.5.*

preſsit Paulus Apoſtolus dicens: * *In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio quicquã valet, neque præputium, ſed Fides, quæ benè per dilectionem operatur.* Si autem malè & non benè operatur, proculdubio ſecundùm Apoſtolum Iacobum, mortua eſt in ſemetipſa. Qui rurſus ait: * *Si Fidem dicat ſe quiſquam habere, opera autem non habeat, nunquid poterit Fides ſaluare eum?* Porro autem ſi homo ſceleratus propter fidem ſolam per ignem ſaluabitur, & ſic eſt accipiendum quod ait beatus Paulus Apoſtolus: * *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*: poterit ergo ſaluare ſine operibus Fides, & falſum erit quod dixit eius coapoſtolus Iacobus. Falſum erit & illud, quod idem ipſe Paulus dicit, * *Nolite*, inquit, *errare, neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebrioſi, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Si enim etiam in iſtis perſeuerantes criminibus, tamen propter fidem Chriſti ſalui erunt, quomodo in regno Dei non erunt? Sed quia hæc Apoſtolica manifeſtiſſima & apertiſſima teſtimonia falſa eſſe nõ poſſunt, illud quod obſcurè dictum eſt de iis, qui ſuperædificant ſupra fundamentum quod eſt Chriſtus, non aurum, non argẽtum non lapides precioſos, ſed ligna, fœnum, ſtipulam: de his enim dictum eſt, quod per ignem ſalui erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt: ſic intelligendum eſt, vt iis manifeſtis non inueniatur eſſe contrarium. Ligna quippe & fœnum & ſtipula non abſurdè accipi poſſunt rerum ſecularium, quanuis licitè conceſſarum, tales cupiditates, vt amitti ſine animi dolore non poſſint. Cùm autem iſte dolor vrit, ſi Chriſtus in corde fundamenti locum habet, id eſt, vt ei nihil anteponatur, & malit homo qui tali dolore vritur, rebus quas ita diligit carere magis quàm Chriſto: per ignem fit ſaluus. Si autem res huiuſmodi temporales ac ſeculares tempore tentationis maluerit tenere quàm Chriſtum, eum in fundamento non habuit: quia hæc priore loco habuit, cùm in ædificio prius non ſit aliquid fundamento. *To. 3. Enchirid cap. 67. & 68. Vide etiam cap. 69. Et To. 4. de fide & operibus, cap. 14 & 15. & 16. Et Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 21. & Tom. 8 in Pſalm. 80.*

* *Iacob.2.* * *1.Cor.3.* * *1.Cor.6.* * *1.Cor.3.*

*Lignum, fœnum & ſtipula ſuper fundamentũ ædificata, quæ igne ſunt exurenda, leuiora peccata ſunt, quæ charitatem non adimunt.*

*Chriſtus in corde fundamenti locum habet, ſi ei nihil anteponatur: ſi autem ei quicquam anteponitur, non ipſe, ſed id quod ei præponitur fundamẽtum dicẽdum eſt.*



*Aduerte Lector, adeò vulgo perſuaſum fuiſſe, verba illa Pauli (Ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem) eſſe de pugatorio igne intelligenda, vt multi crederent, iis ſignificare Apoſtolum: Omnes habentes fidem (quibuſcunque etiam peccatis obſtricti deceſſiſſent) ſaluos tandem fore. Horum errorem reiicit Auguſtinus pluribus in locis, & verba Pauli quemadmodum illi, de purgatorio quidem igne interpretatur: Verùm fundamenti nomine, non fidem mortuam, non Chriſtum quocunque modo creditum, ſed fidem per dilectionem operantem, vel Chriſtum ita creditũ vt nihil ei anteponatur, intelligi debere oſtendit: Tum etiam peccata lethalia non poſſe ſuper huiuſmodi fundamentum extrui, ſed leuiora illa tantùm quæ charitatem non expellunt.*

Verùm tanta eſt Dei miſericordia in vaſa * miſericordiæ quæ præparauit in gloriam, vt etiam prima hominis ætas, id eſt, infantia, quæ ſine vllo reniſu ſubiacet carni: & ſecunda, quæ pueritia nuncupatur, vbi nondum ratio ſuſcepit hanc pugnam, & ferè ſub omnibus vitioſis delectationibus iacet, quia licet iam fari valeat, & ideo infantiam tranſiſſe videatur, nõdum in ea eſt præcepti capax infirmitas mentis: ſi Sacramenta mediatoris * acceperit, etiam ſi hãc in eis annis vitã finiant, trãſlata ſcilicet à poteſtate * tenebrarum in regnum Chriſti, non ſolùm pœnis non præparetur æternis, ſed ne vlla quidem poſt mortem purgatoria tormẽta patiatur. Sufficit enim ſola ſpiritalis regeneratio, ne poſt mortẽ obſit, quod carnalis generatio cum morte cõtraxit. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 16.*

* *Rom. 9.*

*Paruuli baptizati, ante vſum rationis decedẽtes, nullas omnino pœnas poſt mortem patiuntur.*

* *1. Tim. 2.* * *Coloſ. 1.*

## *VIII. Igne purgatorio venialia tantùm peccata, & reliquias lethalium purgari.*

SI *cuius opus arſerit,* * *detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Multi ſunt qui lectionem iſtam malè intelligentes falſa ſecuritate decipiuntur, dum credunt, quòd ſi ſupra fundamentũ Chriſti capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſsint purgari, & ipſi poſtea ad vitã per-

* *1.Cor.3.*

petuam peruenire.Intellectus iſte fratres cariſſimi corrigendus eſt,quia ipſi ſe ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur. Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, *Ipſe autem ſaluus erit,ſic tamen quaſi per ignem*: non capitalia, ſed minuta peccata purgantur. *Et paulò infrà.* Quibus peccatis licet occidi animam non credamus,ita tamen eam velut quibuſdam puſtulis,& quaſi horrenda ſcabie replentes, deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius ſponſi cæleſtis,aut vix,aut cum grandi confuſione venire permittant. De quo ſcriptum eſt,* *Aptauit ſibi Eccleſiam non habentem maculam aut rugam.* Et ideo continuis orationibus, & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemoſynis,& præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant aſſiduè redimantur, ne fortè ſimul collecta cumulum faciant & demergãt animam. Quicquid enim de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit,illo igne purgandum eſt, de quo dixit Apoſtolus,* *Quia in igne reuelabitur. Et ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur. Et poſt pauca.* Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus,nec bonis operibus peccata redimimus, ipſi tam diu in illo purgatorio igne moras habebimus, quandiu ſuprà dicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, ſtipula conſumantur. *Tom.10. ſerm.41.de ſanctis.*

*Peccata minuta, etſi animam non occidunt, deformãt tamẽ & ab amplexibus cæleſtis Sponſi retardant.*

* *Epheſ.5.*

*Dum hîc viuimus, orationibꝰ, ieiuniis, eleemoſynis, dando veniã his qui offenderunt nos, peccata redimere poſſumus.*

* *1.Cor.3.*

*Quicquid ante mortem redemptum non fuerit, poſt mortem expiãdum eſt igne.*

Illi autem qui capitalia crimina committũt,ſi quandiu viuunt,ea redimere pœnitentiæ medicamentis noluerint,ad illum ignem,de quo dicit Apoſtolus, * *Ipſe autem ſaluus erit,ſic tamẽ quaſi per ignem*, ſicut iam dictum eſt, venire non poterunt, ſed magis illam duram & irreuocabilem ſententiam audituri ſunt, * *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Et ideò qui ab iſta perpetua pœna, & ab illo purgatorio igne deſiderant liberari,crimina capitalia non admittant, aut ſi iam commiſerunt,fructuoſam agant pœnitentiam, & illa parua vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non deſiſtant. *Ibidem paulò poſt.*

* *1.Cor.3.*

* *Matth.25.*

*Quid illis agẽdum, qui poſt mortem & æternum & purgatorium ignem euitare cupiunt*

Omnes ſancti qui Deo fideliter ſeruiunt, lectioni vel orationi vacare & in bonis operibus perſeuerare cõtendunt, nec capitalia crimina, nec minuta peccata,id eſt,ligna,fœnum, & ſtipulam ſupra fundamentũ Chri-



ſti,ſed bona opera,id eſt,aurum, argentum, lapides precioſos ſuperædificantes, per ignem illum, de quo dicit Apoſtolus,* Quia in igne reuelabitur, abſque vlla violatione tranſibunt.Illi verò,qui quamuis capitalia crimina nõ admittant, & ad perpetrãda minuta peccata ſunt faciles,& ad redimenda ſunt negligentes,ad vitam æternam pro eo quod in Chriſtum crediderunt,& capitalia peccata non admiſerunt,venturi ſunt: ſed prius aut in hoc ſeculo per Dei iuſtitiam vel miſericordiam, ſicut iam dictum eſt, amariſsimis tribulationibus ſunt coquendi, aut illi ipſi per multas eleemoſynas, & præcipuè dum inimicis ſuis clementer indulgent,per Dei miſericordiam liberandi, aut certè illo igne de quo dicit Apoſtolus,longo tempore cruciandi, vt ad vitam æternam ſine macula & ruga perueniant. Illi verò qui aut homicidium,aut ſacrilegium,aut adulterium,vel reliqua his ſimilia commiſerunt, ſicut iam dictum eſt, ſi eis digna pœnitentia non ſubuenerit, non per purgatorium ignem tranſire merebuntur ad vitam, ſed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem. Et ideò quoties in lectione Apoſtolica audieritis,* Si quis ſupra fundamentum Chriſti ſuperædificat aurum, argentum, lapides precioſos, de ſanctis hoc & perfectis Chriſtianis accipite, qui velut aurum purgatum merebuntur ad æterna præmia peruenire. Illi verò qui ſuperædificant ligna,fœnum & ſtipulam,de bonis Chriſtianis,ſed negligentibus minuta peccata purgare, vt ſæpe dictum eſt,intelligite: quæ peccata ſi nec diuina iuſtitia multis tribulationibus purgauerit,nec vnuſquiſque eleemoſynarum largitate redemerit,non ſine grandi dolore in illis implebitur illud quod dicit Apoſtolus,* Si cuius opus arſerit, detrimẽtum patietur,ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.Nemo tamen, ſicut iam ſupradictum eſt, ſeipſum circumueniat, vt hoc etiam pro capitalibus criminibus, ſi incurata remanſerint, poſſe fieri credat. *Ibidem.*

* *1.Cor.3.*

*Ædificantes ſuper fundamentũ tantũmodo aurum, argentum & lapides precioſos, per ignem illæſi tranſibunt.*

*Sunt igitur aliqua iuſtorũ opera quæ Dei iudiciũ ferre poſſunt.*

*Qui ante mortem peccata minuta frequẽter admittunt, & negligenter expiant, longo tẽpore, purgatorio igne poſt mortem cruciandi ſunt.*

* *1.Cor.3.*

* *Ibidem.*

### *IX. Orare & offerre oblationem pro defunctis, morem eſſe Catholicæ Eccleſiæ.*

AERIANI ab Aërio quodam ſunt nominati, qui cùm eſſet presbyter, doluiſſe fertur, quòd Epiſcopus nō potuit ordinari, & in Arrianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. *Tom. 6. de hæreſibus ad Quoduultdeum, hæreſi. 53.*

*Sunt igitur hæretici cum Aërio, qui negãt pro defunctis orandum vel offerendum eſſe.*

In Machabæorum libris *legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed & ſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. *Tom. 4. de cura pro mortuis gerenda, cap. 1.*

** 2. Mac. 12.*

*Orandum & ſacrificãdum eſſe pro defunctis, nō ſolùm Scripturæ, ſed etiam vniuerſæ Eccleſiæ auctoritate Auguſtinus oſtendit.*

Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumcunque ſub generali commemoratione * ſuſcepit Eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij aut quicunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi. *Ibidem, cap. 4.*

** Quænam eſt hæc, ô hæretici, generalis commemoratio omnium in Catholica ſocietate defunctorũ, quam Eccleſia faciendam ſuſcepit?*

*Supplicationes pro ſpiritibus mortuorum nō prætermittendæ.*

Nam pro defunctis quibuſdã, vel vt dicitur, pro mortuis, vel Eccleſiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio, ſed pro his quorum in Chriſto regeneratorum, nec vſque adeò vita in corpore malè geſta eſt, vt tali miſericordia iudicentur digni non eſſe, nec vſque adeò benè, vt talem miſericordiam reperiãtur neceſſariam non habere. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 24.*

*Pro quibus defunctis Eccleſiæ vel piorum hominũ preces exaudiantur.*

Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſsit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur. *Concil. Carth. 4. cap. 79.*

*Pœnitentiæ certæ leges.*

## *X. Iuuari defunctorum animas Miſſarum ſacrificiis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus, quæ à viuentibus pro eis fiunt.*





ORationibus verò ſanctæ Eccleſiæ & Sacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum cauſa, opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus qui ita vixerunt ante mortem, vt poſſint eis hæc vtilia eſſe poſt mortem. Nam qui ſine fide, * quæ per dilectionem operatur, eiúſque Sacramentis de corporibus exierunt, fruſtrà illis à ſuis huiuſmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hîc eſſent pignore caruerunt. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm. 34.*

*Orationes, ſacrificia, eleemoſynas viuorũ prodeſſe defũctis, traditione Patrũ & vniuerſæ Eccleſiæ conſuetudine probatur.*

** Gal. 5.*

*Sine fide per dilectionẽ operante eiúſque Sacramentis hinc decedentes viuorũ ſuffragiis nō iuuantur.*

Sed pro viribus cura ſepeliendi & ſepulchra conſtruendi: quia & hæc in Scripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt, nec ſolum in corporibus * Patriarcharum aliorúmque Sanctorum, & humandis cadaueribus quorumque iacentium, verùm etiam in ipſius Domini* corpore prædicati atque collaudati ſunt, qui iſta fecerunt: Impleant hæc homines erga ſuos officia poſtremi muneris, & ſui humani lenimenta mœroris. Verùm illa, quæ adiuuent ſpiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis obſeruantius, inſtantius, abundantius impendant, * qui ſuos carne non ſpiritu mortuos, non ſolùm carnaliter, ſed etiam ſpiritualiter amant. *Ibidem.*

*Officiũ honeſte ſepeliendi mortuos, piũ.*

** Gen. 49.*

** Ioan. 19.*

*Oblationes, orationes, erogationes iuuãdis ſpiritibus defunctorũ, obſeruantius, inſtantius, et abundantius impendendæ.*

* *aliâs* verũ illi vtiq; abluunt ſpiritus &c. qui oblationes, etc. ĩpẽdũt.

Cum ecce corpus elatum eſt, imus & redimus ſine lachrymis. Nã neque in eis precibus, quas tibi fundimus (*Deus*) cùm offertur pro ea (*Monica matre ſancti Auguſtini*) Sacrificium precij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere, priuſquã deponeretur, ſicut illic fieri ſolet nec in eis precibus ego fleui. *Tom. 1. Confeſſ. lib. 9. cap. 12.*

*Sacrificium Miſſæ, pro defuncta, cuius cadauer præſens erat, offerebatur.*

Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe (*Monicam*) debita debitoribus ſuis: dimitte illi *& tu debita ſua, ſi qua etiam contraxit per tot annos poſt aquam ſalutis. Dimitte Domine, dimitte obſecro, ne intres* cum ea in iudicium. Superexaltet * miſericordia iudicium: quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſericordibus. Et credo, iam feceris quod te rogo, ſed volūtaria oris mei approba Domine. Namque illa imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium. Non iſta mandauit nobis, ſed tātummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis. *Ibidem, ca.13.*

** Matth.6. Precatur Deum Auguſtinꝰ pro defuncta matre*

** Pſal.142.*

**Iac.2.*

*Memoriam ſui ad altare fieri, Monica moriens petiuit.*

*Offerebātur res quædā & pauperibus diſtribuebantur, in defunctorum vtilitatem.*

Oblationes, pro ſpiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus ſine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendātur. Sed ſi quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus erogetur. Ita nec deſerere videbuntur memorias ſuorum, quod poteſt gignere non leuem cordis dolorem, & id celebrabitur in Eccleſia, quod piè honeſtéque celebratur. *Tom.2. Epiſtola 64. ad Aurelium.*

*Defunctorū animæ pietate viuorū releuantur, cùm pro eis ſacrificium Miſſæ & eleemoſynæ in Eccleſia fiunt.*

Neque negandum eſt defunctorū animas pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus vt nō requirat iſta poſt mortem, nec tam malus vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt iſta non requirat, & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat cùm hæc vita tranſierit adiuuari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quò poſſit poſt hāc vitam releuari quiſpiam vel grauari. Nemo autem ſe ſperet quod hîc neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri. Non igitur iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ, qua dictum eſt* *Omnes enim aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum ſiue malum*: quia etiā hoc meritū ſibi quiſque cū in corpore viueret cōparauit, vt ei poſſent iſta prodeſſe. Non enim omnibus proſunt. Et quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ quam quiſque geſſit in corpore? Cùm ergo ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valdè malis, propitiationes ſunt: pro valdè malis etſi nulla ſunt adiumenta mortuorū, qualeſcunque viuorū conſolationes ſunt. Quibus autē proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio. *Tom.3. Enchirid. cap.110.*

*Nec dānati, nec beati, ſed qui inter hos medij defuncti ſunt, pietate viuorum adiuuari poſſunt.*



*Poſt mortem nullum nouū meritum comparatur.*

** 2.Cor.5.*

*Soluit Auguſtinꝰ, quod nunc ab hæreticis aduerſus purgatorium obiicitur.*

*13.q.2.cap. Tempus.*

*Sacrificium altaris, Euchariſticum, & propitiatorium.*

Ita fit vt neque inaniter Eccleſia, vel ſuorum cura, pro defunctis quod potuerit religionis impendat: & tamen ferat,* vnuſquiſque ſecūdùm ea quæ geſſit per corpus, ſiue bonum ſiue malum, reddente Domino vnicuique ſecundùm opera eius. Vt enim hoc quod impenditur, poſſit ei prodeſſe poſt corpus, in ea vita eſt acquiſitum, quam geſſit in corpore. *Tom.4. ad Dulcitium, quæſt.2.*

** 2.Cor.5.*

## *XI. Defunctorū cōmemorationē ad altare fieri ſolitā.*

PErhibet præclariſsimum teſtimonium Eccleſiaſtica auctoritas, in qua fidelibus notum eſt, quo loco martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur. *Tom.6. de ſancta virg. cap.45.*

Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum ſi non inaniter memorias celebramus, atq; in conuiuio, quo & ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus, oportet, vt quemadmodum ipſi, & nos talia præparemus. Ideò quippe ad ipſam menſam nō ſic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus, ſed magis vt orent ipſi pro nobis, vt eorum veſtigiis adhæreamus: quia impleuerunt ipſi charitatem, qua Dominus dixit* non

*In ſacrificio Miſſæ commemorantur martyres & alij defūcti, diuerſa tamē ratione.*

** Ioan.15.*

poſſe eſſe maiorem. *Tom. 9. Tractatu 84. in Ioan.*

*Debemus nos orationibus martyrum cõmendare.*

Ideóque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria eſt enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. *Tom. 10. ſerm. 17. de verbis Apoſtoli.*

* *Apoc. 20.*

*Piorum animæ mortuorũ non ſeparantur ab Eccleſia.*

Regnauerunt * cum Ieſu mille annis, animæ ſcilicet martyrum nondum ſibi corporibus ſuis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 20. cap. 9.*

*Sacrificium altaris, orationum & eleemoſynarũ, quare pro omnibus regeneratis defunctis celebrandum, cùm omnibus ex æquo prodeſſe non poſſit.*

Quæ cum ita ſint non exiſtimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, niſi quod pro eis ſiue altaris ſiue orationum, ſiue elemoſynarum ſacrificiis ſolenniter ſupplicamus: quanuis non, pro quibus fiunt omnibus proſint, ſed iis tantùm quibus dum viunt comparatur vt proſint. Sed quia non diſcernimus qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint et debeant peruenire. *Tom. 4. de cura pro mortuis, cap 18.*

## *XII. Defunctos meritis & interceſſione Sanctorum iuuari, præſertim in quorum baſilica ſepulti ſunt.*

DIu ſanctitatis tuæ, coëpiſcope venerande Pauline, ſcriptorum debitor fui, ex quo mihi ſcripſiſti per homines filiæ noſtræ religioſiſſimæ Floræ quærens à me, vtrum proſit cuique poſt mortem, quòd corpus eius apud ſancti alicuius memoriã ſepeliatur. Hoc enim abs te vidua memorata petierat, pro defuncto in eis partibus filio ſuo, & reſcripſeras conſolans eam, ídque etiam nũcians de cadauere fidelis iuuenis Cynegij, quod materno & pio affectu deſiderauit, eſſe completum, vt ſcilicet in beatiſſimi Felicis Confeſſoris Baſilica poneretur. Qua occaſione factum eſt, vt per eoſdem perlatores literarum tuarum ingereres huiuſcemodi quæſtionem: atque vt reſponderem, quid mihi exinde videre-



tur expoſcens, nec tacens ipſe quid ſentias: nam dicis videri tibi, non eſſe inanes motus animorum religioſorum atque fidelium pro ſuis ita curantium. Adiungis etiam vacare non poſſe, quod vniuerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſueuit: vt hinc & illud coniici poſſit, homini prodeſſe poſt mortem, ſi fide ſuorum humando eius corpori, talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam iſto modo quæſita ſanctorum. *Tom. 4. de cura pro mortuis, cap 1. Sententiam hanc Paulini Auguſtinus ſequentibus probat.*

*Vniuerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſueuit.*

*In loco ſacro, opitulatio Sãctorum.*

*Defuncti ſanctis quorum in Baſilicis ſepulti ſunt, tanquam patronis oratione commendandi.*

Profectò etiam prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum: quoniam ſi nonnulla religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliantur attenditur. Sed cùm talia viuorum ſolatia requiruntur, quibus eorum pius in ſuos animus appareat, non video quæ ſunt adiumẽta mortuorum: niſi ad hoc, vt dũ recolunt vbi ſint poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdẽ ſanctis illos tãquam patronis ſuſceptos, apud Dominũ adiuuandos orando cõmendent. *Ibidem, cap. 4.*

*Defuncti animam martyri commendare bonum eſt.*

Cum itaq; recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cum defunctis à fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt iis, qui cùm in corpore viuerent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt. *Ibidem.*

*Verum igitur eſt, Auguſtini ſententia, defunctorum animas meritis Martyrum adiuuari.*

Cum ergo fidelis mater fidelis filij defuncti corpus deſiderauit in Baſilicam martyris poni, ſi quidem credidit eius animam meritis martyris adiuuari: hoc ꝙ ita credidit, ſupplicatio quædã fuit, & hæc profuit ſi quid profuit. Et quòd ad idem ſepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis magíſque commendat, adiuuat defuncti ſpiritum, nõ mortui corporis locus, ſed ex loci memoria viuus matris affectus. Simul enim & quis & cui commemorandus ſit, non vtique infructuoſè religioſam mentem precantis attingit. *Ibidem, cap. 5*

Ita etiam cùm plurimum interſit vbi ponat corpus mortui ſui, qui pro ſpiritu eius Deo ſupplicat, quia &

*Loci ſancti recordatio renouat & auget affectum.*

præcedens affectus locum elegit ſanctum, & illic corpore poſito, recordatus locus ſanctus eum qui præceſſerat, renouat & auget affectum: tamen etiam ſi nõ poſſit, vbi religioſus amicus * eligit, humare quem diligit, nullo modo debet à ſupplicationibus neceſſarijs in eius commendatione ceſſare. Vbicunque enim iaceat vel non iaceat defuncti caro, ſpiritui requies acquirenda eſt. *Ibidem.*

** aliàs animus.*

*Vbicũque iaceat defuncti caro, ſpiritui requies acquirenda.*

*Prodeſt commendare defunctos Martyrum patrocinio.*

Quod verò quiſque apud memoriam martyrum ſepelitur, hoc tantum mihi videtur prodeſſe defuncto, vt commendans eum etiam martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur. *Ibidem, cap. 18.*

### *XIII. Obiecta quædam contra Purgatorium, quomodo diluat Auguſtinus.*

** 2. Cor. 5.*

SEd cum hæc ita ſint, quomodo huic opinioni contrarium non ſit, quod dicit Apoſtolus: * *Omnes enim aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt ferat vnuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*: non te ſatis videre ſignificas. Hæc quippe Apoſtolica ſententia ante mortem admonet fieri, quod poſſit prodeſſe poſt mortem: non tunc, quando iam recipiendum eſt, ſed quod quiſque geſſerit ante mortem. Verùm hæc ita ſoluitur quæſtio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent iſta defunctos: ac per hoc ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, eis quæ poſt corpus religioſè pro illis facta fuerint, adiuuantur. * Sunt enim quos nihil omnino adiuuant iſta, ſiue pro eis fiant quorum tam mala ſunt merita, vt neque talibus digni ſint adiuuari: ſiue pro eis, quorum tam bona, vt talibus non indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ, quod geſſit quiſque per corpus, efficitur, vt proſint vel non proſint, quæcunque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam meritum, per quod iſta proſint, ſi nullum comparatũ eſt in hac vita, fruſtrà quæritur poſt hãc vitã. Ita fit, vt neque inaniter Eccleſia, vel ſuorum cura, pro defunctis, quod potuerit religionis impendat: & tamen ferat vnuſquiſque* ſecundùm ea, quæ geſsit per corpus, ſiue bonum, ſiue malum reddente Domino vnicuique

*Ante mortem facienda, quæ poßint prodeſſe poſt mortem.*

*In hac vita meritũ omne comparandũ.*

** 2. Cor. 5.*



* ſecundùm opera eius. Vt enim hoc quod impenditur, poſſit ei prodeſſe poſt corpus, in ea vita acquiſitũ eſt, quam geſſit in corpore. *Tom. 4. de cura pro mortuis, cap. 1. Vide etiam Tom. eodem, quæſt. 2. ad Dulcitium.*

** Matt. 16. Rom. 2.*

** Sunt igitur tres ſtatus defunctorum: quidam enim non indigent noſtris precibus, vt in quibus nihil ſuperſit expurgandum: quidam à nobis liberari non poſſunt, quales ſunt qui in peccato lethali mortui ſunt: quidam noſtris precibus iuuari poſſunt, vt qui in charitate deceſſerunt, ſed non egerunt plenam peccatorum pœnitentiam, vel veniales contraxerunt culpas, in quibus expiandis fuerunt ante mortem negligentes. Hos tres defunctorum ſtatus, ex pluribus Auguſtini locis colligere quiuis poteſt.*

Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid impendunt ſui, ſed eorum præcedentibus conſequentia iſta redduntur. Non enim dictum eſt niſi cùm hîc viuerent, vt eos hæc aliquid adiuuarent, cùm hîc viuere deſtitiſſent. Et ideo iſtam finiens quiſque vitam, niſi quod meruit in ipſa, nõ poterit habere poſt ipſam. *To. 10. de verbis Apoſt. ſerm. 34.*

*Nullus, niſi quod ante mortem meruit, poterit habere poſt mortem.*

### *XIIII. Animæ quomodo ſciant quæ apud nos gerantur.*

VBi rurſus occurrit, quomodo hîc ageretur Abrahã pater neſciebat, vbi ſciebat eſſe Moſen & Prophetas: id eſt, libros eorum, quibus homines obediendo, tormenta inferni euitarent: vbi denique nouerat diuitem illum in delitiis, pauperem verò Lazarum in laboribus, doloribúſque vixiſſe: Nam & hoc illi ait, * *Memento fili, quia percepiſti bona in vita tua, Lazarus autẽ mala.* Sciebat ergo hæc, quæ vtique apud viuos, non apud mortuos geſta fuerant. Verùm nõ cùm agerẽtur in viuis, ſed eis mortuis potuit Lazaro indicante cognoſcere, ne falſum ſit quod ait Propheta, * *Abraham neſciuit nos.* Proinde fatendũ eſt, neſcire quidẽ mortuos quid hîc agatur, ſed dum hîc agitur, poſtea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: Non quidẽ

*Abraham defunctus ſciuit, quæ apud viuos gererentur.*

** Luc. 16.*

** Eſai. 63.*

*Defunctorũ animæ, nondum beatæ,*

*tribus modis cognoſcere poſſunt quæ hîc gerũtur, quãuis abſentes ſint nec valeant ſuis viribus (Auguſtini ſententia) rebus noſtris intereſſe.*

** Luc. 16.*

*Defunctorũ animæ, diuina virtute, ad viuos mitti poſſunt.*

** 2. Cor. 12.*

omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, qui ſinuntur etiam iſta meminiſſe: & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Poſſunt & ab angelis, qui rebus quæ aguntur hîc, præſto ſunt, audire aliquid mortui, quòd vnumquenque illorũ audire debere iudicat, cui cuncta ſubiecta ſunt. Niſi enim eſſent angeli qui poſſent intereſſe & viuorum & mortuorum locis, nõ dixiſſet Dominus Ieſus, * Contigit autem mori inopem illum, & ferri ab angelis in ſinum Abrahæ. Nunc ergo hîc, nunc ibi eſſe potuerunt, qui hinc illuc, quem Deus voluit, abſtulerunt. Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua quæ hîc aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt eos non noſſe, non ſolùm præterita vel præſentia, verùm etiam futura ſpiritu Dei reuelante cognoſcere: ſicut non omnes homines, ſed Prophetæ dum hîc viuerent cognoſcebant, nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe reuelanda Dei prouidentia iudicarat. Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, ſicut è contrario Paulus ex viuis in paradiſum raptus eſt, diuina Scriptura * teſtatur. *Tom. 4. de cura pro mortuis gerenda, cap. 14. & 15.*

## *XV. In generali iudicio præter eos qui damnandi ſunt ad gehennam, & eos qui omnino purgati iam antè fuerint, futuros alios qui per ignem purgatorium tunc ſalui futuri ſint.*

** Geneſ. 15.*

*Dies iudicij dirimet carnales per ignẽ ſaluandos, & carnales in igne damnandos.*

QVod verò adiungitur: * *Cũ autẽ iam ſol erat ad occaſum, flamma facta eſt, & ecce fornax fumibũda & lampades ignis, quæ tranſierunt per media diuiſa illa,* ſignificat iam in fine ſeculi per ignem iudicandos eſſe carnales. Sicut enim afflictio ciuitatis Dei qualis antea nunquã fuit, quæ ſub Antichriſto futura ſperatur, ſignificatur tenebroſo timore Abrahæ circa ſolis occaſum, id eſt, propinquante iam fine ſeculi: ſic ad Solis occaſum, id eſt, ad ipſum iam finẽ, ſignificatur iſto igne dies iudicii, dirimens carnales per ignem ſaluandos, & in igne damnandos. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 16. cap. 24.*

Ex his quæ dicta ſunt videtur euidẽtius apparere in



** Malach. 3.*

*In die iudicij quorũdã pœnæ purgatoriæ.*

** Eſai. 4.*

*Videãt noui Euãgeliſtæ, qui nuſquã in ſacris literis purgatorias pœnas inueniunt: num Auguſtinus, tum alibi ex aliis locis, tũ hîc ex Malach. cap. 3. eas diſerte confirmet.*

** 1. Ioan. 4.*

*Purgata Eccleſia per iudiciũ nouiſſimũ, aliis ſcilicet ad æternũ ignẽ dãnatis, aliis (qui hoc indiguerint) purgatorio igne mũdatis, nullũ deinceps ſacrificiũ pro peccatis futurũ eſt.*

illo iudicio quaſdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Vbi enim dicitur: * Quis ſuſtinebit diem introitus eius, aut quis ferre poterit, vt aſpiciat eum, quia ipſe ingreditur quaſi ignis cõflatorii, & quaſi herba lauantiũ, & ſedebit conflans, & emundans ſicut aurum, & ſicut argentum, & emundabit filios Leui, & fundet eos ſicut aurũ & ſicut argentũ: quid aliud intelligendũ eſt? Dicit tale aliquid & Eſaias. * *Lauabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu iudicij & ſpiritu combuſtionis.* Niſi fortè ſic eos dicendũ eſt emundari à ſordibus, & eliquari quodammodo, cùm ab eis mali per pœnale iudiciũ ſeparantur, vt illorũ ſegregatio atque damnatio purgatio ſit iſtorũ, quia ſine talium de cætero cõmixtione victuri ſunt. Sed cùm dicit: * *Et emundabit filios Leui, & fundet eos ſicut aurum & argentum, & erunt Domino offerentes hoſtias in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem,* vtique oſtendit eos ipſos, qui emundabũtur, deinceps in ſacrificiis iuſtitiæ Domino eſſe placituros, ac per hoc ipſi à ſua iniuſtitia mundabuntur, in qua Domino hoſtiæ diſplicebant. Porrò in plena perfectáque iuſtitia, cùm mundati fuerint, ipſi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerũt, quàm ſeipſos? Verùm iſta quæſtio de purgatoriis pœnis, vt diligentius pertractetur, in tempus aliud differẽda eſt. Filios autem Leui, & Iuda, & Hieruſalem, ipſam Dei Eccleſiam debemus accipere, non ex Hebræis tãtùm, ſed ex aliis etiam gentibus cõgregatã, nec talem, qualis nũc eſt, vbi *ſi dixerimus,* * *quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* ſed qualis tunc erit velut area per ventilationem, ita per iudiciũ purgata nouiſſimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mũdatio neceſſaria eſt: ita vt nullus omnino ſit, qui offerat ſacrificiũ pro peccatis ſuis. Omnes enim qui ſic offerũt, profectò in peccatis ſunt, pro quibus dimittendis offerũt, vt cũ obtulerint, acceptúmq; Deo fuerit, tunc dimittantur. *Ibidem, lib. 20. cap. 25.*

*Poſt emũda-*

Proinde quia poſt iudicium cùm fuerint etiam igne mundati, qui eiuſmodi mundatione ſunt digni, in omnibus ſanctis nullum inuenietur omnino peccatum,

*tionem generalis iudicij, ſancti omnino ſine peccato.*

atque ita ſeipſos offerẽt in iuſtitia, vt tales hoſtiæ omnimodo immaculatæ, ac ſine vllo vitio ſint futuræ, erũt profectò ſicut priſtinis diebus, & ſicut annis prioribus, quando in vmbra huius rei futuræ mundiſſimæ offerebantur hoſtiæ. Hæc erit nanque mundicia * tunc in immortali carne ac mente ſanctorum, quæ figurabatur in illarum corporibus hoſtiarum: deinde propter eos, qui non mundatione ſed damnatione ſunt digni. Et *accedam*, inquit, * *ad vos in iudicium, & ero teſtis velox ſuper maleficos & ſuper adulteros, & cætera*: quibus damnabilius enumeratis criminibus addidit, Quoniã ego Dominus Deus veſter, & nõ mutor. *Ibidem. cap. 26.*

** aliâs mũdatio.*

** Malach. 3.*

*Et hinc habes tres ſtatus defunctorum, ſcilicet eorũ qui nihil habent, quod expiari ſit neceſſe, eorum qui damnandi ſunt, & eorũ qui per ignẽ purgabũtur.*

Quiſquis igitur cupit pœnas euadere ſempiternas, non ſolùm baptizetur, verùm etiã iuſtificetur in Chriſto, ac ſic verè tranſeat à diabolo ad Chriſtum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, niſi ante illud vltimum tremendúmque iudicium. Nequaquam tamen negandum eſt, etiam ipſum æternum ignem pro diuerſitate meritorum quanuis malorum, aliis leuiorem, aliis futurum eſſe grauiorem, ſiue ipſius vis atque ardor pro pœna digna cuiuſq; varietur, ſiue ipſe æqualiter ardeat, ſed non æquali moleſtia ſentiatur. *Ibidem, lib. 21. cap. 16. Vide & cap. 24.*

*Ante vltimũ iudiciũ pœna purgatoriæ.*

*Aeternus ignis quoſdã damnatos leuius, quoſdam grauius cruciabit.*

# CAPVT SECVNDVM DE SANCTIS ET EOrum prærogatiua.

## I. *Animas ſanctorum, etiam nunc, ante extremi iudicij diem regnare cum Chriſto.*

ANimæ victrices glorioſiſsimorũ martyrũ omnibus doloribus ac laboribus ſuperatis atque finitis, poſteaq̃ mortalia membra poſuerũt, cum Chriſto vtique regnauerunt & regnant, donec finiantur mille anni, vt poſtea, receptis etiã corporibus iam immortalibus, regnent. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 20. cap. 13.*

*Animæ ſanctorũ exeuntes de corpore, ad Chriſtũ vadunt.*

Poſt aſcenſionẽ Domini ad cœlos omniũ Sanctorum animæ cum Chriſto ſunt, & exeuntes de corpore ad Chriſtũ vadunt, exſpectantes reſurrectionem corporis



ſui, vt ad integram & perpetuam beatitudinẽ cum ipſo pariter immutentur, ſicut & peccatorum animæ, in inferno ſub timore poſitæ, exſpectant reſurrectionem ſui corporis, vt cum ipſo ad pœnam detrudantur æternã. *Tom. 3. de Eccleſ. dogmat. cap 79.*

*Lib. de immortalitate animæ.*

Quid non, inquit, (*Cyprianus*) properamus & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parẽtes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſollicita. *Tom. 7. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 14.*

*Ergo iuſtorũ animæ iam erant in patria.*

*Et datæ ſunt * illis ſingulæ ſtolæ albæ*: per ſtolas albas debemus intelligere mercedem baptiſmi, præmium martyrii, mercedem æternorum, & gaudium cœleſtis patriæ. Habent ergo ante reſurrectionem ſancti ſingulas ſtolas, quia in ſola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur: poſtea autem accepturi ſunt binas, quando receptis corporibus immutabiles erũt in anima & incorruptibiles in corpore. De hoc Eſaias, * *In terra ſua duplicia poſsidebunt. Et infrà.* Oportet ergo fratres chariſsimi, quia primitias martyrũ hodierna feſtiuitate veneramur, de æterna quæ in cœlis eſt martyrũ feſtiuitate ſedulè cogitemus, eorúmq; veſtigia, in quãtum poſsumus ſequẽdo, & ipſi eiuſdẽ feſtiuitatis ſupernæ participes exiſtere curemus, teſtante Apoſtolo. * *Quia ſi ſocij paſsionum fuerimus, ſimul & conſolationis erimus*: nec tam de morte eorũ lugeamus, quàm de iuſta palmæ perceptione lætemur. Siquidem ſingulos eorum cùm per tormenta pellerentur ex hac vita, Rachel gemebunda, id eſt, Eccleſia gemit, luctu lachrymiſque perſecuta: ſed iam hinc expulſos ſuperna Hieruſalem, quæ eſt mater * omniũ noſtrũ, mox in aliam vitã obuiis lætitiæ miniſtris excepit, atque in gaudiũ Domini ſui perpetuo coronandos introduxit. Vnde dicit Ioannes, * *Stabant ante thronum in cõſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Stant enim modò ante thronũ Dei coronati, qui quondam ante thronũ iudicum terrenorum iacebant pœnis aſtricti. Stant in cõſpectu agni nulla ratione illic à contemplanda eius

** Apoc. 6.*

*Habẽt ſancti ante reſurrectionem ſingulas ſtolas, quia in ſola anima æternis beatitudinibus perfruuntur, poſtea accepturi binas.*

** Iſa. 61.*

*Sanctorum innocentium feſtiuitas in Eccleſia.*

** 2. Cor. 1.*

** Gal. 4.*

** Apoc. 7.*

*Sancti martyres, Dei*

*gloriā nunc contēplātur, ſtantes in cō-ſpectu agni.*

gloria ſeparandi, à cuius hîc amore nec per ſupplicia poterant ſeparari. Stolis fulgent albis, & palmas in manibus habent, quia præmia in operibus habent, dum corpora quæ pro Domino ignibus vſtulari, ac beſtiis dilacerari, flagris abſumi, per præcipitia diſſolui, vngulis abradi, omnimodo pœnarum genere paſſi ſunt diſſipari, per reſurrectionem glorificata recipiunt. Et clamabant, inquit, * voce magna, dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & agno. Magna voce ſalutem Deo decātant, qui magna gratiarum actione recolunt, non ſua ſe virtute, ſed ipſo auxiliante, tribulationum impugnantium ſuperaſſe certamina. Dicit iterum eorum & præteritos agones & coronas deſcribēs perpetuas: Hi ſunt, qui venerūt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, dealbauerunt eas in ſanguine agni. Stolas quippe martyres in ſanguine agni lauerūt, dum membra ſua, quæ oculis inſipientiū viſa ſunt pœnarum ſqualore fœdati, ſic potius fuſo pro Chriſto ſanguine ab omnibus mūdauere contagiis, inſuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod eſt etiam lotas habuiſſe ſtolas in ſanguine agni. Ideò ſunt, inquit, ante thronum Dei, & ſeruiūt die ac nocte in templo eius. *Tom. 10. de Sanctis, ſerm. 11. qui eſt in feſto Innocentium, ſerm. 4.*

** Apoc. 7.*

** Apoc. 20.*

ET ANIMÆ, (inquit, *Apoſtolus Ioannes*) *occiſorum propter teſtimonium Ieſu & propter verbum Dei*: ſubaúditur, quod poſtea dicturus eſt: *& regnauerunt cum Ieſu mille annis*, animæ ſcilicet martyrum, nondum ſibi corporibus ſuis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione,* corporis Chriſti: nec aliquid prodeſſet ad eius in periculis baptiſmum currere, ne ſine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, ſi fortè per pœnitentiam, malámue conſcientiam, quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiūt iſta, niſi quia fideles etiam defuncti membra eius ſunt? Quamuis ergo cum ſuis corporibus nondum ſunt, iam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum iſti mille anni decurrunt. Vnde in hoc eodem libro & alibi le-

** aliâs communicatione.*

*Fideles defūcti quāuis cū ſuis corporib. nōdum ſunt, iam tamē eorum animæ regnant cum Chriſto.*



gitur: * *Beati mortui qui in Domino moriuntur*: amodò iam etiam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, nam opera eorum ſequuntur illos. Regnat itaque cum Chriſto nūc primùm Eccleſia in viuis & mortuis. Propterea enim, ſicut dicit Apoſtolus, * mortuus eſt Chriſtus, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Sed ideò tantummodò martyrum animas commemorauit, quia ipſi præcipuè regnāt mortui, qui vſque ad mortem pro veritate certarunt. Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt regnum Chriſti. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 20. cap. 9.*

** Apoc. 14.*

** Rom. 14.*

Cum ſanctos in oratione inuocatis, ſic oportet de iis cogitare conſtitutis in gloria æternæ claritatis, ſcilicet ſplendidiſſima lumina longè præ ſolis fulgore lucentia, qui omnia bona pleniter in Dei viſione habeant, & cunctis ſe inuocantibus potenter ſubueniant. *Tom. 9. de cognit. veræ vitæ, cap. 9.*

*Sancti cōſtituti ſunt in gloria æternæ claritatis.*

*In Dei viſione omnia bona plenè habēt ſancti.*

Illud quod eſt optimum, ſe dicit (*Apoſtolus*) * concupiſcere, diſſolui & eſſe cum Chriſto. Manere autem in carne neceſſarium, inquit, propter vos. Quod ergo inquit, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto: inde incipit requies, quæ non interrumpitur reſurrectione, ſed clarificatur: quæ tamen nunc fide retinetur. *Tom. 2. epiſt. 119. ad Ianuarium, cap. 14.*

** Phil. 1.*

*Poſt corporis diſſolutionem incipit animæ requies nunquam interrumpenda.*

Vidi ſub ara* Dei animas interfectorum. Aram Dei Eccleſiam dicit, ſub cuius oculis martyres effecti ſunt. Et licet animæ ſanctorum in paradiſo ſint, tamen quia ſanguis ſanctorum ſuper terram funditur, ſub ara clamare dicuntur. *Tom. 9. in Apoc. hom. 6.*

** Apoc. 6.*

*Animæ ſanctorū in paradiſo ſunt.*

Primum cœlum rectè accipimus (*explicat locum de raptu Pauli*) hoc omne corporeū generali nomine, quicquid eſt ſuper aquas & terram. Secundum autem, in ſimilitudine corporali, quod ſpiritu cernitur, ſicut illud, vnde animalibus plenus in ecſtaſi Petro diſcus ſubmiſſus eſt. Tertium verò quod mente conſpicitur, ita ſecreta & remota & omninò abrepta à ſenſibus carnis atque mundata, vt ea quæ in illo cœlo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam verbūmque * Deum, per quod facta ſunt omnia, in caritate Spiritus ſancti ineffabiliter valeat videre, & audire. Non incongruenter arbitramur,

** Act. 10.*

** Ioan. 1.*

** 2. Cor. 12.* & illuc raptum *eſſe Apoſtolum, & ibi fortaſſis eſſe paradiſum omnibus meliorem, & ſi dici oportet paradiſum paradiſorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis eſt, in omni creatura, quid ea lætitia præſtantius, quæ in verbo Dei eſt, per quod facta ſunt omnia? *Tom. 3. de Geneſi ad lit. lib. 12. cap. 34.*

*De tali paradiſo & aliud præcedens teſtimonium & ſiqua in Auguſtini libris ſimili loquendi forma occurrunt, intelligenda ſunt: ſiquidem eodem ipſo capite, de latrone diſputans, probabile eſſe docet, animam eius in illam paradiſum eſſe translatam, in quam translatus fuit Paulus,* vbi, *inquit,* ſunt animæ beatorum. *Paulus autem cùm ad tertium cœlum raptus, peruenerit in paradiſum, in qua, vt affirmat Auguſtinus, contemplari voluerit ipſam ſubſtantiam Dei, conueniēter etiam animas beatorum, cùm in paradiſo eſſe dicuntur, in cœlo eas eſſe intelligimus.*

Siquis percuſſerit carnem, tu fugis, tu exis, tu migras, iacet terra in terra. Vbi erit quod animauit terram, quod flatu Dei tibi datum eſt? vbi erit? Si non efflauit vitam, id eſt, Deum ſuum, in illo erit quem non perdidit, in illo erit quem non à ſe excluſit. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm. 18.*

*Animæ in hoc ſeculo purgatæ à Chriſto recipiũtur, et cũ eo eſſe credendæ ſunt.*

** Phil. 1.*

Animæ ſanctæ quæ in hoc ſeculo aut per vitæ innocentiam puræ ſunt, aut pœnitentiæ ſatisfactione purgātur, à Saluatore noſtro recipiuntur, & cum eo eſſe credendæ ſunt, ſecundùm Apoſtoli dictum:* Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. *Tom. 10. de ſanctis, ſerm. 15. qui eſt in feſto Cathedræ S. Petri.*

Habent omnes animæ, vt ex hac occaſione inſtruam caritatem veſtram, habent omnes animæ, cùm de ſeculo exierint diuerſas receptiones ſuas: Habent gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cùm facta fuerit reſurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti ſunt in pace ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, boni fideles, omnes tamen adhuc in fine recepturi ſunt, quod promiſit Deus. Promiſſa



enim eſt reſurrectio, etiam carnis, mortis conſumptio, vita æterna cum angelis. Hoc omnes ſimul accepturi ſumus: nam requiem, quæ continuò poſt mortem datur, ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſque cùm moritur. Priores acceperunt Patriarchæ: videte ex quo requieſcunt. Poſteriores Prophetæ: recentius Apoſtoli: multò recentiores ſancti martyres, quotidie boni fideles. Et alij in iſta requie tam diu ſunt, alij non tam diu, alij paucioribus annis, alij recenti tempore. Cùm verò ab hoc ſomno euigilabunt, ſimul omnes quod promiſſum eſt accepturi ſunt. *Tom. 9. in Euangel. Ioannis, tract. 49.*

*SVNT qui ex proximè præcedenti teſtimonio, Auguſtini doctrinam ad Armenorum, & Anabaptiſtarum errorem detorquent, aſſerentium, ſanctorum animas vſque ad extremum iudicij diem longè à diuinæ viſionis intuitu, quaſi in quodam lymbo apud inferos detineri. Ad quam ſuam de Auguſtino opinionem adducunt, & alia nonnulla ex eius libris petita teſtimonia, vt cùm explicans verſiculum illum Pſalm. 36. Concil. 1. Adhuc puſillum & non erit peccator, ſcribit in hunc modum:*

Poſt vitam iſtam nondum eris, vbi erunt ſancti: quibus dicetur,* Venite benedicti patris mei, percipite **Matth. 25.* regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi: nondum ibi eris, quis neſcit? ſed iam poteris ibi eſſe, vbi illum quondam vlceroſum * pauperem diues ille ſuperbus ** Luc. 16.* in mediis tormentis vidit longè requieſcentem: in illa requie ſecurus expectabis diem iudicij, quando recipias corpus, quando immuteris, vt angelo æqueris. *Item Tom. 3. in Enchirid. cap. 109.*

Tempus quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt vel requie vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne cùm viueret. *Præterea lib. 1. retract. cap. 14.* Illud nos beatiſſimos facit, quod ait Apoſtolus, * Tunc autem facie ad faciem, & ** 1. Cor. 13.* tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum: qui hoc inuenerunt ipſi dicendi ſunt in beatitudinis poſſeſſione conſiſtere, ad quam ducit via fidei quam tenemus, & quo

credendo cupimus peruenire: ſed quinam ſint illi beatiſſimi qui iam ſunt in ea poſſeſſione quò ducit hæc via, magna quæſtio eſt: & angeli quidem ſancti, quòd ibi ſint, nulla quæſtio eſt: ſed de ſanctis hominibus iã defunctis, vtrũ ipſi ſaltem dicendi ſint, iam in illa poſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur: iam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggrauatur, exuti ſunt, ſed adhuc expectant etiam ipſi redemptionem corporis ſui, & caro ipſorum requieſcit in ſpe, nondum in futura incorruptione clareſcit: ſed vtrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, ſicut dictum eſt, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hîc locus eſt diſputando inquirere.

*Verùm prudenter animaduertendum eſt, quod Auguſtinus affirmat poſt vitam non futuros nos vbi ſancti poſt iudicium: ſed ad contemplandam cordis oculis veritatem, facie ad faciem, minus aliquid habituros quàm habent angeli, non de cœleſti gloria, ſed de cœleſtis gloriæ quantitate, ſeu potius perfectione, quæ ante reſurrectionem corporum, omnibus ſuis numeris abſoluta non eſt, eſſe intelligendum: id quod non obſcurè nos illæ comparationes monent, quando iam quieſcentibus in ſinu Abrahæ, iam angelis reuelatiori facie contemplantibus Deum, animas comparat. Quarum tamen altera, quæ eſt de ſinu Abrahæ, non ita accipienda eſt, quaſi animæ ſanctorum non maiori gloria fruantur, quàm olim Lazarus aut Abraham ipſe, cùm morarentur in lymbo, ſed ſecundùm eam ſimilitudinis partem duntaxat, quà nos docere vult Auguſtinus, nihil abſurdi ex eo confici, quòd animas in cœlo ſtantes ante cõſpectum agni, nondum ex omni parte pleniſſima ipſius diuini conſpectus fruitione, ante reſuſcitationem propriæ carnis, ad quam amandam naturaliter feruntur, beatas dicimus: cùm in maiori etiam imperfectione quietis, Abraham cæteróſque Patriarchas & prophétas omnes, ante deſcenſum Chriſti ad inferos, lamentabundos expectaſſe fateamur. Hanc enim germanam horum locorum interpretationem eſſe, præter ea quæ ſuperius affatim multa, eadémque illuſtria planè teſtimonia allata ſunt, declarat inſuper illud, quod de Geneſi ad lit. lib. 12. cap. 35. poſt longam ac perobſcuram hac ipſa de re diſputationem, in hæc verba concluditur.* Si quem mouet, quid opus ſit ſpiritibus defunctorum corpora ſua in reſurrectione recipere, ſi poteſt





etiam eis ſine corporibus ſumma illa beatitudo præberi: difficilior quidem quæſtio eſt, quàm vt perfectè poſſit hoc ſermone finiri: ſed tamen minimè dubitandum eſt, & raptam hominis à carnis ſenſibus mentem, & poſt mortem ipſam carne depoſita, & tranſcenſis etiam ſimilitudinibus corporalium, non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, vt ſancti angeli vident: ſiue aliqua latentiore cauſa, ſiue ideò, quia ineſt ei naturalis quidam appetitus corpus adminiſtrandi: quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud ſummum cœlum, quandiu non ſubeſt corpus, cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat. *Et rurſum Tom. 2. epiſt. 119. ad Ianuarium, cap. 13.* Animæ quippe omnium ſanctorum, ante reſurrectionem corporis ſunt quidem in requie, ſed in ea non ſunt actione qua corpora recepta vegetantur.

*Obſeruandum autem quoties Auguſtinus ſanctorum animas ex hoc corpore diſcedentes in ſinum Abrahæ recipi, atque ibidem quietem ſuam habere dicit, per ſinum Abrahæ, non iam locum aliquem apud inferos, qualis in veteri teſtamento lymbus fuit, ſed catachreſticῶs cœlum ipſum intelligi debere, ipſum inquam cœlum, in quod Chriſtus aſcendit. Ita enim ſemetipſum interpretatur, quæſt. Euang. lib. 2. cap. 38. vbi ait:* Sinus Abrahæ * requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur: *Et infrà.* Sinus Abrahæ intelligitur ſecretum patris quo poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt Dominus: quo eum portatum (*Chriſtum in perſona Lazari*) ab angelis ideò dictum puto, quia ipſam receptionem, qua in ſecretum patris abſceſſit, angeli annunciauerũt diſcipulis intuentibus. Dicendo enim, quid ſtatis aſpicientes * in cœlum: quid aliud dixerunt, niſi nullo modo poſſe oculos hominum vſque in illud penetrare ſecretum quo ibat Dominus, cùm in conſpectu diſcipulorum ferretur in cœlum? *Et continuò ſubdit.* Secretum patris bene intelligitur, vbi etiam ante reſurrectionem iuſtorum animæ viuunt cum Deo. *Reſtat vt ad illa quoque verba reſpondeamus, quibus docetur inter hominis mortem, & vltimam eius reſurrectionem animas abditis receptaculis cõtineri, ſiue, vt 12. de ciuitate Dei, cap. 9. legitur, Secretis qui-*

* *Luc. 16.*

* *Act. 1.*

*buſdam ſedibus requieſcere. Vigilantianam in primis eſſe hæreſim, in ſinu Abrahæ, aut conſimili loco, ſanctorum animas velut in carcere contineri, vel ex vnius Hieronymi verbis conſtat, qui aduerſus Vigilantium ſcribens, eius ſibi ſententiam obiicit, ac refutat in hunc modum.* Ais (*ô Vigilanti*) vel in ſinu * Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubter arã* Dei, animas Apoſtolorum & martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint eſſe præſentes. Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, ſed in libera honeſtáque cuſtodia, in fortunatorum inſulis & in campis Elyſiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula iniicies? vt vſque ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo? de quibus ſcriptum eſt: * Sequuntur agnum quocunque vadit? Si agnus vbique: ergo & hi, qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præſentes ſint: martyres, poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt? *Iam verò quis tam væſana mente præditus qui huius vſque adeo ſtultiſsimi erroris, vel potius inſaniſsimæ hæreſeos nota (ſiquidem decretalibus ſummorum Pontificum epiſtolis ac generali deinceps Concilio Florentino, ea quæſtio iam habetur deciſa) Auguſtinum Catholicæ Eccleſiæ lumen omnium præſtantiſsimum aſpergere audeat? Intelligendum igitur eſt, poſtequam Chriſtus reſurgens à mortuis captiuam è lymbo duxit captiuitatem, alias nullas, exceptis purgatorijs, animarum ſedes, nulla receptacula ab Auguſtino conſtitui, quàm, ſiquidem de quiete bonorum atque ſanctorum ſermo eſt, quæ Euangeliſta, Chriſti verbis, manſiones vocat, Apoſtolus autem ædificationes & domos non manufactas in cælis: ſin verò de improborum ſceleratorúmque poſt mortem habitaculis cõtrouerſia vertitur, quæ ſtagnum ignis & gehenna in ſacris literis appellantur, tenebræ item exteriores, in quibus erit fletus & ſtridor dentium. Quorſum enim Chriſtus qui veteris teſtamenti ſanctos de lymbo, quaſi de lacu quodam, vt ſcriptura loquitur, eduxit, & cum latrone ad paradiſi gaudia tranſtulit: noui Teſtamenti ſanctos & electos ſuos, nouis iterum vinculis & cæco carcere circundatos, ſua tot ſeculis viſione priuaret?* Si non abſurdè, *inquit Auguſtinus*, antiquos etiam

Hieronym⁹.
* Luc. 16.
* Apoc. 6.
* Apoc. 14.

*Sancti vbique eſſe credendi ſunt, poteſtate nõ actu: vti verba immediatè ſequẽtia declarant.*



ſanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quibuſdam à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti & ad ea loca deſcenſus erueret, profectò deinceps boni fideles effuſo illo precio iam redempti, prorſus inferos neſciunt, donec etiam receptis corporibus bona recipiãt, quæ merentur. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 20. cap. 15. Sed & de Trinit. Dei, libr. 15. cap. 25.*

Ad agnum Dei pertinentes, *inquit*, quando ſiue huius vitæ reſoluuntur à corpore, ius in eis retinendis nõ habent inuidæ poteſtates, quas ille agnus ſine vllo ab eis peccati debito occiſus, nõ potentia poteſtatis prius quàm iuſtitia ſanguinis vicit. Proinde liberi à Diaboli poteſtate, ſuſcipiuntur ab angelis ſanctis, à malis omnibus liberati per mediatorem Dei * & hominum hominem Ieſum Chriſtum: quoniam conſonantibus diuinis ſcripturis, & veteribus, & nouis, & per quas prænunciatus, & per quas annunciatus eſt Chriſtus, non eſt aliud nomen * ſub cœlo, in quo oporteat homines ſaluos fieri. Conſtituuntur autem purgati ab omni cogitatione corruptionis in placidis ſedibus, donec recipiant corpora ſua, ſed iam incorruptibilia, quæ ornent non onerent.

*Hactenus Auguſtinus. Regnare autem animas in iſtiuſmodi ſedibus & eſſe cum Chriſto, pluribus ſuprà teſtimonijs declaratum eſt. Faceſſant ergo Vigilantiani, & ſanctorum animas cæco carcere occludere deſinant. Scimus enim, inquit Apoſtolus, * quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis: dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe ad Dominum, nimirum vbi ſanctorum animæ ſtant ante thronum Dei in conſpectu agni, nunc quidem ſtolis ſingulis, poſt reſurrectionem verò duplicibus amiciendæ: ità vt non immeritò idem ipſe clamet, * Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.*

* 1. Tim. 2.
* Act. 4.
* 2. Cor. 5.
* Philip. 1.

### *II. Preces noſtras à Sanctis in Christo quieſcentibus intelligi.*

*A beato Petro, Martino atq; aliis Sãctis iã in Domino quieſcẽtibus exaudi tas eſſe multorũ preces, experimentũ docet.*

FRater. Si animæ corporeas voces non audiunt, quomodo animas ſanctorum, ſcilicet Petri & Martini vel alterius iuſti preces ſuas exaudiſſe multi experti ſunt? M A G. Oratio cordis, non oris aſcendit in cœlum. Animæ enim non clamorem vocis, ſed cordis audiunt, & ſe fideliter inuocantibus ſubueniunt. Neque magis clamoſas preces audiunt, quàm eas, quæ ſine voce, vel in lingua, vel in corde tantùm fiunt, quia neque à nobis verba, ſed voces cordis tantùm audiuntur, cæterùm verba mente videntur. Cùm ergo animæ noſtræ aliquid ſecundùm Deum deſiderant, & hoc ſibi à Deo per ſanctos dari ſiue corde, ſiue lingua, ſiue voce poſtulant, animæ ſanctorũ, quibus eſt idem audire, quod videre, & è conuerſo, non voces ſed verba intuentes, deſiderata eis à Deo impetrãt, vt habetis ſcriptum:* Deſyderium pauperum exaudiuit Dominus. *Tom. 9. de cognitione ve. & vitæ, cap. 39.*

** Pſal. 9.*

*Sãcti in Deo humanas preces ſentiunt, & in illo nos exaudiunt.*

Ecce vnum Deum colo, vnum omnium principium & vnam ſapientiam qua ſapiens eſt, quæcunque anima ſapiens eſt, & ipſum munus, quo beata ſunt quæcunque beata ſunt. Quiſquis angelorum diligit hunc Deũ, certus ſum quòd etiam me diligit. Quiſquis in illo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit. Quiſquis ipſum habet bonum ſuum, in ipſo me adiuuat, nec mihi eius participationem poteſt inuidere. *Tom. 1. de vera relig. cap. 55.*

Nam & cùm exaudiunt nos angeli, ipſe (*Deus*) in eis exaudit, tanquam in vero, & non manufacto templo ſuo. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 10. cap. 12. Vide & in Pſalm. 108.*

** 4. Reg. 5.*

*Exẽplo Heliſæi probat, beatos ĩ Deo poſſe cognoſcere abſentia, et lõge quidem perfectius q̃ alij mortales ea intelligãt, à Deo etiã mirabiliter adiuti.*

Si enim Propheta Heliſæus* puerum ſuum Giezi abſens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat, quod ſeruus nequam, Domino ſuo non vidente, latenter ſe feciſſe putauerat; quanto magis in illo corpore ſpiritali videbunt ſancti omnia,



non ſolùm ſi oculos claudant, verùm etiam vnde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud de quo loquens Apoſtolus:* *Ex parte*, inquit, *ſcimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectũ eſt, quod ex parte eſt euacuabitur.* Deinde vt quomodo poſſet aliqua ſimilitudine oſtenderet, quantum ab illa quæ futura eſt diſtet hæc vita, non qualiumcũque hominum, verùm etiam qui præcipua hîc ſanctitate ſunt præditi: *Cùm eſſem*, inquit,* *paruus, quaſi paruulus ſapiebam, quaſi paruulus loquebar, quaſi paruulus cogitabam: cùm autem factus ſum vir, euacuaui ea quæ paruuli erant.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Si ergo in hac vita vbi hominum mirabilium prophetia ita cõparanda eſt illi vitæ, quaſi paruuli ad iuuenem, vidit tamen Heliſæus* accipientem munera ſeruum ſuum, vbi ipſe non erat: ita ne cùm venerit quod perfectum eſt, nec iam corpus* corruptibile aggrauabit animam, ſed incorruptibile nihil impediet, illi ſancti ad ea, quæ videnda ſunt, oculis corporeis, quibus Heliſæus abſens ad ſeruum ſuum videndum non indiguit, indigebunt? Nam ſecundùm interpretes ſeptuaginta iſta ſunt ad Giezi verba Prophetæ:* *Nónne cor meum tecum ibat, & noui quòd conuerſus eſt vir de curru ſuo in obuiam tibi & accepiſti pecuniam? &c.* Sicut autem ex Hebreo interpretatus eſt presbyter Hieronymus: Nónne cor meum, inquit, in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Corde ſuo ergo ſe dixit vidiſſe Propheta, adiuto quidem mirabiliter, nullo dubitante diuinitus: ſed quanto amplius tunc omnes munere iſto abundabunt, cùm Deus* erit omnia in omnibus? *Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 29.*

** 1. Cor. 13.*

** Ibidem.*

** 4. Reg. 5.*

** Sap. 9.*

*Sancti ad videdas res noſtras, oculis corporeis non indigent.*

** 4. Reg. 5.*

** 1. Cor. 15.*

*Quot modis poſſint defunctorũ animæ quæ apud nos gerũtur intelligere.*

Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos quid hîc agatur, ſed dum hîc agitur, poſtea verò, audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt. Non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, qui ſinuntur etiam iſta meminiſſe: & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Poſſunt & ab angelis qui rebus quæ agũtur hîc præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod vnumquẽque illorum audire debere iudicat, cui cuncta ſubiecta

ſunt. Niſi enim eſſent angeli, qui poſſunt intereſſe & viuorum & mortuorum locis, non dixiſſet Dominus Ieſus: * Contigit autem mori inopem illum, & ferri ab angelis in ſinum Abrahæ. Nunc ergo hîc, nunc ibi eſſe potuerunt, qui hinc illuc quem Deus voluit abſtulerunt. Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua quæ hîc aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt eos non noſſe, non ſolùm præterita vel præſentia, verùm etiã futura ſpiritu Dei reuelante cognoſcere: ſicut non omnes homines, ſed Prophetæ, dum hîc viuerent, cognoſcebãt, nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe reuelanda Dei prouidentia iudicabat. *Tom. 4. de cura pro mortuis gerenda, cap. 15.*

** Luc. 16.*

*Exiſtimauit quidem Auguſtinus hoc loco, mortuorum Spiritus propria virtute non poſſe rebus viuorum præſentes eſſe, vnde hac ratione cognitione illa carere, quæ ex rebus præſentibus & coram poſitis comparatur: poſſe tamen diuina virtute rebus noſtris intereſſe, illáſque præſentes cognoſcere, eiuſdem libri capite quod proximè ſequitur, diſcretis verbis edocuit. Abſentes verò ait, poſſe quæ hîc geruntur, cognoſcere tribus modis. Veruntamen in ſpiritibus iam beatis non hi tantùm ſunt cognoſcendi modi, cùm valeant etiam in diuina eſſentia, quam intuentur, quæcunque ad ſuam ipſorum gloriam & noſtram hîc degentium ſalutem conduxerint, intelligere.*

SCIRE poſſunt (*defuncti quid à nobis agatur*) ab angelis, qui hîc nobis præſto ſunt & animas noſtras ad illos deferunt: Spiritu etiam Dei reuelante cognoſcere poſſunt quæ hîc aguntur, quæ neceſſarium eſt eos cognoſcere. Quidam etiam ex mortuis ad viuos rapi poſſunt: non per propriam naturam, ſed per diuinam potentiam. Vtrum tamen iſta fiant per eorum præſentiam, aut per angelos ſuſcipientes eorum perſonam, affirmare nõ audeo: Deus enim omnipotens, qui eſt vbique præſens, per angelica miniſteria vſquequaque diffuſa poteſt præbere iſta hominibus ſolatia, quibus in huius vitæ miſeria iudicat eſſe præbenda. *Tom. 3. de Spiritu & anima, cap. 29.*

*Animæ ſanctorum quot modis cognoſcere poſſint q̃ hîc gerãtur.*



*Huc pertinet & matutina cognitio angelorum, qua & ſe & omnes creaturas in Deo tanquam in origine & auctore omnium, multò perfectiſſimè per ideas intelligunt & vident: Quam cognitionem explicat Auguſtinus de Ciuitate Dei, lib. 9. cap. 22. & lib. 11. cap. 29.*

## III. *Angelos preces noſtras offerre Deo, hominibúſque varijs in rebus adeſſe & opitulari.*

NOn ait, * *Annunciabitur Dominus generationi venturæ:* ſed, *Annunciabitur Domino generatio ventura.* Quod non ſic accipiendum eſt, tanquam neſcienti aliquid annuncietur vt ſciat, ſed ſicut annunciant angeli, non ſolùm nobis beneficia Dei, verùm etiam illi preces noſtras. Nam ſcriptum eſt, vbi angelus hominibus dicit, * Ego obtuli memoriam orationis veſtræ. *Tom. 2. Epiſtola 120. cap. 29.*

** Pſal. 21.* *Angeli nobis beneficia Dei & Deo preces noſtras offerunt.* ** Tob. 12.* *Angelus Raphaël preces Tobiæ et Saræ obtulit Deo.*

Aut fortè etiam innoteſcant (*poſtulationes noſtræ*) Angelis qui ſunt apud Deum, vt quodammodo eas offerãt Deo, & de his conſulant, & quod eo iubente implendũ eſſe cognouerint, ſicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis vel euidenter vel latenter apportent. Dixit enim angelus homini: * Et nunc quando orabas tu & Sara, ego obtuli orationem veſtram in conſpectu claritatis Dei. *Ibidem, Epiſt. 121. cap. 9.*

** Tob. 12.*

Dicuntur enim angeli orationes & vota noſtra offerre Deo, non quia Deum doceant, qui omnia antequam fiunt ſicut & poſtea facta ſunt, nouit: ſed quia eius voluntatem ſuper his conſulunt, & quod Deo iubente completum eſſe cognouerint, hoc nobis euidenter vel latenter reportent. Vnde angelus hominibus ait, * Cùm oraſtis, orationem veſtram obtuli Deo. *Et paulò pòſt.* De excelſo igitur cælorum habitaculo ad conſulendos, viſitandos & ad adiuuandum nos attrahit ſupereminens charitas angelos: propter Deum, propter nos, propter ſeipſos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos pietatis viſcera, ipſi quoque vt dignum eſt imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitudinem admirantur. Propter ſeipſos, quorum ordines inſtaurandos, ex nobis

*Angeli qua ratione Deo preces noſtras offerãt.* ** Tob. 12.* *Triplex cauſa quare angeli tam ſedulam noſtri curam habent.*

toto deſiderio præſtolantur. *Tom.9.de diligendo Deo,ca.3.*

*Angeli vitæ noſtræ cuſtodes offerũt Deo vota noſtra.*

Putamus quàm dulce eſt, quando vota noſtra talia, qualia dixi, angeli qui cuſtodes vitæ noſtræ ſunt, ante conſpectum diuinæ Maieſtatis obtulerunt? *Tom. 10. de tempore, Serm.7.*

*Sine difficultate nos adiuuant angeli.*

Sancti angeli ad quorum ſocietatem & congregationem in hac peregrinatione laborioſiſſima ſuſpiramus, ſicut habent permanendi æternitatem, ita cognoſcendi facilitatem & requieſcendi fœlicitatem. Sine difficultate quippe nos adiuuant, quoniam ſpiritalibus motibus puris & liberis non laborant. *Tom.5.de Ciuitate Dei, lib. 11.cap.31.*

Si ad hoc (*vt habeat homo intelligentiam mandatorum*) miniſtro vtitur angelo (*Deus*) poteſt quidem aliquid agere angelus in mentem hominis, vt capiat lucem Dei & per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quaſi, vt ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quiſquam dicitur lucem dare domui vel illuminare domum, cui feneſtram facit, cùm eam non ſua luce penetret & illuſtret, ſed tantummodo aditum quo penetretur atque illuſtretur aperiat. *Et infrà.*

*Ad capiendum lumen Dei ab angelo mens adiuuatur humana.*

Deus angelum talem fecit, qui operari poſſit aliquid, vnde ad capiendum lumen Dei mens adiuuaretur humana, & eandem ſic adiuuat mentem, vt angelicam recipiat operationẽ, & eam ſic illuminat de ſeipſo, vt non ſolùm illa quæ à veritate monſtrantur, ſed ipſam quoque proficiendo perſpiciat veritatem. *Tom. 8. in Pſalm. 118. conc.18. ſuper illud, da mihi intellectum vt diſcam mandata tua.*

** Pſal.103. Heb.1. * Pſal. 90. Matth.4.*

Inſuper facis * angelos tuos ſpiritus propter me, quibus mandaſti * vt cuſtodiant me in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim ſunt cuſtodes ſuper muros ciuitatis tuæ nouæ Hieruſalem, & montes in circuitu eius vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum: ne quando rapiat, vt leo animas noſtras, dum non eſſet qui eriperet, ille antiquus ſerpens, aduerſarius noſter diabolus, qui quaſi leo * rugiens ſemper circumit quærens quem deuoret. Hi ſunt ciues beatæ ciuitatis ſupernæ * Hieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, in miniſterium miſſi

** 1.Pet.5. * Gal.4. Heb.1.*



propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt eos liberent ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus viis ſuis: confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conſpectu gloriæ maieſtatis tuæ.

*Angeli magna cura & vigilanti ſtudio aſſunt nobis.*

Diligunt nempè conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari exſpectant. Ideóque magna cura & vigilanti ſtudio aſſunt nobis, omnibus horis & locis, ſuccurrentes & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſolliciti diſcurrentes inter nos & te Domine: gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referāt ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiſcum in omnibus viis noſtris, intrant & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes, quàm piè, quámque honeſtè in medio prauæ nationis conuerſemur, quantóque ſtudio & deſiderio quæramus regnum tuum, & iuſtitiam eius, quantóque timore & tremore ſeruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis eſt eis cura de nobis. Magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos. Diligunt enim quos tu diligis, cuſtodiunt quos tu cuſtodis, & deſerunt quos tu deſeris. Nec diligunt operantes * iniquitatem, quoniam & tu ** Pſal.5.* odiſti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties benè agimus, gaudent angeli, & triſtantur dæmones. Quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & angelos tuos ſuo gaudio defraudamus: gaudium * eſt enim ** Luc.15.* eis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ſed diabolo ſuper vno iuſto pœnitentiam deſerente. *Tom.9. Soliloq.cap.27.*

*Angeli miſeris ſine miſeria compaſſione ſubueniũt.*

Sancti angeli & ſine ira puniunt, quos accipiunt æterna lege puniendos, & miſeris ſine miſeriæ compaſſione ſubueniunt. & periclitantibus eis, quos diligũt, ſine timore opitulantur, nihilominus tamen iſtarum nomina paſſionũ conſuetudine locutionis humanæ, etiam

in eos vſurpantur, propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem. Sicut Deus ſecundùm Scripturas iraſcitur, nec tamen vlla paſſione turbatur. *Tom.5.de ciuitate Dei, lib.9.cap.5.*

### *IIII. Sanctos vnà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre.*

*Martyres interpellant pro nobis.*

DOminus noſter IESVS Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter. *Tom.8. in Pſalm.85.in expoſit.ſub finem.*

** Exod.26.*

Deinde iubet (*Deus*)* ea (*ſcilicet, tabernaculi*) vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat, Chriſtus paſſione cruentatus? Significantur his etiam martyres ſancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui. *Tom.4.quæſt. ſuper Exod.108.*

*Martyrum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui.*

Exauditus eſt ſanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiſerat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius. Multò magis enim nunc exauditur pro benè orantibus ſe. *Tom.10. de ſanct. ſerm.1.in feſto S.Stephani.*

*Sancti poſt mortē multo magis exaudiūtur quàm hîc degentes.*

Cum animæ noſtræ aliquid ſecundùm Deum deſiderant, & hoc ſibi à Deo per ſanctos dari ſiue corde, ſiue lingua, ſiue voce poſtulant, animæ ſanctorum, quibus eſt idem audire, quod videre, & è conuerſo, non voces, nec verba intuentes, deſiderata eis à Deo impetrant. *To.9.de cog.veræ vitæ, cap.39.*

** Act.5.*

*Sancti poſt mortem non minus poſſūt opē nobis ferre, quā antea*

Et ponebant infirmos * ſuos, vt vmbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam tranſeuntis, quantò magis gratia nūc permanentis? Meritò per omnes Chriſti Eccleſias auro precioſius habetur ferrū illud pœnaliū vinculorū. Si tam medicabilis fuit obūbratio viſitantis, quantò magis catena vincientis? Vt vmbra, inquam, tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere

*Ferrum & cathena, qua vinctus fuit Petrus, in honore apud omnes Eccleſias.*



potuit in ſe vim ſalutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? Si ad præſidium ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax poſt triumphum? *Tom.10 in feſto Apoſt. Petri & Pauli, ſerm.5.qui eſt de ſanctis, 29.*

*Firma ratione redarguuntur hæretici, qui poſt mortem ſanctos nobis non patrocinari garriunt.*

*Et adiuuit terra* * *mulierem, & aperuit os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo.* Terram ſanctam dicit, id eſt, ſanctos. Quoties enim perſecutiones Eccleſiæ irrogantur, ſanctæ terræ precibus, id eſt, omnium ſanctorum orationibus aut amouentur, aut temperantur. *Tom.9.homil.10.in Apocalypſin.*

** Apoc.12.*

*Sanctorum orationibus aut amouentur aut temperantur perſecutiones Eccleſiæ.*

Liberatio (*à peccatis*) quæ fit, ſiue ſuis quibuſque orationibꝰ, ſiue intercedētibus ſanctis: id agit, vti in ignē quiſque non mittatur æternum. *Loquitur expreſſe de ſanctis iam receptis in æterna tabernacula. To.5.de Ciuitate Dei, lib.21.cap.27.ſub finem.*

*Sanctorū interceſſione à peccatis liberamur.*

Inter hæc igitur fratres cum toto mentis affectu beatiſsimæ Virginis nos interceſsionibus committamus, omnes eius patrocinia omni niſu imploremus, vt dum nos ſupplici eam obſequio frequentamus in terris, ipſa nos ſedula prece commendare dignetur in cælis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre precium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium. *Tom.10 de Sanctis, Serm.35.ſub finem.*

*Beatiſsimæ Virginis precibus nos committamus.*

Natalitia ſanctorum cum ſobrietate celebrate, vt imitemur eos qui nos præceſſerunt, & gaudeant de vobis, qui orāt pro vobis, vt benedictio Domini in æternum maneat ſuper vos, fiat, fiat. *Tom.8.in.Pſal.88.conc.2.*

*Natalitia ſanctorū, qui orant pro nobis, celebrāda*

### *V. Sanctos honorandos, & ſuo modo adorandos eſſe, nec ob id Chriſtianos idololatras appellandos.*

*Petrum prouolutis genibus, adorat gentium multitudo.*

ITaque quis iam deſperet de magnitudine criminis, aut de humilitate generis? Nam beatiſsimū Petrum piſcatorem, modò genibus prouolutis, adorat gētium multitudo credentium. *Tom.10.de Sanctis, ſerm.25.qui eſt in feſto Apoſt. Petri & Pauli, ſerm.1.*

*Imperator ſubmiſſo diademate, ad Petri ſepulchrū ſupplicat.*

Imperij nobiliſsimi eminentiſsimū culmen (*nunc videtis*) ad ſepulchrū piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate

ſupplicare. *Tom.2.epiſt.42.ad Madauren.*

Ideo fratres chariſſimi quotieſcunque martyrũ memorias celebramus, prætermiſsis omnibus ſeculi actibus ſine aliqua dilatione concurrere debemus ad domum Dei, reddere illis honorificentiam, qui nobis ſalutem effuſione ſanguinis ſui pepererũt, qui tam ſacratam hoſtiam pro noſtra propitiatione Domino ſe obtulerunt, præſertim cùm dicat ad ſanctos ſuos omnipotens Deus: * *Qui vos honorat, me honorat, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quiſquis ergo honorat martyres, honorat & Chriſtum: & qui ſpernit ſanctos, ſpernit Chriſtum Dominum noſtrum. *Tom.10 de Sanctis, ſerm.26. qui eſt in feſto Petri & Pauli, ſerm.1.*

** Luc.10.*

*Qui honorat Martyres, honorat Chriſtum.*

Quanquam & ipſe Iethro, cùm Iſraëlita non fuiſſet, vtrum inter viros Deum verum colentes, religioſéque ſapientes habendus ſit, quemadmodùm & Iob, cùm ex ipſo populo non fuiſſet, meritò quæritur, imò credibilius habetur. Ambiguè quippe poſita ſunt verba: vel vtrum * ſignificauerit Deo vero in populo eius, quando vidit generum ſuum: vel vtrum adorauit eum ipſe Moſes: quanquam de adoratione, etiamſi expreſsè poſitum eſſet, honor videretur ſocero redditus, eo modo quo ſolet hominibus honorificentiæ cauſa, exhiberi à patribus. Sicut de Abraham ſcriptum eſt, * quòd adorauerit filios Heth. *Tom.4. ſuper Exod. quæſt.69.*

** Fortè,* ſacrificauerit.

*Adorationis honor etiam hominibus tributus à viris piis.*

** Gen.23.*

Oſtendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, niſi ille (*Chriſtus*) defunctus pro nobis? Sumus enim Chriſtiani non Petriani. *Tom.8. in Pſal.44. vltra medium.*

*In Petro Chriſtus honoratur.*

Nec tamen nos eiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorũ nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorũ, tãq̃ ſanctorũ hominũ Dei, qui vſque ad mortẽ ſuorũ corporũ pro veritate certarũt, vt innoteſceret vera religio, falſis religionibus, fictiſque cõuictis quod etiã ſi qui antea ſentiebãt, timẽdo reprimebãt. Quis autem audiuit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultúmque conſtructum, dicere in

*Honoramus memorias martyrum tanquã ſanctorũ Dei.*



precibus: Offero tibi ſacrificiũ Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cœleſti honore ſociauit: vt ea celebritate, & Deo vero de illorũ victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. Quæcunque igitur adhibentur religioſorũ obſequia in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra vel ſacrificia, mortuorum tanquam Deorum. *Tom.5. de Ciuitate Dei, lib.8. cap.27.*

*Sancti martyres angelis ſanctis cœleſti honore ſociati.*

*Habes hinc lector longè diuerſum eſſe cultum, quem Chriſtiani ſanctis tribuũt, ab eo qui ſoli Deo debetur.*

Nam quod etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quòd martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola conuertiſſe, non tam me mouet, vt huic calumniæ reſpondeam, quàm vt ipſum Fauſtum oſtendã ſtudio calumniandi, etiam ab ipſius Manichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe: & in vulgarem atque poëticam Paganorum opinionem, à quibus ſe alieniſsimum cupit videri, neſcio quomodo incautum incidiſſe. Cùm enim dixiſſet nos vertiſſe idola in martyres, quos votis, inquit, ſimilibus colitis, defunctorum vmbras vino placatis & dapibus: ſunt ergo vmbræ defunctorum. *Et infrà.* Populus autem chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quanuis in memorias martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſsiſtens altari, aliquandò dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cypriane? ſed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit: vt ex ipſorum locorũ admonitione maior affectus exurgat ad acuendam caritatem & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus. *Tom.6. contra Fauſtum Manich. lib.20. cap.21.*

*Manichæis & recẽtibus hæreticis, qui dicunt Catholicos eſſe idololatras, colẽdo martyres, quid pij omnes cum Auguſtino reſpondeant.*

### *VI. Sanctos ſuppliciter inuocare & ad eorum orationes, opem, auxiliúmque confugere, etiam ſingulis Chriſtianis bonum eſſe atque vtile.*

*Palladia orādo ad ſanctū Stephanum à graui morbo liberata eſt.*

DE tota ipſa cauſa( *Pauli cuiuſdam, qui ad reliquias S. Stephani, fuerat à membrorum horribili tremore liberatus* ) aliquantò diligentius cœperam diſputare, cùm ecce me diſputante, voces aliæ, de memoria martyris, nouæ gratulationis audiuntur. Conuerſi ſunt eò, qui me audiebant, cœperuntque concurrere: Illa enim (*Palladia Pauli ſoror*) vbi de gradibus deſcendit, in quibus ſteterat, ad ſanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cācellos attigit collapſa ſimiliter velut ad ſomnum, ſana ſurrexit. Dum ergo requireremus quid factum fuerit, vnde iſte ſtrepitus lætus extiterit, ingreſſi ſunt cum illa in baſilicam, vbi eramus adducentes eam ſanam de martyris loco. Tum verò tantus ab vtroque ſexu admirationis clamor exortus eſt; vt vox continuata cum lachrymis non videretur poſſe finiri. Perducta eſt ad eum locum, vbi paulò antè ſteterat tremēs. Exultabant eam ſimilem fratri factam, cui doluerat remanſiſſe diſſimilem. Et nondum fuſas preces ſuas pro illa, iam tamen præuiam voluntatem tam citò exauditam eſſe cernebant. Exultabant in Dei laudem voces, ſine verbis, tanto ſonitu, quantum aures noſtræ ferre vix poſſent. Quid erat in cordibus exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt? *Tom.5.de Ciuitate Dei, lib.22.cap.8.*

*Qui miracula ad martyrū memorias fieri cōſueta prædicat, Chriſti fidem prædicat, pro qua martyrū ſanguis eſſuſus eſt.*

Miſeremini* mei, miſeremini mei, (*ô amici*) Angelos videtur poſtulare, vt pro eo deprecentur, aut certè ſanctos, vt pro pœnitente orent. *Tom.4. Annotationum in Iob.cap.16.*

**Iob.19.*

*Si hæc vera ſunt, Iob angelos vel ſanctos inuocabat.*

Iacob benedicens nepotes ſuos filios Ioſeph, ait inter cætera,* Et inuocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum: vnde notandum eſt, non ſolùm exauditionem, ſed etiam inuocationem dici aliquando, quæ non Dei, ſed hominum ſint. *Tom.4. locutionum de Geneſi, lib.1.cap.200.*

**Gen.48.*

*Nō tantùm De⁹, ſed etiā homo inuocari, in ſacris literis legitur.*

Non video quæ ſunt adiumenta mortuorum (*vt apud memorias Sanctorum, corpora eorum ſepeliantur*) niſi ad hoc, vt dum recolunt vbi ſint poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem ſanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent. *Tom.4.de cura pro mortuis gerenda, cap.4.*



*Inuocantur Sancti.*

Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini noſtri Ieſu Chriſti interuenire pro me digneris apud illum cuius meruiſti effici templum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti chori angelorum, atque archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotum, Leuitarum, Monachorum, Virginum omniúmque iuſtorum, per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me culpabili, ipſi Deo ſupplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari. *Tom.9.lib. Meditat.cap.40.*

*Quid eſt B. virginē Mariam inuocare, ſi hoc non ſit?*

O beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluat, quę ſolo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus, quia tu es ſpes vnica peccatorū, per te ſperamus veniam delictorū, & in te beatiſſima noſtrorum eſt exſpectatio præmiorum. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum iuuamen quicunque celebrant tuam commemorationem. Aſſiſte parata votis poſcentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi ſtudia aſſiduè orare pro populo Dei, quæ meruiſti benedicta redemptorem ferre mundi, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. *Tomo decim, ſerm. de Sanctis, ſermo 18. qui eſt 2. in feſto Annunciationis.*

*Virgo Maria ſpes vnica (abſque dubio poſt Chriſtū) peccatorum: per ipſam ſperamus veniam delictorum: in ipſa eſt exſpectatio præmiorum.*

Erat quidam ſenex Florentius Hipponenſis noſter, homo religioſus & pauper: qui ſartoris ſe arte

*Quomodo Florentius ille viginti martyres clara voce, vt veſtiretur, orauit, niſi eos inuocando?*

**Follis eſt obolus aut aliud quodpiam numiſmatis genus.*

paſcebat, caſulam perdiderat, & vnde ſibi emeret non habebat: ad viginti Martyres, quorum memoria apud nos eſt celeberrima, clara voce, vt veſtiretur orauit. Audierunt eum adoleſcentes, qui fortè aderant, irriſores: eúmque diſcedentem exagitantes, proſequebãtur; quaſi à martyribus quinquagenos folles,* vnde veſtimentum emeret, petiuiſſet. At ille tacitus ambulans, eiectũ grandem piſcem palpitantem vidit in littore, eúmque illis fauentibus, atque adiuuantibus, apprehendit, & cuidam coquo Carchoſo nomine, benè Chriſtiano, ad coquinam conditariam, indicans quid geſtum ſit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde diſponens, vt vxor eius quomodo poſſet ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus concidens piſcem, annulum aureum in ventriculo eius inuenit, móxque miſeratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit, dicẽs: Ecce quomodo viginti martyres te veſtierunt. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 8. circa medium.*

*Inuocatio Sanctorum martyrum, miraculo cõfirmata.*

*Sap. 9.*

*Inuocat D. Cyprianum D. Auguſtinus.*

Beatus Cyprianus quidem iam corpore, quod corrumpitur,* non aggrauante animam, nec deprimente terrena inhabitatione ſenſum multa cogitantem, ſerenius proſpicit veritatem, quàm meruit adipiſci per caritatem. Adiuuet itaque nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes, vt donante Domino, quantum poſſumus, bona eius imitemur. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſt. lib. 7. cap. 1.*

Orationibus (*diui Cypriani*) adiutus, diſcam ſi potero per literas eius, quanta pace per eum Eccleſiam ſuam Dominus, & quanto ſilentio gubernauerit. *Ibidem lib. 5. cap. 17.*

Tunc pro nobis abſque vlla dubitatione ſancti martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcunt. *Tom. 10. de temp. ſerm. 244.*

*Sancti ſecuri de ſe, ſolliciti de nobis.*

Fœlices ſancti Dei omnes, qui iam pertranſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis, ſecuri & tranquilli, ſempérque feſtiui atque gaudentes. Obſecro vos per veſtram caritatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria,



gloria, ſolliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti eſtis, de cuius beatiſsima viſione ſemper gaudetis, eſtote iugiter memores noſtri, ſubuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ circunſtãtibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacentes. Date manum & erigite iacentes ſuper pedes, vt conualeſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite & orate cõſtanter atque indeſinenter pro nobis miſeris, multúmque negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes veſtro ſancto conſortio coniungamur, quia aliter ſalui eſſe non poſſumus. Sumus nãque valde fragiles & nullius virtutis homunciones, animalia ventris & carnis mãcipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno crucis ferimur, nauigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia * quorum non eſt numerus, vbi ſunt animalia puſilla cũ magnis, vbi eſt draco ſæuiſsimus, ſemper paratus ad deuorandum, vbi ſunt loca periculoſa Scylla & Charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide dubii. Orate Dominum, orate piiſsimi, orate omnia agmina Sanctorum, & vniuerſi cœtus beatorum, vt veſtris precibus, meritiſque adiuti, ſalua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis. *Tom. 9. lib. Meditat. cap. 24.*

*Rogat Sanctos vt pro nobis intercedant et orent.*

** Pſal. 103.*

Mirari autem ſoleo etiam apud Vergiliũ iſtam Domini reperiri ſententiam, vbi ait: * *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, vt & ipſi recipiant vos in tabernacula æterna. *Et infrà.* Nam cùm Elyſios campos Poëta ille deſcriberet, vbi putant habitare animas beatorum: non ſolùm ibi poſuit eos, qui propriis meritis ad illas ſedes peruenire potuerunt, ſed adiecit, atque ait:* Quique ſui memores alios fecere merendo: id eſt, qui promeruerũt alios, eóſque ſui memores promerẽdo fecerũt. Prorſus tanquam eis diceret, quod frequentatur

** Luc. 16.*

** Aeneid. 6.*

ore Chriſtiano, cùm ſe cuique ſanctorũ humilis quiſque commendat & dicit: memor mei eſto: atque vt id eſſe poſſit, promerendo efficit. *Tom.5.de Ciuit. Dei, lib.21.cap.27.*

### *VII. Sanctos aliter adorari & inuocari quàm Deum, cui ſoli latria ſacrificiúmque debetur.*

*Quomodo Chriſtiani martyres colant.*

COlimus ergo martyres, eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate paſsionẽ paratũ eſſe ſentimus. Sed illos tantò deuotius, quantò ſecurius poſt incerta omnia ſuperata: quãtò etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita fœliciore victores, quàm in iſta adhuc vſque pugnantes.

*Quid ſit latria.*

At illo cultu, quæ græcè latria dicitur, latinè vno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi vnum Deum.

*Latria ſoli Deo debetur.*

*Si qui ſunt ita rudes, vt latriam, hoc eſt, diuinum honorẽ, Sanctis tribuãt, per ſanã doctrinam corripiẽdi ſunt: nõ autẽ ideo lacerãda Eccleſia.*

Cùm autẽ ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiq̃ martyri, vel cuiq̃ ſanctæ animæ, vel cuiq̃ angelo: & quiſquis in hũc errorem dilabitur, corripitur per ſanam doctrinã, ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. Ipſi enim Sancti, vel homines, vel angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. *Tom.6.contra Fauſtum Manich.lib.20. cap.21. Differentiã inter δουλείαν & λατρείαν habes & To.4.quæſt.ſuper Exodum, q.94.*

*Aliud eſt quod Eccleſia docet, aliud quod ſuſtinet.*

Qui autem ſe in memoriis martyrum inebriant, quo modo à nobis approbari poſſunt, cum eos, etiamſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus: aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emẽdemus, tolerare compellimur. Alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum. Veruntamen & in hoc ipſo diſtant plurimum culpæ vinolẽtorum & ſacrilegorum. Longè quippe minoris peccati eſt, ebrium rediri* à martyribus, quàm vel ieiunum ſacrificare martyribus

** aliàs rediie.*



*Sacrificare Deo in memoriis martyrum, frequentiſsimũ olim Chriſtianis.*

Sacrificare martyribus dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis martyrum: quod frequentiſſimè facimus, illo duntaxat ritu quo ſibi ſacrificari noui Teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultũ quæ latria dicitur, & vni Deo debetur. *Ibidem. Vide quoque in hanc ſententiam. Tom.4.Quæſt.ſuper Geneſim, quæſt.61.*

### *VIII. Quare Angelus Apocalyp.19.22. & Paulus & Barnabas Act.14.adorari ſe prohibuerint.*

IPſi enim Sancti, vel homines, vel angeli exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, * cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonii tanquam Diis immolare voluerunt: conſciſſis enim veſtimentis ſuis, confitentes & perſuadentes ſe Deos non eſſe, iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit & in angelis, ſicut in Apocalypſi legimus,* Angelum ſe adorari prohibentem, ac dicentem adoratori ſuo: *Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt diabolus & angeli eius, ſicut per omnia templa & ſacra gentiliũ. Quorum ſimilitudo in quibuſdam etiam ſuperbis hominibus expreſſa eſt: ſicut de Babyloniæ quibuſdam Regibus * memoriæ commendatum tenemus. *Tom.6.contra Fauſtum Manich.lib.20.cap.21.*

** Act.14.*

*Lycaonij voluerũt ſacrificare Apoſtolis, ideo prohibiti ſunt.*

** Apoc.19. & 22.*

** Dan.3.*

** Gen.23.*

** Deut.6. Luc.4.*

*Nota diſcrimen inter latriã & adorationem.*

Exurgens autem Abraham* adorauit populum terræ. Quæritur quomodo ſcriptum ſit: * *Dominum Deum tuum adorabis. & illi ſoli ſeruies:* cùm Abraham ſic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret? Sed animaduertendũ eſt in eodem præcepto, non dictum, Dominum Deum tuum ſolum adorabis: ſicut dictum eſt, & illi ſoli ſeruies: quod eſt Græcè λατρεύσεις. Talis enim ſeruitus non niſi Deo debetur. Vnde damnantur idololatræ: id eſt, eiuſmodi ſeruitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moueat, quod alio loco in quadam ſcriptura prohibet angelus hominẽ adorare ſe, & admonet vt Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat* angelus, vt pro Deo poſſet adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator. *To.4.ſuper Gen.q.61.*

*Angelus in Apocalypſi correxit adoratorẽ, quia volebat ipſũ non tãquam angelũ ſanctum ſed tãquam Deum adorare.*

** Apoc.19. & 22.*

Putauerunt quidam deferendum angelis honorem, vel adorando, vel ſacrificando, qui debetur Deo,

& eorum ſunt admonitione prohibiti,iuſſique ſunt hæc ei deferre, cui vni fas eſſe nouerunt.Imitati ſunt angelos ſanctos,etiam ſancti homines Dei . Nam Paulus & Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo ſanitatis,putati ſunt Dii,eiſque Lycaonii immolare victimas voluerunt,quod à ſe humili pietate remouentes , eis in quem crederent , annunciauerunt Deum . Sed nec ob aliud fallaces illi ſuperbè ſibi hoc exigunt,niſi quia vero Deo deberi ſciunt. *Tom. 5.de Ciuitate Dei , lib. 10. cap.19.*

*Angelus & Paulus cum Barnaba prohibuerũt ſe adorari tãquã Deos, Apoc.19.& 22. Act.14.*

*Angelos vt Deos adorandos eſſe, Platonicorum vetus eſt error , contra quem latè diſputat Auguſtinus Tom.2.Epiſt.21.& 22.ad Longinianum,& de Ciuitate Dei,lib.9.& 10.pluribus in locis : adducens illud Apoſtoli.Coloſſ.2. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione angelorum.*

## *IX. Idololatras & hæreticos iam olim Chriſtianis obieciſſe,quòd martyres tanquam Deos colerent, atque eorumdem martyrum reliquias diſperdere curaſſe.*

*Verba hæc ſunt Maximi Madaurenſis idololatræ , quem hæretici imitantur , dolẽtes à fidelibꝰ martyrum memorias frequentari.*

SEd impatientem me eſſe tanti erroris diſſimulare non poſſum.Quis enim ferat Ioui fulmina vibranti præferri Mygdonem,Iunoni,Mineruæ, Veneri, Veſtæque Sananem,& cunctis(prò nefas)Diis immortalibus Archimartyrem Namphanionem , inter quos Lucitas etiam haud minore cultu ſuſcipitur,atque alii interminato numero,Diis hominibuſque odioſa nomina,*qui conſcientia nefandorum facinorum , ſpecie glorioſæ mortis,ſcelera ſua ſceleribus cumulantes,dignum moribus factiſque ſuis exitũ maculati repererunt.Horum buſta,ſi memoratu dignum eſt,reiectis* templis neglectis maiorum ſuorum manibus,ſtulti frequentant , ita vt præſagium vatis illius indignè ferentis emineat : inque Deûm templis iurauit Roma per vmbras . *Tom.2. Epiſt.43.*

* *aliâs* numina.
* *aliâs* relictis.

*Verba ſunt Fauſti Manichæi.*

Schiſma verò aut nihil immutari debet, ab eo , vnde



factum eſt,aut non multum:vtputa vos,qui deſciſcentes à gẽtibus , monarchiæ opinionem primò vobiſcum diuulſiſtis:id eſt,vt omnia credatis ex Deo:ſacrificia verò eorum vertiſtis in agapas , idola in martyres , quos votis ſimilibꝰ colitis,defunctorũ vmbras vino placatis & dapibus:ſolennes gentium dies cum ipſis celebratis, vt calendas & ſolſtitia, *Tom.6. contra Fauſtum Manich. lib.20.cap.4.*

*Idem nunc noui hæretici Catholicis obiiciũt.*

Legimus in Eccleſiaſtica hiſtoria, quam Græcè ſcripſit Euſebius , & in Latinam linguam vertit Rufinus, martyrum corpora in Gallia canibus expoſita,canúmque reliquias,atque oſſa mortuorum vſque ad extremam conſumptionem ignibus cõcremata: eoſdémque cineres fluuio Rhodano , nequid ad memoriam qualemcunque relinqueretur,inſperſos. Quod nõ ob aliud credendum eſt diuinitus fuiſſe permiſſum , niſi vt diſcerent Chriſtiani in confitendo Chriſtum,dum contemnunt hanc vitam,multò magis contemnere ſepulturam.Hoc enim quod ingenti ſæuitia de corporibus martyrum factum eſt,ſi eis quiſq̃ noceret , quo minus beatè requieſcerent eorum victorioſiſsimi ſpiritus, nõ vtique fieri ſineretur.*To.4.de cura pro mort.gerenda.ca.6.*

*Hiſtor. Eccleſ.lib.5. cap.1.*

*Quare Deꝰ permittat corpora ſanctorũ interdum inſepulta manere, atque indigniſsimè ab impuriſsimis hominibus tractari.*

## *IX. Sanctorum natalitia diéſque feſtos Auguſtini tempore in ſolenni vſu fuiſſe.*

PAſsionis ſanctorum Martyrum diem hodiè feſtum habentes,in eorum recordatione gaudeamus : recolentes quod patiebantur,& intelligentes quid intuebantur.Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent , niſi magnam quietem mente conciperent. Hunc itaque Pſalmum pro ipſa ſolennitate percurramus. Heſterno enim die multa audiuit charitas veſtra, nec hodie tamen huic feſtiuitati negare potuimus noſtram ſeruitutem.*Tom.8.in Pſalm.63.*

*Paſsionis Martyrum dies celebris.*

Iam agnouimus Chriſtum mundatorem, iam tenemus in quo cõples promiſſa. Exhibe in illo quod promiſiſti, ipſe eſt qui viuet & non videbit mortem. Ipſe eſt qui eruit animam ſuam de manibus inferni , & nos tamen adhuc laboramus.Dixerunt iſta martyres, quo-

*Martyrum natalitia.*

*Pſalm. 88.* rum natalitia celebramus, ipſe viuet * & non videbit mortem, ipſe eruet animam ſuam de manibus inferni, & nos propter * te mortificamur tota die, deputati ſumus velut oues occiſionis. *Tom. 8. in Pſal. 88. concione ſecunda.*

**Pſal. 43.*

*Gaudēt Sācti, nobis ſobriè celebrātibus eorum natalitia.*

Attendite ergo cariſsimi, tenete omnes vnanimiter Deum Patrem & matrem Eccleſiā. Natalitia ſanctorū cum ſobrietate celebrate, vt imitemur eos, qui præceſſerunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, vt benedictio Domini in æternū maneat ſuper vos, fiat, fiat. *Ibidem, in fine Pſalmi.*

*Feſta Sanctorum quomodo celebranda.*

Nos ergo fratres dilectiſsimi, vt tam ſanctam feſtiuitatem non ſolùm corporali, ſed etiā ſpiritali cum gaudio celebrare poſsimus, ſecūdùm vires noſtras ad dandas eleemoſynas, & ad tenendam cum omnibus pacem noſtros animos præparemus, & ab omni ſcurrilitate vel turpiloquio, nō ſolùm noſmetipſos, ſed & omnem familiam noſtram, & vniuerſos ad nos pertinentes, pro amore Dei & de zelo ſanctæ diſciplinæ prohibere totis viribus laboremus, nec permittamus ſolennitatem ſanctam cantica luxurioſa proferendo polluere. Tunc enim pro nobis ſanctus Ioannes quicquid petierimus poterit obtinere, ſi nos feſtiuitatem ſuam pacificos, ſobrios, caſtos, abſque vllo turpiloquio cognouerit celebrare. *To. 10. de Sāctis, ſer. 21. qui eſt de S. Ioā. Bapt. ſer. 2.*

*Poſſunt igitur Sancti, quicquid rectè petierimus obtinere, niſi nos ipſi impediamus.*

Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, (*in Eccleſia*) cùm anniuerſarii dies eorum celebrantur. *Tom. 1. Concil. Carthaginenſe 3. cap. 47.*

*Celebrantur dies anniuerſarij Martyrum.*

Debuimus tantorum martyrum diem, hoc eſt, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli maiore frequentia celebrare. Si enim celebramus frequentiſſimè natalitia agnorum, quantò magis debemus arietum? De fidelibus enim, quos lucrati ſunt Apoſtoli prædicatione ſua, ſcriptum eſt: * Afferte Domino filios arietum. *In additione Louanienſi, ſerm. 113. Feſtum D. Laurentii & Sixti habes in Euang. Ioan. Tract. 27. Inuēt. S. Stephani, Tract. 120. Vide etiam Tom. 10. in Feſtis plurium Martyrum, ſermones ſex.*

** Pſal. 28.*

## X. *Baſilicas Sanctorum nomine, Deo dedicatas fuiſſe.*



Martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, in illa vaſtatione (*vrbis Romæ*) ad ſe confugientes ſuos alienóſque receperunt. Huc vſque cruentus ſæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illò ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra ipſa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebāt. Qui tamen etiam ipſi alibi truces atque hoſtili more ſæuientes, poſteaquam ad loca illa veniebāt, vbi fuerat interdictū, quod alibi iure belli licuiſſet, tota feriendi refrænabatur immanitas, & captiuandi cupiditas frangebatur. *Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 1. cap. 1.*

*Ad Martyrum loca & Apoſtolorum Baſilicas cōfugiētes, ab hoſtiū ſæuitia tuti erāt.*

Ipſa, vt dixi, Troia mater Romani populi, ſacratis in locis Deorum ſuorum, munire nō potuit ciues ſuos ab ignibus ferróque Græcorum, eoſdem ipſos Deos colentium: *quin etiam Iunonis aſylo.*

*Iuno Troianos ad ſuum aſylū confugiētes tueri non potuit.*

*Cuſtodes lecti Phœnix, & dirus Vlyſſes.*
*Prædam aſſeruabant: huc vndique Troia gaza*
*Incenſis erepta adytis, menſæq; Deorum*
*Crateresque auro ſolidi, captiuaq; veſtis*
*Congeritur: pueri & pauidæ longo ordine matres*
*Stant circùm.*

*Vergilius li. 2. Æneid.*

Electus eſt videlicet locus tantæ Deæ ſacratus, non vnde captiuos non liceret educere, ſed vbi captiuos liberet includere. Compara nunc aſylum illud non cuiuſlibet Dei gregalis, vel de turba plebis, ſed Iouis ipſius ſororis & coniugis, & Reginæ omnium Deorum, cum memoriis noſtrorū Apoſtolorum. Illuc incenſis templis & Diis erepta ſpolia portabantur, non reddenda * victis, ſed diuidēda victoribus: huc autem, & quod alibi ad ea loca compertum eſt pertinere, cum honore & obſequio religioſiſſimo reportatum eſt. Ibi amiſſa, hîc ſeruata libertas: ibi clauſa, hîc interdicta captiuitas: ibi poſſidendi à dominantibus hoſtibus premebantur, huc liberandi à miſerantibus hoſtibus ducebantur. Poſtremò illud Iunonis templum ſibi elegerat auaritia & ſuperbia leuium Græcorum: * iſtas Chriſti Baſilicas miſericordia & humilitas etiam immanium Barbarorum. *Ibidem, cap. 4.*

**aliâs donāda.*

*In Apoſtolorū memorijs defenſi ab hoſtibus Romani.*

**aliâs Græculorum.*

Sanè aduertendum eſt, quo modo iſte Ægyptius (*ſermo eſt de Hermete Trimegiſto*) cùm doleret tempus eſſe

venturum,quo illa auferrentur ex Ægypto, quæ fatetur à multùm errantibus & incredulis & à cultu diuinæ religionis auerſis eſſe inſtituta,ait inter cætera:Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, ſepulchrorum erit mortuorúmque pleniſſima. Quaſi verò ſi illa non auferrentur,non eſſent homines morituri, aut alibi eſſent mortui ponendi quàm in terra. Et vtique quantò plus volueretur temporis & dierum longitudo, tantò maior eſſet numerus ſepulchrorum,propter maiorem numerum mortuorum. Sed hoc videtur dolere, quòd memoriæ Martyrum noſtrorum, templis eorum delubríſque ſuccederent: vt videlicet qui hæc legunt animo à nobis auerſo atque peruerſo, putent à paganis Deos cultos fuiſſe in tẽplis, à nobis autem coli mortuos in ſepulchris. *Ibid.lib.8.cap.26.*

*Appellãt etiã recẽtes hæretici Martyres homines mortuos.*

*Memorias martyrũ, nominat Auguſtinus frequẽter, ſepulchra & oratoria, in ipſorũ memoriam extructa.*

Vbi eſt illa velut querela luctuoſa, quòd terra Ægypti ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum,ſepulchrorum futura eſſet mortuorúmque pleniſſima? Nempe ſpiritus fallax, cuius inſtinctu Hermes iſta dicebat, per eum ipſum coactus eſt confiteri, iam tunc illam terram ſepulchrorum & mortuorum, quos pro Diis colebant, fuiſſe pleniſſimam. Sed dolor Dæmonum per eum loquebatur,qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum martyrum memorias imminere mœrebãt. In multis enim talibus locis torquentur, & confitentur, & de poſſeſſis corporibus hominũ eiiciuntur. *Ibid.*

*Torquetur dæmõ, & de poſſeſſis corporibus eijcitur, in locis multis vbi ſunt martyrũ memoriæ.*

## *XI. Nomina martyrum ad altare recitari morem olim fuiſſe.*

SIc enim ait etiam Apoſtolus Petrus:* Chriſtus pro nobis paſſus eſt,relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Hoc eſt talia præparare. Hoc beati Martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memorias celebramus, atque in conuiuio,quo & ipſi ſaturati ſunt, ad menſam Domini accedimus,oportet vt quemadmodum ipſi,& nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcũt, vt etiam pro eis oremus, ſed magis vt orent ipſi pro nobis,vt eorum veſtigiis adhæreamus:quia impleuerunt ipſi caritatem,qua Dominus dixit* non poſſe eſſe maiorem. *Tom.9.Tract.84.in Ioan.*

**1. Petr.2.*

*Ad altare cõmemorantur martyres, vt ꝑ nobis orẽt: Cõmemorantur et alij defuncti, vt pro eis oremus.*

*Martyres impleuerunt caritatem.*



** Ioan. 15.*

Perfectio tamen in hac vita nonnulla eſt, ad quam ſancti Martyres peruenerunt. Ideóque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria eſt enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari &c. *Tom.10. de verbis Apoſtoli, ſerm.17.*

*Habet Eccleſiaſtica diſciplina, vt ad altare fiat ſanctorũ martyrũ, & aliorũ defunctorũ commemoratio.*

Nos autem martyribus noſtris nõ templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus,fabricamus: nec ibi erigimus altaria,in quibus ſacrificemus martyribus,ſed vni Deo,& martyrum,& noſtro ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium,ſicut homines Dei qui mundum in eius cõfeſſione vicerunt,ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui ſacrificat, innuocantur. Deo quippe,non ipſis ſacrificat, quamuis in memoria ſacrificet eorum: quia Dei Sacerdos eſt,non illorum. *Tom.5.de ciuit. Dei lib.22.cap.10.*

*Sãcti Martyres nõ inuocãtur à Sacerdote ſacrificãte tanquam Dij, quibus ſacrificiũ offeratur.*

Perhibet enim præclariſſimum teſtimonium Eccleſiaſtica auctoritas,in qua fidelibus notum eſt,quo loco martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur. *To.6.de ſancta Virginitate,ca.45.*

*Notũ eſt fidelibus,in Sacramẽtis altaris, cõmemorationem fieri Martyrũ, et aliorũ defunctorum.*

## *XII. Sanctos opem ferre ſuum patrocinium implorantibus, quamuis modus incertus nobis ſit.*

MItti ad viuos aliquos ex mortuis,ſicut è contrario Paulus* ex viuis in paradiſum raptus eſt, diuina Scriptura teſtatur. Nam Samuel Propheta defunctus viuo Sauli etiam regi prædixit,* quamuis nonnulli non ipſum fuiſſe, qui potuiſſet magicis artibus euocari, ſed aliquem ſpiritum, tam malis operibus congruentem, illius exiſtiment ſimilitudinem figuraſſe:cùm liber Eccleſiaſticus,* quem Ieſus filius Sirach ſcripſiſſe traditur,& propter eloquij nonnullam ſimilitudinem Salomonis pronunciatur,contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit.Sed ſi huic libro

**2.Cor.12.*

**1.Reg.28.*

**Eccli.46.*

*Liber Eccleſiaſtici nõ in canone Hebræorũ, ſed i Canone ponitur eccleſiæ.*

ex Hebræorum,quia in eo non eſt, canone contradicitur, quid de Moſe dicturi ſumus,qui certè in Deuteronomio * mortuus,& in Euangelio * cũ Helia,qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe viuentibus? Hinc & illa ſoluitur quæſtio, quonam modo martyres, ipſis beneficiis quæ dantur orantibus, indicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſciunt mortui quid agant viui. Non enim ſolis beneficiorum affectibus, verùm etiam ipſis hominum aſpectibus confeſſorem apparuiſſe Felicem, ciuibus vel inquilinis piè à ſe dilectis,* cum à Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis. Verùm iſta diuinitus exhibentur, longè aliter quàm ſeſe habet vſitatus ordo, ſingulis creaturarum generibus attributus. Non enim quia in vinum* aqua,cùm voluit Dominus repente conuerſa eſt, ideò non debemus, quid aqua valeat in elementorum ordine proprio, ab iſtius diuini operis raritate vel potius ſingularitate diſcernere. Nec quoniam Lazarus* reſurrexit, ideò mortuus omnis quãdo vult ſurgit,aut eo modo exanimis à viuente, quomodo à vigilante dormiens excitatur. Alij itaque ſunt humanarum limites rerum, alia diuinarum ſigna virtutum: alia ſunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt: quanuis & naturæ Deus aſſit vt ſit, & miraculis natura nõ ſit. Non igitur ideò putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis martyres aſſunt: ſed ideò potius intelligendum eſt, quòd per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſunt,quoniam defuncti per naturã propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt. Quanquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, quẽadmodũ opitulentur martyres iis, quos per eos certum eſt adiuuari: vtrum ipſi per ſeipſos aſſint vno tempore tam diuerſis locis,& tãta inter ſe longinquitate diſcretis,ſiue vbi ſunt eorum memoriæ, ſiue præter ſuas memorias vbicunque adeſſe ſentiuntur: an ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indi-

**Deut.34.*
** Matt.17.*
*Mar.9.*
*Luc.9.*

*Moſes defunctus in mõte cum Helia Apoſtolis apparuit.*

**aliàs* cuius inquilinatũ piè diligis.

*Sãctus Felix martyr, Nolanus, qui à Barbaris oppugnabãtur, maniſeſtè apparuit.*

** Ioan.2.*
**Ioan.11.*

*Quãuis defũcti, ꝓ propriã naturã rebus viuorũ intereſſe nequeãt: tamẽ Martyres, diuina potẽtia, nonnũquam interſunt.*

*Dum ſit certũ, adiuuari homines à ſãctis Martyribus, quãuis quomodo adiuuẽt incertum ſit, nihil illi damni faciũt, qui eos inuocãt & eorum patrocinũ implorãt.*



gentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus vtique non præſentamur, nec vbi ſint vel quid agant ſcimus, Deus omnipotens qui eſt vbique præſens nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces per angelica miniſteria vſquequaque diffuſa, præbeat hominibus iſta ſolatia,quibus in huius vitæ miſeria iudicat eſſe præbenda: & ſuorum merita martyrum vbi vult,quãdo vult, quo modo vult, maximéque per eorum memorias,quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti,pro cuius illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili atque ineffabili poteſtate ac bonitate cõmendet? Res hæc altior eſt,quàm vt à me poſſit attingi,& abſtruſior, quàm vt à me valeat perſcrutari: & ideo quid horum duorum ſit, an verò fortaſſis vtrunque ſit, vt aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam martyrum, aliquando per angelos ſuſcipientes perſonam martyrum, definire non audeo, mallem à ſcientibus iſta perquirere. *Tom 4. de cura pro mortuis gerenda,cap.15.& 16.*

*Opera mirabilia quæ per Martyres Deus efficit, fidẽ Chriſti ædificant.*

*Quanuis daremus hoc hæreticis (quod tamen non damus) neſcire ſanctos quæ hîc apud nos geruntur, imperitè nihilominus concluderent, non eſſe implorandum eorum auxilium. Nam tunc (vt hîc Auguſtinus teſtatur) propter ipſorum preces & merita, Deo, cui omnia nota ſunt, prouidente, angeli perſonam eorum ſuſtinentes, nobis petentibus auxilium ferrent. Sed neque mentiri, aut fatui eſſe dicendi eſſent, qui eos inuocarent: ſicut neque mentitum aut fatuum fuiſſe Moſen dicimus, quando tãquam Deum alloquebatur illum, quem non Deum, ſed angelum fuiſſe Stephanus Act.7. affirmat: Neque rurſus eundem ipſum angelum mentitum fuiſſe quiſquam dicet, cùm verbis illis vtebatur: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob: quòd nemo non intelligat, illum Dei perſonam ſuſtinuiſſe, & quæ fecit & dixit, Dei auctoritate feciſſe atque dixiſſe.*

Talem fuiſſe credendum eſt illum Ioannem monachum, quem de belli ciuilis euentu maior Theodoſius conſuluit Imperator: habebat quippe etiam pro-

phetiam. Neque enim ſingulos ſingula munerum iſtorum, ſed etiam plura ¡vnum habere poſſe non ambigo. Ioannes ergo iſte cuidam mulieri religioſiſſimæ impatienter eum videre cupienti, atque vt hoc impetraret per maritum ſuum vehementer inſtāti, cùm ille nollet, quoniam id nunquam permiſerat fœminis, Vade, inquit, dic vxori tuæ, videbit me nocte proxima, ſed in ſomnis. Et factum eſt. Monuítque illam quicquid fidelem coniugatam moneri oportebat. Quæ cùm euigilaſſet, talem ſe vidiſſe hominem Dei viro ſuo, qualem ille eum nouerat, & quid ab illo audierit, indicauit. Qui hoc ab eis comperit, retulit mihi vir grauis & nobilis, & digniſſimus, credidi. *Sed ſi illum ſanctū monachum ipſe vidiſſem, quia ſicut fertur, patientiſsimè interrogabatur, & ſapientiſſimè reſpondebat, quæſiſſem ab eo quod ad iſtam pertinet queſtionem: vtrum ipſe ad illam fœminam veniſſet in ſomnis, id eſt, ſpiritus eius in effigie corporis ſui, ſicut nos ipſos in effigie corporis noſtri ſomniamus: an ipſo aliud agente, vel ſi dormiebat aliud ſomniante, ſiue per Angelum, ſiue quocunque alio modo in mulieris ſomnio talis facta ſit viſio: atque id futurum, vt ipſe promitteret, prophetiæ ſpiritu reuelante præſciuerit. Si enim ipſe interfuit ſomniāti, mirabili gratia vtique id potuit, non natura: & Dei munere, non propria facultate. Si autē ipſo aliud agente, ſiue dormiente, & viſis aliis occupato, eum mulier vidit in ſomnis: profectò tale aliquid factum eſt, quale illud eſt quod in actibus Apoſtolorum legimus, *vbi Dominus Ieſus loquitur Ananiæ de Saulo, & indicat ei quòd Saulus vidit ad ſe venientem Ananiam, cùm hoc Ananias ipſe neſciret. Quodlibet horum mihi reſponderet ille homo Dei: & de martyribus ab illo pergerem quærere: vtrum ipſi aſſint in ſomnis, vel quocunque alio modo videntibus eos in qua figura voluerint: & maximè quādo ab eis ſe torqueri Dæmones in hominibus confitētur, & rogāt eos vt parcāt ſibi: an iſta fiāt Dei nutu per angelicas poteſtates, in honorē cōmēdationeq; Sāctorū, ad vtilitatē hominū, illis ī ſumma quiete poſitis & ad alia lōgè meliora viſa vacātibus ſeorſum à nobis, orantibúſque pro nobis. Nam Mediolani apud ſanctos

*Ioannes Monachus viuēs adhuc, mulieri cuidam in ſomnis apparuit.*

**alias* credi.

* *Act.9.*

*Ananias neſciuit viſum ſe eſſe à Paulo.*

*Certum eſt confiteri Dæmones, torque ri ſe à Martyrib⁹, & ab iis veniā de-*



Prothaſium & Geruaſium martyres, expreſſo nomine, ſicut defunctorum quos eodem modo commemorabant, adhuc viuum Dæmones Epiſcopum confitebantur Ambroſium, atque vt ſibi parceret obſecrabāt, illo aliud agēte, atque hoc cùm ageretur omnino neſciente. An fortè aliquando per ipſam præſentiam martyrum fiant iſta, aliquando per angelorum: & vtrum poſſint, vel quibus ſignis poſſint à nobis duo iſta diſcerni: an ea ſentire ac iudicare non valeat, niſi qui habet illud donū per Dei ſpiritum diuidentem *propria vnicuique prout vult. Diſſereret mihi, vt arbitror, hæc omnia ſicut vellem ipſe Ioannes: vt aut eo docente diſcerem & ea quæ audirem, vera & certa eſſe cognoſcerem: aut ego crederem quæ neſcirem, illo docente quæ ſciret. Quod ſi mihi forſitan de ſancta Scriptura reſpōderet ac diceret, * Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita ſemper: id etiam gratanter acciperem: non enim paruus eſt fructus, ſi aliqua obſcura & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum ſaltem certúmque ſit nobis, non eſſe quærenda: & quod vnuſquiſque vult diſcere, putans prodeſſe ſi ſciat, diſcat nō obeſſe ſi neſciat. *Ibidem cap.17.*

*precari: incertum tamē, nū ab ipſis Martyribus præſentibus vel ab angelis Martyrū perſonam ſuſtinentibus torqueantur.*

*Cum honore & commendatione Sanctorum, coniuncta eſt hominum vtilitas.*

*Dæmones, ab Ambroſio adhuc viuente, & aliud agente veniā petebant.*

* 1. Cor.12.

* *Eccli.3.*

*Altiora nobis nō quærenda.*

### *XIII. Sanctorum martyrum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur, à fidelibus meritò veneranda eſſe.*

PORtant ſanè *Galla vidua ſancti propoſiti, & Simpliciola virgo ſacra, eiuſdē filia)* reliquias beatiſſimi & glorioſiſſimi martyris Stephani, quas non ignorat ſanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis. *Tom.2. epiſt.103. ad Quintianum.*

Sanctorum corpora & præcipuè beatorum martyrum reliquias ac ſi Chriſti membra, ſynceriſſimè honoranda, & baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca

*Sanctorū reliquiis*

Et

> *Baſilicis quantus honor habẽdus.*
>
> *Baſilicæ nominibus martyrum appellatæ.*

ſancta diuino cultui mancipata, affectu piiſſimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus ſed Eunomianus & Vigilãtianus creditur. *Tom. 3. de Eccleſ. dogmatibus, cap. 73.*

> *Recentes igitur hæretici Eunomiani & Vigilantiani ſunt.*
>
> *Cæcus illuminatus ad corpora Martyrum Prothaſij et Geruaſij.*

Miraculum quod Mediolani factum eſt, cùm illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire, quia & grandis eſt ciuitas, & ibi erat tunc imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora martyrum Prothaſij & Geruaſij. Quæ cùm laterent & penitus neſcirentur, Epiſcopo Ambroſio per ſomnum reuelata, reperta ſunt, vbi cæcus ille depulſis veteribus tenebris diem vidit. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 22. cap. 8.*

> * *alias*, regione.
>
> *Hymni Veſpertini.*
>
> *verſu 33.*

Victoriana villa dicitur: quæ ab Hippone regio * minus triginta millibus abeſt. Memoria martyrum ibi eſt Mediolanẽſium Geruaſij & Prothaſij: Portatus eſt illò quidam adoleſcens, qui cùm die medio tempore æſtatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cùm iaceret vel morti proximus vel ſimillimus mortuo: ad veſpertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis ſuis, & quibuſdam ſanctimonialibus ex more domina poſſeſſionis intrauit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quaſi percuſſus, excuſſus eſt cum terribili fremitu, altare comprehenſum mouere non audens, ſiue non valens, tanquam eo fuerit alligatus, aut affixus, tenebat, & cùm grandi eiulatu parci ſibi rogans, confitebatur, vbi adoleſcentem & quando & quomodo inuaſerit. Poſtremò ſe exiturum eſſe denuncians, membra eius ſingula nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur: atque inter hæc verba diſceſsit ab homine. Sed oculus eius in maxillam fuſus tenui venula ab interiore quaſi radice pendebat: totúmque eius medium quod nigellum fuerat, albicabat. Quo viſo qui aderant: concurrerant autem* etiam alij, vocibus eius acciti: & ſe omnes in orationem pro illo ſtatuerunt, quanuis eum ſana mente ſtare gauderent; rurſus tamen propter oculum eius contriſtati medicum quærendum eſſe dicebant. Ibi maritus ſororis eius, qui eum illo detulerat: potens eſt, inquit, Deus ſan-

> *Per martyres Geruaſiũ & Prothaſium expulſus dæmon ab homine oculus mirabiliter reſtitut[us].*



ctorum orationibus qui fugauit Dæmonem, lumen ei reddere. Tunc ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo reuocatum ligauit oratio: nec niſi poſt ſeptem dies putauit eſſe ſoluendum. Quod cum feciſſet: ſaniſsimum inuenit. Sanati ſunt illic & alij duo, de quibus dicere longum eſt. *Ibidem.*

Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto, * reliquias martyris glorioſiſsimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: Flores quos ferebat, dedit, & recepit, oculis admouit, protinus vidit: Stupentibus cunctis, qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. *Ibidem.*

> * Præiecto.
>
> *Ad reliquias ſancti Stephani cæca mulier illuminata.*

Memorati memoriam martyris quæ poſita eſt in caſtello Syniceſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente, in manu portabat: fiſtula cuius moleſtia iam diu laborauerat, & familiariſsimi ſui medici, qui eam ſecare vellet operiebatur manus illius piæ ſarcinæ vectatione, vbi ſanctas attigit reliquias repente ſanata eſt, Nam deinceps eam in ſuo corpore non inuenit. *Ibidem.*

> *Lucillus Epiſcopus vectatione reliquiarum ſancti Stephani à fiſtula ſanatus.*

Eucharius preſbyter ex Hiſpania, Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat, per memoriam ſupra dicti martyris, quam Poſsidius illo aduexit Epiſcopus, ſaluus factus eſt. Idem ipſe poſtea morbo alio præualeſcente, mortuus ſic iacebat, vt ei iam pollices ligarentur: opitulatione memorati martyris, cùm de memoria eius reportata fuiſſet, & ſuper iacentis corpus miſſa, ipſius preſbyteri tunica ſuſcitatus eſt. *In eodem capite.*

> *Eucharius presbyter reliquiis ſancti Stephani à veteri morbo calculi liberatus.*
>
> *Idem Eucharius, tunicæ tactu, ex memoria S. Stephani allatæ, ſuſcitatus.*

Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Chriſtiana, Habebat ſanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cùm ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, vt Chriſtianus fieret, prorſus abnuit: eóſque à ſe turbida indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius, vt iret ad memoriã S. Stephani, & illic pro eo quãtũ poſſet oraret, vt

> *Miraculo cõuerſus ad*

Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſynceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedēs, aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit: eique cùm iam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitū eſt: & ecce ante diluculum clamat, vt ad epiſcopum curreretur: qui mecum fortè tunc erat apud Hipponem. Cùm verò audiſſet eum abſentem, venire presbyteros poſtulauit. Venerunt, & ſtatim ſe credere dixit admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus eſt. Hoc quandiu vixit, in ore habebat: Chriſte accipe ſpiritum meum, cùm hæc verba beatiſſimi Stephani, * quando lapidatus eſt à Iudæis, vltima fuiſſe neſciret, quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multò pòſt ipſe defunctus eſt. Sanati ſunt illic per eūdem martyrem etiam tres podagrici, duo ciues, peregrinus vnus. Sed ciues omnimodo, peregrinus autem per reuelationem, quid adhiberet, quando doleret, audiuit: & cùm hoc feciſſet dolor cōtinuò conquieuit. *In eodem cap.*

Audurus nomen eſt fundi, vbi Eccleſia eſt, & in ea memoria Stephani martyris. Puerum quendam paruulum cùm in area luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confeſtim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum, ad eādem memoriam poſuit: & non ſolùm reuixit, verùm etiam illæſus apparuit. *Ibidem.*

Sanctimonialis quædam in vicina poſſeſſione, quæ Caſpaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret, ac deſperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata eſt: quæ antequàm reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamē tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto ſpiritu, ſalua facta eſt. *In eodem cap.*

Apud Hipponem Baſſus quidā Syrus ad memoriam eiuſdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eóque ſecum veſtē eius detulerat: cùm ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cùm, orante illo, ab amicis eius exciperetur, prohibuerunt

*Deum peccator, orante pro eo in Baſilica S. Stephani, genero.*

*Vide num melior fuerit ſimplicitas huius, qui flores ex altari allatos ad caput poſuit ægrotantis, quàm prudentia recentium hæreticorum, qui hæc derident. Illam Deus miraculo facto comprobauit: hăc quibus ſignis confirmauerit neſcimus. At oporteret nouam de religione doctrinam ſignis et miraculis probari.*

* *Act. 7.*

*Puer rota curtus obtritus, in memoria S. Stephani poſitus, reuixit & illæſus apparuit.*

*Sanctimonialis defuncta, cùm operiretur tunica, ex memoria S. Stephani allata, ad vitā reuocata eſt. Baſſi cuiuſdā filia miraculo per S. Stephanum à morte ad vitam reuocata.*



runt eos illi dicere, ne per publicum plāgeret. Qui cùm domum rediſſet, iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtem filiæ, quam ferebat, ſuper eam proieciſſet, reddita eſt vitæ. *In eodem cap.*

Rurſus ibidem apud nos Hyrenæi cuiuſdā collectarij filius, ægritudine extinctus eſt. Cúmque corpus iaceret exanime, atque aliis gementibus & plangentibus, exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt & reuixit. *In eodem cap.*

Itémque apud nos vir tribunitius Eleuſinus ſuper memoriam martyris, quæ in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum filium ſuum: & poſt orationem, quam multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit. Quid faciam? Vrget huius operis implendi promiſſio, vt non hîc poſſim omnia commemorare, quæ ſcio: & proculdubio plerique noſtrorum, cùm hæc legent, dolebunt me tam multa prætermiſiſſe, quæ vtique mecum ſciunt. Quos iam nunc, vt ignoſcant rogo: & cogitent, quàm prolixi laboris ſit facere, quod me hîc non facere ſuſcepti operis neceſſitas cogit. Si enim miracula ſanitatum, vt alia taceam, modò velim ſcribere, quæ per hunc martyrem, id eſt, glorioſiſſimum Stephanum, facta ſunt in colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, ſed tantùm de quibus libelli dati ſunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cùm videremus antiquis ſimilia diuinarum ſigna virtutum, etiam noſtris temporibus frequentari: & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum eſt autem biennium, ex quo apud Hipponem regium cœpit eſſe iſta memoria, & multis, quod nobis certiſſimum eſt, non datis libellis, de iis quæ mirabiliter facta ſunt, illi ipſi, qui dati ſunt, ad ſeptuaginta fermè numerum peruenerant, quando iſta conſcripſi. Calamæ verò, vbi & ipſa memoria prius eſſe cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine ſuperant: Vzali etiā, quæ colonia Vticæ vicina eſt, multa præclara per eundem martyrem facta cognouimus: cuius ibi memoria

*Mortuus quidam, oleo eiuſdem protomartyris vnctus, ad vitam reuocatus.*

*Mortuus infantulus per eundē S. Protomartyrē ſuſcitatus.*

*Dabātur libelli ab iis, in quibus miracula facta eſſe contigiſ-*

*ſet, vt præſentibus et aliis fides fieret ad mirabilium operum, quæ Deus per ſanctos effeciſſet*

longè prius quàm apud nos ad Epiſcopo Euodio conſtituta eſt. Sed libellorum dandorum ibi conſuetudo non eſt: vel potius non fuit: nam fortaſſè nunc eſſe iam cœpit. Cùm enim nuper illic eſſemus, Petroniam clariſſimam fœminam, quæ mirabiliter ex magno, atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerāt languore ſanata eſt: hortati ſumus volēte ſupradicti loci Epiſcopo, vt libellum daret, qui recitaretur in populo, & obediētiſſimè paruit. In quo poſuit etiā quod hîc reticere non poſſum, quanuis ad ea, quæ hoc opus vrgēt feſtinare compellar.

*Iudæi cuiuſdā præſtigiæ admirabili ratione per S. Stephanū diſſolutæ.*

A quodam Iudæo dicit ſibi fuiſſe perſuaſum, vt annulum capillatio vinculo insereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet ſub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quaſi remedio, ad ſancti Martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine cùm in confinio fluminis Bagradæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens, vt iter perageret, ante pedes ſuos illum iacentem annulum vidit, & capillatiam zonam qua fuerat alligatus, mirata tentauit. Quam cùm omnino ſuis nodis firmiſſimis, ſicut fuerat, comperiſſet aſtrictam, crepuiſſe, atque exiliiſſe annulum ſuſpicata eſt. Qui etiam ipſe cùm integerrimus fuiſſet inuentus, futuræ ſalutis quodam modo pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumpſit, atque illud vinculum ſoluens, ſimul cum eodē annulo proiecit in flumen. Nō credunt hoc, qui etiam Dominum Ieſum per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos ſuos oſtiis * clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt. Sed hoc certè quærant, & ſi verum inuenerint, illa credant. Clariſſima fœmina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla ciuitas, ampla perſona, rem quærentes latere non ſinūt. Martyr certè ipſe, quo impetrāte, illa ſanata eſt, in filiū permanentis virginis credidit, in eum, qui oſtiis* clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt, credidit. *Ibidem.*

** Ioan. 20.*
*Nec hæretici recentes hæc credunt.*
** Ibidem.*

*Miraculum celebre et omnibus Hipponenſibus notum.*

Vnum eſt apud nos factum, non maius quàm illa quæ dixi: ſed tam clarum, atque illuſtre miraculum, vt nullum arbitrer eſſe Hipponenſium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit: nullū, qui obliuiſci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum ſeptem



ſunt mares, tres fœminæ, de Cæſarea Cappadociæ ſuorum ciuium non ignobiles: maledicto matris, recēti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſſimè tulit: tali pœna ſunt diuinitus coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum ciuium non ferentes, quaquauerſum cuique ire viſum eſt, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & ſoror, Paulus & Palladia, multis aliis locis miſeria diffamante, iam cogniti. Venerunt autem ante Paſcha fermè dies quindecim, Eccleſiam quotidiè ingredientes, & in ea memoriam glorioſiſſimi Stephani frequentabant, orantes, vt iam ſibi placaretur Deus & ſalutem priſtinam redderet. Et illic, & quocunque ibant, conuertebant in ſe ciuitatis aſpectum. Nonnulli, qui eos alibi viderant, cauſámque tremoris eorum nouerant, aliis & cuicūque poterant, indicabant. Venit & Paſcha, atque ipſo die Dominico manè cùm iam frequens populus præſens eſſet, & loci ſancti cancellos, vbi martyrium erat, idem iuuenis orās teneret, repentè proſtratus eſt & dormienti ſimillimus iacuit: non tamen tremens, ſicut etiam per ſomnium ſolebat: ſtupentibus qui aderant, atque aliis pauentibus, aliis dolentibus, cùm eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, ſed potius exitum exſpectandū eſſe dixerunt. Et ecce ſurrexit, & non tremebat, quoniam ſanatus erat, & ſtabat incolumis, intuens intuētes. Quis ergo intuentium ſe tenuit à laudibus Dei? Clamantium gratulantiúmque vocibus Eccleſia vſquequaque completa eſt. Inde ad me curritur, vbi ſedebam iā proceſſurus: Irruit alter, quiſq; poſt alterū, omnis poſterior quaſi nouum, quod alius prior dixerat, nunciantes. Méque gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipſe cum pluribus: inclinatur ad genua mea, erigitur ad oſculum meum. Procedimus ad populum: plena erat Eccleſia, perſonabat vocibus gaudiorū: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacēte, hinc, atque inde clamātium: Salutaui populum, & rurſus eadem feruentiore voce clamabant. Facto tandem ſilentio, Scripturarum diuinarum ſunt lecta ſolennia: Vbi autem ventum eſt

ad mei ſermonis locum, dixi pauca, pro tempore, & pro illius iocunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere diuino, quandam Dei eloquentiam non audire, ſed conſiderare permiſi. Nobiſcum homo prandit, & diligenter nobis omnem ſuæ ac maternæ, fraternæque calamitatis indicauit hiſtoriam. Sequenti itaque die poſt ſermonem redditum, narrationis eius libellum in craſtinum populo recitandum promiſi. Quod cùm ex Dominico Paſchæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de ſuperiore loquebar loco: feci ſtare ambos fratres, cùm eorum legeretur libellus. Intuebatur populus vniuerſus, ſexus vtriuſque, vnum ſtantem ſine deformi motu: alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipſum nõ viderant, quid in eo Diuinæ miſericordiæ factũ eſſet, in eius ſorore cernebant. Videbant enim, quid in illo gratulandum, quid pro illa eſſet orandum. Inter hæc, recitato eorum libello, de conſpectu populi abire eos præcepi: & de tota ipſa cauſa aliquanto diligentius cœperam diſputare, cùm ecce, me diſputante, voces aliæ de memoria martyris nouæ gratulationis audiuntur. *In eodem cap. 8 lib. 22. de ciuit. Dei.*

Heſterno die libellum promiſimus charitati veſtræ: vbi de illo ſanato audire etiam poſſitis, quæ videre non potuiſtis. Si ergo placet charitati veſtræ, imò quia placere debet quod & mihi placet, ambo fratres ſtent in conſpectu veſtro: vt qui illum non viderant, in iſto videant, quid ille patiebatur. Stent ergo ambo, vnus cui donata eſt gratia, alter cui petenda eſt miſericordia. *Habetur hic ſermo cum alijs proximè ſequentibus in additione ſermonum D. Auguſtini, edita Louanij Anno 1564. opera & ſtudio religioſi Patris Ioannis Vlimmerij, fitq; horum mentio in Poſſidonij indiculo, qui ſimul eiuſdem opera editus eſt. Eſt autem ibi ſerm. 94.*

*Rogo Domine beatiſſime Papa Auguſtine, vt hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, ſanctæ plebi iubeas recitari.*

*Exemplar libelli dati à Paulo, ſancto Auguſtino Epiſcopo.*

Quum adhuc in patria noſtra Cæſarea Cappadociæ moraremur, frater noſter natu maior grauibus atque intolerandis communem matrem affecit iniurijs, intantum vt ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod



nos omnes filij pariter congregati patienter tulimus, vt ne verbũ quidẽ fratri noſtro pro matre noſtra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem fœminei doloris ſtimulis incitata, * iniurioſum filium maledicendo punire conſtituit. Quámque ad ſacri baptiſmatis fontem poſt gallorum cantus memorato filio ſuo iram Dei imprecatura properaret: tunc ei neſcio quis in patrui noſtri ſimilitudine, vt intelligitur, Dæmon occurrit, & ab ea prior quò pergeret, requiſiuit. Cui illa, ad maledicẽdum filio ſuo ob intolerabilem contumeliam, ſe ire reſpondit. Tunc autem ille inimicus, quoniã in mulieris corde inſaniẽte locum facilè inuenire potuit, vt omnibus malediceret perſuaſit. Illa autem vipereis inflammata conſilijs, ſacrum fontem prouoluta corripuit, & ſparſis crinibus nudatíſque vberibus hoc à Deo potiſſimùm poſtulauit, vt extorres patria & circumeuntes alienas terras, omne hominum genus noſtro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta proſequitur: eundémque continuò fratrem noſtrum ætate culpáque maiorem tremor membrorum tantus inuaſit, quãtum in me vſque ante hoc triduum veſtra ſanctitas vidit. Seruato autem ordine quo nati eramus, intra vnum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones ſuas ad tantam efficaciam perueniſſe, impietatis ſuæ conſcientiam & opprobrium hominum diutius ferre non potuit: ſed laqueo guttur aſtringens, luctuoſam vitam termino funeſtiore concluſit. Egreſsi ergo nos omnes, opprobrium noſtrum non ferentes, & communem patriam relinquẽtes paſsim ſumus per diuerſa diſperſi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui naſcendi quoque ordine primum ſequitur, ad glorioſi Martyris Laurentij memoriam, quæ apud Rauennam nuper collocata eſt, ſicut audiuimus, meruit ſanitatem. Ego autem qui naſcendi ordine ſum ſextus illorum, cum hac ſorore mea quæ me ætate ſubſequitur vbicunque gentium, vbicunque terrarum loca eſſe ſacra in quibus operaretur Deus miracula, comperiſſem, magno deſideratæ ſanitatis amore carpebam iter. Sed vt de cæteris celeberrimis ſanctorum locis taceam, ad Anconam Italiæ ciuitatem, vbi per glorioſiſsimum

* *aliâs agitata.*

*Diſcant parentes, filiis non imprecari mala: diſcant viciſſim filij parẽtes honorare.*

*Quidam, per beatum martyrem Laurẽtium miraculo curatus.*

*Peregrinabantur hi ad loca ſacra.*

Martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perueni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco diuina prædeſtinatione ſeruabar. Nec Vzalim ciuitatem Africæ prætermiſi, vbi beatus martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Veruntamen ante hos tres menſes, id eſt, Calendarum Iuniarum die, tam ego quàm ſoror mea, quæ hîc mecum eſt eadem adhuc paſſione detenta, euidenti ſumus viſione commoniti. Ait enim mihi quidam aſpectu clarus, & candido crine venerabilis, quòd intra tertium menſem deſiderata eſſet mihi ſanitas affutura. Sorori autem meæ in viſione ſanctitas tua in ea effigie, in qua te præſentes videmus apparuit: per quod nobis ſignificatum eſt ad iſtum locum nos venire debuiſſe. Nam & ego beatitudinem tuam ſæpius poſtea videbam per alias ciuitates in itinere quo veniebamus talem prorſus, qualem modò conſpicio. Admoniti ergo euidenti auctoritate diuina, ad hãc venimus ciuitatem ante dies fermè quindecim. Paſsionis meæ vel oculi veſtri teſtes ſunt, vel miſerabilis ſoror mea, quæ ad eruditionem omnium, communis mali præbet exemplum, vt qui in illa qualis ego fuerim vident, in me quantum per ſpiritum ſanctum ſuũ Dominus ſit operatus agnoſcant. Orabã ego quotidiè cum magnis lachrymis in loco vbi eſt memoria glorioſiſsimi martyris Stephani. Die autem Dominico Paſchæ, ſicut alij qui præſentes erant viderant, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, ſubitò cecidi. Alienatus autem à ſenſu, vbi fuerim neſcio. Poſt paululum aſſurrexi, & illũ tremorem in corpore meo non inueni. Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli: in quo etiã quæ de noſtris calamitatibus ignorabatis, & ꝙ de mea incolumitate & ſalute cognouiſtis exhibui: vt & ꝓ mea ſorore orare dignemini, & pro me agere Deo gratias.

*Eſt ergo ſingularis prærogatiua quorundam locorum.*

Miſericordia quidem Dei fratres, ſicut credendum eſt, omnes iſti fratres quos vna Dei ira materna plaga percuſſit, ad huius de quo gaudemus, quandoque peruenturi ſunt ſanitatem. Veruntamen diſcant filij obſequi, timeant parentes iraſci. Scriptum eſt, * *Benedictio patris firmat domum filiorum: maledictio matris eradicat fundamenta.* Modò iſti per terras in fundamẽtis patriæ ſuæ non ſunt: præbent vbique ſpectaculum, proponunt ſuum ſupplicium: præbent oculis miſeriam ſuam, terrent ſuperbiam alienam. Diſcite filii quod dicit Scriptura, * reddere honorem parentibus debitum. Sed & vos parentes quando offendimini, parentes vos eſſe recordamini. Orauit mater contra filios, exaudita eſt, quia Deus verè iuſtus eſt, quia verè iniuriã paſſa fuerat. Vnus ipſorum & verba contumelioſa & manus iniecerat, & cæteri matris iniuriam patienter tulerunt, nec vnum pro ea verbum contra fratrem reſponderunt. Iuſtus Deus qui audiuit precantem, audiuit dolentem. Sed quid illa miſera? Nónne vnde citius exaudita, inde plus punita? Diſcite hoc petere à Deo, vbi non timeatis exaudiri. Nos autem fratres ſatagamus Domino Deo noſtro gratias referre pro illo qui ſanatus eſt, & pro illa quæ adhuc tenetur, preces fundamus. Benedicamus Deum, quia dignos nos habuit, vt hoc videremus. Quid enim ſumus, quia ego apparui iſtis neſciens? Illi enim me videbant, & ego neſciebam: & admonebantur vt ad iſtam ciuitatem venirent. Quis ſum ego? Homo ſum vnus de multis, non de magnis. Et verè, vt audiat charitas veſtra, multũ miror & gaudeo nobis eſſe conceſſum, quoniam iſte homo nec Anconæ curari potuit: imò potuit, ſed propter nos factum non eſt, quia facillimè fieri potuit. Sciunt enim multi quanta miracula per beatiſsimũ martyrem Stephanum in iſta ciuitate fiant. Et audite quod miremini: memoria eius antiqua ibi erat, & ipſa eſt ibi. Sed fortaſſè dicis, Corpus eius nondum apparuerat, memoria ibi vnde erat? Latet quidem cauſa, ſed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo charitati veſtræ. Quãdo lapidabatur ſanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes & maximè de iis qui iam in Chriſto crediderant circunſtabant, dicitur lapis veniſſe in cubito, & excuſſus inde veniſſe ante quendam religioſum. Tulit illum & ſeruauit. Homo erat de nauigantibus, ſors nauigationis attulit illum ad littus Anconæ, & reuelatum eſt illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obediuit reuelationi, & fecit quod iuſſum eſt: & ex illo

*Sermo S. Auguſtini, habitus proximè poſt lectum libellum, eſt in eadem additione hic ſerm. 95.*

** Eccli. 3.*

** Exod. 20. Deut. 5.*

*Vide quantus honor, etiã lapidi propter S. Martyrem, habeatur.*

cœpit ibi eſſe memoria ſancti Stephani,& rumor erat, quia brachium ſancti Stephani ibi eſt,neſcientibus hominibus quid contigiſſet. Verum autẽ intelligitur propterea ibi fuiſſe reuelatum,vt ibi poneret lapidem qui de cubito Martyris excuſſus eſt, quia Græcè cubitum ancon dicitur. Sed qui ſciunt quæ ibi miracula fiant, ipſi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri iſta miracula, niſi poſteaquàm corpus ſancti Stephani apparuit. Ecce ibi nõ eſt curatus iſte iuuenis,vt noſtris oculis ſeruaretur. Apud Vzalim vbi eſt Epiſcopus frater meus Euodius quanta miracula ibi fiant,quærite & inuenietis. Prætermiſſis autem aliis indico vobis vnum quod ibi factum eſt,vt videatis quanta ſit ibi præſentia maieſtatis. Mulier quædam ſubitò ægrotum filium cui ſuccurrere feſtinando non potuit,in gremio ſuo catechumenum amiſit:quæ clamans,Mortuus eſt,inquit, filius meus catechumenus.

*Et cùm hæc diceret Auguſtinus,populus de memoria ſancti Stephani clamare cœpit, Deo gratias , Chriſto laudes. In quo continuo clamore,puella quæ curata eſt ad Abſidam perducta eſt. Qua viſa,populus cum gaudio & fletu nullis interpoſitis ſermonibus , ſed ſolo ſtrepitu interpoſito aliquandiu clamorem protraxit:& ſilentio facto, Auguſtinus Epiſcopus dixit.* Scriptum eſt in Pſalmo , * Dixi proloquar aduerſum me delictum meũ Domino Deo meo,& tu dimiſiſti impietatem cordis mei. Dixi proloquar,nondum prolocutus ſum:dixi proloquar , & tu dimiſiſti,Commendaui iſtam miſeram, imò ex miſera cõmendaui eam veſtris orationibus. Diſpoſuimus orare,& exauditi ſumus. Sit gaudium noſtrum actio gratiarũ. Citius exaudita eſt mater Eccleſia , quàm in perniciem maledicta mater illa. Conuerſi ad do. &c. *Ibidem.*

** Pſalm. 31.*

*Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi, quo complet partem ſermonis mox præcedentis; miraculo interrupti. Eſt ſerm. 96.*

Debet à nobis heſternus ſermo compleri,qui maiori interruptus eſt gaudio. Statueram enim & cœperam loqui charitati veſtræ , quare mihi videntur iſti fratres diuina auctoritate ad hanc ciuitatem eſſe directi,vt hîc in eis diu optata & expectata ſanitas impleretur. Et hoc volens dicere ,prius commendare cœperam charitati veſtræ loca ſancta,in quibus non ſunt ſanati, & ad nos



inde ſunt directi. Et dixi de Ancona ciuitate Italiæ: Cœperam de Vzali ciuitate dicere quæ eſt in Africa (Epiſcopum habet fratrem meum quem noſtis Euodium) quia & ad illam ciuitatem eos venire fama eiuſdem martyris & operum eius compuliſſet. Non eſt illic datum quod dari potuit,vt hîc daretur vbi dari debuit. Quum autem opera diuina per ſanctum martyrem cõmemorare breuiter vellem,omiſsis cæteris vnum inſtitueram dicere:quod dum dico , reſtituta illi puellæ ſanitate,ſubitò lætitiæ tumulus exortus eſt,& nos aliter compulit finire ſermonem. Ergo tale ibi miraculũ ſcimus factum inter multa alia,quæ cõmemorari vtique cuncta non poſſunt. *Ibidem.*

*Commendat Auguſtinꝰ loca ſancta.*

Mulier quædam amiſit in gremio ægrotantem filiũ catechumenum,infantem lactentem. Quæ cùm vidiſſet amiſſum & irreparabiliter perditum:cœpit eũ magis flere fideliter,quàm mater. Non enim filii ſui deſiderabat vitam,niſi in futuro ſeculo : & hanc ſibi ablatam & periſſe plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum,& cucurrit ad memoriam beati martyris Stephani,& cœpit ab illo exigere filium & dicere, Sancte Martyr vides nullum mihi remanſiſſe ſolatium. Non enim poſſum dicere filium præceſſiſſe:quem noſti periſſe:tu enim vides quare plangam. Redde filium meum,vt habeam eum ante conſpectum coronatoris tui. Hæc & talia cùm precaretur lachrymis quodammodo non petentibus,ſed,vt dixi, exigentibus , reuixit filius eius. Et quia dixerat, Noſti quare illum quæram: oſtendere voluit etiam Deus verum animũ ipſius. Continuò tulit illum ad Preſbyteros,baptizatus eſt, ſanctificatus eſt,vnctus eſt,impoſita eſt ei manus , completis omnibus Sacramentis aſſumptus eſt. Illa autem tali eũ cum vultu deduxit,tanquam non deduceret ad requiẽ ſepulchri,ſed ad ſinum martyris Stephani. Probatũ eſt cor fidele mulieris. *Ibidem.*

*Hoc miraculo,probatur neceſſitas & vtilitas Baptiſmi paruulorum.*

*Inuocat pia mulier cõceptis verbis S. Stephanũ, quem noſſe & videre afflictionẽ ſuã cõfitetur: cuius veram fidẽ miraculo confirmauit Deus.*

*Qui plura de miraculis, per merita beati protomartyris Stephani oſtenſis , noſſe deſiderat , conſulat appendicem ſupra dictam, vbi inter alia, duo extant hac de re libelli,ab Euodio Vzalenſi* Epiſcopo *conſcripti, cuius mentionẽ facit D. Aug. hîc & lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8.*

*Baptiſmus, vnctio, impoſitio manuum, etiam paruulis adhibita.*

*Inuẽtio ſancti Stephani*

Triumphauit, (*beatus Stephanus*) Coronatus eſt. Latuit tanto tempore corpus eius, proceſſit quãdo Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus. Ergo hoc commendo charitati veſtræ, vt ſciatis quòd orationes eius multa impetrant, non tamen omnia. Nam inuenimus etiam in libellis qui dantur, fuiſſe illi difficultates impetrandi, & accepiſſe tamen poſtea beneficium nõ deficiente ſupplicis fide. Non ceſſatum eſt, oratum eſt, & dedit poſtea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, & reſponſum eſt illi, Pro qua oras non eſt digna, hoc & hoc fecit, & tamen inſtitit, rogauit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia in cuius nomine faciebat antequam carnem deponeret, in eius nomine faciunt orationes eius vt beneficia impetrentur, quibus nouit ea dari debere: ille autem tanquam ſeruus orat. *Ibidem, ſerm.* 91.

*Sancti non omnia ſemper impetrãt quæ pro nobis poſtulãt, propter vitiũ aliquod noſtrum.*

*Sanctorum orationes in nõie Chriſti, nobis beneficia impetrant.*

Tunc (*cùm ſcilicet Iuſtina, Valentiniani Regis pueri mater, Ambroſium perſequeretur, ab Arrianis ſeducta.*) memorato Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora, Prothaſii & Geruaſii, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras, vnde opportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineã, ſed regiam. Cùm enim propalata & effoſſa digno cũ honore transferrẽtur ad Ambroſianam baſilicã, nõ ſolũ quos immundi vexabant ſpiritus, con feſſis eiſdem dæmonibus ſanabantur, verũ etiã quidam plures annos cæcus ciuis, ciuitatique notiſſimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſam quęſiſſet atque audiſſet, exiliuit, eóque ſe vt duceret, ſuum ducem rogauit. Quò perductus, impetrauit admitti, vt ſudario tangeret pheretrum precioſæ * in conſpectu tuo mortis ſanctorũ tuorũ. Quod vbi fecit atque admouit oculis, cõfeſtim aperti ſunt. *Tom.* 1. *Confeſſionum, lib.* 9. *cap.* 7.

*Corpora Martyrum Geruaſij & Prothaſij per multos annos incorrupta.*

*Tranſlatio corporum Geruaſij & Prothaſij cũ honore ad Baſilicam Ambroſianam.*

* *Pſal.* 115.

Cum iſta me cauſa (*ſtupri per iuuenem quendam in Bonifacium presbyterum reiecti*) diu cruciaſſet, nec inuenirem, quomodo vnus è duobus conuinceretur, quamuis magis presbytero credidiſſem, cogitaueram primò ſic ambos Deo relinquere, donec in vno eorum, qui mihi ſuſpectus erat, aliquid exiſteret, vnde non ſine iuſta &



manifeſta cauſa de noſtro habitaculo proiiceretur. Sed cùm promoueri in clericatu, ſiue illic per me, ſiue alibi per literas meas vehementiſſimè conaretur, ego autem nullo modo adducerer ei homini, de quo tantum mali exiſtimarem, manus ordinationis imponere, aut per cõmendationem meam alicui fratri meo eum ſubintroducere, turbulentius agere cœpit, vt ſi ipſe in clericatu nõ promoueretur, nec presbyter Bonifacius in ſuo gradu eſſe permitteretur. In qua eius prouocatione cùm viderem Bonifacium nolle quibuſlibet infirmis & ad ſuſpicionem propenſis, de ſuæ vitæ dubitatione ſcandalũ fieri, paratúmque eſſe honoris ſui apud homines damnũ perpeti potius, q̃ in ea contentione, in qua non poſſet ignorantibus & dubitantibus vel ad malè ſuſpicandum procliuioribus ſuam demonſtrare conſcientiam, vſque ad Eccleſiæ perturbationem inaniter progredi, elegi aliquid medium, vt certo placito ſe ambo conſtringerent *a* ad locum ſanctũ ſe peregrinaturos, *b* vbi terribiliora opera Dei non ſanam cuiuſque conſcientiam multò facilius aperirent, & ad confeſſionem vel pœna vel timore compellerent. *c* Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. *d* Veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt *e* ſanctitas loci, vbi beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quò volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliúſque ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani *f* apud memoriam ſanctorũ, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, *g* furem quendam qui ad eum locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere. Nunquid non & Africa ſanctorum Martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquã hîc

*a Peregrinatio ad loca ſancta ab Auguſtino quibuſdam iniuncta.*

*b In quibuſdam locis terribiliora Dei opera.*

*c Obiectio eſt nouorum hæreticorũ, quam hîc Auguſtinus diluit.*

*d Quare in quibuſdam locis quędã miracula fiant, quæ in aliis nõ fiãt, occultũ Dei conſilium.*

*e Sanctitas loci, vbi beati Felicis Nolenſis corpus cõditum eſt, notiſſima.*

*f Apud memoriam ſanctorũ dæmones, mirabiliter quæ nollent confitentur.*

*g Fur, animo peierandi ad memoriam Sanctorum veniens ibi compulſus eſt furtum confiteri, & reddere quod abſtulerat.*

* 1. Cor. 12.

*Queadmodũ nõ oẽs Sãcti, dũ hîc viuerẽt, habuerũt oĩa dona, ita nec poſt mortẽ in omnibus ipſorũ memoriis, quælibet fiũt miracula.*

* *aliâs* illa.

*Quare miracula nũc minus frequẽtia quàm in Eccleſiæ initio.*

* *aliâs* per.

*Plurima miracula fiebãt tẽpore Auguſtini, vt q̃ ipſe noſſet, enumerare non valeret.*

ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit: * Non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum, ita nec in omnibus memoriis ſanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult. *Tom. 2. Epiſt. 137. ad Clerum & populum Hipponenſem.*

Quod dixi: Nec miracula iſta * in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret, vt & eorũ conſuetudine frigeſceret genus humanũ, quorum nouitate flagrauit. Verum eſt quidem: Non enim nunc vſque, cùm manus imponitur baptizatis, ſic accipiunt Spiritum ſanctum, vt loquantur linguis omnium gentium: aut nunc vſque ad* vmbram tranſeuntium prædicatorum Chriſti ſanantur infirmi, & ſi qua talia tũc facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt. Sed non ſic accipiendum eſt quod dixi, vt nũc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipſe quando iſtum ipſum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuiſſe iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus enumerare poſſimus. *Tom. 1 lib. 1. Retractationum, cap. 13.*

## *XIIII. Miracula quare per Sanctos fiant.*

QVapropter Deus qui fecit viſibilia cœlum & terram, non dedignatur facere viſibilia miracula in cœlo, vel in terra, quibus ad ſe inuiſibilem colendum excitet animam adhuc viſibilibus deditam: vbi verò & quando faciat, incommutabile conſilium penes ipſum eſt, in cuius diſpoſitione iam tempora facta ſunt, quæcunque futura ſunt. Nam temporalia mouens, temporaliter nõ mouetur, nec aliter nouit facienda, quàm facta, nec aliter inuocantes exaudit, quàm inuocaturos videt. Nam & cùm exaudiunt angeli eius, ipſe in eis exaudit, tanquam in vero, non manufacto templo ſuo, ſicut in omnibus ſanctis eius, quæ temporaliter fiunt iuſſa, æterna eius lege conſpecta. *Tom. 5. de Ciuit. Dei, lib. 10. cap. 12.*

*Quãdo preces noſtras angeli vel ſãcti exaudiũt, Deus illas ĩ eis exaudit, tanquam in templo ſuo.*



*Miracula p̃ martyres facta, eidẽ fidei atteſtãtur, p̃ qua & ipſi mortem oppetierunt.*

Cui, niſi huic fidei atteſtantur iſta miracula, in qua prædicatur Chriſtus reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne? Nam & ipſi martyres, huius fidei martyres, id eſt, huius fidei teſtes fuerunt, huic fidei teſtimonium perhibentes, mundum inimiciſſimum & crudeliſſimum pertulerunt, eũmque non repugnando, ſed moriendo vicerunt. Pro iſta fide mortui ſunt, qui hæc à Domino impetrare poſſunt, propter cuius nomen occiſi ſunt. Pro hac fide præceſſit eorum mira patientia, vt in his miraculis tanta iſta potentia ſequeretur. Nam ſi carnis in æternum reſurrectio, vel non præuenit in Chriſto, vel non ventura eſt, ſicut prænunciatur à Chriſto, vel ſicut prænunciata eſt à Prophetis, à quibus prænunciatus eſt Chriſtus: quare martyres tanta poſſunt, qui pro ea fide, qua hæc reſurrectio prædicatur, occiſi ſunt? Siue enim Deus ipſe per ſeipſum miro modo, quo res temporales operatur æternus, ſiue per ſuos miniſtros iſta faciat: & eadem ipſa quæ per miniſtros facit, ſiue quædam faciat etiam per martyrum ſpiritus, ſicut per homines adhuc in corpore conſtitutos: ſiue omnia iſta per angelos, quibus inuiſibiliter, immutabiliter, & incorporaliter * imperat, operetur: vt quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: ſiue alia fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt: ei tamen atteſtantur hæc fidei, in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur. *Ibidem, lib. 22. cap. 9.*

*Miracula martyrũ quomodo reſurrectionẽ mortuorum confirment.*

* *aliâs* incõparabiliter.

*Certum eſt, miracula per martyres facta fidei Chriſtianæ atteſtari, quãuis modus, quo p̃ ipſos ea fiũt, à nobis cõprehẽdi nequeat.*

Hîc fortè dicturi ſunt etiam Deos ſuos aliqua mira feciſſe. Benè ſi iam incipiunt Deos ſuos noſtris mortuis hominibus comparare: An dicent etiam ſe habere Deos ex hominibus mortuis, ſicut Herculem, ſicut Romulum, ſicut alios multos, quos in Deorum numerum receptos opinantur? Sed nobis martyres non ſunt Dij: quia vnum eundémque Deum, & noſtrum ſcimus, & martyrum: nec tamen miraculis quæ per memorias noſtrorum martyrum fiunt, vllo modo comparanda ſunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum. Verùm ſi qua ſimilia videntur, ſicut à Moſe* magi Pharaonis, ſic eorum Dij victi ſunt à martyribus

* Exod. 7.

*Deus miracula facit, orãtibus aut cooperãtibus martyribus.*

nostris. Fecerunt autem illa dæmones eo faſtu impuræ ſuperbiæ, quo eorum Dij eſſe voluerũt. Faciunt autem iſta martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, vt fides illa proficiat, qua eos, non Deos eſſe noſtros, ſed vnum Deum habere nobiſcum credamus. *Et paulò pòſt.* Quibus igitur potius credẽdum eſt miracula facientibus? eíſne qui ſeipſos volunt haberi Deos ab his, quibus ea faciunt: an eis, qui vt in Deum credatur, quod & Chriſtus eſt, faciũt quicquid faciunt? Eíſne, qui ſacra ſua etiam crimina ſua eſſe voluerũt: an eis qui nec laudes ſuas volunt eſſe ſacra ſua, ſed totum quod veraciter laudantur, ad eius gloriam proficere, in quo laudantur? In Domino quippe laudantur animæ eorum. Credamus ergo eis, & vera dicentibus & mira facientibus. Dicendo enim vera, paſsi ſunt, vt poſſent facere mira. In eis veris eſt præcipuum, quod Chriſtus reſurrexit à mortuis, & immortalitatem reſurrectionis in ſua carne primus oſtendit, quam nobis affuturam vel principio noui ſeculi, vel in huius fine promiſit. *Ibidem, cap.10.*

*Pſalm.33.*

*Credamus ſanctis Patribus & vera dicẽtibus, & mira facientibus.*

## *XV. Reliquias ſacras ſub altari reponi fuiſſe morem, & quare.*

*De cõſecr. d. 1. c. Placuit, vt altaria.*

*Altaria in quibus nullũ corpus, aut nullæ reliquiæ martyrum conditæ ſunt, euerti iubentur.*

ITem placuit, vt altaria, quę paſſim per agros, aut vias, tãquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, (ſi fieri poteſt) euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneãtur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint, aut vbi origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſsionis, fideliſsima origine traditur. *Conc. Carthag.5. cap.14. & in Afric. cap.50. vtrique interfuit D. Auguſtinus.*

*Vide quãti fiant corpora vel reliquiæ martyrum.*

*Celebratio martyrum, laudatio Saluatoris.*

Quotieſcunque fratres ſanctorum martyria celebramus, toties laudes Saluatoris edicimus: & quoties eorum aſſerimus paſsiones, toties Chriſti gloriam prædicamus. Non enim ſuſpicimus quod paſsi ſunt, ſed pro-



pter quem paſsi ſunt, admiramur. Igitur non pœna in laude, ſed fides eſt in honore. Magnificamus ergo martyres, ſed præcipuè illos, qui naſcente Chriſto in ipſo exordio non loquendo, ſed moriendo confeſsi, ad regna perpetua cæteros præuenerũt. Videte autem, quem iidem locum apud homines mereãtur, qui apud Deum locum ſub altario meruerunt. Dicit enim Scriptura ſancta: * *Vidi enim ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium Ieſu quod habebant.* Sub ara, inquit, Dei vidi animas occiſorum. Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo Sacrificium celebratur, in qua offerũtur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt: * Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech? Rectè ſub altario iuſtorum animæ requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant, vbi etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur. Conuenienter igitur & quaſi pro quodam cõſortio ibi martyribus ſepultura decreta eſt, vbi mors Domini quotidiè celebratur, ſicut ipſe ait: * Quotieſcunque hæc feceritis, mortem meam annunciabitis, donec veniam: ſcilicet vt qui propter mortem eius mortui fuerant, ſub Sacramenti eius myſterio requieſcant. Non immerito, inquam, conſortio quodam illic occiſis tumulus conſtituitur, vbi occiſionis Dominicæ membra ponuntur, vt quos cum Chriſto vnius paſsionis cauſa deuinxerat, vnius etiam loci religio copularet. *Tom.10. de Sanctis, ſerm.11.*

** Apoc.6.*

*Martyres requieſcũt ſub altari, in quo Deo ſacrificiũ celebratur.*

** Pſal.109.*

*Quare martyres ſub altari ſepeliantur, in quo Domini corpus offertur.*

** 1. Cor.11.*

Vir tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi fundum Cubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & ſeruorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogauit noſtros me abſente presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quãtum potuit, vt ceſſaret illa vexatio: Deo protinus miſerante, ceſſauit. Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam, de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus CHRISTVS, die tertio reſur-

*Offerebatur ergo ſacrificiũ corporis Chriſti.*

*Vide quãtus honor habeatur puluiſculo terræ, q̃ ex*

*Chriſti ſepulchro fuerat accepta.*

rexit: eámque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, nequid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Fortè accidit, vt ego, & collega tunc meus Epiſcopus Syniceuſis Eccleſiæ Maximinus, in proximo eſſemus: vt veniremus, rogauit, & venimus. Cúmque nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret: vbi etiam poſſent Chriſtiani, ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari. Non reſtitimus, factum eſt. Erat ibi iuuenis paralyticus Ruſticanus, qui hoc audito, petiuit à parẽtibus ſuis, vt illum ad eum locum ſanctum non cunctãter afferrent. Quò cùm fuiſſet allatus, orauit: atque inde continuò pedibus ſuis ſaluus abſceſſit. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 8.*

*Paralyticus vectus ad locũ, vbi modicũ terræ ſanctæ repoſitũ erat, ſanatus eſt.*

# CAPVT TERTIVM DE IEIVNIO CHRISTIANO.

## *I. Ieiunium non eſſe idem cum temperantia quæ ſemper neceſſaria eſt.*

NAm neque ipſis quorum conſuetudinem (*Sermo eſt de quodam Vrbico, qui omnes vbique ad ieiunandum Sabbato cogere volebat*) ſibi videtur defendere, inuenitur peperciſſe Romanis, ſed quomodo in eos quoque redundet conuiciorum eius impetus neſcit, quoniam non aduertit. Nam cùm eum argumenta deficiunt, quibus probet Sabbato ieiunandum, in luxurias epularum & temulenta conuiuia, & nequiſſimas ebrietates inſultabundus inuehitur, quaſi non ieiunare, hoc ſit inebriari. Quod ſi hoc eſt, quid ergo prodeſt Romanis ſabbato ieiunare? quandoquidem aliis diebus quibus non ieiunant, neceſſe eſt eos ſecundùm diſputationem huius ebrioſos & ventricolas iudicari. Porrò ſi aliud eſt grauare corda in crapula & ebrietate, quæ ſemper eſt malum, aliud eſt autem modeſtia

*Non eſſe tẽperãtem, ſemper malũ: nõ ieiunare, non ſemper malũ.*



modeſtia & temperantia cuſtodita relaxare ieiunium, quod certè cùm ſit die Dominico, reprehenſorem non habet Chriſtianum, prandia prius ſanctorum à voracitate & ebrioſitate ventricolarum iſte diſcernat, ne Romanos ipſos * quando non ieiunant ventricolas faciat, & tunc inquirat, non vtrum liceat inebriari Sabbato, quod nec die Dominico licet, ſed vtrum nec Sabbato ieiunandũ ſit, ſicut Dominico non ſolet. *Tom. 2. epiſt. 86. ad Caſulanum.*

*Poſſumus nõ ieiunare, & tamẽ temperantes eſſe.*

* *aliâs* Epiſcopos.

Prorſus non attendit, quid ei de die Dominico poſſit opponi, quando ſicut accuſanda ſunt ebrioſa conuiuia, & omnis vorax ac temulenta luxuries, ſic accuſat prandia ſabbatorum, cùm poſſint & ipſa eſſe modeſtorum atque ſobriorum. Et ideo non eſt illi ad ſingula reſpondendum, quoniam pro Sabbati prandio vitia luxuriæ reprehendendo, eadem atque eadem ſæpe * dicit, aliud non inueniendo quod dicat, niſi quod inaniter & ad rem non pertinens dicit. Vtrum non ſit Sabbato ieiunandum quæritur, non vtrum Sabbato non ſit luxuriandum, quod nec Dominico faciunt qui Deum timent, quanuis in illo vtique non ieiunent. *Et poſt pauca.* Sicut autem fieri poteſt vt ieiunetur, & cùm ieiuniũ ſoluitur ſi quis ebrioſus eſt, tunc inebrietur: ita fieri poteſt vt non ieiunetur, & ſi temperãtes ſunt homines, modeſtiſſimè prandeatur. *Ibidem.*

* *aliâs* ſibi.

*Si nõ ieiunãdo poſſumus, imò debemus, tẽperãteseſſe, aliud ergo eſt ieiuniũ, aliud temperantia, ſub qua abſtinẽtiam & ſobrietatem cõplectimur.*

## *II. Chriſtianis olim familiaria ieiunia fuiſſe.*

VIdi ego diuerſoria ſanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat vir optimus & doctiſſimus *a*. Romæ etiam plura cognoui, in quibus ſinguli grauitate atque prudentia & diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt, Chriſtiana caritate, ſanctitate, & libertate viuentibus. Ne ipſi quidem cuiquam oneroſi ſunt, ſed Orientis more, & Pauli Apoſtoli auctoritate manibus ſuis ſe tranſigunt. Ieiunia etiam prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſ-

*a Cœnobia ſanctorũ, quibus presbyter vnus præerat.*

ſimum b, ſed continuum triduum; c vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, ſed etiam in fœminis, quibus idem multis viduis & virginibus ſimul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ grauiſſimæ probatiſſimæque, non tantùm in inſtituendis componendíſque moribus, d ſed etiã inſtruendis mentibus peritè ac paratè. *Tom.1. de moribus, Eccleſiæ Cath. lib.1. cap.33.*

*b Vſitatiſsimũ, vt ieiunantes ſemel quotidie reficerẽt corpus, idq; ſub noctem.*

*c Ieiunia triduana.*

*d Cœnobia virginũ et viduarũ, quib. vna præerat, quæ fuiſſet ipſarum probatiſsima.*

Dicta cauſa atque definita eſt. Sed ſi omnia geſta vobis legere velimus, quanquam præſentibus vobis fratrem & coëpiſcopum meum Deuterium obſtringo, vt quemadmodũ fit apud Carthaginem, apud Tagaſtem, apud Conſtantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes Eccleſias, ſic etiam deinceps facere non pigreſcat. Vt annis omnibus per ieiuniorum dies, id eſt, Quadrageſima ante Paſcha, quando vobis maximè ieiunãtibus plus vacat audire, eadem geſta collationis per annos ſingulos, vniuerſa à capite in finem ex ordine recitentur. *Tom.7. de geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo.*

*Igitur in his omnibus Eccleſiis erat cõſuetudo ieiunandi diebus Quadrageſimæ.*

Puto quòd ſi ter in Sabbato quis ieiunat, iam ſuperat Phariſæum,* qui bis in Sabbato ieiunabat. Quòd ſi & quater, vel etiam vt nullus dierum excepto Sabbato & Dominico prætermittatur, in hebdomade quinquies ieiunatur, quod multi in* in vita ſua faciunt, maximè in monaſteriis conſtituti: non ſolùm Phariſæus, qui bis in Sabbato ieiunabat, verùm etiã Chriſtianus, qui quarta & ſexta Feria & ipſo Sabbato ieiunare conſueuit, quod frequenter Romana plebs facit, in labore ieiunij ſuperabitur. *Tom.2. epiſt.86. ad Caſulanum.*

** Luc. 18.*

**aliâs, tota.*

*Multi excepto Sabbato & die Dominico, tota hebdomada ieiunabant.*

*Romana plebs 4. et 6. feria & Sabbato ieiunare ſolita.*

Si nouimus mala Paganorum, quia de iſtis malis & nos liberati ſumus: doleamus illos; & ſi dolemus illos, oremus pro illis: & vt exaudiamur, ieiunemus pro illis. Non enim nos noſtra ieiunia celebramus per dies feſtos illorum. Alia ſunt ieiunia noſtra quæ celebramus per dies Paſchæ futuros, per alia atque alia, quæ ſolennia nobis ſunt in Chriſto, per iſtos autem dies ad hoc ieiunamus vt quando ipſi lætantur, nos pro illis gemamus. *Tom.8. in Pſalm.98.*

*Ieiunia Chriſtianorum ſolẽnia, circa dies Paſchæ, et ſtatis aliis temporibus celebrantur.*



## III. Ieiunium in ſacris literis eſſe præceptum.

EGo in Euangelicis & Apoſtolicis literis, totóque inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum nouũ, animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non inuenio definitum. *Tom.2, Epiſt.86. ad Caſulanum Presbyt. prope finem.*

*Ieiunium in Scriptura nõui Teſtamẽti præceptum: quare igitur à nobis Euãgelicis nõ ſeruatur?*

Ieiunium, inquit, (*Baſilius*) in Paradiſo lege conſtitutum eſt. Primum enim mandatum accepit Adam,* à ligno ſciendi bonum & malum non manducabis. Non manducabis autem, ieiunium eſt, & legis conſtitutionis initium. Si ieiunaſſet à ligno Eua, non iſto indigeremus ieiunio: Non enim * opus habent valentes medico, ſed malè habentes. Ægrotauimus per peccatum, ſanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò ſine ieiunio vacua eſt. Maledicta terra, ſpinas & tribulos pariet. Contriſtari ordinatus es, nunquid deliciari? Et paulò pòſt in eodem ſermone, idem ipſe, Quia non ieiunauimus, inquit, decidimus de Paradiſo. Ieiunemus ergo, vt ad eum redeamus. *Hæc Baſilij verba recitantur & approbantur ab Auguſtino Tom.7. cont. Iulianum Pelag. lib.1. cap.2.*

*Baſilius ſer. 1. de ieiunio, in ſolennitate quinq; dierũ ieiunij.*

** Gen. 2.*

** Mar. 2. Luc. 5.*

** Gen. 3.*

*Pœnitẽtia cũ ieiunio medicina eſt, qua ſanamur à peccato.*

*Ieiunãdum, vt ad Paradiſum redeamus.*

## IIII. Ieiunandum eſſe Chriſtiano, qui grauiore tentatione pulſatur.

IEiunium aut in tribulatione eſt, aut in gaudio. In tribulatione ad propitiandum Deum pro peccatis: in gaudio verò cùm tantò minus delectant carnalia, quantò ſpiritualium maior ſagina eſt. Cùm ergo Dominus interrogatus eſſet,* cur diſcipuli eius non ieiunarent, de vtroque ieiunio reſpondit. Nanquè ad illud quod in tribulatione ieiunari ſolet, pertinet quod ait, ſponſi filios tunc ieiunaturos, cùm ab eis ablatus fuerit ſponſus: tunc enim deſolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum ſanctum gaudia conſolatoria retribuantur. Quo dono percepto etiam ieiunij alterum genus, quod fiat per lætitiam, iam renouati in vitam ſpiritalem conuenientiſsimè

*Ieiuniũ aſſumitur ad propitiãdũ Deũ pro peccatis.*

**Matth. 9. Mar. 2. Luc. 5.*

celebrabunt. *Tom.4.quæſt. Euang.lib.2.q.18.*

*Chriſtus ſuo exemplo docuit, tētationis tēpore nobis ieiunādū eſſe.*

Non quia Chriſtus poſt acceptum Baptiſmum continuò ieiunauit, tanquam regulam obſeruationis dediſſe credendus eſt, vt poſt ipſius Chriſti baptiſmum acceptum, continuò ieiunare neceſſe eſſet: ſed planè illo exemplo docuit ieiunandum eſſe, quando fortè acriore luctamine cum tentatore confligitur. Ob hoc enim & Chriſtus, qui ſicut homo dignatus eſt naſci, non reſpuit ſicut homo tentari, vt Chriſtianus magiſterio eius inſtructus, non poſſit à tentatione ſuperari. Siue ergo continuò poſt Baptiſmum, ſiue quolibet interuallo temporis interpoſito, quando ſimile prælium tentationis infertur homini ieiunandum eſt, vt & caro impleat de caſtigatione militiam, & anima impetret de humilitate victoriam. *Tom.10. ſerm.157. de temp. qui eſt in octau. Paſchæ, 1.*

*Prodeſt ieiuniū ne in tētatione vincamur.*

Aduerſus dæmonum nequitiam, quæ nobis Dominus arma oſtendit, debemus vtique retinere. *Hoc*, ait, * *genus in nullo eijcitur, niſi in oratione & ieiunio.* Hæc cùm plena fide exercentur, pietas eſt. Pietas * autem ad omnia vtilis eſt profeſſionem habens vitæ præſentis & futuræ. Inſpiciamus ergo vtiliter orationis fructus & ieiunij, quia ipſa ſunt arma aduerſus improbas cogitationes. Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubiicit. Ieiunium cor facit contribulatum * & humiliatum, quod Deus non ſpernit. Ieiunium cōcupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit: caſtitatis verum lumen accendit. Ieiuniū verboſitatem non amat, diuitias ſuperfluitatem iudicat, ſuperbiam ſpernit, humilitatem commendat, præſtat homini ſeipſum intelligere, quod eſt infirmum & fragile: atque dum ita ſe intelligit imbecillem, aptiorem virtutem Dei adiutorem quærit & accipit. Quærit autem per frequentes orationes, & obſecrationes. Oratio quidem refectio eſt ieiuniorum, aduocat gratiam Spiritus ſancti. *Ibidem, ſerm. 30.*

**Matth.17.*
**1. Tim.4.*
*Ieiunium & oratio cū plena fide exercētur, ad pium Dei cultum pertinent.*
*Ieiunium & oratio arma ſunt aduerſus improbas cogitationes.*
**Pſal.50.*
*Præclara ieiunij vtilitates.*

### *V. Ieiunantem de ſe pœnas ſumere, & Deum placare.*

NIniuitæ * quippe in hac vita egerūt pœnitentiam, & ideo fructuoſam, velut in hoc agro ſeminantes,

**Ionæ.3.*



in quo Deus voluit cum lachrymis ſeminari, quod poſtea cum lætitia * meteretur. Et tamen quis negabit, quod Dominus prædixit in eis fuiſſe completum, niſi parum aduertat, quemadmodum peccatores Deus non ſolùm iratus, verùm etiam miſeratus euertat? Euertuntur enim peccatores duobus modis, aut ſicut Sodomitæ, * vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur: aut ſicut Niniuitæ, * vt ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruātur. Factum eſt ergo quod prædixit Deus: euerſa eſt enim Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat. *Tom.5. de Ciuit. Dei, lib. 21. cap. 24.*

** Pſal.125.*
*Pœnitētes ſemināt cū lachrymis, & poſtea cū lætitia metant.*
*Quod pdixit Ionas, euertēdam Niniuē, quomodo verum fuerit.*
** Gen.19.*
** Ion. 3.*

Si ergo caro in terram vergens onus eſt animæ, & ſarcina prægrauās præuolantem, quantum quiſque delectatur ſuperiore vita ſua, tantum deponit de terrena ſarcina ſua. Ecce quod agimus ieiunantes. Non vobis ergo videatur leuis res aut ſuperflua, ne quiſquam fortè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine, cogitet apud ſe, & dicat ſibi ipſi, vt ſuggerentem intrinſecus audiat tentatorem: quid facis quia ieiunas? defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipſi ingeris pœnam, tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis. Reſponde huiuſmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille ſubueniat, vt placeā oculis eius, vt delectem ſuauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea Et tali diſſuaſori malo, ſeruo ventris reſponde per hanc ſimilitudinem: & dic: Si iumento fortè inſideres, ſi equo vtereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare: nónne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea iumentum eſt: iter ago in Hieruſalem, plerunque me rapit, & de via conatur excludere: Via autem mea Chriſtus eſt. Ita exultantem non cohibebo ieiunio? Si quis hoc ſapit, etiam ipſo experimento probat, quàm vtiliter ieiunetur. Nunquid enim caro iſta, quæ nunc domatur, ſemper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægrauatur, habet exulta-

*Pœnitentia peccata deſtruuntur.*
*Valet igitur ieiunium, ad opē diuinam, & veniā peccatorū impetrandam.*
*Ieiunans victimæ ſimilis.*
*Ieiunās domat iumentū ferociēs, ne ab ipſo præcipitetur.*

tiones ſuas manifeſtas & periculoſas menti noſtræ. Caro eſt enim adhuc corruptibilis, nondum reſurrexit. Nam non ſemper ſic erit, nondum habet ſtatum proprium cœleſtis habitudinis. Nondum enim facti ſumus æquales angelis Dei. *Tom. 9. de vtilitate Ieiunij. Hic tractatus Eraſmo non videtur eſſe Auguſtini: qui tamen à Poſsidonio inter Auguſtini opera in indiculo ponitur.*

** Matth. 6.*

*Quo fine ſit ieiunãdum.*

*Ieiunium publicè indicebatur.*

*Ieiunandum pro peccatorũ indulgentia, vel p miſericordia diuina conſequenda.*

Cum enim ipſe Dominus dicat: * *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris ieiunans hominibus*, ergo contra Chriſti præcepta facimus, qui publicè ieiunium indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipſo ieiunamus? Et in hoc ſenſu oportet intelligi, vt nemo pro laude humana, ſed pro peccatorum indulgentia, vel pro miſericordia diuina ieiunet: & vnuſquiſque interroget conſcientiam ſuam, & ſi pro ſolo Deo facit eleemoſynam, ſecurus & publicè faciat, vt quicunque viderint, imitentur. Nam & illud quod dicit Dominus: * Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: ad hoc quod ſuprà diximus pertinere cognoſcitur. In dextera enim intelligitur amor Dei, in ſiniſtra vanitas, vel cupiditas mundi. Si pro laude humana dederis eleemoſynam, totum ſiniſtra facit, dextera omnino nihil facit. Si verò pro remiſſione peccatorũ, & amore vitæ æternæ eleemoſynam dederis, totum dextera facit. *Tom. 10. ſerm. de tempore 60.*

** Matth. 6.*

*Quomodo intelligatur illud: Neſciat ſiniſtra tua quid facit dextera tua.*

### *VI. Hæreticos eſſe, qui negant ſtatam ieiuniorum obſeruationem.*

AEriani ab Aërio quodam ſunt, qui cùm eſſet preſbyter, doluiſſe fertur, quòd Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec ſtatuta ſolenniter celebrãda eſſe ieiunia, ſed cùm quiſque voluerit, ieiunandum, ne videatur eſſe ſub lege. *Tom. 6. de hæreſibus, ad Quoduultdeum, hæreſi 53. Huc pertinet etiam hæreſis Ioniniani, de qua vide caput proximè ſequens.*

*Aërius hæreticus noluit ſtatuta ſolenniter celebrari ieiunia.*

*Conſtat, ex hac Aëriana hæreſi non ſolùm hæreticos eſſe negantes ieiunia, ſed etiam docentes ieiunandum eſſe,*



*non quando præcipit Eccleſia, ſed quando cuique commodum videtur. Qua in re animaduertendum quoque hæreticã doctrinam cenſeri, non eam modò, quæ ſacris literis aduerſatur, ſed etiam, quæ præcepto Eccleſiæ cõtraria eſt: Nã dies ieiunij nullo præcepto Chriſti aut Apoſtolorũ in noui Teſtamẽti Scriptura cõſtitutos eſſe, in Epiſtola ad Caſulanũ (vt paulò antè notatũ eſt) Auguſt. perſpicuè docet.*

### *VII. Quales ſint ieiunij effectus.*

SI fregeris* ex animo eſurienti panem: quia plerunque fit à triſtibus, & à murmurãtibus, vt careant tædio interpellantis, non vt reficiant viſcera indigentis. Hilarem * autem datorem diligit Deus. Si panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti. Ergo ex animo fac: vt ille, qui intus videt adhuc loquente te, dicat, ecce adſum. Quàm celeriter accipiuntur orationes benè operantium, & hæc iuſtitia hominis in hac vita ieiunium, eleemoſyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium, & eleemoſynam. Tales nos inueniat, vt ſecuros inueniat, lux Dei, veritas Dei, cùm venerit liberare nos à morte, qui iam venit ſubire pro nobis mortẽ. *To. 8 in Pſa. 42. in fine.*

** Eſai. 58. Matt. 25.*

** 2. Cor. 9.*

*Bene operantium orationes celeriter exaudiũtur.*

*Iuſtitia hominis in hac vita, ieiuniũ, eleemoſyna et oratio.*

*Binæ orationis alæ, ieiunium & eleemoſyna.*

Adeſt nobis venerabile & medicinale tempus Quadrageſimæ chariſſimi, per quod ieiunantes peccatorum noſtrorum vulnera curare debemus. Quantum ſit ergò bonum ieiunij, breui ſermone exemplis additis differamus. Moſes primus * quadraginta diebus ac noctibus cùm ieiunaſſet, Legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret. Impetrauerunt vnius hominis ieiunia, quod totius populi ſaturitas deſperauerat. Aduertamus ergo quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum, & pulmones epulis æſtuantes. Moſes ergo quia ieiunauit, * Dominum vidit: populus * quia manducauit, & bibit, idola fabricatus eſt. Sed quid de Moſe, & Iſraëlitica multitudine loquar? Princeps ille humani generis Adam, quandiu ieiunauit ſeruans mandatum, in paradiſo fuit. Vbi verò comedit, * eiectus eſt de paradiſo. Et qui in paradiſo Dei virgo fuerat, eiectus de paradiſo cognouit * vxorem. Semper enim iuncta eſt ſaturitati la-

*Ieiunando curãtur vulnera peccatorũ.*

** Exod. 24.*

*Ergo in ieiunio eſt vis impetrandi.*

** Exod. 24.*

** Exod. 32.*

** Gen. 3.*

** Geneſ. 4.*

*35. diſt. cap. Venter. 44. diſt. cap. Cùm autem.*

*a Saturitati iuncta laſciuia.*
*b Ieiunium reducit nos in paradiſũ, vnde nos cibus eiecerat.*
*c Ergo ieiunium Moſis & Heliæ, fuit opus meritorium.*
** 3.Reg.17. Iac.5.*
** 3.Reg.19.*

ſciuia *a*. Vicina ſibi ſunt venter & genitalia,& pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de paradiſo cibus, reducat eſuries, reducat ieiuniũ. *b* Diximus ergo quid ſanctus Moſes meruit ieiunando: *c* deinde & cunctos videamus. Sancto Heliæ * ieiunãti etiam elementa famulata ſunt. Hic denique tribus annis & ſex menſibus cælum clauſit. Ad cuius vocem etiam ſupernum deſcendit incendium. Et cùm eum Iezabel regina vellet occidere,& feſſus ſub arbore frondoſa iaceret in ſolitudine, angelus ad eum mittitur, & dicit ei: * Sume paululum panis & aquæ. Videte quanta ſit Dei clementia erga ieiunantes chariſſimi: Non ſufficiebat quia angelum ad ieiunantem Dominus miſerat, qui eum vt cibum ſumeret, iuberet, ſed etiam præcepit, vt longius fugiat perſequentem. Ait ergo: Sume paululum panis & aquæ; Quadraginta enim dierum ieiunio perrecturus erat per deſertum vſque ad montem Sina. Nũquid enim Dominus, qui cælum & terram fecerat, cuius omnis eſt creatura, non potuit in eremo per angelum prandium mittere, ſicut Daniëli* in lacum leonum per Abacuc miſit? Sed ſciebat Deus Prophetam ſuum tentantem diabolum aliter ſuperare non poſſe, ni ieiuniis eruditus inſidiantis inimici tentamenta repelleret. Daniel * quoque ille futurorum gnarus, & aduentus Domini conſcius,& euerſionis Hieruſalem manifeſtiſſimus prædicator, ideò vir deſideriorum appellatus eſt, quia panem deſiderij non comedit,& potum concupiſcentiæ non bibit, quia magis Chriſtum, quàm epulas deſiderabat. Ioannes * quoque præcurſor Domini locuſtis in eremo, & agreſti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum ſuauitatibus paſcitur: poterat vtique iuxta Iordanem poſitus piſcium ſibi exhibere delitias, ſed pœnitentiam prædicaturus rigorem ieiunij exemplo ſuo magis debuit & factis oſtendere quàm voce. In Euangelio * quoque cùm quidam dæmone plenus Domino fuiſſet oblatus, quem Apoſtoli curare nequiuerant, interrogantes audiunt à Domino, iſtiuſmodi genus non poſſe eiici, niſi orationibus & ieiuniis. Videte ergo chariſſimi, quanta ſit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apoſtoli nequiuerant.

** Dan.14.*
*Ieiuniis, dæmonis tentamenta repelluntur.*
** Dan.9.& 10.*
*Ieiuniũ Danielis.*
** Matth.3.*
*Ieiunium Ioannis Baptiſtæ.*
** Matt.17.*
*Quidam dæmones eiici, niſi orationib9 et ieiuniis, nõ poſſunt.*



Omitto cætera, ſed vnuſquiſque conſideret, quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum & refertum, inter rubentem faciem,& ora pallentia, inter os ieiunum, & labia crapula diſſoluta, inter oppreſſum epulis,& inediæ tenuitate vigilantem. Non dico hebdomadas, non duplicata, nõ multiplicata ieiunia, ſed vel ſingulos dies abſque ciborũ nimietate trãſeamus. Ceſſent lauacra, vina vel carnes, nõ quòd creaturam Dei iudicemus eſſe damnãdam, ſed qui toto anno nobis viximus, ſaltem vel paucos dies viuamus & Domino. Sed ieiunia noſtra vt plena ſint & ſuffarta, miſericordiæ pinguedine ſaginentur, demus eſurientibus prandium noſtrum. Nec putes ieiunia ſola ſufficere ad ſananda vulnera peccatorum, ni medicamento eleemoſynæ recreentur. Ieiunium ergo tuum te caſtiget, ſed lætificet alterum, & ita fructuoſæ erunt anguſtiæ tuæ, ſi alteri latitudinem præſtent. Sic ieiuna, vt in alio manducante prandiſſe te gaudeas. Hilarem * enim datorem diligit Deus. Nam manducante paupere de bonis tuis, prandet Chriſtus qui ſe in paupere eſurire teſtatur. *Tom.10.de temp.ſerm.65.Vide etiam ſerm.77.*

*De conſec.d.5.cap.Non dico.*
*Eſt ieiunium ſine vino & carnibus.*
*Ieiunium cũ eleemoſyna ſanat vulnera peccatorũ.*
** 2.Cor.9.*

Non vobis ergo videatur leuis res aut ſuperflua, nec quiſquam fortè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine, cogitet apud ſe & dicat ſibi ipſi, vt ſuggerentem intrinſecus audiat tentatorem: Quid facis quia ieiunas, defraudans animam tuam: non ei das quod eam delectat, placet, quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis ſuis. Reſponde huiuſmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat: Do de me pœnas, vt ille ſubueniat: vt placeam oculis eius, vt delectem ſuauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali diſſuaſori, malo ſeruo ventris, reſponde per hanc ſimilitudinem, & dic: Si iumento fortè inſideres, ſi equo vtereris qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nónne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem ferro non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt, iter ago in Hieruſalem, plerunque me rapit, & de via conatur* excludere: Via autem mea Chriſtus eſt. Ita exultantem non cohibebo ieiunio? Si quis hoc tere.

** fortè excu*

ſapit, etiam ipſo experimento probat, quàm vtiliter ieiunetur. *In appendice Louanienſi, ſerm. 61.*

### *VIIII. Quomodo ſit ieiunium inſtituendum, vt fructuoſius fiat.*

SI ideo colis Deum, quia dat tibi fundum, nō eum culturus es quia tollit tibi fundum? Sed fortè tu dicis, Ideò eum colam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris. Amore enim caſto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro ſeculo, quæ hîc neceſſe eſt relinquas. Mutare vis voluptatem carnalem, non amputare. Non laudatur in illo ieiunium, qui ad luxurioſam cœnam ſeruat ventrem ſuum. Inuitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam, & cùm ad eam volunt auidi venire, ieiunant. Nunquid hoc ieiunium continentiæ, & non potius luxuriæ deputādum eſt? *Tom. 8. in Pſalm. 43.*

*Ieiunare, vt deinde auidiꝰ te repleas lautis cibis, non eſt continentiæ, ſed luxuriæ.*

Ante omnia in diebus ieiuniorum quod ſolebamus prandere, pauperibus erogemus, ne fortè aliquis ſibi ſumptuoſas cœnas, & exquiſitis ſaporibus epulas ſtudeat pręparare, & corpori ſuo magis cōmutaſſe, quàm ſubtraxiſſe ciborum abundantiam videatur. Nihil prodeſt tota die longum duxiſſe ieiunium, ſi poſtea ciborum ſuauitate vel nimietate anima obruatur. Illico mēs repleta torpeſcit, & irrigata corporis noſtri terra, ſpinas libidinū germinabit. Sit ergo temperatus cibus, & nunquam nimium venter repletus: & plus ſemper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus, quia intus in homine interiore facti ſumus ad imaginem Dei, in carne autem de limo terræ ſumus formati. *Tom. 10. ſerm. de tempore 56.*

*Quod ſubtrahimus nobis ieiunādo, pauperibus erogemus.*

*In diebus ieiuniorum, nō præparandæ ſumptuoſæ ac exquiſitæ epulæ.*

*In diebus ieiuniorum, vitanda nimia ventris repletio.*

Ieiunium eſt quod probat altiſſimus, non ſolùm intermiſſa corporis refectio, verùm etiam à malis actibus facta diſceſſio. Itaque ſi neque mens tua grauetur oppreſſa peccatis, neque animus tuus vitiorum illecebris delectetur, digna Deo exoluiſti ieiunia. Cæterùm ſi corpus tuum ieiunia longa conſumpſerint, atque illi ſubtraxeris cibum, cum non detrahis vitia in malis perſeuerans, magis horres, quàm placeas Deo. Tunc erunt Deo accepta ieiunia, ſi operibus ſanctis fuerit expiata conſcientia. Cur enim corpus fame diſcrucias, cui turpiter peccando blandiris? Principaliter ergo animus ieiunet à malis, & ſic corpus ſubeat exercendo ieiunia. *Ibidem, ſerm. 172.*

*Non ſatis eſt à cibis ieiunando abſtinere, niſi prauos actus euitemus.*



*Tunc grata Deo ieiunia, quādo ſāctis operibus fuerit expiata conſcientia.*

Igitur neceſſaria ſunt nobis ieiunia, ſicut vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ, ita tamen vt duarum rerum teſtimonio commendentur, id eſt, oratione & miſericordia. Ieiunia ergo intemperantiam corporis mitigant, motus aduerſos reprimunt, preſſuram animæ auferunt, ſicut ait Dominus: * Nolite dediti eſſe in eſca & crapula, ne grauentur corda veſtra. Cùm enim anima ab eſu & potu nimio fuerit liberata, tūc ſe melius recognoſcit, Sicut enim ſpeculo ſordido non ſe talem homo aſpicit, qualis eſt, ita & ſi eſca & crapula fuerit grauatus, alterum ſe ſentit, quàm eſt: Tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur ſuperbia, generatur luxuria. Vnde Apoſtolus: * Nolite, ait, inebriari vino, in quo eſt luxuria. Quòd ſi temperatum fuerit corpus, interpoſito ieiunio cognitione ſui recepta, anima intelligit qua deuotione obſequi debeat redemptori. Magna ergo ex parte ieiunia ſunt neceſſaria. Sub Heſter * etenim Regina cùm Iudaicus populus in periculo poſitus eſſet, ieiuniis ſuffragantibus liberatus eſt. Et Niniuitæ * cùm euerſionis ſuæ præſcriptum diem à Propheta audiſſent, ieiunio indicto euadere meruerunt. Et iuſti ac Prophetæ noſtri, quando à Deo aliquid impetrare volebant, ieiunio ſe humiliabant, dicente Dauid: * In ieiunio humiliabam animam meam. Nam & ſaluator, cui opus non erat, vt nobis exēplum daret, ieiunauit. Itaque nulli dubium eſt prodeſſe ieiunia. Sic etenim oſtendit ſe homo velle impetrare quod poſtulat, cùm ſe affligit ieiunio. *Tom. 4. Quæſtion. veteris & noui Teſtamenti, quæſt. 120.*

*Ieiunia cum oratione & miſericordia, medelam conferunt vitæ perpetuæ.*

** Luc. 21.*

*Ieiunij cōmoda, & repleti vētris incommoda.*

** Epheſ. 5.*

** Heſ. 4. et 5*

*Tēpore Heſter, ieiuniis, à toto populo Iudaico propulſatum periculum.*

** Ionæ 3.*

*Niniuitæ ſe & ciuitatem ieiuniis liberarunt.*

*Sancti homines ieiunabāt, cùm aliquid à Deo impetrare volebant.*

** Pſalm. 34.*

** Matth. 4.*

### *IX. Ieiunandum eſſe iis diebus, quibus ieiunat, in qua verſamur, vel commoramur Eccleſia.*

SEd quoniam non inuenimus, vt iam ſuprà commemoraui, & in Euangelicis & Apoſtolicis literis

*Ieiunauit Chriſtus, vt nobis ieiunandi exemplum daret.*

quæ ad noui Teſtamenti reuelationem propriè pertinent, certis diebus aliquibus euidenter præceptum obſeruanda eſſe ieiunia: & ideo res quoque iſta ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, inuenit in veſte illius filiæ Regis,* hoc eſt, Eccleſiæ varietatis locum, indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti reſponderit venerandus Ambroſius, à quo baptizatus ſum, Mediolanẽſis Epiſcopus. Nam cùm in eadem ciuitate mater mea mecum eſſet, & nobis adhuc catechumenis, parum iſta curantibus, illa ſollicitudinem gereret, vtrum ſecundùm morem noſtræ ciuitatis ſibi eſſet Sabbato ieiunandum, an Eccleſiæ Mediolanenſis more prandẽdum, vt hac eam cunctatione liberarem, interrogaui hoc ſupra dictum hominẽ Dei. At ille, Quid poſſum, inquit, hinc docere amplius, quàm ipſe facio? Vbi ego putaueram nihil eum iſta reſponſione præcepiſſe, niſi vt Sabbato pranderemus. Hoc quippe ipſum facere ſciebam, ſed ille ſecutus adiecit, Quando hîc ſum, non ieiuno Sabbato, quando Romæ ſum, ieiuno Sabbato: & ad quamcunque Eccleſiam veneritis, inquit, eius morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere. Hoc reſponſum retuli ad matrem, eique ſuffecit, nec dubitauit eſſe obediendum, hoc etiam nos ſecuti ſumus. Sed quoniam contingit maximè in Africa, vt vna Eccleſia, vel vnius regionis Eccleſiæ alios habeãt Sabbato prandentes, alios ieiunantes, mos eorum ſequendus mihi videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commiſſa eſt. Quapropter ſi conſilio meo, præſertim quia in hac cauſa plus fortè quàm ſatis fuit te petente atque vrgente locutus ſum, libenter acquieſcis, Epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere, & quod facit ipſe, ſine vllo ſcrupulo vel diſceptatione ſectare. *Tom. 2. Epiſt. 86. ad Caſulanum, ſub finem.*

Quod ergo me conſulis, vtrum liceat Sabbato ieiunare: Reſpondeo, ſi nullo modo liceret, profectò quadraginta continuos dies, nec* Moſes, nec *Helias, nec ipſe Dominus *ieiunaſſet. Verùm iſta ratione concluditur etiam Dominico die nõ illicitum eſſe ieiunium. Et quiſquis tamen hunc diem ieiunio decernẽdum putauerit, ſicut quidam ieiunantes Sabbatum obſeruant,

** Pſal. 44.*

*Diuerſæ ieiuniorum in diuerſis locis obſeruationes, varietate veſtis filiæ regis, ſignificatæ.*

*Diſt. 12. c. Illa.*

*Reſpondit Ambroſius Auguſtino: In diebus ieiuniorũ, ſeruandũ eſſe morem ſingularũ Eccleſiarum, in quibus quẽque verſari contigerit.*

*Sequendus eorum mos, qui populorũ congregationem regũt.*

*In obſeruatione ieiuniorum Epiſcopo ſuo quiſque acquieſcat.*

** Exod. 24.*
** 3. Reg. 19.*
** Matt. 4.*



non paruo ſcandalo erit Eccleſiæ. Nec immeritò: In his enim rebus de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei vel inſtituta maiorũ pro lege tenenda ſunt. De quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore ſermocinationis cùm certa documenta nulla veritatis inſinuet, vtique cauendũ eſt, ne tempeſtate contentionis ſerenitas charitatis obnubiletur. *Ibidem, in initio.*

Interminabilis eſt iſta contentio generans lites, non finiẽs quæſtiones. Sit ergo vna fides vniuerſæ quæ vbique dilatatur Eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiã ſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum eſt, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinſecus, illæ autem obſeruationes quæ variæ celebrãtur, in eius veſte intelliguntur. Vnde ibi dicitur: * In fimbriis aureis circumamicta varietate. Sed ea quoque veſtis ita diuerſis celebrationibus varietur, vt non aduerſis contentionibus diſſipetur. *Ibidem, poſt medium.*

## *X. De ieiunio quartæ & ſextæ feriæ atque Sabbati.*

CVr autem quarta & ſexta maximè ieiunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quòd conſiderato Euangelio, ipſa quarta Sabbati, quàm vulgò quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Iudæi. Intermiſſo autem vno die, cuius veſpera Dominus Paſcha cum diſcipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus eſt ea nocte, quæ iam ad ſextam Sabbati, qui dies paſsionis eius manifeſtus eſt, pertinebat. Hic dies primus azymorũ fuit à veſpera incipiẽs: Sed Matthæus Euangeliſta * quintam Sabbati dicit fuiſſe primum diem azymorum, quia eius veſpera ſequente, futura erat cœna Paſchalis, qua cœna incipiebat azymum, & ouis immolatio manducari. Ex quo colligitur, quartam Sabbati fuiſſe, quando ait Dominus: * *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur,* **Ieiunabatur in quarta feria, quòd eo die concilium Iudæi conuocaſſent, ad Chriſtum occidendum.** * **Ididem.**

*Diſt. 11. ca. In his.*

*Quæ lex ſeruãda, in iis, de quibus Scriptura nihil certi ſtatuit.*

*Diuerſis obſeruationib⁹ ieiuniorũ, nõ impeditur fidei veritas dummodo abſit cõtentio.*

** Pſal. 44.*

*Variæ ieiuniorum aut aliarũ rerum obſeruationes, variegata filiæ regis veſte deſignatæ.*

*Matthæus quintã feriã dixit primã diẽ azymorũ, quòd ab eius veſpera inciperet ſexta feria, quæ verè fuit prima azymorum dies.*

** Matt. 26.*

*Sextæ feriæ ieiuniū, propter mortem, quā eo die Chriſtus pertulit.*

*vt crucifigatur.* Ac per hos dies ipſe ieiunio deputatus eſt, quia ſicut Euangeliſta ſequitur & dicit: Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Intermiſſo autem vno die, quo dicit Euangelium: Prima autem azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Hoc ergo die intermiſſo paſſus eſt Domin⁹, quod nullus ambigit, ſexta Sabbati, quapropter & ipſa ſexta rectè ieiunio deputatur. Ieiunia quidde humilitatem ſignificant. Vnde dictum eſt:* *Et humiliabam in ieiunio animam meam.* Sequitur Sabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requieuit, ſicut in primis operibus mundi requieuit Deus illo die ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in regia illa* veſte varietas, vt alij, ſicut maximè populi Orientis, propter requiem ſignificandam mallent relaxare ieiunium: alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Quod quidem vno die, quo Paſcha celebratur propter renouandam rei geſtæ memoriam, quia diſcipuli humanitus mortem Domini doluerunt, ſic ab omnibus ieiunatur, vt etiam illi Sabbati ieiunium deuotiſſimè celebrēt, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent, vtrunque videlicet ſignificantes, & in vno anniuerſario die luctum diſcipulorum, & cæteris Sabbatis quietis bonum. *Tom. 2. Epiſt. 86. ad Caſulanum, prope finem.*

** Pſalm. 34.*
** Pſalm. 44*

*In Eccleſiis Orientis non ieiunabatur Sabbatis, propter requiem ſignificandā: Romæ verò & in nonnullis Eccleſiis occidentis ieiunabatur, ad humilitatem mortis & ſepulturæ Chriſti, atque ad luctū diſcipulorū eius ſignificandum.*

*In Sabbato proximo ante Paſcha ab omnibus ieiunabatur.*

### XI. *Die Dominico non ieiunari, niſi fortè vltra hebdomadam continenter protraheretur ieiunium.*

DEinde quæro, (*agit contra Vrbicum quendam*) Si vniuſcuiuſque diei vel leuis error, ipſius diei ieiunio ſoluitur vel abluitur. Sic enim dicit, vt ſex dierum vel leuis error, ieiunii quoque fontibus abluatur: quid faciemus de illo errore qui ſubrepſerit Dominico die, in quo ſcandalum eſt ieiunare? *Tom. 2. epiſt. 86. ad Caſulanum.*

Quis non Deum offendet, ſi velit cum ſcandalo to-



tius, quæ vbique dilatata eſt, Eccleſiæ, die Dominico ieiunare? *Ibidem, circa medium.*

*Scandalum erat die Dominico ieiunare, propter Manichæos, qui tāquam legitimū eū diē cōſtituerunt ad ieiunandum.*

Die Dominico ieiunare ſcandalum eſt magnum, maximè poſtea quàm innotuit deteſtabilis multúmque fidei Catholicæ Scripturíſque diuinis apertiſſimè contraria hæreſis Manichæorum, qui ſuis auditoribus ad ieiunandum iſtum tanquam conſtituerunt legitimum diem, per quod factum eſt, vt ieiunium diei Dominici horribilius haberetur: niſi fortè aliquis idoneus ſit nulla refectione interpoſita vltra hebomadam perpetuare ieiunium, vt ieiunio 40. dierum quantum potuerit appropinquet, ſicut aliquos feciſſe cognouimus. Nam & ad ipſum quadragenarium numerum perueniſſe quendam, à fratribus fide digniſſimis nobis aſſeueratum eſt. Quemadmodum enim veterum patrum temporibus, Moſes * & Helias * nihil contra prandia Sabbatorum fecerunt, cùm diebus 40. ieiunauerunt: ita qui potuerit ſeptem dies ieiunando tranſire, non ſibi ad ieiunandū eligit Dominicum diem, ſed in iis eum inuenit quos ieiunaturum ſe vouit plurimos dies. Ieiunium tamen etiam continuatum ſi in hebdomade ſoluendum eſt, nullo congruentius quàm Dominico die ſoluitur. Si autem poſt hebdomadem corpus reficitur, non vtique ad ieiunandum dies Dominicus eligitur, ſed in numero quem voueri placuit inuenitur. *Ibidem, poſt medium.*

*Exemplum memorabile cuiuſdā fratris, qui totos quadraginta dies continenter ieiunauit.*

** Exod. 24.*
** 3. Reg. 19.*

*Habes hîc Lector votiua ieiunia.*

## CAPVT QVARTVM DE QVADRAGESIMALI Ieiunio.

### I. *Quadrageſimam à Chriſto conſecratam & præceptam eſſe.*

SIcut dies iſti (*poſt Quadrageſimam*) præteritis diebus Quadrageſimæ, quibus ante reſurrectionē Dominici corporis, vitæ huius ſignificatur mœror, ſolenniter grata hilaritate ſuccedunt: ſic dies ille qui poſt reſurrectionem dabitur plenario corpori Domini, hoc eſt, Eccleſiæ ſanctæ cunctis vitæ huius ærumnis

*Dies Quadrageſimæ, mœrorem & laborē huius*

*vitæ ſignificant: Dies verò poſt Paſcha, quietem & gaudium poſt generalē reſurrectionem futurum.*

atque doloribus excluſis, perpetua beatitudine ſuccedet. Hæc autem vita de nobis exigit continentiam, vt etiam cum labore & luctamine ingemiſcentes grauati, & habitaculum noſtrum, quod de cœlo eſt, ſuperindui * cupientes, à ſecularibus delectationibus temperemus, & ſignificatur quadragenario numero, quo & Moſes * & Helias * & ipſe Dominus * ieiunauerunt. Præcipitur enim nobis & ex Lege & ex Prophetis, & ex ipſo Euangelio, quod teſtimoniū habet à Lege & Prophetis. Vnde etiam in monte, * & inter vtranque perſonam medius Saluator effulſit, vt ab omnibus mundi illecebris, quibus captiui homines obliuiſcuntur Deū, auiditatem noſtram tanquam ieiunio temperantiæ refrænemus: &c. *Tom.*8. *Pſal.*110.

* *2.Cor.*5.
* Exod. 24.
* *3. Reg.*19.
* *Matth.*4.
* *Matt.*17. *Marc.* 9. *Luc.* 9.

*Quadrageſimale ieiunium in Lege, Prophetis & Euangelio præceptum: non quidem, vt totos quadraginta dies omni cibo abſtineamus, vt Chriſtus, ſed vt quantum poſſumus imitemur.*

*Dies Quadrageſimæ, abſtinentiæ ac ieiunio dedicati.*

Omne vitæ noſtræ tempus, ſtadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cœleſte brauium tota virtute contendere. Sed hoc præcipuè in Quadrageſimæ diebus implendum eſt, qui abſtinentiæ ac ieiunio dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Eſt autem legitimus numerus iſte ieiunii, & qui in ſanctis celebratur exemplis. Moſes Legem accepturus à Deo, quadraginta * dies ac noctes abſque cibo potúque tranſegit, & ad ſuſcipiendam Domini voluntatem ieiunus præparatus eſt. Helias * poſt quadraginta dierum ieiunia curru igneo ad ſuperna cœlorum de hoc mūdo tranſlatus eſt. Ipſe quoque Dominus * ac Saluator noſter quadraginta diebus ieiunans, de diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationem Euangelii iam victor accederet. Meritò verò etiam nos hunc dierū numerum cuſtodire debemus ieiuniis, quem per talia exempla legimus conſecratum. *Tom.*10. *de tempore, ſerm.* 64. *Dominica prima in Quadrageſima.*

* *Exod.*24.
* 3. Reg.19.
* *Matth.*4.

*Seruanda Quadrageſima, quod ſit exēplo Moſis, Heliæ ac Chriſti conſecrata.*

Rogo vos fratres chariſsimi & admoneo, vt in iſto le-

gitimo



gitimo ac ſacratiſſimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præſumat, niſi fortè ille, quem ieiunare infirmitas non permittit, quia aliis diebus ieiunare remedium eſt aut præmium *a*, in Quadrageſima non ieiunare peccatū eſt *b*. Alio tempore qui ieiunat accipiet indulgētiā, in Quadrageſima qui nō ieiunat ſentiet pœnam, & tamen qui ieiunare non præualet, ſecretius ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus cū ipſo in domo ſua præparet quod accipiat, & illos qui ieiunare præualent, ad prandium non inuitet: quia ſi hoc fecerit, non ſolùm Deus, ſed etiam homines poſſunt intelligere, illum non pro infirmitate non poſſe, ſed pro gula ieiunare non velle *c*. Sufficiat illi, quòd ipſe ieiunare non præualet, & magis cum gemitu & ſuſpirio & animi dolore manducet, pro eo quòd aliis ieiunantibus ille abſtinere non poteſt. Quod opus eſt vnicuique infirmo, ſecretius ſibi ſoli, aut cum alio ſimiliter infirmo faciat præparari, quia non ei oportet, vt aliquem ſanum roget ad prandium, ne ſibi etiam de alterius gula augeat peccatum *d*. *Ibid. Serm.* 62. *qui eſt in Sabbato poſt Dominicam in Quinquageſima.*

*a Ergo ieiuniū nō tantùm remediū, ſed etiā opus meritorium eſſe poteſt.*

*b In Quadrageſima nō ieiunare peccatū eſt.*

*c Qui nō valet, propter infirmitatē ieiunare, caueat ne alios ſuo exemplo, ad ieiunium violandum prouocet.*

*d Peccat ergo, qui alterū prouocat, ad non ieiunandū tēpore Quadrageſimæ.*

Si bene retinet fraternitas veſtra, prædicauimus quòd ſanctam Quadrageſimam abſtinendo ipſe Dominus conſecrarit, & tot dierum & noctium curriculo, cibum omnino non capiens, vnum ac ſolidum ieiunii tempus effecerit. Totum non obſeruare, ſacrilegiū eſt: ex parte autem violare, peccatum eſt. Hoc enim fecit cauſa ſalutis noſtræ, vt rem vtilem non ſolùm doceret verbis, ſed etiam exemplis inſtrueret, vt eiſdem veſtigiis, quibus ad fidem gradimur, ad abſtinentiam gradiamur. Sed videamus quæ cauſa extiterit, vt ieiunia ſibi Saluator indiceret, & ipſe primus bonus humani generis medicus ieiunaret. Bonus enim medicus poculū quod ægro daturus eſt, ipſe prius guſtat, vt peritiā artis ſuæ antè ipſe in ſe demonſtret, vt experimentum æger accipiēs ſecurus ſit de poculo, ſecurior de ſalute. *Ibid. Ser.*77. *qui eſt in Fer.*4. *poſt.*2. *Dominic. in Quadrag.*

*Chriſtus ſuo exemplo tēpus quadrageſimæ conſecrauit.*

*Si eſt ſacrilegium, totā Quadrageſimam non obſeruare, quàm grauiter peccare putas, qui non modò totam violant, ſed etiam eam obſeruantes derident, atque Eccleſiam, quæ huiuſmodi obſeruationem confirmat, contumeliis afficiunt?*

*II. Quadrageſimam ante Paſcha ſeruandam eſſe.*

IN magno vtique,ſicut iam intelligis,Sacramento,& in Scripturis quidem veteribus ad agendum Paſcha non eſt præceptum tempus,niſi ex menſe nouorum, à Luna quartadecima vſque ad viceſimam primam: ex Euangelio tamen,quia iam manifeſtum eſt,quo etiam die Dominus crucifixus ſit,& in ſepultura fuerit,& reſurrexit, adiuncta eſt etiam ipſorum dierum obſeruatio per Patrum Concilia, & orbi vniuerſo Chriſtiano perſuaſum eſt, eo modo Paſcha celebrari oportere. * Quadrageſima ſanè ieiuniorum habet auctoritatem, & in veterib⁹ libris ex ieiunio Moſi * & Heliæ *, & ex Euangelio, * quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonſtrans Euangelium non diſſentire à lege & Prophetis. In perſona quippe Moſi lex, in perſona Heliæ Prophetæ accipiuntur,inter quos & in monte glorioſus apparuit,vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apoſtolus,teſtimonium habens à lege & Prophetis. In qua ergo parte anni congruentius obſeruatio Quadrageſimæ conſtitueretur,niſi confini atque contigua Dominicæ paſſioni? Quia in ea ſignificatur hæc vita laborioſa, cui opus eſt continentia,vt ab ipſius mũdi amicitia ieiunetur,quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circumſpergere atque iactare nõ ceſſat. Numero autem quadragenario vitam iſtam propterea figurari arbitror, quia denarius, in quo eſt perfectio beatitudinis noſtræ,ſicut in octonario, quia redit ad primum,ita in hoc mihi videtur exprimi, quia creatura quæ ſeptenario figuratur, adhæret creatori: in quo declaratur vnitas Trinitatis per vniuerſum mundum temporaliter annuncianda: quia mundus & à quatuor ventis delimatur,& quatuor elementis erigitur, & quatuor anni temporum vicibus variatur. Decem autem quaterni in quadraginta conſumuntur,quadragenarius autem partibus ſuis computatus addit ipſum denariũ, & fiunt quinquaginta tanquam merces laboris & cõtinentiæ. Neque enim fruſtra ipſe * Dominus & quadraginta dies poſt reſurrectionem in hac vita & terra

*Exod. 24. * 3. Reg. 19. * Matth. 4.*

*Quadrageſimæ ieiunium, quare Dominicæ paſſioni contiguum.*

** Act. 1.*



cum diſcipulis conuerſatus eſt,& poſteaquàm aſcendit in cœlum decem diebus interpoſitis promiſſum miſit * Spiritum ſanctum,completo die Pentecoſtes, & cætera. *Tom. 2. epiſt. 119. cap. 15.*

** Act. 2.*

* *Aduerte Lector, Auguſtinum non obſcurè ſignificare, Quadrageſimã auctoritate ac præcepto vtriuſque teſtamenti ſeruandam eſſe, vt hîc & in Pſal. 110. legere licet: nec cum his pugnare, quod hîc etiam ait: per Concilia Patrum Quadrageſimale ieiuniũ proximè ante Paſsionis & Reſurrectionis Domini dies conſtitutum eſſe, vt quiuis prudens facilè intelligit.*

Cur autem nos ante ſolennitatem paſſionis Domini ieiunemus,& illa ieiuniorum relaxatio quinquageſimo die perficiatur, hæc ratio eſt. Omnis qui rectè ieiunat,aut animam ſuam in gemitu orationis & caſtigatione corporis humili, & ex fide non ficta affligit: aut ab illecebra carnis, inopia aliqua ſpiritali veritatis,& ſapientiæ delectatione ſuſpenſa,ad famem ſitimque ſitiendam deſcendit. Interrogantibus Phariſæis, cur diſcipuli eius non ieiunarent, nam de illo primo, quod habet animæ humiliationem: * *Non poſſunt,* inquit, *lugere filij ſponſi, quandiu cum eis ſponſus eſt, ſed veniet hora, quando auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* De illo autem altero,quod habet epulas mentis,ita conſequenter locutus eſt: Nemo aſſuet pannum nouum veſtimento veteri,ne maior ſciſſura fiat: neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, ne rumpantur, & vinum effundatur: ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruabuntur. Proinde quia iam ſponſus ablatus eſt, vtique nobis filiis illius pulchri ſponſi lugendum eſt. Specioſus * enim forma præ filiis hominum, cuius diffuſa gratia in labiis eius. Inter manus perſequentium non habuit ſpeciem * neque decorem,& ablata eſt de terra vita eius. Et rectè lugemus, ſi flagramus deſyderio eius. *Tom. 10. de tempore, ſerm. 157. qui eſt in Dominica in octauis Paſchæ. Vide & eiuſdem libri, ſermo. 63.*

*Quare ante ſolẽnitatem paſsionis Domini ieiunetur.*

*Quomodo rectè ieiunetur.*

** Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5.*

*Ieiunandũ & lugendũ nunc filiis, quia ſponſus ablatus eſt.*

** Pſal. 44. * Eſai. 53.*

### *III. Quomodo obſeruanda ſit Quadrageſima.*

CElebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis & gaudio, & eos omnibus epulis & corporalibus delitiis præferamus. In his enim præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abſtinentiam voluptas carnis extinguitur. Tunc enim ad Dominum, & ad eius futura promiſſa tota mens purior facienda feſtinat, cùm nulla crapula, nulla cibi ac potus ſatietate craſſatur. Vnde & Saluator in Euangelio dixit: Attendite itaque vobis, ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & cogitationibus ſecularibus, & ſuperueniat in vos dies illa repentina: tanquam laqueus enim ſuperueniet vniuerſo mundo, & nemo effugiet. *Tom.10. de tempore ſerm.64. Dominica prima in Quadrageſima.*

*Ieiunio mẽs purior & aptior redditur, ad res diuinas percipiendas & faciendas.*

** Luc.21.*

In tam periculoſa & tentationibus plena huius ſeculi nocte quis non timeat? quis non medullis omnibus contremiſcat, ne dignus iudicetur, qui deuorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici? Vnde & ieiunandum & orandum eſt, & tantò potius, tantò inſtantius, quantò propinquius & ipſa Dominicæ reſurrectionis ſolennitate, paſſioniſque celebritate anniuerſaria, quodammodo nobis eiuſdem noctis memoria reſculpitur, ne obliuione deleatur, & nos non corpore, ſed ſpiritu dormientes ille rugiens deuorator inueniat. Nam & ipſa Dominica paſſio quid nobis aliud in capite noſtro Ieſu Chriſto, quàm ipſam vitæ huius tentationem maximè commendauit? Vnde adueniente iam mortis ſuæ tempore Petro dixit: * *Poſtulauit Satanas vexare vos ſicuti triticum, & ego oraui pro te, ne deficiat fides tua. Vnde & tu conforta fratres tuos.* Et planè confortauit nos per Apoſtolum: Vnde cũ his duobus (*Moſe & Helia*) * in monte ſe oſtendit. Nos autem quia tam longum ieiunium perpetrare nõ poſſumus, vt per tot dies & noctes nihil alimentorum ſicut ille, accipiamus, ſaltem quantum poſſumus faciamus, exceptis diebus, per quos certis de cauſis mos Eccleſiæ prohibet ieiunare, Domino Deo noſtro vel quotidiano, vel

*Ieiunandũ & orandũ, eò inſtãtius, quò magis anniuerſaria paſſionis & reſurrectionis Domini ſolẽnitas appropinquat.*

** Luc.22.*

** Matt.17. Marc.9. Luc.9.*

*Quia nõ poſſumus Chriſtũ imitari, totos quadraginta dies omni prorſus cibo abſtinendo, ſaltẽ quantum poſſumus faciamus.*



crebro ieiunio placeamus. Sed nunquid ſic à cibo & potu abſtinentia per tot dies non poteſt eſſe continua? Quanquam tempus humiliandæ animæ quantum potui maximè commendaui, tamen propter hominum errores, qui per vaniloquas ſeductiones, & prauas conſuetudines nobis moleſtam pro vobis curam inferre non ceſſant, tacere non poſſumus. Sunt quidam obſeruatores Quadrageſimæ delitioſi potius quàm religioſi, exquirentes nouas ſuauitates magis, quàm veteres concupiſcentias caſtigantes, qui precioſis copioſiſque apparatibus fructuum diuerſorum quorumlibet varietates & ſapores ſuperare contendunt. Vaſa in quibus coctæ ſunt carnes tanquam immunda formidant, & in carne ſua ventris & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant non vt ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed vt immoderatam differendo augeant auiditatem. Nam vbi tempus reficiendi aduenerit, optimis menſis tanquam pecora præſepibus irruũt, ventréſque diſtendunt, artificioſis & peregrinis condimentorum diuerſitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere non ſufficiunt ieiunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, vt aliorum expreſſionem pomorum, alióſque ſibi liquores non ſalutis cauſa, ſed iucunditatis exquirant, tanquam non ſit Quadrageſima piæ humiliationis obſeruatio, ſed nouæ voluptatis occaſio. Quantum enim honeſtius eſſet, vt qui propter infirmitatem ſtomachi aquam potare non poterat, vino vſitato & modico * ſuſtentaretur? Quid autem abſurdius, quàm tempore, quo caro arctius eſt caſtiganda, tantam ſuauitatem carni procurare, vt ipſa fauciũ concupiſcentia nollet Quadrageſimam præterire? Quid inconuenientius, quàm diebus humilitatis, quando parum victus omnibus imitandum eſt, ita viuere, vt ſi toto tempore ſic viuatur, vix poſſint victum patrimonia ſuſtinere? Cauete iſta dilectiſſimi, cogitate quid ſcriptum eſt: * *Poſt concupiſcentias ne eas.* Quod ſaluberrimum præceptum, ſi omni tempore obſeruandum eſt, quantò amplius his diebus, quando ita turpe eſt, ſi cupiditas noſtra ad inuſitatas relaxetur illecebras, vt meritò culpetur, qui non reſtrinxerit vſitatas? *Tom.10.*

*Contra delitioſos Quadrageſimæ obſeruatores.*

*Quadrageſima, piæ humiliationis obſeruatio, non nouæ voluptatis occaſio eſſe debet.*

** 1.Tim.5.*

** Eccleſ.18.*

*de tempo. ſermo. 157. qui eſt in Dominica in octauis Paſchæ.*

### IIII. *De myſteriis Ieiunij Quadrageſimalis.*

HOs ſanctæ quadrageſimæ dies fratres chariſſimi, debemus cū omni veneratione ſuſcipere, nec longiorem numerum huius temporis faſtidire, quia quantò plures dies ſunt ieiunii, tantò maior eſt cauſa remedii. Quantò prolixior abſtinentiæ curſus, tantò redemptio copioſior eſt ſalutis. *a* Quantò auſterior cura vulnerum, tantò medicina eſt ſalubrior peccatorū. Deus enim qui eſt noſtrarum medicus animarum, cōgruens tempus inſtituit, *b* quod & iuſtis ſatis ſit ad adorandum, & peccatoribus ſufficiat ad rogandum. Illi requiem poſtulantes, hi veniam deprecantes. Congruens enim tempus eſt Quadrageſimæ, nec breue eſt ad exorandum, nec longum eſt ad promerendum. Quadraginta enim dierum ieiuniis, quæuis iniquitas peccatoris exorari poteſt, & quantauis ſeueritas iudicis mitigari. *c* Illi longū & faſtidioſum fortè ſit tempus, qui nec orat de culpa, nec ſperat de venia. Deſperatio enim nec confiteri de ſcelere, nec indulgentiam nouit ſperare de Iudice. Sāctus ergo & ſalutaris Quadrageſimæ curſus eſt, quo adducitur ad miſericordiam peccator per pœnitentiam, iuſtus ad requiem. His enim diebus ſolito amplius & diuinitas miſeretur, & delinquentia deprecatur, & iuſtitia promeretur. *d* Patent enim omnia, & cœli ad indulgentiam, & peccator ad confitendum, & lingua ad poſtulandum. Salutaris, inquam, & myſticus eſt quadragenarius numerus. Nam primum cùm mundi faciem iniquitas hominum poſſideret, tot dierum curriculo Deus effuſis* de cœlo imbribus, vniuerſam terram diluuio ſuperfudit. Vides ergo iam illo tempore myſterium in figura diſpoſitum. Nā ſicut tūc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundū, ita & nunc quadraginta diebus miſeretur ad hominē puriſicandum, &c. *Tom. 10. de tempore, ſerm. 69. qui eſt in Feria quarta poſt primā Dominicā in Quadrag.*

*a Si quò prolixius eſt tēpus ieiunij & abſtinentiæ, eò maior eſt cauſa remedij & redēptio copioſior ſalutis: valet profectò Chriſtianorū ieiuniū ad ſanandū peccatum, & ad iuſtitiam augendam.*
*b Deus inſtituit tempus Quadrageſimæ.*
*c Valet igitur fidelium ieiunium, ad exorandum Deū, & ad promerendū.*
*d Ergo quorundam dierum, eſt maior prærogatiua quàm aliorum.*
** Geneſ. 7.*

Ingenium quippe, vt ita dixerim, ingenuum non



poteſt non moueri quid ſibi velit, quòd & Moſes * & Helias * & ipſe Dominus * quadraginta diebus ieiunauerunt. Cuius actionis figuratus quidam nodus: niſi huius numeri cognitione & conſideratione non ſoluitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario quippe numero & diurna & annua curricula peraguntur. Diurna matutinis, meridianis, veſpertinis, nocturníſque horarum ſpaciis: annua, vernis, æſtiuis, autumnalibus, hyemalibúſque menſibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus viuimus, propter æternitatem, in qua viuere volumus, abſtinendum & ieiunandum eſt, quāuis temporum curſibus ipſa nobis inſinuetur doctrina contemnendorum temporum & appetendorum æternorum. *Tom. 3. De doctrina Chriſtiana, lib. 2. cap. 16.*

** Exod. 24.*
** 3. Reg. 19.*
** Matth. 4.*

Quadraginta dies ſepulturæ, quos cōmemorat Scriptura, * fortè ſignificant aliquid pœnitentiæ, qua peccata ſepeliuntur. Non enim fruſtra etiam quadraginta dies ieiuniorum ſunt conſtituti, quibus Moſes, * & Helias, * & ipſe Dominus * ieiunauit: & Eccleſia præcipua obſeruatione ieiuniorum Quadrageſimam vocat. Vnde & in Hebræo de Niniuitis apud Ionam Prophetam ſcriptum perhibent, * *Quadraginta dies & Niniue euertetur*, vt per tot dies, accommodatos videlicet humiliationi pœnitentium, intelligatur in ieiuniis, ſua defleuiſſe peccata, & impetraſſe miſericordiam Dei. *Tom. 4. Quæſtionum ſuper Geneſim, lib. 1. cap. 169.*

** Gen. 50.*
** Exod. 24.*
** 3. Reg. 19.*
** Matth. 4.*
** Ionæ 3.*
*Eccleſia præcipuā ieiuniorū obſeruatione Quadrageſimā vocat.*

Quia ergo numerus iſte laborioſi temporis Sacramentum eſt, quo ſub diſciplina regis Chriſti aduerſus Diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quòd quadraginta dierum ieiunium, hoc eſt, humiliationem animæ conſecrauit, & Lex & Prophetæ, per Moſen * & Heliam, * qui quadragenis diebus ieiunarunt: & Euangelium * per ipſius Domini ieiunium: quibus diebus quadraginta etiam tentabatur à Diabolo, quid aliud quàm per omne huius ſeculi tempus tentationem noſtram in carne ſua quam de noſtra mortalitate aſſumere dignatus eſt, præfigurans? *Tom. 4. de conſenſu Euangeliſtarum, libr. 2. cap. 4. Vide ſi libet de hoc argu-*

** Exod. 24.*
** 3. Reg. 19.*
** Matth. 4.*

*mento in lib. 83. quæſtionum, quæſt. 81. Item Tom. 9. in Ioan. Tractat. 17.*

### *V. Per obſeruationem Quadrageſimalis ieiunij bonos à malis diſcerni.*

*Sāctū & ſacratū Quadrageſimæ tēpus.*

*Videāt noui Euāgelici, ad vtrā harum partium pertineant.*

SAnctum ergo & ſacratum Quadrageſimæ tempus eſt, quod ſtatim ab initio cœpit inter iuſtos & iniuſtos diſcernere, bonos à malis quodam iudicio ſeparare. Quod quidem ſimiliter fieri etiam in hac noſtra Quadrageſimæ obſeruatione perſpicimus. Nam per hos quadraginta dies ſeparantur mali à bonis, hoc eſt, luxurioſus à caſto, à ieiuno intemperans, à Chriſtiano gentilis. Separatur, inquam, malus à bono, hoc eſt, peccator à iuſto, diabolus à ſancto, hæreticus à fideli. *Tom. 10. de tempore, ſerm. 69. qui eſt in Feria quarta poſt primam Dominicam in Quadrageſima.*

# CAPVT QVINTVM DE CIBORVM DELECTV.

### *I. Ieiunium & à quibuſdam cibis abſtinentiam damnare, Iouiniani hæreſin fuiſſe.*

*Hæreticū eſt ergo, negare ieiunia & ciborum delectū prodeſſe.*

HIC (*Iouinianus*) omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe ieiunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam. *Tom. 6. de hæreſibus, hæreſi 82.*

*Poteſt igitur abſtinētia & delectus ciborū, eſſe meritoriū opus: & qui hoc negat, Iouinianiſta potius eſt, quam Catholicus.*

Sacratæ verò virginitati nuptias coæquare, aut pro amore caſtigandi corporis, abſtinentibus à vino vel carnibus, nil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Iouiniani eſt. *Tom. 3. de Eccleſiaſticis dogmatibus, capit. 68.*

### *II. Delectum ciborum olim Catholicis in vſu fuiſſe.*

CHriſtiani non hæretici, ſed Catholici, *a* edomandi corporis cauſa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandā, non quòd illa eſſe immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent: *b* vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, *c* quantò magis quiſque vel minus ſeu voluerit ſeu potuerit. *Tom 6. contra Fauſtum, lib. 30. cap. 5.*

*a Catholici edomādi corporis cauſa, quibuſdā cibis abſtinent.*

*b Quidam Chriſtiani ſemper à carnibus, & quibuſdā fructibus abſtinentes.*

*c In Quadrageſima ferè omnes, non à carnibus tantùm, ſed etiam à quibuſdam terræ fructibus abſtinebant.*



*Laudantur Monachi ab Auguſtino, qui nō ſolùm carnibus & vino, ſed etiā aliis cibis, qui pluſculū appetitū prouocarēt, abſtinebant.*

Corpus (*Monachorum*) deinde reficitur, quātum ſaluti & ſalubritati ſat eſt, coërcente vnoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa, quæ præſto ſunt, parca & viliſſima. Ita non ſolùm à carnibus, & à vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab his etiam, quæ tantò concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quantò quaſi mundiora nonnullis videntur: quo nomine ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum, quod à carnibus alienum eſt, ridiculè turpitérque defendi. *Tom. 1. de moribu. Eccleſiæ Catholicæ, lib. 1. cap. 31.*

*Auguſtini mēſa qualis.*

Menſa vſus eſt frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites, vel quoſque infirmiores continebat. *Tom. 1. de vita Auguſtini, Poſſidonius, cap. 22.*

*Probat Auguſtinus abſtinētiā & delectum ciborū qui fit parſimoniæ et coërcēdæ libidinis cauſa.*

Poſſunt & Catholici Chriſtiani veſtrā à vino & carnibus abſtinentiam, iumentis, & multis paſſeribus, poſtremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare. Sed ne in veſtram incidam temeritatem, non id præproperè faciam, ſed diſcutiam primò, quo iſta fine faciatis. Iam enim conſtat inter vos, vt opinor, huiuſcemodi moribus nihil aliud eſſe quærendum. Si ergo parſimoniæ gratia & coërcendæ libidinis, qua eſcis talibus & potu delectamur & capimur, audio & probo. Sed non ita eſt, &c. *Tom. 1. de moribus Manichæorum, lib. 2. cap. 13.*

Baptizandi nomen ſuum dent & diu ſub abſtinentia vini & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati, baptiſmum percipiant. *Tom. 1. Conciliorum, Concil. Carthag. 4. cap. 85. Auguſtinus ſubſcripſit.*

*In Quadrageſima ceſſēt lauacra, vina & carnes.*

Ceſſent lauacra, vina vel carnes, non quòd creaturam Dei iudicemus eſſe damnandam, ſed qui toto anno nobis viximus, ſaltem vel paucos dies viuamus & Domino. *Tom.10.de tempore, ſerm.65. qui eſt in Dominica prima Quadrageſimæ, ſerm.2.*

### III. *Alio fine Chriſtianos à quibuſdam eſcis laudabiliter, Manichæos autem ſceleratè abſtinere.*

*Quibus de cauſis abſtineāt Catholici à quibuſdam cibis.*

APparet igitur (*recitauerat multa ex priore ad Corinthios, pertinentia ad eſum vel abſtinentiam carnium*) vt opinor, quo fine à carnibus & à vino ſit abſtinendum. Is finis eſt triplex: Ad comprimendam delectationem, quæ in his maximè cibis haberi ſolet, atque in tali potu vſque ad ebrioſitatem peruenire: Ad tuendam infirmitatem, propter illa quæ ſacrificantur atque libātur: Et quod maximè cōmendādum eſt, propter caritatem, ne imbecillorum ab his continentium offendatur infirmitas. Vos autem (*Manichæi*) immunda eſſe obſonia dicitis, cum dicat Apoſtolus, * omnia munda eſſe, ſed ei malum eſſe, qui per offenſionem manducat. Et prorſus credo, vos iſtis epulis inquinari eo ipſo, quo immunda eſſe arbitramini. *Tom.1.de morib.Manich.lib.2.cap.14.*

*Quare Manichæi nōnullis abſtinuerint.*

* *Rom.* 14.

Manichæi nec veſcuntur carnibus, tanquam de mortuis vel occiſis fugerit diuina ſubſtantia, tantúmque ac tale inde remanſerit quod iam dignum non ſit in electorum ventre purgari. Nec oua ſaltem ſumunt, quaſi & ipſa cùm franguntur exſpirent, nec oporteat vllis mortuis corporibus veſci, & hoc ſolùm viuat ex carne quod in farina ne moriatur, excipitur. Sed nec alimonia lactis vtuntur, quāuis de corpore animantis viuente, mulgeatur ſiue ſugatur: non quia putāt diuinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtū, ſed quia ipſe ſibi error non conſtat. Nam & vinū non bibunt, dicentes fel eſſe principum tenebrarum, cùm veſcātur vuis. Nec muſti aliquid, vel recentiſſimi ſorbent. Animas auditorum ſuorum in electos reuolui arbitrātur, aut fœliciore cōpendio in eſcas electorum ſuorum, vt iam inde purgatæ, in nulla corpora reuertantur. Cæteras autem animas & in pecora redire putant, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt atque aluntur in terra. Herbas enim atque



arbores ſic putant viuere, vt vitam quæ illis ineſt, & ſentire credant, & dolere cùm læduntur, nec aliquid inde ſine cruciatu, eorum quemquam poſſe vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam ſpinis purgare, nefas habent. Vnde agriculturam quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tanquam plurium homicidiorum reā, dementes accuſant: ſuíſque auditoribus ideo hæc arbitrantur ignoſci, quia præbēt inde alimenta electis ſuis, vt diuina illa ſubſtantia in illorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipſi electi, nec in agris operantes, nec poma carpentes, nec ſaltem folia vlla vellentes, expectant hæc afferri vſibus ſuis, ab auditoribus ſuis, viuentes de tot ac tantis ſecundùm ſuam vanitatem, homicidiis alienis: monent etiam eoſdem auditores ſuos, vt ſi veſcuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes * tenebrarum in cœleſtibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et ſi vtuntur coniugibus, conceptum tamen generationémque deuitent, ne diuina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id eſt, per eſcas & potus, venire animas credunt. *Tom.6.de hæreſibus ad Quoduultdeum, hæreſi 46. Lege & articulum huic proxime præcedentem.*

* *Epheſ.*6.

### IIII. *Etſi omnis creatura bona ſit, tamen propter obedientiam, vel aliorum infirmitatem, à carnibus vel aliis cibis Chriſtiano abſtinendum eſſe.*

AN non vidimus Iſraëlitas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili concupiſcentia petierunt? Concupierant enim carnibus* veſci, quibus pluebatur māna de cœlo: faſtidiebāt quippe quod habebāt, & quod non habebant, impudenter petebant: quaſi non melius peterent, non vt cibus qui deerat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille qui aderat, ſanato faſtidio, ſumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potius Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Non quia malum eſt carne veſci, cùm de hac re loquēs Apoſtolus dicat, * *omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abiiciendū quod cū gratiarū*

* *Exod.* 16. *Num.* 11.

* 1. *Tim.* 4.

* Rom.14. * Geneſ.3. * Geneſ.25. * 1.Cor.8.

actione accipitur:ſed quia ſicut idem ipſe aiit:* *Malum eſt homini qui per offendiculũ mãducat* Et ſi per homines offenſionem, quantò magis Dei? * Cuius in Iſraelitis non parua erat offenſio, repudiare quod dabat ſapientia, & petere id, quo inhiabat concupiſcentia, quãuis illi nec peterent, ſed quia deerat, murmurarent, ſed vt ſciremus non Dei creaturam eſſe culpabilem, ſed inobediẽtiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter porcum, ſed propter pomum * mortem primus homo inuenit: & Eſau* primatus ſuos non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit. *Tom 9. in Euangel. Ioannis, Tract.73.*

* *Intelligant hæretici bonorum ciborum malum eſſe vſum (Auguſtini & Apoſtoli ſententia) quando cum hominum vel Dei offenſione ſumuntur: quod illis accidere maniſeſtũ eſt, qui carnibus Quadrageſimæ tempore, cum contumaci inobedientia, & Eccleſiæ contemptu veſcuntur.*

*Ergo nec ſatis eſt, in vſu ciborum quorundam, diebus ieiuniorum propriæ conſciẽtiæ teſtimoniũ habere: ſed inſuper cauendũ, ne noſtro exẽplo proximus ad peccatũ, hoc eſt, ad violandũ Eccleſiæ præceceptũ aut ad hæreſim prouocetur.*

Fimbria modò tangenda proponebatur, quando ex eodem Apoſtolo legebatur:* *Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in idolio recumbentem, nónne conſcientia eius cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* Quomodo putaris decipi poſſe ſimulacris homines, quæ à Chriſtianis honorari putantur? Nouit, inquit, Deus cor meum, ſed frater tuus non nouit cor tuum. Si infirmus es, caue maiorem ægritudinem. Sin firmus es, cura infirmitatem fratris. Qui vident iſta, ædificantur ad idolia, vt non tantùm ibi manducare, ſed & ſacrificare deſiderent. Ecce perit infirmus in tua ſcientia frater. Audi frater, Si contemnebas infirmum, etiam fratrem contemnis. Expergiſcere. Quid in ipſum Chriſtum peccas? Attende enim, quod nullo pacto poſſis contemnere. Sic autem peccantes, inquit, in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm. 6. Vide Tomo ſexto contra Adimantum, cap.14.*

### *V. Ab Idolothytis etiam quandoque abſtinendum eſſe Chriſtiano, quamuis ex ſua natura bona ſint.*



Reſtat, ni fallor, vt dicamus aliquid de illo viatore Chriſtiano, quem commemoraſti victum famis neceſſitate, ſi nihil vſpiam inuenerit niſi cibum in Idolio poſitum, vbi nullus alius eſt hominum, vtrum ei ſatius ſit fame emori, quàm illud in alimentum ſumere. In qua quæſtione, quoniam non eſt conſequens, vt cibus ille idolothytum ſit, potuit enim vel ab eis, qui ibi ab itinere diuertentes, corpus refecerant, obliuione ſeu voluntate dimitti, vel illic ob aliam cauſam quamlibet poni: Breuiter reſpondeo, aut certũ eſt eſſe idolothytũ, aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certum eſt eſſe, melius Chriſtiana virtute reſpuitur. Si autem vel non eſſe ſcitur, vel ignoratur, ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo in vſum neceſſitatis aſſumitur. *Tom. 2. Epiſt. 154. ſub finem, ad Publicolam.*

*Ab his, quæ conſtat idolothyta eſſe, abſtinere, melius eſt.*

Cur enim non expediat immolaticio veſci Chriſtiano, Apoſtolus dicit: *Nolo vos*, inquit *ſocios fieri dæmoniorum*. Neque enim ipſam immolationem reprehendit, quam faciebant Patres, præfigurantes ſanguinem ſacrificij, quo nos Chriſtus redemit: ſed quæ immolant gentes, dæmoniis, inquit, immolant, & non Deo. Deinde adiecit quod dixi: *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum* Nam ſi natura ipſa immolaticiæ carnis eſſet immunda, vtique & neſcientem contaminaret. Neque enim eo minus ipſa eſſet, quò minus ab ſciente acciperetur, ſed propter conſcientiam, ne dæmonibus communicaſſe videatur. *Tom.6. contra Fauſtum, lib.32. cap.13.*

* 1.Cor.10. *Si ab immolatitiis carnibus abſtinendum eſt, ne dæmonibus communicaſſe videamur: cur nõ etiam, in ieiuniorum diebus, à carnibus abſtinere debeamus, ne cõtẽptores Eccleſiæ & hæretici videamur?* * 1.Cor.10.

Ne putarent ideo non eſſe curandum, ſi de ſacrificiis ederent idolorum, quia idolum nihil eſt, exiſtimantes ſibi hæc velut ſuperflua non nocere, confirmauit quidẽ & ipſe* idolum nihil eſſe: Nec ideo ſe iſta prohibere, quia idolis immolantur, quæ non habent ſenſum, ſed quia quæ immolant, inquit, id eſt, idolorum cultores, dæmoniis & non Deo immolant. Nolo vos ſocios dæmoniorum fieri. *Tom. 6. contra aduerſarium Legis & Prophet. lib.1. cap.19.*

Nicolaitæ nec ab iis quæ idolis immolantur cibos ſuos ſeparant. *Tom 6. de hæreſ. ad Quod vult deum, hær.5.*

### *VI. Quomodo intelligendum illud, Omnia munda mundis &c.*

CVm ait Apoſtolus, * Omnia munda mundis, naturas ipſas intelligi voluit, quas Deus creauit ſecundum illud, quod Moſes in Geneſi ſcripſit: * Et fecit Deus omnia, & ecce bona valde: *a* non ſignificationes, ſecundùm quas Deus per eundem Moſen * ab immundis munda diſcreuit. *b* Vnde quia multa, & multis locis iam diximus, nunc breuiter admonuiſſe ſuffecerit. Proinde illos, qui iam tempore reuelationis noui Teſtamenti, adhuc illas vmbras futurorum ita cuſtodiendas putarent, vt ſine iis gentes ſalutem, quæ in Chriſto eſt, percipere non poſſe contenderent, immundos dicit Apoſtolus, * quòd carnaliter ſaperent, & infideles, quòd tempus gratiæ à legis tempore non diſcernerent. Quibus ideò dicit nihil eſſe mundum, quia & iis quæ reſpuebant, & iis quę ſumebant, non ſanctè nec iuſtè vtebantur: *c* ſicut omnes quidem infideles, ſed vos præcipuè Manichæi, quibus omnino nihil eſt mundum. Neque enim cibus ipſe, quem ſumitis, quanuis eum magna diligentia, quaſi à carnis contagione, ſeparetis, mundus eſt vobis, quem creatum niſi à Diabolo non dicitis. In illo etiam Deum veſtrum ligatum atque pollutum vos edendo purgare perhibetis. Vos ſaltem vobis mundi videremini, quorum ventribus meretur ille purgari. Sed & veſtra corpora naturam & opificium generis tenebrarum eſſe contenditis, animas autem veſtras ipſis adhuc corporibus inquinatas. Quid ergo vobis eſt mundum? Non quæ ſumitis, non quò mittitis ea quæ ſumitis, non vos ipſi qui ſumpta purgatis. Videtis ergo propter quos tunc iſtam ſententiam dixit Apoſtolus: * talem tamen dixit, quæ omnes infideles & immundos teneret, ſed vos præcipuè maximéque conuinceret. Omnia ergo munda mundis, ſecundùm naturam, in qua creata ſunt, non tamen omnia ſecundùm ſignificationem munda primo populo Iudæorum: nec vobis omnia, vel propter ſalutem corporis, vel propter cõſuetudinem humanæ ſocietatis apta ſunt: ſed cùm ſua cuique reddũtur, & naturalem ordinem ſeruant, omnia munda ſunt mundis: immundis autem & infidelibus, quales præcipuè vos eſtis, nihil eſt mũdum. Cætera iam verba Apoſtoli, quæ ſequuntur, vos ipſi vobis salubriter diceretis, ſi cauteriatam * veſtram conſcientiam ſanari velletis. Sequitur enim: * Sed polluta ſunt eorũ & mens & cõſciẽtia. *Tom. 6. cõtra Fauſtum, lib. 31. cap. 4.*

** Tit. 1.*
** Geneſ. 1.*
*a Omnes res ſuapte natura mundæ.*
** Leuit. 11.*
*b In veteri Teſtamento, quidam cibi immundi, nõ natura, ſed ſignificatione.*
** Tit. 1.*
*c Malè vtenti nullus cib⁹ mundus.*
** Tit. 1.*
*Mundis, hoc eſt, bene vtẽtibus, omnia munda.*
*Ergo carnes immũdæ ſũt hæreticis cũ eis per cõtemptum Eccleſiæ veſcũtur.*



Nũquid eget cuiuſquam interpretatione, vt intelligatur cur hoc Apoſtolus dixerit: & quanta illi malitia de Scripturis certa quæque diſcerpunt, quibus circumueniant imperitos? Nam & munda eſſe omnia dixit Apoſtolus * ſecundùm fidem: & ei eſſe immunda, qui putat immunda: & tunc eſſe ab eis temperandum, cùm per offenſionem accipiũtur: id eſt, cùm aliquis infirmus putat ſibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolaticiam: & ideo eum qui manducat poteſt arbitrari in honorem idolorum id facere: & ex eo grauiter offendi, *a* cùm ipſa immolaticia caro, ſi ex fide à neſciente accipiatur, neminem maculet. Vnde alio loco idem Apoſtolus * interrogare vetat, cùm quid de macello emitur, vel ab aliquo infideli quiſquam vocatus, in menſa eius exhiberi ſibi carnes videt, quas iſti immundas arbitrãtur, non propter immolationem, ſed quia carnes ſunt, cùm Apoſtolus clamet, * omnia munda eſſe, & omnem creaturam Dei bonam eſſe, & omnia ſanctificari per verbum & orationem: & tamen temperandum ab eis, ſi quis fortè infirmus offenditur. Et quodam loco apertiſſimè iſtos ſignificauit cùm dicit, * In nouiſſimis temporibus futuros quoſdam prohibentes nubere, abſtinentes à cibis quos Deus creauit. Hos enim propriè deſignat, *b* qui nõ propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiſcentiam ſuam refrænent, aut infirmitati alterius parcant: ſed quia ipſas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum eſſe negant. *Tom. 6. contra Adimantum Manichæum, cap. 14.*

*b Vide Lector, an non Auguſtinus verba illa Pauli (futuros in nouiſſimis temporibus quoſdam abſtinentes à cibis, quos Deus creauit &c.) diſertè neget de illis intelligi, qui ideo à quibuſdã cibis abſtinent, vt concupiſcentiã frænent, aut infirmitati alterius parcant. Ad hæc memor eſto, delectum ciborum, hoc fine ſuſceptum, adeò fuiſſe Auguſtino probatum, vt Iouinianum, tum propter*

** 1. Tim. 4.*
** Tit. 1.*
** Rom. 14.*
** 1. Cor. 10.*
*a Igitur & nũc, in hoſpitiis hæreticorum, à carnibus abſtinẽdum cum ieiunij tẽpore apponuntur, ne Eccleſiã contemnere, & infirmos noſtro exemplo ad hæreſim impellere, vel in ea confirmare videamur.*
** Rom. 14.*
** 1. Tim. 4.*

*alia quædam, tum quòd delectum huiuſmodi ciborum tanquam inutilem reiecerit, in hæreticorum catalogo poſuerit. Quare nouis huius temporis Euangeliſtis, qui verba hæc Pauli in nos importuniſsimè detorquent neceſſum erit alterutrum admittere: vel Auguſtinum cum tota Eccleſia Catholica, quæ eiuſdem eſt cum eo ſententiæ, doctrinā tradidiſſe Dæmoniorum & cauterio notatam habuiſſe conſcientiam: Iouinianum autem, Catholicæ doctrinæ auctorem, & integra rectâque fuiſſe conſcientia: vel econtrario, Auguſtini ſententiam eſſe Catholicam & conſcientiā bonam: ſe vero cum ſuo Iouiniano ſpiritu erroris ſeductos, doctrinis Dæmoniacis attendere, atque conſcientiam habere cauterio inuſtam. Vide Tom. 6. hæreſ. 82. quæ eſt Iouiniani, & contra Fauſtum, lib. 30. cap. 5. & Tom. 1. De moribus Catholicæ Eccleſiæ, lib. 1. cap. 33. denique Tom. 3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 68. De fide ad Petrum, cap. 3. & 42.*

## *VII. Obiectiones contra Ieiunium et delectum ciborum, quomodo diluat Auguſtinus.*

ATque inter hæc nemo vrgetur (*loquitur de Chriſtianis Mediolanenſibus & Romanis apud quos frequens erat ieiunium*) in aſpera quæ ferre non poteſt, nulli quod recuſat imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quòd in eis imitandis ſe fatetur inualidum. Meminerunt enim, quanto opere Scripturis omnibus commendata ſit charitas. Meminerunt, *Omnia munda* * *mundis*, &, * *Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit*. Itaque non reiiciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis induſtria. Meminerunt, * *Eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hūc & illas deſtruet*. Et alibi: * *Neque ſi manducauerimus, abundabimus, neque ſi non manducauerimus, egebimus*. Et illud præ cæteris: * *Bonum eſt fratres non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur*. Hîc enim oſtendit, quàm ſint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. *a* *Alius enim credit manducare omnia, qui autem infirmus eſt, olus*, inquit, *manducet. Qui manducat, non manducantē non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet, Deus enim illum aſſumit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo Domino ſtat aut cadit: ſtabit autem, potens eſt enim Deus ſtatuere eum*. Et paulò poſt: *Qui manducat, Domino manducat, & gratias agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo*. Et item in conſequentibus: *Itaque vnuſquiſq; noſtrûm pro ſe rationem reddet. Non ergo amplius iudicemus inuicem, ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quod commune eſſe, illi commune eſt*. Potuitne magis oſtendere, non in ipſis rebus quibus veſcimur, ſed in animo eſſe vim quandam, quæ ad eum valeat maculandum: & propterea his etiam, qui ad hæc contemnenda ſunt idonei, certóque ſciunt non ſe pollui, ſi quid ciborum ſine turpi cupiditate altitudine mentis * aſſumpſerint, charitatem tamen eſſe intendendam, * vide quid ſequatur: * *Nam ſi propter eſcam frater tuus contriſtatur, iam non ſecundùm charitatem ambulas*. Lege cætera, nam longum eſt omnia interponere: & inuenies præceptum his, qui poſſunt iſta contemnere, id eſt, firmioribus & ſecurioribus: ideo tamen eſſe temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro ſua imbecillitate huiuſcemodi opus eſt tēperantia. Hæc illi, de quibus agerebam, norunt & tenent: Chriſtiani ſunt enim, non hæretici: intelligunt ſcripturas ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, *b* non ſecundùm ſuperbum & commenticium nomen Apoſtolatus: vbi non manducantem nemo ſpernit, manducantem nemo iudicat, qui infirmus eſt, olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt, multis non eſt cauſa iſta faciendi, ſed quòd viliore victu viuere placet, miniméque ſumptuoſo corporis ſuſtentaculo ætatem tranquilliſſimam ducere: *Omnia enim mihi licita ſunt*, inquit, * *ſed ego non redigar ſub poteſtate vllius*. Ita multi neque veſcuntur carnibus, neque tamen eas immundas ſuperſtitioſè putant. Itaque iidem ipſi, qui ſalui * temperant, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti ſine vlla formidine accipiūt. Multi vinum non bibunt, *c* nec tamen eo ſe coinquinari arbitrantur: nam & quibuſdam languidioribus, & prorſus

* Tit. 1.
* Matt. 15.
* 1. Cor 6.
* 1. Cor. 8.
* Rom. 14.

*a Propter charitatem mutuam conſeruandam, vitandā infirmorū offenſionem, à carnibus abſtinendum docet Apoſtolus.*

* *aliàs* intuendam.
* *Rom.* 14.

*b Expende Lector Auguſtini verba et intelliges: abſtinere à quibuſdā cibis tanquam pollutis, eſſe hæreticorū: abſtinere verò ab eiſdem cibis, ad reprimendā corporis laſciuiā, vel ſimilem finem, eſſe Catholicorum.*

* 1. *Cor.* 6.
* *aliàs* qui ſani ſe.

*c Multi Chri*

omnibus, qui ſine illo nequeunt ſalutem corporis obtinere, humaniſſimè ac modeſtiſſimè præberi faciũt. Et ſtultè nonnullos recuſantes, fraternè admonent, ne vana ſuperſtitione debiliores citius, quàm ſanctiores fiãt. Legunt eis Apoſtolum * diſcipulo præcipientem, vt aliquantum vini ſumat propter frequentes infirmitates ſuas. Ita pietatem ſedulò exercent: corporis verò exercitationem, vt ait idem Apoſtolus,* ad exiguum tempus pertinere nouerunt. Continẽt ſe igitur hi, qui poſſunt, qui tamen ſunt innumerabiles, & à carnibus & à vino duas ob cauſas: vel propter fratrum imbecillitatẽ, vel propter ſuam libertatem. *d* Charitas præcipuè cuſtoditur, charitati victus, charitati ſermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: coitur in vnam conſpiratúrque charitatem: hanc violare tanquam Deum nefas ducitur: huic ſi quis reſiſtit, expurgatur atque vitatur: * hanc ſi quis offendit, vno die durare non ſinitur. Sciunt hanc ita commendatam eſſe à Chriſto, & Apoſtolis, vt ſi hęc vna abſit, inania: ſi hæc adſit, plena ſint omnia. *Tom. I de moribus Eccleſiæ Catholicæ, libro primo, cap. 33.*

Illi qui benè viuunt, debent operibus miſericordiæ indeſinenter inſiſtere: ſcientes ſe licet leuia, nonnulla tamen quotidiè contrahere peccata, pro quibus etiam ſancti & iuſti in hac vita ſemper Deo dicere debent: * Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quæ peccata quantò in rebus licitis, & à Deo conceſſis frequenter hominibus ſurrepũt: & quantò magis fortioribus cibis corpus impletur, & carnalibus cor hominis actibus affectibúſque implicatur, tantò frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur. *a* Propterea humiles ſerui Chriſti, qui cupiunt Domino ſuo ſine impedimento, & abſque animi noxia occupatione ſeruire, coniugia omnino non appetunt, & à carnibus & vino abſtinent, *b* in quantum corporis valetudo permittit: non quia peccatum eſt, aut coniugem habere, aut vinum carnéſue percipere: nam & beatus Apoſtolus dicit: * Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei

*ſtiani olim à vino abſtinebant.*
* *1. Tim 5.*
* *1. Tim. 4.*
*d Hinc vires & libertatẽ ſpiritus, magis abſtinentia, quàm vſu carnium & vini conſeruari et promoueri, conſtat.*
* *aliàs* eiicitur.
* *Matth. 6.*
*a Repleto corpore fortioribus cibis vehementiores carnales cupiditates, & culpæ frequentiores.*
*b Cælibatus et quorũdam ciborũ abſtinẽtia faciũt, vt magis liberè ac ſine impedimentò ſruiamus Deo.*
* *1. Tim. 4.*



& orationem. Coniugium quoque in primis * hominibus Deus inſtituit, & benedixit. Propter quod Apoſtolus ait: * Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ideóque ſerui Dei in eo quòd à carnibus & à vino abſtinent, non tanquam res immundas refugiunt, *c* ſed mundioris vitæ inſtituta ſectantur. *d* Et in eo quòd coniugia non habent, non nuptiarum bonum, crimen eſſe exiſtimant, ſed continentiam iugem bonis nuptiis meliorem eſſe nõ dubitãt. Iſto quàm maximè tempore, quando dicitur de cõtinentia: *e* * Qui poteſt capere capiat. De nuptiis verò dicitur, * Qui non ſe continet, nubat. In vna enim ratione virtus exoritur, in altera infirmitas remedio ſubleuatur. *f Tom. 3. de fide ad Petrum, cap. 3.*

*f Igitur iugis continentia vel virginitas conſilij eſt & virtutis: nuptiæ verò neque conſuluntur, neque præcipiuntur, ſed conceduntur infirmis.*

Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam eſſe, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: & Dei ſeruos, qui à carnibus aut vino abſtinent, non tanquam immunda, quæ à Deo facta ſunt reſpuere, ſed à fortiori cibo & potu pro ſola caſtigatione corporis abſtinere. *Ibidẽ, ca. 42.*

### *VIII. Manichæos olim idem Catholicis obiecisse quod nunc à recentioribus hæreticis obiicitur, & quid eis Auguſtinus reſponderit.*

DE vobis verò quid dicam, id eſt, de Chriſtianioribus apud vos, quorum nonnulli quidem porcina, plerique verò quadrupede omni, alij etiam cuncto animali penitus abſtinent, fértque ob hoc in oculis eos omnis Eccleſia, & ſumma cum veneratione ſuſcipiens, ſolùm non Deos exiſtimat. Nec videtis indociles, quia ſi hoc verùm, & ab Apoſtolo dictũ teſtimoniũ eſt, dæmoniorum & ipſi ſunt ludificati doctrinis. *a* Quid verò & de illo dicemus, ꝙ ſanè fruſtrari quis audeat aut negare

*c Ergo his verbis Apoſtoli ex priori ad Timot. cap. 4. non dãnatur delectus ciborũ qui fit ad domandum corpus vel similẽ aliũ finem.*
* *Geneſ. 1.*
* *Heb. 13.*
*d Serui Dei carnibus & vino abſtinẽtes, mũdioris vitæ inſtituta ſectantur.*
*e Iugis continentia bonis nuptiis melior.*
* *Matt. 19.*
* 1. *Cor. 7.*
*Quomodo intelligatur illud Apoſ. 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona eſt &c.*
*Verba ſunt hæc Fauſti Manichæi aduerſus Catholicos.*
* *Leuit. 11.*
*a Detorquebant Mani-*

cùm conſtet hoc inter omnes, & æquè per orbem terrarum quotannis omni cum ſtudio celebretur in conuentu Catholico, dico autem Quadrageſimam, quam qui inter vos ritè obſeruandā putauerit, abſtineat neceſsè eſt omnibus his quæ capitulum hoc à Deo ad percipiendum nobis creata dicit, b & dæmoniorum inſuper doctrinam vocat abſtinentiam prædictorum? Quid ergo & vos chariſſimi, ritúne tunc dæmoniorum viuitis, cùm hæc à vobis paſſionis Chriſti celebrantur myſteria, & ſeductorij ſpiritus fraude decipimini, & in hypocriſi loquimini mendacium, & cauteriatam habetis conſcientiam veſtram? Quod ſi horū nihil vos, nec nos igitur. Quid ergò ſibi vult capitulū hoc, aut à quo ſcriptum putabimus, & contra quos, quod nec veteris Teſtamenti traditiones, nec noui confirmet ſcita? Siquidem hoc ab omnibus, vt ex vobis ipſis apparet: illud verò quamuis à quibuſdam abſtineri non docet: ſententia verò hæc veſtra cunctam penitus carnalium ciborum abſtinentiam dæmoniorum vult eſſe doctrinas: Cui ſi & vos creditis, eadem ſæpius dixero: Damnate Moſen, renunciate Prophetis, ferte parem & de vobis ipſis ſententiam: quia vt illi ſemper à quibuſdam ciborum, ſic vos interdum abſtineris ab omnibus. Aut ſi Moſes vobis & Prophetæ cùm eſcas diiudicant, Dei legem ſancire videntur, & non dæmoniorum ſi Daniel * in Spiritu ſancto obſeruauit tres hebdomadas: ſi Ananias, * Azarias, & Miſaël pueri, diuinæ mentis inſtinctu, oleribus vti maluerūt & leguminibus: ſi denique in vobis quotquod abſtinent, non à dæmonibus impulſi id faciunt: ſi Quadrageſima ſine vino & carnibus non ſuperſtitioſè à vobis, ſed diuina lege ſeruatur: c Videte quæſo, videte, ne ſummæ dementiæ hoc ſit, à Paulo dictum putare, quòd dæmoniorum * doctrina ſit, abſtinentia omnis ciborum. *Tom.6. contra Fauſtum Manichæum lib.30. cap 3.*

Auguſtinus reſpondit: Audi ergo, quòd confiteris te non videre, qua mente & conſilio hoc aduerſum vos capitulum proferamus: non quòd à carnibus abſtineatis: nam hoc à quibuſdam & primi Patres noſtri fecerunt, ſicut commemoras: non tamen ea damnandi, ſed ſignificandi gratia, quod non intelligitis: & vnde iā quantum ſufficere videbatur, in ſuperioribus partibus operis huius locutus ſum: & Chriſtiani non hæretici, ſed Catholici, edomandi corporis cauſa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent: vel ſemper, ſicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, quantò magis quiſque vel minus ſeu voluerit ſeu potuerit. Vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes Diabolus operetur fœculentiore materia mali: ac per hoc eas, tanquam immundiora & truculentiora Dei veſtri vincula exhorrentes abiicitis. Auditoribus autem veſtris, quos tanquam diſtinctos à genere ſacerdotum dixiſti, ſecundùm veniam hæc edenda conceditis: ſicut quibuſdam concedit Apoſtolus * *ſecundùm veniam*, non omnem concubitum, coniugalem etiam, qui fit ſola cauſa generandi, ſed eum qui fit per incōtinentiam, ſed tamen cum coniuge. Neque enim conceditur ſecundùm veniam, niſi peccatum: hoc vos de omni carnium cibo ſentitis: hoc & ipſi ab hæreſi veſtra didiciſtis, & veſtros auditores docetis: ſed illis quod ſit ignoſcendum, propter quod vobis neceſſaria miniſtrant, vt dixi, cōceditis, non dicentes non eſſe peccatum, ſed peccantibus veniam largientes: vos autem ab omni tali, tāquam mala & immunda contagione * abſtinetis: ac per hoc illud quod ſequitur, ea verba Apoſtoli, quibus commemorationem huius capituli terminaſti, ipſum eſt omnino, quod nos facit hoc teſtimonium vobis obiicere: quod & tu, puto, ſciebas, vt ea verba primò non poneres, & nobis in extremo diceres, qua mente aut conſilio hoc aduerſum nos capitulum proferatis, ego non video, cùm hoc ipſum noſtrum conſilium tacere, quàm commemorare malueris. Cùm enim Apoſtolus dixiſſet: * *Abſtinentes à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, ſecutus ait: Et iis qui cognouerunt veritatem: quoniam omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione per-*

*bei: quēadmodū huius temporis hæretici, verba Pauli 1.Timot.4 in Catholicos.*

*b Colligitur hinc, Quadrageſimam à Catholicis cum ciborum delectu ſeruatam quotannis fuiſſe.*

* *1.Tim.4.*
* *Dan.10.*
* *Dan.1.*

*c Videtur hic hæreticus ſignificare: Quadrageſ. à Catholicis abſque vino & carnibus ſeruari, idq; diuina lege, quod nec Auguſtinus in reſponſione diffitetur.*

* *1.Tim.4.*

*Quomodo, Auguſtini ſententia intelligēdus ſit locus Pauli 1.Timoth.4. cuius expoſitionē ſi noui hæretici admitterent, nō tam imprudenter Apoſtoli verbis contra Catholicos abuterentur.*

* *1. Cor.7.*

** aliàs, cogitatione.*

* *1.Tim. 4.*

*cipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & oratione͂.* Hæc ſunt quæ negatis: hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab eſcis huiuſmodi temperatis, quòd non ſignificatione, ſed natura malæ & immundæ ſint. Qua in re creatorem earum ſine dubio blaſphematis, hoc eſt quod pertinet ad doctrinam dæmoniorum. Nolite ergo mirari hoc de vobis tãtò antè à ſancto Spiritu prophetatum. *Ibidem, cap. 5.*

*Ergo Apoſtolus 1. Timoth. 4. tantùm damnat eos, qui propterea cibis abſtinebant, quòd crederent eos ſua natura immundos eſſe: idque Auguſtinus ex verbis eiuſdem Apoſtoli euidenter concludit. Alioqui ſi propter alias cauſas abſtinentes vel abſtinere præcipientes damnaret, nec ipſi Apoſtoli qui Act. 15. & à ſuffocato & ſanguine, & ab idolothytis abſtinere præceperunt, nec denique innumera multitudo Sanctorum, qui à cibis quibuſdam, non tanquam ex ſe immundis, ſed aliis de cauſis abſtinuerunt, excuſationem haberent. Quare noui hæretici, quò importunius nos vrgent verbis iſtis Apoſtoli, eò manifeſtius declarant, ſe à tota Sanctorum Eccleſia alienos eſſe, atque ad Iouiniani & Aërij partes pertinere.*

## CAPVT SEXTVM.

### DE COELIBATV.

*I. Bonam eſſe caſtitatem coniugum, meliorem viduarum, optimam vero virginum.*

SIcut ieiuniis Sacrilegorũ meliora ſunt prandia iuſtorum, ita nuptiæ fideliũ virginitati anteponuntur impiorũ. Veruntamen neque ibi prandium ieiunio, ſed iuſtitia ſacrilegio, neque hîc nuptiæ virginitati, ſed fides impietati præfertur. Ad hoc enim iuſti, cũ opus, prandent, vt tanquam boni Domini quod iuſtum, & æquum eſt, ſeruis corporibus præbeant: ad hoc autem ſacrilegi ieiunant, vt dæmonibus ſeruiant. Sic ad hoc nubunt fideles, vt maritis pudicè copulentur: ad hoc autem ſunt virgines impiæ, vt à



vero Deo fornicentur. Sicut ergo bonum erat, quod Martha * faciebat, occupata multum circa miniſteriũ ſanctorum, ſed melius quod Maria ſoror eius ſedens ad pedes Domini, & audiens verbum Domini, cùm eũ ambæ hoſpitio recepiſſent: ita bonum Suſannæ * in coniugali caſtitate laudamus: ſed tamen ei bonũ viduæ Annæ, * ac multò magis Mariæ * virginis anteponimus. *Tom. 6. de bono coniug. cap. 8.*

** Luc. 10.*

*Bonũ Suſannæ coniugiũ: melior viduitas Annæ: optima virginitas Mariæ.*

** Dan. 13.*

** Luc. 2.*

** Luc. 1.*

Continentes vel mares, qui defunctis vxoribus, vel fœminæ quæ defunctis viris, vel vtrique, qui pari conſenſu continentiam Deo vouerunt, ſciant ſibi quidem mercedis amplius deberi, quàm coniugalis caſtitas poſcit. * *Ibid. cap. 25.*

*Continẽtiæ Deo cõſecratæ, maior merces quàm caſtitatis coniugalis.*

* *aliâs* poſſit.

Nos ſecundum ſcripturarum ſanctarum fidem ſacrámque doctrinam, nec peccatum eſſe dicimus nuptias, earum tamen bonum non ſolùm infra virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam conſtituimus. *Tom. 6. de ſancta virg. cap. 12.*

Habeant coniugia bonũ ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem inuicem ſeruant, quia Sacramentum connubij non violant. Hæc tamen omnia humani officij ſunt munera, virginalis autem integritas & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt, *a* & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis: *b* illa non eſt in poteſtate, illa non eſt in æternitate. Fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam coniugalem non habet cœlũ. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, *c* qui habent aliquid iam nõ carnis in carne. *Ibidem.*

*a Coniugiũ humani officij munus eſt: Virginalis vero integritas, Angelica portio.*

*b Virginitati cedat fœcunditas carnis, & coniugalis pudicitia.*

*c Virgines piæ magnum aliquid in regno cælorũ præ cæteris habebunt.*

Cõtinẽtiã cõiugio præponamus, ſanctã verò virginitatẽ etiã cõtinẽtiæ viduali. *To. 4. de bono viduitatis, ca. 15.*

Poſſunt etiam (*in eo quod arca Noë * alibi tricamerata fuiſſe ſcribitur*) tres illæ vbertates euangelicæ (*intellige*) tricena, * ſexagena, cẽtena: vt in infimo habitet pudicitia coniugalis, ſuprà vidualis, atque hac ſuperior

** Geneſ. 6.*

** Matt. 13.*

** Matt. 19.*

*Qui ſe propter regnum Dei caſtrauerunt, aliquid amplius quàm cæteri in regno cœlorum habituri.*

virginalis: & ſiquid melius ſecundùm fidem ciuitatis huius intelligi & dici poteſt. Hoc etiam de cæteris, quæ hîc exponéda ſunt dixerim: quia etſi nō vno diſſerūtur modo, ad vnam tamen Catholicæ fidei concordiā reuocanda ſunt. *Tom.5. de ciuit. Dei, lib.15. cap.26.*

*Hoc etiā dicunt hæretici noſtri temporis.*

*Dixerunt ei diſcipuli:* * *Si talis eſt cauſa cum vxore, non expedit nubere. Quibus ille: Non omnes,* inquit, *capiūt verbum hoc: ſunt enim ſpadones, qui ita nati ſunt: ſunt autem alij, qui ab hominibus facti ſunt & ſunt ſpadones qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum: Qui poteſt capere capiat.* Quid veracius, quid lucidius dici poteſt? Chriſtus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos qui pio propoſito ab vxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſe ipſos propter regnum cœlorum: & contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præſentem tantummodo neceſſitatem moleſtiarum coniugalium deuitare: in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere. *Tom.6. de ſancta virginitate, cap.2?.*

*Virginitas per ſe cōiugio præfertur: adiuncta verò faciunt, vt nupta nonnunquam virgine ſit melior*

*In virginitate fructus centenus: in caſtis nuptiis tricenus.*

Proinde quid dicemus? Eſt ne aliquid quod virgo Dei veraciter cogitet, vnde ſe fideli mulieri, nō tantùm viduæ, verùm etiam coniugatæ præferre non audeat? Non ergo reprobam dico: nam quis neſciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam? Sed cùm ambæ ſint obedientes præceptis Dei: itáne trepidabit ſanctam virginitatem etiam caſtis nuptiis, & cōtinentiam præferre connubio, fructum centenū * præire triceno? Imò verò non dubitet hanc rem illi rei præponere. *Ibidem, cap.44.*

** Matth.13.*

** Eſai.56.*

*Qui ſint ſpadones apud Eſaiam, quibus melior locus, quā filiis, in domo Dei promittitur.*

** Matt.19.*

De quibus autem ſpadonibus loquitur Deus per Eſaiam* Prophetam, quibus ſe dicit daturum in domo ſua & in muro ſuo locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum: niſi de iis qui ſeipſos * caſtrant propter regnum cœlorum? Nam illis quibus ipſum virile membrum debilitatur, vt generare non poſſint, ſicut ſunt Eunuchi diuitum & regum, ſufficit vtique, cùm Chriſtiani fiunt, & Dei præcepta cuſtodiunt, eo tamen propoſito ſunt, vt coniuges ſi poſſint haberent, cæteris in domo Dei coniugatis fidelibus adæquari, qui prolem licitè pudicéque ſuſceptam in



Dei timore nutriunt, docentes filios ſuos, vt ponant * in Deo ſpem ſuam, non autem accipere meliorem locum quàm eſt filiorum atque filiarum. Neque enim vxores animi virtute, ſed carnis neceſſitate non ducūt. Contendant ſanè, qui voluerint de his Prophetam ſpadonibus hoc prænunciaſſe, qui corpore abſciſsi ſunt, iſte quoque error cauſæ, quam ſuſcepimus, ſuffragatur: neque enim ſpadones iſtos eis, qui in domo eius nullū locum habent, prætulit Deus, ſed eis vtique, qui in filiis generandis coniugalis vitæ meritum ſeruant. Nam cùm dicit: * Dabo eis locum multò meliorem, oſtendit & coniugatis dari, ſed multò inferiorē. *Ibidē, ca.24.*

** Pſalm.77.*

** Eſai.56.*

## *II. Virginitati Deo ſacratæ æquare nuptias, hæreſin fuiſſe Iouiniani.*

Virginitatem etiam ſanctimonialium & continentiam ſexus virilis, in ſanctis eligentibus cœlibem vitam, coniugiorum caſtorum atque fidelium meritis (*Iouinianus*) adæquabat. Ita vt quædam virgines ſacræ prouectæ iam ætatis in vrbe Roma, vbi hæc docebat, eo audito, nupſiſſe dicantur. Non ſanè ipſe vel habebat vel habere volebat vxorem, quod non propter aliquod apud Deū maius meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, ſed propter præſentem prodeſſe neceſsitatem, ne homo coniugales patiatur moleſtias, diſputabat. Citò tamen iſta hæreſis oppreſſa & extincta eſt, nec vſque ad deceptionem aliquorum ſacerdotum potuit peruenire. *Tom.6. de hæreſib. ad Quoduultdeum, hæreſi.82.*

*Sic noſtri temporis hæretici.*

*Nuptias & ſacram Deo virginitatē paris eſſe meriti, hæreſis eſt.*

Sacratæ verò virginitati nuptias coæquare, aut pro amore caſtigandi corporis abſtinētibus à vino vel carnibus, nil credere meriti accreſcere, nō hoc Chriſtiani, ſed Iouiniani eſt. *Tom.3. de Eccleſiaſt. dogmat. cap.68.*

Iouiniana hæreſis, ſacrarum virginū meritū æquando pudicitiæ coniugali, tantum valuit in vrbe Roma, vt nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, deieciſſe in nuptias diceretur, hoc maximè argumento cùm eas vrgeret, dicens: Tu ergo melior quàm Sara, * melior quàm Suſanna, * ſiue Anna? * & cæteras cōmemorādo teſti-

** Geneſ. 11.*

** Dan.13.*

** Luc.2.*

monia ſacræ ſcripturæ commendatiſſimas fœminas, quibus ſe illæ meliores vel etiam pares cogitare non poſſent. Hoc modò etiam virorum ſanctorũ ſanctum cœlibatum commemoratione patrum coniugatorum & prædicatione, frangebat. Huic monſtro ſancta Eccleſia, quæ ibi eſt, fideliſſimè ac fortiſſimè reſtitit. *Tom.1.lib.2.retract.cap.22.*

*Si Iouinianus iccirco monſtrum, quòd Sanctimoniales ex virginitate Deo ſacra, & ſanctos viros è ſancto cœlibatu in nuptias ſuis ſuaſibus deiecit, quale tandem monſtrum eſſe dicemus eum, qui non ſolùm id docuit, ſed etiam ipſe Monachus, Sanctimonialem in matrimonium duxit?*

*Sic noui hæretici nuptias à nobis damnari dicunt, quod nõ feramus, eas ſacræ virginitati ab ipſis æquari, aut votũ caſtitatis violari.*

Manichæos appellat (*Iulianus*) Catholicos, more illius Iouiniani, qui ante paucos annos hæreticus nouus, virginitatem ſanctæ Mariæ deſtruebat, & virginitati ſacræ nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc obiiciebat Catholicis, niſi quia eos videri volebat accuſatores vel damnatores eſſe nuptiarum. *Tom.7.contra duas Epiſtolas Pelag.lib.1.cap.2.*

Iouinianus ſanctimonialibus etiã ætate prouectioribus nuptias perſuaſiſſe dicitur, non illiciendo, quo earum aliquam ducere vellet vxorem, ſed diſputando virgines ſanctimoniæ dicatas, nihil amplius fidelibus coniugatis apud Deum habere meritorum. *Tom.7.de peccat.merit.& remiſſ.lib.3.cap.6.*

## *III. Caſtitatem donum eſſe Dei, quod tamen rectè petenti nunquam denegetur.*

DE ipſa veſtra profeſsione aliquid dicam: neque enim congregaret vos iſta ſocietas in qua continenter viuitis, niſi voluptatem coniugalem contemneretis. Hinc autem domino loquenti cùm dixiſſent diſcipuli: * *Si talis eſt cauſa homini cum vxore, non expedit nubere: reſpondit eis, Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Nunquid non liberum arbitrium

**Matth.19.*



**1.Tim.5.* *1.Cor.7.* **Matth.19*

Timothei eſt exhortatus Apoſtolus dicens: * *Contine teipſum?* Et in hac re poteſtatem voluntatis oſtendit: vbi ait, Non habens neceſsitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, vt ſeruet virginem ſuam, & tamen non omnes capiunt * verbum hoc, ſed quibus datum eſt: quibus enim non eſt datum, aut nolunt, aut nõ implent quod volunt: quibus autem datum eſt, ſic volunt vt impleant quod volunt. Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium. *Tom.7.de gratia & libero arbitrio, cap.4.*

**Sap.8.*

*Tribueret Deus continẽtiæ donum iis, qui eam vouerunt, ſi gemitu interno & fide ſolida illud peterent.*

Putabam me miſerum fore nimis, ſi fœminæ priuarer amplexibus, & medicinã miſericordiæ tuæ ad eandem infirmitatem ſeruandam non cogitabam: quia expertus non eram, & propriarum virium credebam eſſe continentiam, quarum mihi non eram conſcius, cùm tam ſtultus eſſem, vt neſcirem, ſicut ſcriptum eſt: * Neminem poſſe eſſe continentem, niſi tu dederis. Vtique dares, ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolida in te iactarem curam meam. *Tom.1.lib.6.confeſſ.cap.11.*

*Exod.20.* *Deut.5.* *Rom.7.*

*Detrahendum de pondere cupiditatis, & addendum pondere charitatis.*

Vt interim omittamus legis multa præcepta, & hoc inde commemoramus, quod commemorandum elegit Apoſtolus, cùm dicit lex: * Non concupiſces: quid videtur aliud imperare, niſi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere, amore fertur quocunque fertur. Iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud conſumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim legis * eſt charitas: & tamen de ipſa continentia vide quid ſcriptum ſit: * *Et cùm ſcirem,* inquit, *quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum, adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* Nunquid dixit: Et cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi per propriũ liberũ arbitriũ, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire à meipſo eſſe hoc bonũ? Nõ planè hoc dixit, quod quidã in ſua vanitate dicũt, ſed quod fuit in ſanctæ Scripturæ veritate dicẽdũ: Cũ ſcirẽ, inquit, quia nemo poteſt eſſe cõtinẽs,

**Rom.13.* **Sap.8.*

*Sapientis eſt cùm ſciuerit caſtitatem Dei donũ eſſe Deũ adire,*

*illumq́; deprecari vt eam tribuat.*

niſi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per literam, dat per ſpiritum. *Tom. 2. Epiſt. 89. ad Hilarium, quæſt. 2.*

*Vouētium caſtitatē vel paupertatem gradus ſunt meliores.*

** Pſal. 75.*

Non ſitis pigri qui poteſtis, quibus aſpirat Deus apprehendere gradus meliores: quia non iſta ideò loquimur, vt non voueatis, ſed vt voueatis, & reddatis. *Vouete & reddite * Domino Deo noſtro.* Iam quia iſta tractauimus, fortè volebas vouere, & modò non vis vouere. Sed quid tibi dixerit Pſalmus, attende: non dixit, nolite vouere: ſed vouete & reddite. Quia audiſti, reddite, non vis vouere? Ergo vouere volebas, & non reddere? Imò vtrunque fac. Vnum fit ex profeſſione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aſpice eum, qui te ducit, & non reſpicies retrò, vnde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat: vnde te eduxit, poſt te eſt. Ama ducentem, & non te damnat retrò reſpicientem. Vouete & reddite Domino Deo noſtro. *Tom. 8. Pſalm. 75.*

*Eorū, qui caſtitatē vouerūt, Deus eſt ductor et adiutor, vt votū ſuū perſoluere poſſint.*

** Sap. 8.*

Nouerat ille quàm magnum bonum eſſet continentia, qui dicebat: * *Et cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det.* Non ſolùm ergo ſciebat quantum eſſet hoc bonum, & quàm deſiderabiliter eſſet concupiſcendum, verùm etiam quod niſi dante Deo, eſſe non poſſit: docuerat enim eum ſapientia. Nam hoc dicit, *Et hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum.* Nec tamen ei ſcientia ſuffecit, ſed ait: *Adij Dominum, & deprecatus ſum illum.* Non igitur tantummodo in hoc nos adiuuat Deus, vt ſciamus, quid agendum ſit, verùm etiā vt amando agamus, quod diſcendo iam ſcimus. Nemo itaque poteſt eſſe non ſolùm ſciens, verùm etiam continens, niſi Deus det. *Tom. 2. Epiſt. 143. ad Iulianam viduā.*

*Nō ſatis eſt nouiſſe, donū Dei eſſe cōtinentiam, niſi Deum adeas et depreceris.*

*Si fidē huiuſmodi habuiſſent multi, qui fidem iactāt, ne tam leniter de caſtitatis dono deſperaſſent.*

Non eos (*loquitur de his qui caſu vel neceſſitate aliqua à coniugibus coguntur abſtinere*) terreat ſarcina continentię: leuis erit, ſi Chriſti erit: Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ impetrat à iubente quod iuſſerit. *Tom. 6. lib. 2. de adult. coniug. cap. 19.*

Quinimo cùm (*viri*) à fœminis, vtique habentibus carnem, tantam flagitant caſtitatem, vt quādo ab vxoribus diutiſſimè peregrinantur, velint eas ab adulterino concubitu incontaminatas feruorem tranſigere



*Syrarū mulierū pudicitia.*

iuuentutis: & plurimæ pudiciſſimè tranſigunt, & maximè Syræ, quarum mariti negotiandi quæſtibus occupati, iuuenes adoleſcentulas deſerunt, & vix aliquādo ſenes ad aniculas reuertuntur, eo ipſo euidentius conuincuntur, non eſſe impoſſibile, quod ſe non poſſe cauſantur. Si enim hoc non poſſet infirmitas hominum *, multò minus id poſſet ſexus infirmior fœminarū. Vnde iſtos, qui virilem excellentiam non putant niſi peccādi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugiis hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam clericorum: qui plerunque ad eādem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini, nōnne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repentè conuerſi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam anteà cogitaſtis? Sed illos, inquiunt, honor plurimum conſolatur. Reſpondemus, & vobis timor amplius moderetur. Si enim hoc multi Dei miniſtri repentè atque inopinanter impoſitum ſuſceperunt, ſperantes ſe illuſtrius in Chriſti hæreditate fulgere: quantò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes nō in regno Dei minus lucere, ſed in gehennæ ignibus ardere? Hæc atque huiuſmodi eis vt poſſumus dicimus, qui quoquo modo à ſe diſcedentibus, vel propter adulterium dimiſſis coniugibus ſuis, alias volunt ducere, & cùm prohibentur, infirmitatem nobis carnis opponunt. *Ibidem, cap. 20.*

** aliàs virorum.*

*Redarguuntur qui caſtitatē impoſsibilē eſſe cauſantur.*

*Igitur cū clericatu, ferēda ſimul erat ſarcina caſtitatis.*

*Clericus vt caſtitatē ſeruet, ad impetrādas à Domino vires cōuertatur.*

Multæ autem nuptæ recentiſſima ſua coniunctione in longinqua profectis viris ſuis, reditum eorum expectando, grandæuæ factæ ſunt, & tanquam citò viduatæ aliquando nec remeantes ſaltem ſenes ſuos anus ſuſcipere meruerunt. Si ergo vel ſpernentibus vel tardantibus ſponſis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiſcentia potuit contineri, ne ſtuprum aut adulterium committeretur, cur contineri non poteſt ne ſacrilegium committatur? Si repreſſa eſt, cùm ferueret dilata, cur non opprimitur cùm friguerit amputata? Plus enim ardenter ferunt libidinem, quæ non deſperāt

*Eſt ergo carnalis cōgreſſus ſacrilegus, eorū, qui caſtitatē ſuā Deo per votū conſecrarūt.*

eiuſdem voluptatem. Quæ autem innuptarum caſtitatem Deo vouent, ipſam ſpem ſubtrahunt, quæ fomes amoris eſt. Vnde facilius concupiſcentia refrænatur, quæ nulla expectatione ſuccenditur, contra quam tamen niſi oretur vt ſuperetur, ipſa illicita exoptatur ardentius. *Tom. 4. de bono viduit. cap.20. Hunc de bono viduitatis tractatum non eſſe Auguſtino tribuendum, cenſet Eraſmus: ſed manifeſtè cap.15. eiuſdem tractatus, & Poſſidonij indiculo redarguitur.*

*Poſt votum caſtitatis, facilius cõcupiſcẽtia refrænatur.*

De ipſa quoque ſacra continentia virginali, quòd nõ ſibi ſit ex ſeipſa, ſed ſit Dei * donum, quanuis credenti volentíque collatum, eundem audiat veracem piúmque doctorem, qui cùm hinc ageret ait, * Vellem omnes eſſe ſicut meipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic. *Tom.2. Epiſt.143. ad Iulianam viduam.*

* Sap.8.

*Donum cõtinentiæ credẽti & volenti confertur.*

* 1. Cor.7.

## *IIII. Continentiam rectè promitti ac voueri Deo, illúdque votum fideliter ſeruandum eſſe.*

IAm vouiſti, iam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet. Priuſquam eſſes voti reus, liberum fuit quo eſſes inferior, quanuis non ſit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum ſponſio tua *a*, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, ſi non feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes, ſi nihil tale vouiſſes. Minor enim tunc eſſes, non peior. Modò autem tantò (quod abſit) miſerior, ſi fidem Deo fregeris: quantò beatior, ſi perſolueris *b*. Nec ideò te vouiſſe pœniteat, imò gaude iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipſe adiuuabit, qui vota tua expetit *c*. Fœlix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit. *Tom.2. Epiſt.45. ad Armentarium. Hanc Epiſtolam & 38. Eraſmus non Auguſtino, ſed Paulino cenſet tribuendam: at manifeſtè Poſſidonij indiculo reclamante.*

*a Sponſione, quæ fit in voto caſtitatis, tenemur apud Deum.*

*b Maritus poſt votũ caſtitatis (habebat enim hic Armẽtarius vxorem) cum vxore cõcumbẽs, Deo frãgit fidẽ, ac peior & miſerior efficitur.*

*c Deus, qui expetit, facta vota ſibi perſolui, auxiliũ ad ea pſoluẽda præbet it.*

Eis vero qui ſiue coniugati, ſiue à coniugio liberi cõtinentiam Deo vouerunt, admodum eſt damnabile, ſi

*Coniugibus, qui communi cõſenſu caſtitatem vouerũt, dãnabile eſt, ſi vel cõiugale opus appetierint.*



vel illi coniugale opus voluerint appetere quò ſe non acceſſuros, vel illi repetere, à quo receſſuros, illi libera, illi communi profeſſi ſunt voluntate. *Tom.3. de fide ad Petrum, cap.42.*

Quapropter non poſſum quidem dicere à propoſito meliore lapſas, ſi nupſerint fœminas, adulteria eſſe, non coniugia: ſed planè non dubitauerim dicere: lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiore, quæ vouetur Deo, adulteriis eſſe peiores *a*. Si enim, quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti pertinet, cùm membrum eius fidem non ſeruat marito, quantò grauius offenditur, cùm illi ipſi non ſeruatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum *b*. Cùm enim quiſque non reddit, quod non imperio cõpulſus, ſed conſilio commonitus vouit: tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minus habuit vouendi neceſſitatem *c*. Hæc ideò diſputo, ne arbitreris, vel ſecundas nuptias crimen eſſe, vel quaſcũque nuptias, cùm ſint nuptiæ, malum eſſe. Non itaque illas abs te damnatas velis eſſe, ſed ſpretas. Bonum ergo cõtinentiæ vidualis luculentius decet, cùm pro illo vouendo & profitendo poſſunt contemnere fœminæ, quod & libet & licet *d*. Sed poſt voti profeſſionem perſeueranter frænandum & vincendum eſt quod libet, quia iam non licet *e*. *Tom.4. de bono viduita. cap.11.*

*a Poſt votum caſtitatis nubẽtiũ, vt verũ ſit matrimoniũ, (ſi ſimplex fuerit votum) peccatũ tamẽ grauius eſt quàm adulterorum.*

*b Quare in nuptiis poſt votũ caſtitatis grauius ſit peccatũ quàm in adulterio.*

*c Vouere caſtitatem, cõſilij eſt: poſt votũ verò caſtitatẽ ſeruare, neceſſitatis.*

*d Erãt ergo religioſæ quædã viduæ, voto caſtitatis obſtrictæ, quibus nubere minimè licebat.*

*e Nouerint Apoſtatæ: poſt votum caſtitatis frænandas eſſe cupiditates, & vincenda omnia quæ caſtitati ſunt inimica: quia iam non licet nec vxorem ducere, quam ante votum ducere licuiſſet.*

Illis quæ ſe non continent, expedit nubere: & quod licet, expedit. Quæ autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit. *Tom.6. de adulter. coniug. lib.1. cap.15.*

Non ſolum autem mœchandum non eſt, quod facit non quidam, ſed omnis qui dimittit vxorem ſuam, & ducit alteram, & ſi propterea duxerit, vt faciat Chriſtianam: ſed etiam quiſquis non alligatus vxori continentiam Deo vouerit *f*, nullo modo debet iſta compenſatione peccare, vt ideo credat vxorem ſibi eſſe ducendã,

*f Nuptiæ, quæ ante votum caſtitatis licebant, poſt votum iam non licent.*

quia promiſit, quæ nuptias eius appetit, futuram ſe eſſe Christianam. Quod enim cuique antequam vouiſſet licebat, cùm id ſe nunquam facturum vouerit, non licebit: ſi tamen id vouerit, quod vouendum fuit, ſicut eſt perpetua virginitas *b* vel continentia poſt experta connubia ſolutis à vinculo coniugali, vel ex conſenſu viuentibus *c*, & carnalia debita ſibi inuicem relaxantibus, fidelibus caſtiſque coniugibus: quod alterum ſine altera, vel alteram ſine altero vouere fas non eſt. Hæc ergo & ſi qua alia ſunt, quæ rectiſſimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda ſunt, quæ ſine vlla conditione vouerunt *d*. Quia & hoc Dominum præcepiſſe intelligendum eſt, vbi legitur: * Vouete & reddite Domino Deo veſtro *e*. Vnde Apoſtolus de quibuſdam, quæ continentiam vouent, & poſtea nubere volunt, quod eis antequam vouiſſent, vtique licebat: Habentes, inquit, * damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Nihil ergo expedit, quod illicitum eſt, & nihil quod prohibet Dominus, licitum eſt. *Ibidem, cap. 24. Vide in eandem ſententiam, Tom. 2. epiſt. 70. ad Bonifacium comitem.*

*b Inter ea quæ rectè vouentur, perpetua virginitas vel cōtinētia numeratur.*

*c Vouere poſſunt perpetuā cōtinentiam, & qui ſoluti ſunt coniugali vinculo, & cōiuges ipſi, mutuo tamen conſenſu.*

*d Quæ ſine cōditione vouimus, nullo prætextu rūpenda.*

** Pſalm. 75.*

*e Præceptum Domini eſt, præſtare quod voueris.*

** 1. Tim. 5.*

*Si rectè interpretatur Auguſtinus locum hunc Apoſtoli de viduis:* Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt &c. *manifeſtum eſt: Omnes poſt votum caſtitatis nubentes, aut nubere volentes, Apoſtolica ſententia, damnari. Quid ad hæc Apoſtatæ, qui poſt votum caſtitatis, ſine vlla conſcientiæ religione vxores duxerunt?*

Qui baptizatus fuerit aut continentiam Deo voueat, aut permaneat cum vxore ſua, aut ſi non habet, ducat vxorem. *Tom. 10. lib. 50. homiliarum, hom. 49.*

Nam & ipſi Romani antiqui in ſtupro detectas Veſtales ſacerdotes, viuas etiam defodiebant adulteras autem fœminas quanuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: vſque adeò grauius quæ putabant adyta * diuina, quàm humana cubilia, vindicabant. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 3. cap. 5.*

* *aliàs* vſque adeò grauius ſeueriúſque vindicāda putabant adyta &c.

*Non vult*



*Non vult Auguſtinus communicare Paulo Epiſcopo, quod à voto paupertatis ad diuitias delapſus eſſet. Tom. II. Epiſt. XIIII. in additione Pariſienſi.*

### *V. Caſtitatem Deo vouere, conſilij atque ſupererogationis eſſe opus.*

PRæcepto quiſquis non obtemperat, reus eſt debitor pœnæ. Proinde quia vxorem ducere vel nubere peccatum nō eſt, ſi autem peccatum eſſet, præcepto vetaretur, propterea præceptum Domini de virginibus nullum eſt. Sed quoniam deuitatis remiſsiſue peccatis, adeunda eſt vita æterna, in qua eſt quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda, cui conſequēdæ parum eſt liberatum eſſe à peccatis, niſi aliquid ipſi liberatori voueatur, quod non ſit criminis non vouiſſe, ſed vouiſſe ac reddidiſſe ſit laudis. Conſilium, inquit *, do, tanquam miſericordiam cōſecutus à Deo vt fidelis eſſem. Neque enim inuidere debeo fidele conſilium, qui nō meis meritis, ſed Dei miſericordia ſum fidelis. *Tom. 6. de ſancta virginitate, cap. 14. Vide & Tom. 7. hypog. lib. 3. circa medium.*

Aliud eſt conſilium, aliud præceptum. Conſilium datur, vt virginitas * conſeruetur, vt à vino * & à carnibus abſtineatur, vt vendantur * omnia & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur vt iuſtitia cuſtodiatur, vt omnis homo * diuertat à malo & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, * qui poteſt capere capiat. De iuſtitia verò non dicitur, qui poteſt facere faciat, ſed omnis arbor * quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Conſilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, pœnam euadere non poterit. *Tom. 10. de temp. ſerm. 61.*

Vos etiam qui hoc nondum vouiſtis, qui poteſtis capere * capite, perſeueranter currite * vt comprehendatis. Tollite * hoſtias quiſque ſuas, introite in atria Domini, non ex neceſſitate, ſed poteſtatem habentes veſtræ voluntatis. Neque enim, ſicut non * mœchaberis, non occides: ita dici poteſt, non nubes. Illa exiguntur,

*Expēdāt hæc, qui opera ſupererogationis & eorum ſingulare pmiū derident.*

** 1. Cor. 7.*

*Fidele cōſiliū Apoſtoli, cœlibatū vel cōtinētiam pꝑter Deū ſeruare.*

** 1. Cor. 7.*

** Rom. 14.*

** Luc. 14.*

*Inter præceptū & cōſiliū manifeſtū diſcrimen.*

** Pſal. 33.*

*1. Pet. 3.*

** Matth. 19.*

** Matth. 3.*

*Conſiliū qui libēter audierit & fecerit maiorem habebit gloriā.*

** Matth. 19.*

** 1. Cor. 9.*

** Pſalm. 95.*

*1. Cor. 7.*

** Exod. 20.*

iſta offeruntur. Si fiunt iſta laudantur, niſi fiat illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis, in his autem ſi quid amplius ſupererogaueritis,* in redeundo reddet vobis. Cogitate quicquid illud eſt, in muro* eius locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum. Cogitate illis nomen æternum. Quis explicat quale nomen erit? Quicquid tamen erit, æternum erit. Hoc credendo & ſperando & amando, potuiſtis coniugia non deuitare prohibita, ſed tranſuolare conceſſa. *Tom. 6. de ſancta Virginitate, cap. 30.*

* *Luc. 10.*

* *Eſai. 56.*

*His, qui præter id quod debēt, amplius aliquid ſupererogauerint, Dominus viciſsim aliquid amplius reddet.*

Quapropter hoc primum oportet vt noueris, bono quod elegiſti non damnari ſecundas nuptias, ſed inferius honorari: nam ſicut bonum ſanctæ virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat vnas nuptias tuas, ſic nec viduitas tua cuiuſquam ſecundas. Hinc enim maximè Cataphrygarum ac Nouatianorum hæreſes tumuerunt, *a* quas buccis ſonantibus, non ſapientibus, etiam Tertullianus inflauit, dum ſecundas nuptias tanquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apoſtolus ſobria mente concedit. Ab hac ſanitate doctrinæ, nullius indocti, nullius docti diſputatione mouearis: nec ita extollas bonum tuum, vt quod malum non eſt, tãquam malum crimineris alienum: ſed tantò magis gaude tuo bono, quanto magis vides, non tantùm illo deuitari mala, ſed quædam etiam bona ſuperari *b*. Mala ſunt enim adulterium vel fornicatio. Ab his autem illicitis valde longè eſt, quæ voti libertate ſe obſtrinxit, & ſibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, ſed conſilio caritatis effecit *c*. Et bonum eſt pudicitia coniugalis, ſed melius bonum eſt continentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni ſubmiſſione honoratur: non illud bonum melioris huius laude damnatur. Quod autem Apoſtolus * cùm cœlibum & innuptarum commendaret fructum, quia cogitant quæ ſunt Dei, quomodo placeant Deo, ſubiecit & ait. Hoc autem ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam: id eſt, vt non vos cogam, ſed ad id quod honeſtum eſt hortor *d*. *Tom. 4. de bono viduitatis, cap. 4. & 5.*

*a Hæretici, damnātes ſecundas nuptias.*

*b Voto caſtitatis nō tantùm mala deuitātur, ſed & bona quædam ſuperātur.*

*c Licita, per votū redduntur illicita.*

* *1. Cor. 7.*

*d Laqueum ergo iniiciunt (Apoſtoli ſententia) qui ad vouendam caſtitatem cogunt: non qui factum iam votum reddendum eſſe docent. Noui tamen hæretici hæc abſque iudicio confundunt.*





Non enim grande onus impoſitum eſt virginibus, maior amor impoſuit maius onus. Virgines quod licebat noluerunt, vt placerent ei cui ſe deuouerunt *a*. Ambierunt illam maiorem pulchritudinem cordis ſui.* Quid iubes? Tanquam dicerent, Quid iubes? Ne adulteræ ſimus hoc præcipis? Amãdo te plus facimus, quàm iubes *b*. De virginibus, ait Apoſtolus*, *præceptum Domini non habeo*. Ergo quare hoc faciunt? *Conſilium autem do.* Illæ autem amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt quæ terrenos amplexus non deſiderauerunt, vſqueadeo acceptauerũt præceptum, vt non recuſarent conſilium: vt plus placerent, plus ſe ornauerunt *c*. *Tom. 10. de verb. Apoſt. ſerm. 18.*

*a Plus placet Deo, qui propter ipſum nuptias neglīgūt, quã alioqui licuiſſet.*

* *1 Cor. 7.*

*b Poteſt igitur homo, deo adiuuante, plus facere q̃ iubetur.*

*c Sequentes Chriſti cõſiliū, magis ornati, & magis Deo placēt, quàm p̃cepta tantum exequentes.*

## VI. *Caſtitatis Deo per votum conſecratæ ſingularem eſſe prærogatiuam.*

ILli qui virginitatem Deo vouent, quãquam ampliorem gradũ honoris & ſanctitatis in Eccleſia teneãt, non tamen ſine nuptiis ſunt: nam & ipſi pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptiis ſpõſus eſt Chriſtus. *Tom. 9. in Euang. Ioannis tract. 9.*

*Deo dicata virginitas p̃dicanda.*

Nec nos hoc in virginibus prædicamus quòd virgines ſunt, ſed quòd Deo dicatæ pia continentia virgines. *Tom. 6. de ſanct. virgini. cap. 11.*

Qua in re prius illud moneo, vt quantamcunque tibi ineſſe ſentis piæ continentiæ dilectionem, beneficio Dei tribuas *a*: eique gratias agas, qui de ſpiritu ſuo tibi tantum largitus eſt, vt eius in corde tuo caritate diffuſa, licitæ rei licentiam tibi amor melioris boni auferret *b*. Donauit enim ne liberet nubere cùm liceret, vt iam non liceret, etiam ſi liberet: & ex hoc firmius non liberet, ne fieret quod non liceret, quod factum non eſt etiã cùm liceret: tantáque merereris vt te exiſtente vidua Chriſti, filiam quoque videres virginem Chriſti: dũ enim tu oras ſicut Anna, facta eſt illa quod Maria. Hæc dona Dei eſſe quantò magis noſti, tantò magis es

*a Piæ cõtinētiæ dilectio, Dei beneficio tribuenda.*

*b Ergo impulſu ſpiritus ſancti fit caſtitatis votū, & per huiuſmodi votū licito rei vſu, vel potius facultate vtēdi, amore maioris boni, priuamur.*

eiſdem donis beata: imò aliter non es beata, niſi quod habes, noris à quo habeas. *Tom 4 de bono viduit. cap. 16.*

Continentes, vel mares qui defunctis vxoribus: vel fœminæ, quæ defunctis viris: vel vtrique, qui pari conſenſu continentiam Deo vouerunt, ſciant ſibi quidem mercedis amplius deberi, quàm cõiugalis caſtitatis poſcit. *Tom. 6 de bono coniugali, cap. 25.*

*Eunuchorũ, qui ſe propter regnum Dei caſtrauerunt, maiora merita quã coniugum.*

*Iſai. 56.*

Vt concedamus in domo Dei prædictos futuros Eunuchos ſecundùm carnem, qui in populo Iſraël nõ fuerunt: quia & ipſos videmus cùm Iudæi non fiãt, tamen fieri Chriſtianos: nec de illis dixiſſe Prophetam, qui propoſito continentiæ coniugia non quærentes, ſeipſos caſtrant propter regnum cœlorum: itá ne tanta dementia quiſquam eſt contrarius veritati, vt in carne factos eunuchos meliorem quàm coniugatos locum in domo Dei habere credat: & pio propoſito continẽtes, corpus vſque ad contemptas nuptias caſtigantes, ſeipſos non in corpore, ſed in ipſa concupiſcentiæ radice caſtrãtes, cœleſtem & angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, coniugatorum meritis pares eſſe contendat, & Chriſto laudanti eos,* qui ſeipſos caſtrauerunt, nõ propter hoc ſeculum, ſed propter regnum cœlorum Chriſtianus contradicat, affirmans hoc præſenti vitæ eſſe vtile, non futuræ? *Tom. 6. de ſancta Virginitate, cap. 24.*

* *Math. 19.*

*Coniugati cõtinẽtibus inferiores, opere & mercede, voto & premio.*

Cum perpetuæ continentiæ profeſſores ſe coniugatis comparantes, ſecundùm ſcripturas compererint eos infrà eſſe, & opere & mercede, & voto & præmio: ſtatim veniat in mentem quod ſcriptum eſt:* Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. *Ibidem, cap. 31.*

* *Eccli. 3.*

Gaudeat puella (*loquitur de Demetriade virgine*) nobilis genere, nobilior ſanctitate, quòd ſit per diuinum cõſortium, præcipuam in cœlis conſequutura ſublimitatem, quàm ſi eſſet per humanum connubium prolem propagatura ſublimen. Generoſius quippe elegit Aniciana poſteritas tam illuſtrem familiam beare, nuptias neſciendo, quàm multiplicare pariendo, & in carne iam imitari vitam angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc eſt vberior fœcundiórque



*Vberior felicitas nõ viſceribus terrã, ſed orationib. cœlũ parturire.*

fœlicitas, non ventre graueſcere, ſed mente grandeſcere: non lacteſcere pectore, ſed corde candeſcere: non viſceribus terram, ſed cœlum orationibus parturire. Dominarum honore digniſſimæ filiæ, perfruamini in illa quod defuit vobis perſeueret vſque in finem, adhærens coniugio quod non habet finem. Imitentur eam multæ famulæ dominam, ignobiles nobilem, fragiliter excelſæ excelſius humilem, virgines quæ ſibi optant Aniciorum claritatem, eligant ſanctitatem. Illud enim quantalibet cupiditate quando aſſequentur? Hoc autem ſi plenè cupierint, mox habebunt. *Et in calce epiſtolæ.* Velationis apophoretum gratiſſimè accepimus. *Tom. 2. Epiſt. 179. ad Probam & Iulianam.*

*Velatio ſacrarũ virginũ.*

## *VII. Votum virginitatis à Deipara virgine factum eſſe.*

IPſa quoque virginitas eius (*Mariæ*) ideo gratior & acceptior, quia non eam cõceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſeruaret ipſe, præripuit, ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annunciãti angelo Maria reddidit. *Quo modo,* inquit, * *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quod profectò non diceret, niſi Deo virginem ſe antè vouiſſet. Sed quia hoc Iſraëlitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa iam vouerat. Quanquam etiã ſi hoc ſolum dixiſſet, Quo modo fiet iſtud? nec addidiſſet, quoniam virum nõ cognoſco: non quæſiſſet vtique, promiſſum ſibi filium, quomodo fœmina paritura eſſet, ſi concubitu nupſiſſet. Poterat & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius formam ſerui congruenti miraculo acciperet: ſed exemplo ſanctis futura virginibus, ne putaretur ſola virgo eſſe debuiſſe, quæ prolem etiam ſine concubitu concipere meruiſſet, virginitatem Deo dicauit, cùm adhuc quid eſſet conceptura neſciret, vt in terreno mortalique corpore, cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non neceſſitate ſeruiendi: ita Chriſtus naſcendo de virgine, quæ antequam ſciret, quis de illa fuerat na-

* *Luc. 1.*

*B. Mariam votũ virginitatis feciſſe, antequam Chriſtũ cõciperet, ex ſacris literis Auguſtinus colligit.*

*Quare Deus nõ imperauerit B. Mariæ virginitatẽ: ſed ab ipſa ſpõte voueri maluerit.*

Mmm iij

ſciturus, virgo ſtatuerat permanere, virginitatem ſanctam approbare maluit, quàm imperare. *Tom.6. de ſancta virginitate, cap.4.*

## *VIII. Cœlibatus & caſtitatis ſeruandæ atque vouendæ, Auguſtinũ ſedulum eſſe ſuaſorem.*

** Pſal.75.*

PRæſumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vouetis & redditis * Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ, nõ propter præſens ſeculum, ſed propter regnum cœlorum. *Tom.6. de virginitate, cap.29.*

** Pſalm.75. Voueri poteſt quicquid licitũ eſſe ſcimus & ad vitæ melioris profectũ ptinere.*

*Vouete & * reddite Domino Deo veſtro*: Quod ſcit eſſe licitum, & ad profectum vitæ melioris, pertinere cognoſcit, & libenter voueat, & celeriter reddat, & in hoc quod votum reddit, meliore ſemper conatu proficiat. Omni enim voventi Deo & reddenti quod vouit, ipſe quoque Deus reddet cœleſtis regni præmia quæ promiſit. *Tom.3. de fide ad Petrum, cap.3.*

** 1.Theſ.2.*

*Auguſtini verbis acceſa Demetrias virginitatem Deo vouit.*

Licet enim vos per literas primùm, deinde etiam præſentia corporali pia & Catholica, hoc eſt, vera membra Chriſti exiguitas noſtra cognouerit: tamen etiam per miniſterium noſtrum, cùm accepiſſetis verbum auditus Dei, ſicut dicit Apoſtolus, * accepiſtis non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei. Cuius miniſterij noſtri adiuuante gratia & miſericordia Saluatoris, in domo veſtra tantus fructus exortus eſt, vt humanis nuptiis iam paratis, ſancta Demetrias ſpiritalem ſponſi illius præferret amplexum, cui ſpecioſo præ filiis hominum ad habendam ſpiritus vberiorem fœcunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem, virgines nubunt. *Tom.2. Epiſt.143. ad Iulianam.*

** Ruth.4.*
** Luc.2.*

Hac itaque (*nempe Ruth*)* bis coniugata, ideò Anna *vno viro viduata beatior fuit, quia & propheriſſa Chriſti eſſe meruit. Quam credẽdum eſt etiam ſi filios nullos habuit, quod quidem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo ſpiritu præuidiſſe Chriſtum ex virgine proximè eſſe venturum, quo potuit agnoſcere & paruulum. Vnde meritò etiam ſine filiis, ſi tamen eos non habuit, ſecundas nuptias recuſauit: quia nouerat iam tempus eſſe quo Chriſto non officio pariendi, ſed ſtudio continendi, nec coniugalibus fœtandis viſceribus,

*Hoc tẽpore, melius continendi ſtudio, quàm pariẽdi officio Chriſto ſeruitur.*



ſed caſtificandis vidualibus moribus, melius ſeruiretur. *Tom.4. de bono viduit. cap 7.*

** 1.Cor.7. Secundùm doctrinam Chriſtianã, nuptiæ non damnandæ, ſed cõtemnẽdæ ſunt, niſi incõtinentia ĩpedimẽto ſit.*

Nam diligenter interrogata doctrina Chriſtiana, & primas nuptias iam iſto tempore, niſi incontinentia ſit impedimento, contemnendas eſſe reſpondet. Qui enim dixit, * Si ſe non continent, nubant: potuit dicere: Si filios non habent, nubant. Sed poſt reſurrectionem prædicationémque Chriſti, quando iam ex omnibus gentibus filiorum ſpiritaliter gignendorum tanta ſuppetit copia, tale officium ceſſet ex carne filios propagare, quale primis temporibus fuit. *Ibidem, cap.8.*

*Quare viduã hanc exhortaretur Auguſtinus ad caſtitatẽ vouendam, niſi illud melius eſſe crederet?*

Si ergo nondum Deo vouiſſes continentiam vidualem, exhortaremur profectò vt voueres. Quia verò iam vouiſti, exhortamur vt perſeueres. *Ibidem, cap.19.*

*Epiſtola 45. ad Armentarium eiúſque vxorem, valde prolixa, tota exhortatoria eſt ad præſtandum caſtitatis votum.*

## *IX. Voto caſtitatis obſtrictos, ſi nubant, damnationem mereri, etiam Apoſtoli ſententia.*

** 1.Tim.5. Ex Apoſtoli verbis colligit Auguſtinus: poſt votũ caſtitatis nubẽtes aut nupturientes dãnationem habere.*

QVia perpetua continentia, maximéque virginitas, magnum bonum eſt in ſanctis Dei, vigilantiſſimè cauendum eſt, ne ſuperbia corrumpatur. Curioſas & verboſas malas innuptas Paulus Apoſtolus notat, * & hoc vitium dicit venire ex ocio. Simul autẽ, inquit, & ocioſæ diſcunt circumire domos, non ſolùm autem ocioſæ, verùm etiam curioſæ & verboſæ, loquentes quæ non oportet. De his ſuperius dixerat: Iuniores autem viduas euita. Cùm enim in deliciis egerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id eſt, in eo quod primò vouerant non ſteterunt. *Tom 6. de ſancta virgin. cap.23.*

** Act.5. Exemplo Ananiæ & Sapphyræ docet Auguſtinus, nõ ſeruantes*

Si Deo diſplicuit detrahere de pecunia quam vouerant (*Ananias & Sapphyra*)* Deo, & vtique illa pecunia vſibus hominum fuerat neceſſaria: quomodo iraſcitur Deus quando vouetur caſtitas, & non exhibetur? Vouetur enim ad vſus Dei, & non ad vſus hominum. Quid eſt quod dixi ad vſus Dei? quia de ſanctis Deus facit ſibi domum, facit ſibi tẽplum in quo habitare dignetur:

& vtique ſanctum vult manere templum ſuum. Poteſt ergo virgini ſanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: Virginitas tua nunquid non manens tibi manebat, & antequam eam voueres in tua fuerat poteſtate? Quæcunque autem hoc fecerint, vouerint talia & non reddiderint, non ſe putent tẽporalibus mortibus corripi, ſed æterno igne damnari: *In additione Louanienſi, ſerm.12.*

Quicunque continentiam vouiſtis, reddite quod vouiſtis: quia non exigeretur ſi non vouiſſetis. Quod potuit licere, non licet: non quia nuptiæ damnantur, ſed quia qui retroſpicit damnatur. *Ibidem, ſerm.13.*

Neſcio quæ ſanctimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo quælibet. Quid voluit? Quod & mater ipſius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia iam vouerat Domino Deo ſuo *a*. Quid enim dixit de talibus Apoſtolus Paulus, * cùm dicat viduas adoleſcentulas nubere, ſi velint? Sed tamen ait quodam loco: * *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium.* Oſtendit beatiorem ſi ſic permanſerit, non tamen damnandam, ſi nubere voluerit *b*. Quid autem ait de quibuſdam, quæ vouerunt & non reddiderunt? *Habentes*, inquit, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quid eſt, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt. *Tom.8. in Pſal.75.*

Vnuſquiſque autem fratres chariſſimi, de loco itineris ſui, ad quem proficiendo peruenit, & quem vouit Deo, inde reſpicit retro, cùm ipſum dimiſerit: verbi gratia, ſtatuit caſtitatem coniugalem ſeruare: inde enim incipit iuſtitia, receſſit à fornicationibus & ab illa illicita immunditia: quando ſe ad fornicationes conuerterit, retro reſpexit. Alius ex munere Dei maius aliquid vouit, ſtatuit nec nuptias pati, qui non damnaretur, ſi duxiſſet vxorem: poſt votum quod Deo promiſit, ſi duxerit, damnabitur *a*, cùm hoc faciat quod ille, qui non promiſerat: tamen ille non damnatur, iſte damnatur. Quare niſi quia iſte reſpexit retro? *b* Iã enim ille ante erat, iſte autẽ illuc nondũ peruenerat. Sic virgo, quæ ſi nuberet, non peccaret; ſanctimonialis ſi nu-

*votum caſtitatis meritò damnari.*

*a Poſt votũ caſtitatis malum eſt appetere nuptias.*

* *1.Tim.5.*

* *1.Cor.7.*

*b Habes hinc lector, quaſdã fuiſſe viduas abſque voto caſtitatis, quibus Apoſtolus nuptias nõ prohibeat, quaſdam verò obſtrictas voto, quas ſi nubere velint habere dicit dãnationem.*

* *1.Tim.5.*

*a Ducens vxorem poſt caſtitatis votum damnatur, qui non damnaretur, ſi ante votũ duxiſſet.*

*b In eo, qui poſt votũ vxorem duxit, non nuptiæ, ſed fidei violatio & caſus è loco ſuperiori damnatur.*



pſerit, Chriſti adultera * reputabitur. *c* Reſpexit enim retro de loco quò acceſſerat. *Tom.8. Pſalm.83.*

Sicut bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruantia & præceptione cuſtodiendum eſt: vt ſi quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate à viro relictæ, ſe deuouerunt Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ, religioſo habitu apparuerint, poſtea verò ad nuptias ſeculares, tranſierunt, ſecundùm Apoſtolũ * damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ, ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis communicent. Nam ſi adulteræ coniuges reatu ſuo ſunt viris obnoxiæ, quantò magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem, quam Deo ſpontè, non coactè obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas * nuptias tranſitum fecerunt? Quæ etſi violentia irruente ab aliquo præreptæ fuerint, ac poſtea delectatione carnis atque libidinis permanere in coniugio, raptori vel violento viro conſenſerint, damnationi ſuperius comprehenſæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apoſtolus: * Cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis Eccleſiæ ſubſcripſi, Donatius Talabricenſis primæ ſedis ſubſcripſi, Auguſtinus Hipponæ Regienſis ſubſcripſi &c. *Tom.1. Conciliorum, Concil. Carthaginenſ.4. cap.104.*

Habetis vobiſcum anũ ſanctam * & in domo & in Chriſto, quam de perſeuerantia conſulatis: quo modo cum illa contra bella tentatoris pugnãdum ſit, quid agendum vt facilè ſuperetur, quod munimentum ſumendum, ne facilè rurſus inſidietur: & ſi quid huiuſmodi eſt, docet vos diuturnitate iam certa, amore beneuola, pietate ſollicita, ætate ſecura. Præcipuè tu conſule in talibus, eam quæ experta eſt: Nam proles veſtra illud canticum cantat, quod in Apocalypſi * niſi virgines cantare non poſſunt: pro ambabus tamen vobis ſolicitius orat quàm pro ſe ipſa: ſed magis pro ne-

* *1.Cor.7.*

*c Sanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputanda.*

*27.q.1.cap. Sicut.*

*Niſi errauerit totum hoc Conciliũ, cui Auguſtinus cum Epiſcopis 213. interfuiſſe legitur damnandi ſunt, idque Apoſtoli Pauli ſententia, quicunque poſt votum caſtitatis nubunt, vel nubere volunt.*

* *1.Tim.5.*

*Habes hîc Lector votũ, & profeſſionem caſtitatis in viduis quibuſdam, & veſtium mutationem.*

* *aliâs* ſecũdas.

* *1.Tim.5*

* *aliâs* Annam.

* *Apoc.14.*

*Eſt cãticum*

pte ſolicita eſt, cui vincendarum tentationum ſpacium plus reſtat annorum: te autem videt æuo ſuo viciniorem, & eius filiæ matrem, quam ſi nuptam, quod iam non licet atque abſit, vidiſſes, puto quod parere cum illa erubuiſſes. *Tom. 4. de bono vidui. cap. 19.*

*ſingulare, quod niſi virgines, nõ cantant.*
*Non licet, atque abſit, vt virgo Deo ſacra nubat.*

## *X. Ab Apoſtolo non fuiſſe datam nubendi facultatem, 1. Tim. 5. viduis illis, quæ iam caſtitatem Deo vouiſſent.*

ET quod alibi dicit:* *Volo igitur iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe*: nuptiarum bonum Apoſtolica ſobrietate, & auctoritate cõmendat, non procreandi officium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obſequelam legis imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cùm adiungit & dicit, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia. Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro poſt Satanam: vt his verbis eius intelligamus, eas quas nubere voluit, melius poſſe cõtinere q̃ nubere, ſed melius nubere quàm retro poſt Satanam ire: id eſt, ab illo excellenti virginalis vel vidualis caſtitatis propoſito in poſteriora reſpiciendo cadere & interire. Proinde quæ ſe nõ continent, nubant antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voueant, quod niſi reddant, iure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit, *Cùm enim in delitiis egerint in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: id eſt, voluntatem ad nuptias à propoſito cõtinentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, qua prius vouerant, ꝙ perſeuerantia implere noluerũt. *Tom. 4. de bono viduitatis, cap. 8.*

** 1. Tim. 5.*
*1. Cor. 7.*
*Qui propoſitum virginitatis vel caſtitatis retro reſpiciẽdo deſerit: cadit et interit.*
** 1. Tim. 5.*
*Et hinc habes, damnari viduas, Apoſtoli ſentẽtia, propter caſtitatis votũ violatum.*

Sed quoniam ſicut ait Dominus, **Non omnes capiunt verbum hoc*, quæ poteſt ergo capere capiat: quæ ſe non * continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet: quæ aggreſſa eſt, perſeueret: nulla aduerſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio. In coniugali quippe vinculo ſi pudicitia conſeruatur, damnatio non timetur. Sed in viduali & virginali continentia, ex-

** Matt. 19.*
** 1. Cor. 7.*
*Ergo poſt votum caſtitatis, de nuptiis non de-*



cellentia muneris amplioris expetitur. Qua expetita & electa, & voti debito oblata, iam non ſolùm non capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur nubere velle dãnabile eſt. Nam vt hoc demonſtraret Apoſtolus, non ait, cùm in delitiis egerint, in Chriſto nubunt: ſed nubere volunt: habentes, inquit, damnationem, quoniam fidem irritam fecerunt: etſi non nubendo, ſed tamen volendo: non quia ipſæ nuptiæ vel talium damnandæ iudicentur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnantur non ſuſceptio à bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore. Poſtremò damnantur tales, non quia coniugalem fidem poſterius inierunt, ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerũt. Quod vt breuiter inſinuaret Apoſtolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ poſt amplioris ſanctitatis propoſitum nubunt: non quia non damnentur, ſed ne in eis ipſæ nuptiæ damnari putarentur. Sed cùm dixiſſet, nubere volunt: continuò addidit, habentes damnationem. Et dixit quare, quoniam primam fidem irritam fecerunt: vt voluntatem quæ à propoſito cecidit appareat eſſe damnatam, ſiue ſubſequãtur nuptiæ, ſiue deſint. *Ibidem, cap. 9.*

*liberandum & nuptiis eius qui caſtitatem vouit Chriſto ſubtrahitur oblatio.*
** 1. Tim. 5.*
*Quo modo intelligatur illud Apoſtoli: Habentes damnationẽ, quia primam fidẽ, irritam fecerunt.*
*In viduis nubere volentibus, non nuptiæ damnantur, ſed fracta voti fides & ruina ex ſuperiori bono.*

*Etſi ex aliis locis ſacrorum librorum, & ex Theologorum conſenſu, tria hæc explorata ſunt: Vota non hominibus, ſed Deo fieri: Qui vouit diuino et naturali iure teneri ad votum ſuum perſoluendum: Caſtitatem perpetuam, Deo adiuuante, ſeruari poſſe, ac inter ea numerari, quæ rectè vouentur: ad quæ tria manifeſtè conſequitur, damnari omnes, qui à voto caſtitatis ad nuptias redeũt: tamẽ in verbis Apoſtoli propoſitis ex prioris epiſtolæ ad Timo. cap. 5. nullus apoſtatis, monachis & hæreticis, qui nuptias illorum defendunt, tergiuerſandi locus relictus eſt. Auguſtinus enim quàm ſæpe et quàm conſtanter affirmet: viduas illas damnationem, Apoſtoli ſententia, mereri, quòd votum caſtitatis nupturiendo violarunt, euidentem recitata teſtimonia, & alia plura, fidem faciunt. Nec Auguſtini tantùm et Patrum 215. qui Concilio Carthaginenſi quarto, ſimul cum ipſo interfuerunt, hæc fuit ſententia, ſed & aliorum 70. qui Toletano quarto ſubſcripſerunt, ca. 55 ſed et Hieron. li. 1. aduerſus Iouinianũ & in*

*Quid Apoſtolus in proximis verbis per primã fidem, & quid per ſecundã intelligit.*

*Ezech.cap.44.Gelaſij Papæ, Decret.23. Ambroſij, Primaſij, Anſelmi, Bedæ, Sedulij & Haymonis in Commentariis in 1. Tim. cap.5. Ex Græcis verò Athanaſii, lib. de virginit. Baſilii, lib. de virginit. cap.55. Epiphanii, hær.48. Ioannis Chryſoſt. Theophylacti, Oecumenii, & Theodoreti in Commentariis in eundem Apoſtoli locum: denique omnium orthodoxorum Patrum, qui eadem Apoſtoli verba, occaſione quapiam, interpretati ſunt. Reliquum tamen fuit vnum perfugium aduerſariis, ſi abiecta omnium, quos diximus, auctoritate, nouam omnino expoſitionem loci Paulini excogitarent. Non, inquiunt, per primam fidem, votum ſeruandæ caſtitatis Apoſtolus intelligit: ſed fidem in Baptiſmo datam ducendi piam & honeſtam vitam, quam quia viduæ quædam laſciuiendo & ſcortando irritam fecerant, ideo damnationem habere dictæ ſunt. Sed negare hi non poſſunt, viduas illas damnationem meritas eſſe, Apoſtoli ſentẽtia, primam fidem irritam faciendo: Fidem autem primam iritam feciſſe, non tantùm laſciuiendo vel ſcortando (quanuis ſcortationis nulla fit ab Apoſtolo mentio) ſed nubere volendo. Quare niſi vel omnes nuptias aduerſarii, cum Manichæis, vel ſecundas & tertias, cum Cataphrygibus malas eſſe doceant, non videmus, quomodo à viduis iſtis, quæ nullum votum aut ſponſionem fecerant (vt ipſi aiunt) ſeruandæ caſtitatis, propter deſiderium & voluntatem nubendi fides in Baptiſmo data violata ſit. Si enim nuptiis non fit irrita fides in Baptiſmo data, quare fiet irrita voluntate nuptiarum? Addunt: Primam fidem dici ratione ſecundæ, quare ſponſionem potius in Baptiſmo quàm in voto caſtitatis factam ſignificare: ſed & nos duplicem hîc fidem cum Auguſtino diſtinguimus, alteram in vouenda caſtitate Deo datam, alteram in nubendo aut nubere volendo marito, vel re vel voluntate datam, & per hanc poſteriorem, illam priorem (nam illud πρώτlω pro comparatiuo frequenter accipi manifeſtum eſt) irritam fieri dicimus. Atqui Hieronymus, inquiunt, præfatione in epiſtolam ad Titum, & Athanaſius lib.6. de Trinit. & Vincentius Lyrinenſis in libello contra profanas hæreſeon nouitates, per primam fidem eam intelligunt, quæ in Baptiſmo data eſt. Sed illi nõ hunc Apoſtoli locum ibi interpretantur, nec eius meminerunt, quanuis nomine primæ fidei alio fine vtantur: Vbi ve-*



*rò duo illi nacti fuerunt occaſionem hunc locum exponendi, disertè docuerunt (locis paulò antè indicatis) per primã fidem votum vel promiſsionem caſtitatis intelligi debere. Sed demus, ab his Patribus in his Apoſtoli verbis, fidem in Baptiſmo datam intelligi, rectè profectò ipſorum ſententia cum veritate, & cum communi aliorum Patrum interpretatione conſtat: Nam ideò fides in Baptiſmo data à viduis fuiſſet violata, quia votum caſtitatis volendo nubere violaſſent: vt enim aliis peccatis lethalibus, ſic & violatione voti fides in Baptiſmo data irrita fieret. Vnde in Gloſſa interlineari (quam imprudenter ad ſuam ſententiam confirmandam aduerſarii adferunt) per primam fidem intelligitur vel votum caſtitatis, vel in voto violato Baptiſmi fides. Conſtat igitur inter omnes Catholicos Patres, Viduas has ideò damnari, quòd votum caſtitatis nubere volendo violaſſent. Sed aduerſariis, qui huiuſmodi vota caſtitatis nulla tunc temporis fuiſſe dicunt (tanquam ij, quibus res hæ viduarum magis exploratæ ſint, quàm antiquis Conciliis & patribus) aut ſi fuiſſent, violari tamen abſque peccato potuiſſe docent ab his qui vrerentur, & caſtitatis dono carerent, nihil prorſus eſt commune cum Patribus, nec vlla relinquitur ratio qua doceant, quomodo viduæ hæ fidem in Baptiſmo datam volendo nubere irritam fecerint. Quòd ſi dicerent huiuſmodi viduas fidem præſtitiſſe Eccleſiæ, cuius ſumptibus alebantur, vt cœlibes miniſterio ſuo diligenter & fideliter fungerentur: nec id quidem cum ſuis ipſorum decretis conſtare poſſet. Nam ſi caſtitatis votum Deo nuncupatum, abſque peccato (vt ipſi docent) per nuptias irritum fit, ab his qui continentes eſſe nequeunt, multò magis eadem vrgente cauſa fides hominibus præſtita deſeri ſine peccato poſſet. Niſi ergo oſtendant aliquid aliud latuiſſe, quod effecerit, vt velle nubere peccatum eſſet, temerè laborant. Quare deſinant, vel ſibiipſi vel aliis Apoſtatis impunitatem dare, quos Apoſtolus & Deus condemnat: expoſitio enim quam adferunt, cùm nec vllius patris auctoritate, nec ratione confirmetur, cùm ſit Apoſtoli verbis & ipſa ſibi contraria, indigna eſt planè quæ à piis viris vel audiatur vel operosè confutetur.*

### *X I. Hæreticis in Catholicos retorquentibus illud Apoſtoli 1. Tim. 4. In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide &c. quomodo Auguſtinus reſponderit.*

** 1. Tim. 4.*

***Verba ſunt hæc Fauſti Manichæi.***

***Catholici antiſtites, certatim ad virginitatē profitendam virgines incitabant.***

VIdete quæſo videte, ne ſummæ dementiæ hoc ſit à Paulo dictum putare, * quòd dæmoniorū doctrina ſit abſtinentia omnis ciborum, & prohibentes nubere: quemadmodum nec illud, quod dicit etiam virgines dicare Chriſto, dæmoniorum eſſe doctrinas: quod vos perinde ſine conſideratione legentes, vt cætera, ad nos ſubinde reſpicitis: nec videtis hinc & virgines veſtras dæmoniorum doctrina captas notari, & vos eſſe antiſtites dæmoniorum, qui certatim ad hanc eas incitetis profeſſionem ſuaſionibus veſtris, vt penè iam maior in Eccleſiis omnibus virginum apud vos, quàm mulierum numeroſitas habeatur. Quid ergo? Num & vos iam deſiſtitis à talibus inceptis? Quid in fraudem miſeras inducitis filias hominum, ſi nō in eis Chriſti voluntas impletur, ſed dæmoniorum? Et tamen hoc nobis primò reſpondeatis velim, vtrum omnino virgines facere, doctrina ſit dæmoniorum, an ſolùm per prohibitionem facere nubendi? Si per prohibitionem, nihil ad nos: nam & ipſi tam ſtultum iudicamus inhibere volentem, quàm nefas & impium ſatis nolētem cogere. Si verò fauere huic quoque propoſito, & non reluctari volenti, id quoque doctrinam putatis eſſe dæmoniorum, taceo nunc veſtrum periculum, ipſi iam timeo Apoſtolo, ne dæmoniorum doctrinam intuliſſe tunc Icomo videatur, cùm Theclam oppigneratam iam thalamo, in amorē ſermone ſuo perpetuæ virginitatis incendit. Quid verò & de Magiſtro ipſo dicemus, ac ſanctimoniæ totius auctore Ieſu, & huius ipſius profeſſionis puellarum cœlibe* ſponſo, qui in Euangelio * tria genera taxans ſpadonum, vnū natiuum, alterum factitium, tertium voluntarium: eis tamen palmam attribuit, qui ſeipſos, inquit, ſpadones fecerunt propter regnum cœlorum: ſignificans

***Si vera ſunt hæc, quæ nec Auguſtinꝰ inficiatur, Thecla verbis Pauli ad perpetuā virginitatē colendā incenſa fuit illo, cui deſponſa fuerat, relicto.***

** aliâs* cœlite.

** Matth. 19.*

***Fatetur etiā Auguſtinus, præſtantiſſimos eunuchos eos eſſe, qui ſeipſi propter Dei regnū caſtrauerint.***



virgines & pueros, qui nubendi ipſa à cordibus ſuis exſecta cupiditate, ſpadonum vice in eius Eccleſia ſemper, tanquam in domo regia conuerſentur. Quid ergo? Et hæc vobis doctrina videtur eſſe dæmoniorum, & in ſeductorio ſpiritu dictum? Et quis erit alius in Deo loquens, ſi Paulus & Chriſtus dæmoniorum probantur fuiſſe Sacerdotes? *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 30. cap. 4.*

***Reſpondet Auguſtinꝰ Fauſto Manichæo & nouis hæreticis.***

Iterum ſi ad virginitatem ſic hortaremini, quemadmodū hortatur Apoſtolica doctrina: * Qui dat nuptū, benè facit: & qui non dat nuptum melius facit: vt bonum eſſe nuptias diceretis, ſed meliorem virginitatem: ſicut facit Eccleſia, quæ verè Chriſti eſt Eccleſia *a*, non vos Spiritus ſanctus ita prænunciaret, dicens, * prohibentes nubere. Ille enim prohibet, qui hoc malum eſſe dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit *b*. Denique vos eum præcipuè concubitum deteſtamini, qui ſolùm honeſtus & coniugalis eſt, & quem matrimoniales quoque tabulæ præ ſe gerunt, liberorum procreandorum cauſa, vnde viro non tam concumbere, quàm nubere prohibetis. Concumbitur enim etiam cauſa libidinum, nubitur autem non niſi filiorum. Nec ideò vos dicatis nō prohibere, quia multos veſtros auditores in hoc obedire nolentes vel non valentes, ſalua amicitia toleratis. Illud enim habetis in doctrina veſtri erroris, hoc in neceſſitate ſocietatis. *Et poſt pauca.* Videtis ergo multum intereſſe inter hortātes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo: & prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui ſolus propriè nuptialis eſt, vehemētius accuſando: multum intereſſe inter abſtinentes à cibis, propter ſacratam ſignificationem, vel propter corporis caſtigationē: & abſtinentes à cibis, quos Deus creauit, dicendo, quòd eos Deus non creauit. Proinde illa doctrina eſt Prophetarum & Apoſtolorum, hæc dæmoniorum mendaciloquorum *c. Ibidem, cap. 6.*

** 1. Cor. 7.*

** 1. Tim. 4.*

***a Manichæi dixerunt nuptias malas eſſe: Eccleſia bonas nuptias, ſed meliorē virginitatē eſſe docet.***

***b Non prohibet nubere, qui bono nuptiarum aliquid melius anteponit.***

***c Damnare concubitum nuptialem tanquam ex ſe malū, vel abſtinere à cibis, tanquā nō à Deo creatis, doctrina***

*eſt dæmoniorum mendaciloquorum: Nuptiis verò bonis meliorem dicere virginitatem, vel cibis abſtinere propter ſacram ſignificationem (vt factum eſt in veteri Teſtamento) vel propter corporis caſtigationem, doctrina eſt Prophetarum & Apoſtolorum.*

## *XII. Obiecta contra continentiam quomodo refellat Auguſtinus.*

SEd noui quoſdam, qui murmurent. Quid ſi, inquiũt, omnes velint ab omni concubitu abſtinere, vnde ſubſiſtet genus humanum? Vtinam omnes hoc vellent *a* duntaxat in charitate de corde puro,* & conſcientia bona, & fide non ficta: multò citius Dei ciuitas compleretur *b*, vt acceleraretur terminus ſeculi. Quid enim aliud hortari apparet Apoſtolum vbi ait, cùm inde loqueretur: * *Vellem omnes eſſe, ſicut meipſum &c.* Aut in illo loco: Hoc autem dico fratres, tempus breue eſt, reliquum eſt, vt & hi qui habent vxores, tanquam nõ habentes ſint, & qui flent, tanquã non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non ementes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi, volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Deinde ſubiungit: Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ ſunt Domini, quomodo placeat Domino. Qui autem in matrimonio coniunctus eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori. Et diuiſa eſt mulier nupta *, & virgo quæ innupta eſt, ſolicita eſt ea, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, ſolicita eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Vnde mihi videtur hoc tempore ſolos eos qui ſe non continent coniugari oportere *d*, ſecundùm illam eiuſdem Apoſtoli ſententiam, * Quòd ſi ſe non continent, nubant: Melius eſt enim nubere, quàm vri. *To.6. de bono coniugali, cap.10.*

Propterea humiles ſerui Chriſti, qui cupiunt Domino ſuo ſine impedimento, & abſque animi noxia occupatione ſeruire, coniugia omnino non appetunt, & à carnibus & vino abſtinent, in quantum corporis valetudo permittit: non quia peccatum eſt aut coniugem habere,

*a Exoptat Auguſtinus omnes cœlibẽ vitã, ex caritate tamẽ, agere.*
* *1.Tim.1.*
*b Si omnes ex charitate cœlibes eſſent, multò citius Dei ciuitas cõpleretur.*
* *1.Cor.7.*
*c Omnes ad cœlibatũ hortatur Apoſtolus.*
* *aliâs* vxori, & diuiſus eſt. Mulier innupta &c.
*d Viri ergo eſt, nõ continere, non autem motus vel ſtimulos ſimultis ſentire, quod tamen à nouis hæreticis cõfunditur.*
* *1.Cor.7.*



habere, aut vinum carnéſue percipere. Nam & beatus Apoſtolus dicit: * *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Coniugium quoque in primis * hominibus Deus inſtituit & benedixit. Propter quod Apoſtolus ait: * *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Ideóque ſerui Dei in eo, quòd à carnibus, & à vino abſtinent, nõ tanquam res immundas refugiunt *a*, ſed mundioris vitæ inſtituta ſectantur. Et in eo quòd coniugia non habent, non nuptiarum bonum, crimen eſſe exiſtimant, ſed continentiam iugem bonis nuptiis meliorem eſſe non dubitant, iſto quàm maximè tempore, quando dicitur de continentia: * *Qui poteſt capere capiat.* De nuptiis verò dicitur: * *Qui ſe non continet, nubat.* In vna enim ratione virtus exoritur, in altera infirmitas remedio ſubleuatur. Vnde quia ægritudini ſemper eſt conſulendum, propterea ſi cui primo contigerit priuari coniugio, ſi voluerit, ſecundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, ſi eas caſtè ſeruauerit: id eſt, ſi vnus & vna legitimè duntaxat coniuncti fidem ſeruent, vt nec ille mulieri præter vxorem, nec illa viro præter maritum vllatenus miſceatur. In talibus etſi fuerit aliquis coniugalis exceſſus, qui tamen legitimum non violat thorum, habebit nonnullum, ſed veniale peccatum. Sed hæc illorum ſunt, qui nullam vouerunt continentiam Deo. *b* Cæterùm quiſquis ſeipſum caſtrauerit propter regnum cœlorum, & in corde ſuo continentiam Deo vouerit, non ſolùm ſi mortifero fornicationis crimine maculetur, verùm etiam ſi aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, ſecundùm Apoſtoli * ſententiam damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit. Sicut ergo ſecundum Apoſtoli ſententiam, * dignum eſt vt vxori vir debitum reddat, ſimiliter vxor viro, quia ſi quis acceperit vxorem, non peccat, & ſi nupſerit virgo, non peccat: ita ſecundùm eiuſdem Apoſtoli dictum, * qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & vouerit continentiam Deo, debet eam vſque in finem tota mentis ſolicitu-

* *1.Tim.4.*
* *Gen.1.*
* *Hebr.13.*
*a Sãcti Dei homines quare nuptias neglexerint, & à carnibus vinóque abſtinuerint.*
* *Matt.19.*
* *1.Cor.7.*
*b Quod dixit Apoſtolus: Qui ſe non continet nubat &c. de iis intelligitur qui Deo cõtinentiam nõ vouerunt.*
* *1.Tim.5.*
* *1.Cor.7.*
* *1.Tim.5.*
*c Ergo ſecũdũ Apoſtolũ, vt coniuges ſibi inui-*

*cem officium debent cōiugale, ita qui caſtitatē vouerunt, Deo debent continentiam.*

dine cuſtodire, ne damnationem habeat, c ſi primā fidem irritam fecerit. *Tom.3. de fide ad Petrum, cap.3.*

Ille prohibet nubere, qui hoc malum eſſe dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 30. cap. 6.*

*a Optat Auguſtinus, vt Sāctimoniales ſuo exemplo & ſermone, quaſcunque potuerit in eundē rapiāt curſum.*

*b Quod obiiciunt vani quidā homines: periturū genus humanū, ſi omnes continentes fuerint, diluit Auguſtinus.*

*c Alterā etiā obiectionem: Nō fore oēs bonorū gradus in Eccleſia, ſi omnes cœlibes ſint, Auguſtinus ſoluit.*

** Matt. 19.*

Agite itaque curſum veſtrum & perſeueranter currite vt comprehendatis, & exēplo vitæ exhortationiſque ſermone, rapite in eundem curſum veſtrum quaſcūque potueritis. *a* Non vos ab hoc ſtudio, quo multas ad imitandum vos excitatis, frangat querela vanorū, qui dicunt, quomodo ſubſiſtet genus humanum ſi omnes fuerint continentes? *b* Quaſi propter aliud retardetur hoc ſæculum, niſi vt impleatur prædeſtinatus numerus ille ſanctorum, quo citius impleto, profectò nec terminus ſæculi differetur. Nec illud vos retardet ab ſtudio perſuadendi aliis bonum veſtrum, ſi dicatur vobis, cùm & nuptiæ bonæ ſint, quomodo erunt omnia bona in Chriſti corpore, & maiora ſcilicet & minora, ſi omnes cōtinentiæ laudem atque amorem imitentur? *c* Primò quia conando vt omnes ſint continentes, tunc erunt vel paucæ, neque enim omnes capiunt verbum hoc. Sed quoniam ſcriptum eſt,* Qui poteſt capere capiat: tunc capiunt quæ poſſunt, ſi nec illis quæ non capiunt taceatur. Deinde nec timere debemus ne fortè omnes capiant, & aliquid de minoribus bonis, id eſt, coniugalis vitæ, Chriſti deſit in corpore. Si enim omnes audierint & omnes ceperint, intelligere debemus hoc ipſum fuiſſe prædeſtinatum, vt coniugalia bona in illorum numero membrorū etiam ſufficiant, quæ tam multa ex hac vita tranſierunt. Neque enim nunc ſi omnes fuerint continentes, honorem continentium daturi ſunt eis qui tricenarium fructum, qui coniugali bono ineſſe intelligitur, iam Dominicis horreis intulerunt. Habebunt ergo illic omnia iſta bona ſuum locum, etiam ſi deinceps nulla velit nubere, vel nemo ducere vxorem. Securæ itaque inſtate quibus poteſtis, vt fiant quod vos eſtis: & orate vigilanter atque feruenter, vt adiutorio dexteræ excelſi & abundantia miſericordiſſimæ gratiæ Domini, & perſeueretis in eo quod eſtis, & proficiatis ad id



quod eritis. *Tom.4. de bono viduitatis, cap.23.*

*Confutātur ab Auguſtino, qui cœlibatum non ad maius præmium in cœlo, ſed ad coniugij moleſtias, dum hîc viuitur, declinandas, conferre dicunt.*

** 1.Cor.7.*

Vnde mirabiliter deſipiunt, qui putant huius continentiæ bonum non eſſe neceſſarium propter regnum cœlorum, ſed propter præſens ſeculum: quod ſcilicet coniugia terrenis curis pluribus atque arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia virgines & continentes carent: quaſi ob hoc tantùm melius ſit non coniugari, vt huius temporis relaxentur anguſtiæ, non quòd in futurum ſeculum aliquid proſit. Hanc vanam ſententiam ne cordis propria vanitate protuliſſe videantur, adhibent ex Apoſtolo teſtimonium vbi ait: * *De virginibus autem præceptum Domini non habeo*, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo, vt fidelis eſſem. Exiſtimo itaque hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, quia bonum eſt homini ſic eſſe. Ecce, inquiunt, vbi manifeſtat Apoſtolus hoc propter præſentem neceſſitatem bonum eſſe, non propter futuram æternitatem. Quaſi præſentis neceſſitatis rationem haberet Apoſtolus, non prouidens & conſulens in futurum, cùm omnis eius diſpenſatio non niſi ad vitam æternam vocet. Præſens ergo eſt vitanda neceſſitas, ſed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum. *Tom.6. de ſancta virginitate, cap.13.*

** aliâs, ab ouili ſuo.*

*Illud Eſai. 56. de ſpadonibus, quomodo intelligendum.*

Nec ſanè Spiritus ſanctus tacuit, quod contra iſtos impudentiſſimè ac demētiſſimè peruicaces apertū atq; inconcuſſum valeret, eorūmque beluinum impetum ab ouibus ſuis* inexpugnabili munitione repelleret. Cùm enim dixiſſet de ſpadonibus: Dabo eis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum: ne quis nimium carnalis exiſtimaret in his verbis aliquid temporale ſperandum, continuò ſubiecit: Nomen æternum dabo eis, nec vnquam deerit: tanquam diceret: Quid tergiuerſaris impia cæcitas? quid tergiuerſaris? quid ſerenitati veritatis nebulas tuæ peruerſitatis offundis? Quid in tanta ſcripturarum luce, tenebras vnde inſidieris inquiris? Quid temporalem tantummodo vtilitatem promittis continentibus ſanctis? Nomen æternum dabo eis. Quid ab omni concubitu immunes, & eo quoque ipſo quo hinc ſeſe abſtinent, ea quæ

ſunt Domini * cogitantes, quo modo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? Nomen æternum dabo eis. Quid regnum cœlorum, propter quod ſeipſos * caſtrauerũt ſancti ſpadones, in hac tantùm vita intelligendum eſſe contendis? Nomen æternum dabo eis. Et ſi fortè hîc ipſum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco: nec vnquam deerit. Quid quæris amplius? quid dicis amplius? Æternum hoc nomen, quicquid illud eſt, ſpadonibus Dei, quod vtique gloriam quãdam propriam excellentémque ſignificat, non erit commune cũ multis, quanuis in eodem regno & in eadem domo conſtitutis. Nam ideo fortaſſis & nomen dictum eſt, quod eos quibus datur, diſtinguit à cæteris. *Ibidem, cap. 25. Vide in hanc ſententiam plura cap. 22. & ſequentibus.*

** 1. Cor. 7.* — *Piorũ cœlibũ præmiũ, nõ in terrena cõmoditate, ſed in propria quadã excellẽtique gloria, ad vitam æternã pertinente conſiſtit.* — ** Matt. 19.*

# CAPVT SEPTIMVM
## DE COELIBATV ECCLESIASTICORUM.

### *I. Clericos, præſertim diaconos, ſacerdotes & epiſcopos, Auguſtini ſeculo cœlibes extitiſſe.*

*Ambroſij cœlibatus.*

IPSVM (*diuum*) Ambroſium fœlicem quendam hominem ſecundum ſeculum opinabar, quem ſic tantæ poteſtates honorarent, cœlibatus tantum eius mihi laborioſus videbatur. Quid autẽ ſpe ille gereret, & aduerſus ipſius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quídue ſolaminis in aduerſis, & occultũ os eius, quod erat in corde eius, quàm ſapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec coniicere noueram, nec expertus eram. *Tom. 1. lib. 6. Confeſsio. cap. 3.*

Et quia de infelici libidine, vnde locuti ſumus, credendum eſt, quod dicit Propheta: * *Confractus eſt malleus vniuerſæ terræ.* Quanuis poſt aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti per vniuerſa monaſteria monachorum & per clericos vel etiam laicos caſtitatem ſeruantes, quaſi confractus malleus ille videatur, tamẽ quod

** Ierem. 50.* — *Monachi & clerici caſtitatem ſeruãtes.*



multo peius eſt, adhuc multo plures ſunt, qui ab illo malleo quotidie confringuntur, quàm illi, qui de ruina colliſionis illius liberantur. *Tom. 9. de honeſt. mulier. cap. 4.*

Hæc autem diuina ſententia, * quæ ad milites loquitur (*contenti eſtote ſtipendiis veſtris*) poteſt etiam ad clericos retorqueri, quia etiamſi non militare videamur ſeculo, tamen Deo & Domino militamus, ſicut ait Apoſtolus: * *Nemo militans Deo, obligat ſe negotiis ſecularibus.* Videmur, inquam, non militare remiſſis ac fluentibus tunicis, ſed habemus militiæ noſtræ cingulum, quo caſtimoniæ interiora conſtringimus: de quo cingulo Dominus ait ad diſcipulos ſuos: * Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus veſtris. *Tom. 10. de verb. Domini, ſerm. 19.*

** Luc. 3.* — ** 2. Tim. 2.* — *Clericorũ veſtes demiſſæ & fluentes.* — *Clericorum cingulũ caſtimonia.* — ** Luc. 12.*

Attendite etiam fratres, attendite quod dicit Apoſtolus: * *Fornicatio & immunditia.* Fornicatio enim eſt naturalis mulierum concubitus, ſed illicitus. Fornicatio eſt cum meretrice agere. Mulier ſiue adultera, ſiue cõcubina meretrix vocatur. Fornicatio enim ideo clericis interdicitur, quia cùm ſimus miniſtri Domini, membra meretricis * non efficiamur. O quàm turpe eſt, clericum à meretrice duci captiuum. *Qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Et ideò ſcire debemus, quòd malum eſt fornicari. Nam ſi coniugium ſacerdotibus prohibetur, quantò magis crimen fornicationis in nobis æſtimabitur? *Tom. 10. ad fratres in eremo, ſerm. 37.*

** Epheſ. 5.* — ** 1. Cor. 6.* — *Coniugiũ Sacerdotibus prohibitum.* — ** aliâs*, priora, vel priorum.

Præterea, cùm de quorundã clericorũ, quanuis erga vxores proprias, incontinẽtia referretur, placuit epiſcopos, & preſbyteros, & diaconos ſecundũ propria * ſtatuta etiam ab vxoribus cõtinere. Quod niſi fecerint, ab eccleſiaſtico remoueãtur officio. Cæteros aũt clericos ad hoc nõ cogi, ſed ſecũdũ vniuſcuiuſq; Eccleſiæ conſuetudinẽ obſeruari debere. *Tom. 1. Conciliorum, Concil. Carthaginen. 5. cap. 3. Cõciliũ fuit Prouinciale, Epiſcoporũ 72. Idipſum cõfirmatur poſtea in Cõcilio Africano, cap. 37.*

*Epiſcopis, presbyteris, & diaconis (ſub quibus etiam hypodiaconi comprehẽdũtur) ab vxoribus abſtinendũ.*

Fœminarũ autẽ intra domũ eius nulla vnquã cõuerſata eſt, nulla manſit, nec quidẽ germana ſoror, quæ vidua Deo ſeruiẽs multo tempore vſque in diẽ obitꝰ ſui

*Auguſtini ſoror vidua monialis.*

præpoſita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſeruiebant: quas perſonas ſanctorum Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat verò, quia etſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus nulla naſci poſſit mala ſuſpicio, tamẽ quoniam illæ perſonæ ſine aliis neceſſariis ſecúmque manentibus fœminis eſſe nõ poſſent, & quod ad eas etiam aliæ à foris intrarẽt, de iis poſſe offendiculũ aut ſcãdalum infirmioribus naſci, & illas qui cum Epiſcopo, vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarũ perſonis vnà commorantibus aut aduentantibus, tentationibus humanis poſſe perire, aut certè malis hominũ ſuſpitionibus peſſimè diffamari: ob hoc ergo dicebat, nunquam debere fœminas cum ſeruis Dei etiam caſtiſſimis in vna manere domo, ne (vt dictum eſt) aliquod ſcandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et ſi fortè ab aliquibus fœminis vt videretur vel ſalutaretur, rogabatur, nũquam ſine clericis teſtibus ad eas intrabat, vel ſolus cum ſolis vnquam eſt locutus, niſi ſecretorum aliquid intereſſet. *Tom. 1. Poſsidon. in vita Auguſtini, cap. 26.*

*Quare ne cognatas quidem mulieres, ſibi cohabitare paſſus ſit Auguſtinus.*

*Fœmina cũ Dei ſeruis ſub eodẽ tecto ne degãt.*

Volo ſcire, quæ ſit affectio iſta communis, quę morbi diſſenſio ſemper ambigua, quæ præpoſitum ſuũ nutantibus conſiliis impugnãdo conturbat Vt quid ſibi adhibuit mulierem, qui ducere contempſit vxorem? Omnis qui non manducauerit carnem, vt quid habitationẽ ſuam carnis apparatibus replet? Et qui non biberit vinum, quid vini oblectatione perfruitur? Quaſi non aliquotiens habendo nec guſtando, copia eſculenti animus paſcitur, & vini odoriferi ſola fragrantia ſuſcitatur ſæpius animus. Quid per hypocriſim vult ab hominibus abſtinens dici & in ſecreto carnibus & ebrietate diſtendi? Habent multi diuitias, quas ſuis vſibus negant, ſed pro cupiditate cõſeruãt, quibus ſi nulla cupiditas inhæſiſſet, nec cupiditatis inſignia poſsiderẽt. At verò quia cupiditate poſſeſsi ſunt, perfruuntur animo, quod vſu nõ tangunt. Ita his qui deſpexit vinculum nuptiarũ, & aliter vinculis fœmineis obligatur, quamuis nullo cõcubitu miſceatur, deſiderio tamẽ,

*Clericus mulierũ conſuetudinẽ declinet, qui vxorem ducere recuſauit.*



viſu, colloquio, coniunctione ſemper oblectatur. Nam ſi deſiderium fœminæ non haberet, nũquam fœminam ſuis oblectamentis aſſumeret. Imò verò inſuper mihi ſuſpectum placitum dedit, qui non legitimam duxit, & legitimam recuſauit, niſi fallor, in publico argumentatus eſt hominibus promittere ſanctitatem, & in occulto ſine vxore non eſſe. *Cyprianus de ſingularitate clericorum. Tribuitur hic liber etiam Auguſtino, propterea ex eo teſtimonium petimus.*

*Igitur nõ ducitur legitimè vxor ab eo, qui ſacris initiatus eſt.*

Vnde iſtos qui virilem excellentiam, non putant niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugiis hærendo pereãt in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam clericorum: qui plerunque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, *a* eámque ſuſceptam vſque ad debitum finem Domino adiuuante perducunt. *b* Dicimus ergo eis: Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini, nónne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repentè conuerſi ad impetrãdas vires à Domino, *c* de quibus nunquam antea cogitaſtis? Sed illos, inquiunt, honor plurimum conſolatur. Reſpondemus, & vobis timor amplius moderetur. *d* Si enim hoc multi Dei miniſtri repente atque inopinanter impoſitum ſuſceperũt, ſperãtes ſe illuſtrius in Chriſti hæreditate fulgere: quãtò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, ſed in gehennæ ignibus ardere? *Tom. 6. de adulterinis coniugiis, lib. 2. cap. 20.*

*a Clericis ergo ſubeunda erat continẽtiæ ſarcina.*

*b Continẽtiæ ſarcinã vſq; ad finẽ, Deo adiuuãte, clerici portabãt.*

*c Poßũt igitur à Domino vires impetrari ad continẽtiã ſeruãdã.*

*d Si honoris ſtudio, vel timore ſupplicij, ſeruari poteſt cõtinẽtia, multò magis Dei auxilio, quod petenti non negatur.*

Vt cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, auiæ, & materteræ, amitæ, ſorores, & filiæ fratrum, aut ſororum, & quæcunque ex familia domeſtica neceſſitate etiam antequam ordinarentur iam cum eis habitabãt, vel ſi filij eorum, iam ordinatis parentibus, vxores acceperũt, aut ſeruis, non habitantibus in domo quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuit. *Tom. 1. Conciliorum. Carthag. Concil. 3. cap. 17.*

*Prior huius canonis pars deſumpta videtur ex Con. Niceni canon. 3. Extranearum autem fœminarum nomine,*

*intelligi etiam vxores ſuſpectas, ex Concilij Carthag. 2. can. 2. & ex Carthag. 5. can. 3. colligi poteſt. Suſpectas autem vxores, quod ad hanc rem attinet, dicimus, cũ quibus viros ſuos concumbere ſuſpicio eſt.*

*Quorſum hæc? niſi quia ſacris ordinibus initiati, nec vxores ducere, nec cum antea ductis concumbere poterant.*

Placuit, vt lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. *Ibidem, cap. 19.*

### *II. Qua de cauſa Epiſcopos & reliquos Presbyteros atque Diaconos cœlibes eſſe deceat.*

*Cùm bonũ ſit nubere, cur nõ liceat Sacerdotibus vxores habere.*

SEd fortè dicatur: Si licet, & bonum eſt nubere, cur Sacerdotibus non licet vxores habere: id eſt, vt ordinatis iam non liceat conuenire? Quis neſciat vnumquodque ſuam legem habere? Eſt enim quod omnino generaliter omnibus non liceat: eſt item quod aliis licet, & aliis non licet: & eſt quod aliquando licet, & aliquando non licet. Fornicari omnibus ſemper non licet: negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negotiari: facto iam, non licet. Et Chriſtiano cum vxore ſua conuenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim proceſſionis aliquando non licet conuenire: quia etiam à licitis abſtinendum eſt, vt facilius impetrari poſsit quod poſtulatur. Vnde Apoſtolus,* Ex conſenſu, ait, abſtinendum ad tempus, vt vacetur orationi. Nam ſecundùm legem in ieiunio cædi & iurgari non licet, poſtea licet: quia maior reuerentia debetur Dei cauſis. Nunquid omne, quod ante cæteros licet, ante Imperatorem licet? Quantò magis in Dei cauſis? Ac per hoc Antiſtitem eius puriorem eſſe cæteris oportet, ipſius enim perſonam habere videtur: eſt enim Vicarius eius, vt quod cæteris licet, illi nõ liceat: quia neceſſe habet quotidiè Chriſti vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre aut tingere. Et non ſolùm huic concubitus non licet, verùm etiam miniſtro eius, quia ipſe mundior debet eſſe, quia ſancta ſunt, quæ miniſtrat. Nam ſicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantùm obſcuræ, ſed etiam ſordidæ ſunt, ad

** 1. Cor. 7.*

*Functiones Antiſtitis, quotidie Chriſti vicẽ agere, orare ꝑ populo, offerre aut tingere.*



comparationem autem ſtellarum lucerna caligo eſt, ad Solis verò cõparationem ſtellæ nebuloſæ ſunt, ad Dei autem claritatem Sol nox eſt. Ita & quæ ad nos licita & munda ſunt, ad Dei autem dignitatem quaſi illicita & immunda ſunt: quanquam etiam bona ſunt, Dei tamen perſonæ non competunt. Nunquid non tunica mediocris hominis, quamuis munda, Imperatori tamen ſordida & illicita eſt? Similiter & ſaxonicia ſenatori: ac per hoc Antiſtites Dei puriores eſſe debent quàm cæteri, quia & Chriſti habent perſonam, & miniſtros Dei mundiores eſſe oportet. Nemo enim Imperatori miniſtrat, niſi veſtimentis claris & mundis indutus: Deus autem quia natura clariſſimus eſt, miniſtros eius natura magis, quàm veſtibus mũdos eſſe oportet. *Tom. 4. quæſt. ex vtroque Teſtam. mixtim, 127. ſub finem.*

Aurelius Epiſcopus dixit: Cum in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, conſcriptione quadam caſtitatis, * per conſecrationes annexi ſunt. *a* Epiſcopos, inquã, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, vt condecet ſacros Antiſtites & Dei Sacerdotes, nec nõ & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulãt, impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus: Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt. Omnibus placet: vt Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt. *Tom. 1. Concil. Carthag. 2. cap. 2.*

** aliàs caſtitati.*

*a Tribus gradibus, Epiſcoporũ ſcilicet, Presbyterorũ & Diaconorũ (ſub quib⁹ etiã hypodiaconi continẽtur) caſtitas annexa eſt.*

*Fallũtur ergo noui Euãgelici qui à Syricio Papa, & circa huius Concilij tẽpora vixit, primũ ꝑceptum fuiſſe Sacerdotibus cœlibatũ affirmant.*

***Deſignari videtur verbis huius Concilij canon 25. Apoſtolicus, qui inter eos numeratur, qui gemini Apoſtolorum iudicantur. Is autem in hunc modum habet:*** Innuptis autem qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, ſi voluerint, vxores accipiant: ſed Lectores Cantoréſque tantummodo.

RATIO. Quid vxor? Nónne te delectat interdũ,

pulchra, pudica, morigera, literata, vel quæ abs te facilè poſſit erudiri, afferens etiam dotis tantum, quoniā contemnis diuitias, quantum eam prorſus nihilo faciat onerosam ocio tuo, præſertim ſi ſperes, certúſque ſis, nihil ex ea te moleſtiæ eſſe paſſurum? Auguſtinus. Quātum velis licet eam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum, quàm concubitum eſſe decreui: Nihil eſſe ſentio quod magis ex arce deiiciat animum virilem quàm blādimenta fœminea, corporúmque ille contactus, ſine quo vxor haberi non poteſt. Itaque ſi ad officium pertinet ſapientis (quod nōdum comperi) dare operam liberis, quiſquis rei huius tantùm gratia concumbit, mirādus mihi videri poteſt, at verò imitandus nullo modo: Nam tentare hoc periculoſius eſt, quàm poſſe fœlicius. Quamobrem ſatis, vt credo, iuſtè atque vtiliter pro libertate animæ meę mihi imperaui, non cupere, non quærere, non ducere vxorem. *Tom. 1. Soliloquiorum, lib. 1. cap. 10.*

*Nihil æquè deijcit ex arce virilē animū, quā corporū ille cōtactus, ſine quo vxor haberi non poteſt.*

*Auguſtinus nihil ſibi tam fugiēdū eſſe, adhuc Catechumenus, decreuit, quā cōcubitū, etiam cum vxore, quod votū poſtea, Chriſtianus effectus, fideliter obſeruauit. Vide lib. 1. retract. cap. 4.*

### *III. Illud 1. Cor. 9. Nunquid non habemus poteſtatem ſororē mulierem circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli &c. non eſſe de vxore intelligendum, atque Apoſtolū Paulum continentiæ perfectioris fuiſſe cultorem.*

PRobat ſe (*D. Paulus*) Apoſtolum eſſe, dicens. * *Nónne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? Nónne opus meum vos eſtis in Domino?* Quo probato oſtendit ſibi licere quod cæteris Apoſtolis, id eſt, vt non operetur manibus ſuis, ſed ex Euangelio viuat, ſicut Dominus conſtituit eis, quod in conſequentibus apertiſſimè demonſtrauit: ad hoc enim & fideles mulieres habentes terrenam ſubſtantiam ibant cum eis, & miniſtrabāt * eis de ſubſtātia ſua, vt nullius indigerent horum quæ ad neceſſaria vitæ huius pertinent. Quod beatus Paulus licere quidem ſibi demonſtrat, ſicut & cæteri Apoſtoli faciebant, ſed ea poteſtate ſe vti noluiſſe poſtea commemorat. Hoc quidam non intelligentes, non ſororem mulierem, cùm ille diceret: Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi,

* 1. Cor. 9.

* Matth. 27. Marc. 15.



ſed vxorem interpretati ſunt. Fefellit eos verbi græci γυνὴ ambiguitas, quod & vxor & mulier eodem verbo græcè dicitur: quanquam hoc ita poſuerit Apoſtolus, vt falli non debuerint, quia neque mulierem tantummodo ait, ſed ſororem mulierem, neque ducendi, ſed circunducendi: veruntamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, & mulierem non vxorem interpretati ſunt. Quod quiſquis putat non potuiſſe ab Apoſtolis fieri, vt cum eis ſanctæ conuerſationis mulieres circuirent quacūque Euangelium prædicabant, vt eis de ſua ſubſtantia miniſtrarent neceſſaria, Euangelium audiāt & cognoſcant, quemadmodū hoc ipſius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noſter more miſericordiæ ſuæ infirmioribus compatiens, cùm ei poſſent angeli miniſtrare, & * loculos habebat, quò mitteretur pecunia, quæ conferebatur, vtique à bonis fidelibus, eorū victui neceſſaria: quos loculos Iudæ commendauit, vt etiam fures ſi euitare non poſſemus tolerare in Eccleſia diſceremus: ille enim ea quæ mittebantur, ſicut de illo ſcriptum eſt, auferebat. Et mulieres voluit, vt ſe ad præparanda & miniſtranda neceſſaria ſequerentur, oſtendens quid Euangeliſtis & miniſtris Dei tanquam militibus, à plæbibus Dei tanquam prouincialibus deberetur. *Et paulò infrà.* In Euāgelio enim ſcriptum eſt: deinceps * & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocabatur Magdalena, de qua dæmonia ſeptem eiecerat: & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant eis de facultatibus ſuis. Hoc exemplum Domini imitabātur Apoſtoli ad accipiendum ſibi debitum cibum. *Tom. 3. de opere Monachorum, cap. 4. & 5.*

*Sāctæ cōuerſationis mulieres Apoſtolos ſequebantur, vt eis de ſua ſubſtātia neceſſaria miniſtrarēt, idq́; ad exēplum earum quæ Chriſtū ita ſecutæ leguntur in Euangelio.*

* Ioan. 12. 13.

* Luc. 13.

Doctor gentium & pudicitiam cōiugalem per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, ſermone ſuo commendans: & hoc, & illud donum Dei eſſe monſtrat, ſcribens ad Corinthios * & admonens coniuges ne ſe inuicem fraudēt: quos cum admonuiſſet, adiecit: *Vellem*

*Perfectior cōtinentia, per quam nullus cōcubitus quæritur.*

* 1. Cor. 7.

*Paulus Apoſtolus ab omni concubitu cõtinebat*

*autem omnes homines eſſe ſicut meipſum*: quia vtique ipſe ab omni concubitu continebat. Et continuò ſubiunxit: *Sed vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic.* Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium &c. *Tom.7. de gratia & lib. arbit. cap.4.*

# CAPVT OCTAVVM
## DE MONACHORVM inſtituto.

### *I. De nomine & origine Monachorum.*

** Pſal.132.*

*Quomodo plures ſimul viuentes, monachi verè dicantur.*

**Act.4.*

**Ioan.5.*

*Hæretici quare nomini monachorum inſultẽt.*

QVare ergo & nos non appellemus Monachos, cùm dicit Pſalmus * *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum?* μόνος enim dicitur vnus, & non vnus quomodocunque. Nam & in turba eſt vnus: ſed vna cùm multis vnus dici poteſt, μόνος non poteſt, id eſt: ſolus: μόνος enim vnus ſolus eſt. Qui ergo ſic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciãt, vt ſit illis verè, quomodo ſcriptum eſt, *vna anima & vnum cor, multa corpora, ſed non multæ animæ, multa corpora, ſed non multa corda, rectè dicitur μόνος, id eſt, vnus ſolus. Vnde & ille vnus ſanabatur in piſcina. Reſpondeant nobis, & exponant, qui inſultant nomini monachorum, quare ille, qui inuentus eſt * triginta octo annos habens in infirmitate, hoc reſpondiſſet Domino, cùm commota fuerit aqua, non habeo qui me deponat, alius ante me deſcendit. Deſcenderat vnus, iam alius non deſcendebat. Vnus ſolus ſanabatur, vnitatem Eccleſiæ figurabat. Meritò inſultant nomini vnitatis, qui ſe ab vnitate præciderunt. Merito illis diſplicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in vnũ cum fratribus, ſed ſequentes Donatum, Chriſtum dimiſerunt. *Tom.8. Pſalm.132.*

In Antiochia primùm poſt aſcenſionem Domini appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in actibus* Apoſtolorum, & monaſteria & xenodochia poſtea ſunt appellata, nouis nominibus: res tamen ipſæ & ante nomina ſua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. *Tom.9. in Euang. Ioan. Tract.97.*



** Act.11.*

*Monaſterij nomen nouũ fuit in primitiua Eccleſia, ſed res ſignificata id antea fuerat.*

*Illud Pſal. 132. Quàm bonum & quã iucũdũ, habitare fratres in vnum quamuis ad omnes Chriſtianos attineat, ad monachos tamẽ magis propriè pertinet.*

Hoc primùm etiam atque etiam conſideremus: vtrum de omnibus Chriſtianis dictum ſit, quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum: an aliqui ſint certi atque perfecti, qui habitant in vnum, nec ad omnes pertineat iſta benedictio, ſed ad quoſdam, à quibus tamen deſcendat ad cæteros. Iſta tamen verba Pſalterij, iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia tam in cantico, quàm in intellectu, etiam monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum, ſonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant, congregati ſunt in vnum. *Ibidem, in initio Pſalmi.*

*Cãticũ illud Quàm bonũ & quàm iucundum &c. monaſteria peperit.*

### *II. Monachorum inſtitutum exemplo & traditione Apoſtolorum confirmari.*

**Pſal.126.*

** 1.Cor.15.*

**Act.1.*

*a Monachorum inſtitutum ex filiis Prophetarũ ex Apoſtolis & aliis Chriſti diſcipulis originẽ habuit.*

** Act.2.*

** Act.4.*

VEruntamen dilectiſſimi, ſi conſideremus, de illo pariete circũciſionis, prius nata eſt iſta benedictio. Num enim omnes Iudæi perierunt? Et vnde Apoſtoli, filij Prophetarum, * filij excuſſorum? Sicut iam ſcientibus loquimur: vnde illi quingenti, qui Dominum poſt reſurrectionem viderunt, quod commemorat * Apoſtolus Paulus? Vnde illi centum * viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini & aſcenſionem in cælum, *a* quibus in vno loco conſtitutis, ſuperuenit Spiritus * ſanctus die Pentecoſtes miſſus de cælo, ſic miſſus, ſicut promiſſus? Omnes inde erant, & ipſi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant, vendiderũt, rerúmque ſuarum precia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur: * *Et diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia.* *b* Et quid eſt, in vnum? Et erat illis, inquit, anima vna, & cor vnum in Deum. Ergo ipſi prius audierunt: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in*

*b Primi Chriſtiani, Act. 2. vēditis omnibus quæ poſſidebāt, et pretio ad pedes Apoſtolorū poſito, ſimul viuebāt, tanquā vnā animam, & vnum cor omnes haberēt. Horum imitatores ſunt monachi.*

vnum. Primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Non enim vſque ad illos iſta dilectio & vnitas fratrum venit. Venit enim & ad Poſteros iſta charitatis exultatio & votum Deo. c Vouetur etenim aliquid Deo, & dictum eſt: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Melius eſt autem non vouere & reddere, quàm vouere & non reddere. Sed debet eſſe impiger animus, vt & voueat & reddat, ne cùm ſe minus idoneum putat ad reddendum, piger ſit ad vouendum. Planè nunquam reddet, ſi de ſuo ſe putauerit redditurum. Ex voce huius Pſalmi appellati ſunt & monachi, ne quis vobis de iſto nomine inſultet Catholicis. d *Tom.8.in Pſal.132.*

** Pſal. 122.*
*c Monachorum votum vnde.*
** Pſalm. 75.*
*d Hæretici iam olim Catholicis inſultarunt de nomine monachorum.*
*Præter præcepta communia Chriſtianis omnibus quædam propriè Monachis data.*

Ante omnia fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus in monaſterio conſtituti. Primùm propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo Domini, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Et diſtribuatur vnicuique veſtrûm à Præpoſito * veſtro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter præualetis omnes, ſed potius vnicuique ſicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum: * *Quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat.* Qui aliquid habebant in ſeculo, quando ingreſſi ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etiamſi paupertas illorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. *Tom.1. Regula tertia monachorum. Vide ſermonem poſteriorem de communi vita clericorum. Habetur autem vterque ſermo, Tom.10. ſub finem in editione Pariſienſi.*

*12.q.1.c.Nō dicatis.*
**aliàs* ſenio re.
** Act.4.*
** Pſal. 112.*

### III. Apoſtolos Paupertatem ex voto ſeruaſſe.

DE terra ergo ſuſcitatus eſt ſupra omnes diuites ille pauper (*Paulus*) & de illo ſtercore * erectus eſt ſupra omnes opulentos ille inops, vt ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: * Sedebitis ſuper duodecim



ſedes: * Et ſedem gloriæ hæreditatem dans eis: Dixerant enim potentes illi: Ecce nos dimiſimus * omnia, & ſecuti ſumus te: hoc votum potentiſſimi vouerant. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo, de quo hîc continuò dictum eſt: Dans votū vouenti? *Tom.5. de ciuitate Dei, lib.17. ca.4.*

** Matt. 19.*
** 1. Reg. 2.*
*Apoſtoli paupertatem vouerunt.*
** aliàs* reliquimus.

### IIII. Donatiſtas & Circumcelliones hæreticos monachis obtrectaſſe.

QVando vos rectè hæreticis de Circumcellionibus inſultare cœperitis, vt erubeſcendo ſaluentur: illi vobis inſultant de monachis. Primò ſi comparādi ſunt vos videte: ſi verbis noſtris opus eſt, iam laboratis. Nō opus eſt, vt admoneam vnumquenque vt attendat: ſolū attendat & comparet. Quid opus eſt vt verbis noſtris comparentur, ebrioſi cum ſobriis, præcipites cum conſideratis, furentes cum ſimplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere conſueuerunt. Quid ſibi vult nomen monachorum? Quantò melius dicimus nos, quid ſibi vult nomen Circumcellionum? *Tom.8. Pſalm.132.*

*Quod olim Circumcelliones, idem nūc noui Euangelici faciūt.*

Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine monachorum inſultant? Fortaſſè dicturi ſunt, Noſtri non vocantur Circumcelliones: vos illos ita appellatis contumelioſo nomine, nam nos eos ita non vocamus. Dicant quid eos vocent, & audietis, Agoniſticos eos vocant. Fatemur & nos honeſto nomine, ſi & res conueniret. Sed interim illud videat ſanctitas veſtra, Qui nobis dicunt, oſtendite vbi ſcriptum ſit nomen monachorum: oſtendant vbi ſcriptum ſit nomen Agoniſticorum. Sic eos appellamus, inquiunt, propter agonem. Certant enim illi, & dicit Apoſtolus: * Certamen bonum certaui: quia ſunt qui certant aduerſus Diabolum & præualent milites Chriſti, Agoniſtici appellantur. Vtinam ergo milites Chriſti eſſent, & non milites Diaboli, à quibus plus timetur Deo laudes, * quàm fremitus leonis. Hi etiam inſultare nobis audent, quia fratres cùm vident homines, Deo gratias, dicunt. Quid eſt, inquiunt, Deo gratias? Itáne ſurdus es, vt neſcias quid ſit Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias, gratias agit Deo. Vide ſi nō debet frater Deo gratias agere, quā

*Vbi ſcriptū eſſet Monachorū nomē, hæretici requirebant.*
** 1. Tim. 6*
** aliàs* timētur Dei laudes.
*Fratres in ſalutationibus dicebāt: Deo gratias.*

do videt fratrem ſuum. Num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe inuicem vident, qui habitant in Chriſto? *Ibidem.*

### *V. Anachoretas, Monachos & moniales, non ſine magno numero tempore Auguſtini, caſtè ſanctéque vixiſſe.*

*Perfectorum Chriſtianorũ continentia & caſtitas ſingularis.*

IAm accipite Manichæi perfectorum Chriſtianorum, quibus ſumma caſtitas non laudanda tantùm, ſed etiam capeſſenda viſa eſt, mores & continentiam ſingularem: ne vos impudenter iactare apud animos imperitorum quaſi difficillima rerum abſtinentia, ſi quid in vobis pudoris eſt, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, ſed quæ nobis occultatis. Quis enim neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magíſque diffundi, & in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo poteſt latere? Nihil de iis dicam, quos paulò antè commemoraui, qui ſecretiſſimi penitus ab omni hominum conſpectu, pane ſolo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi, quæ niſi ſanctorum intellectu percipi non poteſt. Nihil, inquam, de his loquar, videtur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret deſeruiſſe, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur. Sed hinc diſputare longum & ſuperuacaneum puto: nam hoc tam excellens faſtigium ſanctitatis, cui non ſua ſponte mirãdum & honorandum videtur, oratione noſtra videri quî poteſt? Tantùm iſti admonendi ſunt, qui ſeſe inaniter iactant, in tantum proceſſiſſe temperantiam & continẽtiam ſanctiſſimorum Catholicæ fidei Chriſtianorum, vt reſtringenda nõnullis & quaſi ad humanos fines reuocanda videatur, vſque adeò ſupra homines illorum animos euaſiſſe, ab his etiam, quibus id diſplicet, iudicatur. Sed ſi hoc excedat noſtram tolerãtiam, quis non illos

*Continentiũ Chriſtianorũ multitudo.*

*Anachoretarum laus.*

*Anachoretarũ temperantia & continẽtia qualis.*

*Cœnobitæ laudati.*



illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimã ſanctiſſimãq; cõgregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam & intẽſiſſimam in Deum, gratiſſimum munus ipſi offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt. Nemo quicquam poſſidet proprium, nemo cuiquam onero ſus eſt. Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poſſit, & à Deo mens impediri non poſſit. Opus autem ſuum tradunt eis, quos Decanos vocant, eò quod ſint denis præpoſiti, vt neminem illorum cura ſui corporis tangat, neque in cibo, neque in veſtimento, neque ſi quid aliud opus eſt vel quotidianæ neceſſitati, vel mutatæ, vt aſſolet, valetudini. Illi autem Decani cum magna ſollicitudine omnia diſponentes, & præſtò facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis poſtulat, traditionem tamen etiam ipſi reddunt vni, quem Patrem vocant. Hi verò Patres non ſolùm ſanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt his quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc ieiuni ſunt, ad audiendum illum Patrẽ, & conueniunt ad ſingulos Patres terna, vt minimum, hominum millia: nam etiam multò numeroſiores ſub vno agunt. Audiunt autem incredibili ſtudio, ſummo ſilẽtio: affectiones animorum ſuorũ, prout eos pepulerit differentis oratio, vel gemitu vel fletu, ſed modeſto & clamore vacuo, gaudium ſignificantes. Corpus deinde reficitur, quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt, coërcente vnoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa, quæ præſto ſunt parca & viliſſima. Ita non ſolùm à carnibus & vino abſtinẽt pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab his etiam, quæ tantò concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quantò quaſi mundiora nonnullis videntur, quo nomine ſolet turpe deſiderium exquiſitorum ciborum,

*Cœnobitarũ mores et exercitia.*

*Nemo cœnobitarũ quicquam poßidebat propriũ.*

*Cura cibi & potus monachorum, tota penes præfectos.*

*Præfectorum monachorum auctoritas, et ſubiectorum obedientia qualis.*

*Hinc multitudinem monachorum cõiicere licet.*

*Abſti. ẽtia à carnibus, vino & aliis cibis, in mona-*

*chis quomodo commendatur.*

quod à carnibus alienũ eſt, ridiculè turpitérque deſ[illegible]. Sanè quicquid neceſſario victui redundat: nam redundat plurimum ex operibus manuum & epularum reſtrictione: tanta cura egentibus diſtribuitur, quanta non ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt. Nullo modo nanque ſatagunt, vt hæc ſibi abundent, ſed omni modo agunt, vt non apud ſe remaneat quod abundauerit, vſque adeò vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus eſt plura de re notiſſima dicere. Hæc eſt etiam vita fœminarum Deo ſollicitè caſtéque ſeruientium, quæ habitaculis ſegregatæ ac remotæ à viris quàm longiſſimè decet, pia tantùm illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus acceſſus eſt, neque ipſorum quanuis grauiſſimorum & probatiſſimorum ſenum, niſi vſque ad veſtibulum, neceſſaria præbendi, quibus indigẽt gratia. Lanificio nanque corpus exercent atque ſuſtentant, veſtéſque ipſas fratribus tradunt, ab his inuicem quod victui opus eſt, reſumentes. *Tom. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 31.*

*Moniales laudatæ.*

*Ad monialiũ loca nulli viro patebat acceſſus.*

Sic dicit & Ezechiel de tribus perſonis, in quibus non abſurdè tria hæc genera intelligimus. * Cùm miſerit Dominus gladium in terra, & ſi fuerint in medio eorũ Noë, Daniel, & Iob, non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſoli ſalui erunt. Iam illi olim liberati ſunt, ſed in iſtis tribus nominibus tria genera quædam ſignificauit. Noë ſignificat Rectores Eccleſiæ, quia ipſe arcam in diluuio gubernauit. Daniel autem vitam quietam elegit in cælibatu ſeruire Deo, id eſt, vxorem non quærens. Erat vir ſanctus in deſideriis cæleſtibus vitam gerens tentatus in multis, & inuentus aurum obryzum. Quàm quietus erat, * qui & inter leones ſecurus erat? Ergo in nomine Danielis, qui etiam vir deſideriorum eſt appellatus, * ſed vtique caſtorum atque ſanctorum, ſignificantur ſerui Dei, de quibus dicitur: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum &c. *Tom. 8. Pſalm. 132.*

**Ezech. 14.*

*Per Noe Rectores Eccleſiæ deſignati Geneſ. 7.*

* *Dan.* 6. & 14.

* *Dan. 9. &* 10.

*Per Danielem, cælibem, in cælibatu Deo ſeruientes ſignificati.*

Vbi paſſeres nidificabunt? In cedris Libani. Iam audiuimus, quæ ſint cedri Libani, nobiles ſeculi, excelſi genere, opibus, honoribúſque: & ipſæ cedri ſatiantur, illæ



tamen quas plantauit ipſe. In his cedris paſſeres nidificabunt. Qui ſunt paſſeres? Aues equidem & volatilia cæli ſunt paſſeres, ſed minuta volatilia ſolent dici paſſeres. Sunt ergo quidam ſpiritales nidificantes in cedris Libani, id eſt, ſunt quidam ſerui Dei audientes in Euangelio, * *Dimitte omnia tua, vel vende omnia tua, & da pauperibus & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.* Et non tantùm hoc audierunt magni, ſed audierũt & parui: & voluerunt hoc facere & parui, & eſſe ſpiritales, nõ iungi vxoribus, non macerari cura filiorum, non habere proprias ſedes quibus deligarentur, ſed ire in vitam quandam communem. *a* Sed quid dimiſerunt iſti paſſeres? Minuti enim ſeculi huius paſſeres videntur. Quid dimiſerunt? Quid magnum dimiſerunt? Alius ſe conuertit, dimiſit cellã patris ſui inopem, vix vnum lectum & vnam arcam. Conuertit ſe tamen, factus eſt paſſer, quæſiuit ſpiritalia. Benè, optimè. Non illi inſultemus, non dicamus, nihil dimiſiſti. Non ſuperbiat qui multa dimiſit. Petrus * vt ſequeretur Dominum nouimus quòd piſcator erat, quid potuit dimittere? Vel frater eius Andreas, vel filij Zebedæi Ioannes & Iacobus, etiam ipſi piſcatores, & tamen quid dixerunt? Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. Non ei dixit Dominus: Oblitus es paupertatem tuam, quid dimiſiſti, vt totum mundum acciperes? Multum dimiſit fratres mei, multũ dimiſit. Quid? Nõ ſolùm dimiſit quicquid habebat, ſed etiam quicquid habere cupiebat. Quis enim pauper nõ turgeſcit in ſpe ſeculi huius? Quis non quotidie cupit augere quod habet? Iſta cupiditas præciſa eſt. *b* Ibat in immenſum, accepit modum: & nihil dimiſſum eſt? Prorſus totum mundum dimiſit Petrus, & totum mundum Petrus accepit. Quaſi nihil habentes * & omnia poſſidentes. *Tom. 8. in Pſalm. 103. conc. 3. prope finem.*

** Matt. 19.*

*a En tibi Lector illud Euangelicum, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia & c. ab antiquis Chriſtianis quomodo fuerit intellectũ. At noui Euãgeliſtæ ad ſolam animi præparationem id referunt.*

** Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5.*

** Matt. 19.*

** 2. Cor. 6.*

*b* *Liquet hinc, ab Apoſtolis atque aliis, qui Chriſti conſilium hîc ab Auguſtino propoſitum ſequuti ſunt, nõ tantùm quæ poſſederunt, ſed etiam quæ ſperare potuerunt vel cupere relicta eſſe: ſic enim oportuit, cupiditatẽ in immẽſũ progredientem præcidi, modúmque accipere. Cõſtat etiã, cum iis quæ relinqui cõſueuerant, vxorũ vſum et proprias ſedes numerari. Quæ ſi vera ſint, conſequens eſt, ab*

*Apoſtolis atque à cæteris, qui conſilio Chriſti obtemperarunt, caſtitatis & paupertatis (vt obedientiam omittamus) votum, vel promiſſum factum fuiſſe: alioqui enim neutiquam cupiditas præciſa aut totus mundus relictus eſſe videretur.*

## *VI. Auguſtinum fuiſſe monachum, & monachorum inſtitutorem.*

EGo qui hæc ſcribo perfectionem de qua Dominus locutus eſt, quando ait diuiti adoleſcenti: Vade, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me: vehementer adamaui, & non meis viribus, ſed gratia ipſius adiuuante ſic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipſi Apoſtoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego, quàm quiſquam alius homo, ſed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt: ſic tamen vt præcipuè ſana doctrina teneatur, nec eos, qui iſta non faciūt vana contumacia iudicemus &c. *Tom. 2. Epiſt. 89. ad Hilarium, ſub finem 4. quæſt.*

** Matt. 19. Pertinent igitur verba hæc Euangelij ad perfectionem Chriſtianam quæ nec iuſtis omnibus cōmunis eſt. At verba illa: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata, quin omnib⁹ neceſſitatem imponant, nemo ſapiēs dubitauerit.*

Vſque adeò autem timebam epiſcopatum, vt quoniam cœperat eſſe alicuius iam momenti inter Dei ſeruos fama mea, in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, non illò accederem. Cauebam hoc & agebam, quantum poteram, vt in loco humili ſaluarer, non in alto periclitarer. Sed vt dixi, domino ſeruus contradicere non debet. Veni ad iſtam ciuitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, vt vobiſcum eſſet in monaſterio. Quaſi ſecurus perueni, quia locus habebat Epiſcopum. Apprehenſus & Presbyter factus, per hunc gradum perueni ad Epiſcopatum. Non attuli aliquid, nec veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum his indumentis, quibus illo tempore veſtiebar. Et quia hic diſponebam eſſe in monaſterio cum fratribus:

*Auguſtinus quomodo Epiſcopatum fugerit.*

*Auguſtinus præter opinionē presbyter factus, et per illū gradum ad Epiſcopatū peruenit.*



cognito inſtituto & voluntate mea beatæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium. Cœpi boni propoſiti fratres colligere cōpares meos nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imitātes me: vt quo modo ego tenuem paupertatem meam vendidi, & pauperibus erogaui, ſic facerent & illi, qui mecum eſſe voluiſſent, vt de communi viueremus. Cōmune autem nobis erat magnum & vberrimum prædiū ipſe Deus. Perueni ad Epiſcopatum, & vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus ſiue tranſeuntibus. Quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus dicerer. Si autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum monaſterium clericorum. Ecce quo modo viuimus. Nulli liceat in ſocietate noſtra habere aliquid proprium, ſed ſi fortè aliquid habent, nulli licet: & qui habuerint, faciunt quod non licet. Bene autem ſentio de fratribus meis, & ſemper bene credens ab hac inquiſitione diſſimulaui: quia & iſta quærere quaſi malè ſentire mihi videbatur. Noueram enim & noui omnes, qui mecum viuerent, noſſe propoſitum noſtrum, noſſe legem vitæ noſtræ. *De communi vita & moribus clericorum, tractatu priori, ſub finem 10. Tomi, in editione Pariſienſi.*

*Auguſtinus diſtributo precio bonorū ſuorum in monaſterio degens, fratres, quibus idem eſſet propoſitum, collegit, et cum eis cōmunem inſtituit vitam.*

*Clerici hi, ſimul et monachi erant.*

*12. q. 1. c. Nolo.*

*Nemini monachorū Auguſtini licebat, aliquid ſicut propriū poßidere.*

Deinceps perrexit ore maledico (*Petilianus*) in vituperationem monaſteriorum & monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum: Quod genus vitæ omnino quale ſit, neſcit, vel potius toto orbe notiſſimum, neſcire ſe fingit. *Tom. 6. contra literas Petil. lib. 3. cap. 40.*

*Monachorū Auguſtini ſuā quādā et peculiarem fuiſſe legem.*

*Petilianus hæreticus monaſteriis, monachis et Auguſtino tanquam monachorum inſtitutori, grauiter infenſus.*

Triumphare viſus eſt Auguſtinus illa præſertim hora in qua nouum hominem ſacro baptiſmate induimus: in quo vna vobiſcum diuino quodam inſtinctu hymnum cantauimus de Chriſti fide: Et vberius vt inſtrueretur: & à cæteris gentilium opinionibus & erroribus remoueretur totum cognitionis animum intendit. Nouum in Chriſti fide militem habemus: acerrimum contra gentiles hoſtem: contra hæreticos inuictiſſimum Imperatorem. Nouum Chriſtianum nouis veſtimentis cuculla nigra induimus: cingulo ex corio nos ipſi præcin-

*Auguſtinus cuculla nigra indutus*

ximus: quod Simplicianus noſter ingenti lætitia donauit. *Ambroſius parte tertia, ſerm. 94.*

*& cingulo coriaceo præcinctus.*

Factus ergo presbyter, monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cœpit, ſecundùm modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maximè vt nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur vnicuique, prout cuique opus erat. Quod iam ipſe prior fecerat, dum de transmarinis ad ſua remeaſſet. *Tom. 1. Poſſid. in vita Auguſtini cap. 5.*

*Auguſtinus presbyter monaſterium inſtituit, in quo cū Dei ſeruis ſecūdū modum & regulam Apoſtolorum viuere cœpit.*

Proficiente verò doctrina diuina, ſub ſancto, & cū ſancto Auguſtino in Monaſterio Deo ſeruientes Eccleſiæ Hipponenſi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innoteſcente & clareſcente de die in diem Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, ſanctorúmque ſeruorum Dei propoſito, continentia, & paupertate profunda, ex monaſterio quod per illum venerabilem virum & eſſe & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere, atque accipere Epiſcopos & clericos pax Eccleſiæ atque vnitas, & cœpit primò, & poſteà conſecuta eſt. Nam fermè decem, quos ipſe noui ſanctos ac venerabiles viros, continentes ac doctiſſimos, beatus Auguſtinus diuerſis Eccleſiis, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit. Similitérque & ipſi ex illorum ſanctorum propoſito venientes, Domini eccleſiis propagatis, & monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis verbi Dei cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt. *Ibidem, capit. 11.*

*Ex his, qui in monaſterio Deo ſeruiebāt clerici ordinabantur.*

*Monachorū Auguſtini continētia et paupertas profunda.*

*Monachi Auguſtini, monaſteria etiam magiſtri exemplo inſtituerunt.*

*Huc pertinet regula clericis vel Monachis ab Auguſtino data quam habes ſub finem Tom. 1. & Epiſtola 109. in Tom. 2. Neque refert quòd Eraſmus ſuam cenſuram aduerſus regulam illam monachorum opponat: nam hîc illi non facilè habendam eſſe fidem, tum ex locis hic recitatis, tum ex antidoto quod contra huiuſmodi cenſuram Richardus Cenomanus theologus Pariſienſis edidit facilè cognoſces. Habes hoc antidotum in fine. Tom. 1. in Pariſienſi editione.*

### *VII. Monachos Auguſtini tempore non ſui iuris, ſed votis obſtrictos fuiſſe.*



VNuſquiſque Deo quod vouet, ſi reſpicit retrorſum, malum eſt. Neſcio quæ caſtimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo quælibet. Quid voluit? quod & mater ipſius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia iam vouerat Domino Deo ſuo. Quid enim dixit de talibus Apoſtolus Paulus, * cùm dicat viduas adoleſcentulas nubere ſi velint? Sed tamen ait quodam loco: * *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.* Oſtendit beatiorem, ſi ſic permanſerit, non tamen damnandam, ſi nubere voluerit. Quid autem ait de quibuſdam, quæ vouerunt, & nō reddiderunt? *Habentes*, inquit, * *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quid eſt, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & non reddiderunt. Nemo ergo poſitus in monaſterio frater, dicat: recedo de monaſterio, neque enim ſoli qui ſunt in monaſterio, peruenturi ſunt ad regnum cœlorum, *a* & illi qui ibi non ſunt, ad Deum non pertinent. Reſpondetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouiſti, tu retrò reſpexiſti. De die iudicii cum Dominus minaretur, quid ait: * *Memento vxoris Loth.* Omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth? * Liberata eſt à Sodomis, & in via poſita retrorſum reſpexit. Vbi reſpexit, ibi remanſit. Facta eſt autem ſtatua ſalis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non ſint fatui, non retro reſpiciant: ne malum exemplum dantes, ipſi remaneant & alios condiant. *b* Nam & modò dicimus illud quibuſdam fratribus noſtris, quos fortè viderimus velut infirmari in propoſito bono, & talis vis eſſe, quales illi? Obiicimus illis quoſdam, qui retro reſpexerunt. *c* Illi fatui ſunt in ſe, ſed alios cōdiunt, quando commemorantur, vt illorum exemplum timentes, iſti retrò ne reſpiciant. *Tom. 8. in Pſalm. 75. circa finem.*

** 1. Tim. 5.*
** 1. Cor. 7.*
** 1. Tim. 5.*
*a Eſt etiam hæc obiectio recentiū hæreticorum, quam hîc Auguſtinus diluit.*
** Luc. 17.*
** Geneſ. 19.*
*b Apoſtatæ inſtar vxoris Loth, in ſtatuam ſalis verſi, cæteros ſua infœlicitate condiunt.*
*c Infirmos in bono propoſito monachos, Apoſtatarū exemplis terrebat Auguſtinus.*

Noſtis omnes aut penè omnes, ſic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Epiſcopi, vt quantum poſſumus imitemur eos ſanctos, de quibus loquitur liber actuū Apoſtolorum (*capite ſecundo & quarto*). Nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. *Tom. 10. de communi vita cleric. ſerm. 1.*

Tu qui laudas, dic mixtos malos: tu qui vituperas,

vide ibi & bonos.Sic & in illa vita communi fratrum, quæ eſt in monaſterio, magni viri ſancti quotidiè in hymnis,in orationibus, in laudibus Dei,inde viuunt, *a* cum lectione illis res eſt.Laborãt manibus ſuis,inde ſe tranſigunt, non auarè aliquid petunt. Quicquid eis infertur à piis fratribus,cum ſufficientia & cum charitate vtuntur.Nemo ſibi vſurpat aliquid, quod alter nõ habeat.Omnes ſe diligunt,omnes inuicem ſe ſuſtinẽt. Laudat qui neſcit quid interius agatur, qui neſcit quomodo illo vento intrante etiam naues in portu colliduntur *b*,intrat quaſi ſecuritatem ſperans, neminem quem toleret habiturus, inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non poſſent, niſi admitterentur.Et neceſſe eſt,vt primò tolerentur, ne fortè non corrigantur: neç excludi facilè poſſunt, niſi prius fuerint tolerati,& fit ipſe intolerandæ patientiæ.Quis me hîc quærebat?Ego putabam, quia charitas eſſet hîc.Et paucorum hominum moleſtia irritatus,dum non perſeuerauerit implere quod vouit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi *c. Tom.8. in expoſitione Pſalm.99.*

*a Proborum monachorũ mores & exercitia.*

*b Qui in religione peccant vel pereunt, nauibus aſſimilãtur, quæ in portu colliduntur.*

*c Monachi ſanctũ propoſitum votumque deſerentes, rei fiunt voti nõ redditi.*

Dum hæc exſpectantur, cœpit ille *(nempe Ianuarius presbyter & monachus)* morti propinquare,qui diu tãquam de ſuo,iurans quia ipſius erat,non filiæ teſtamẽtum fecit.Teſtamentum,inquam,fecit preſbyter,ſocius noſter,nobiſcum manens,de Eccleſia viuens, communem vitam profitens,teſtamentum fecit,hæredes inſtituit.O dolor illius ſocietatis: ô fructus natus non de arbore,quam plantauit Dominus *a. De vita clericorũ, ſerm.1. Habetur in editione Pariſienſi ſub finẽ.10. Tom.* ...

Ipſi qui nullas habent facultates,finierunt mũdi cupiditates.Viuunt nobiſcum in ſocietate communi, & nemo eos diſtinguit ab eis qui aliquid attulerũt. Charitatis vnitas eſt præponenda terrenæ commodo hæreditatis. *Ibidem,ſerm.2.*

*Habes hinc Auguſtini ſocios non tantùm clericos, ſed etiã monachos fuiſſe:nam clerici minimè prohibentur habere proprium.*

Contigit autem quædam neceſſitas, vt hæc diligentius agerem,quoniam ſicut noſtis,iam preſbyter in noſtra ſocietate conſtitutus,quali ſocietati perhibet teſtimonium lectio *(ex ſecundo ca. Act. Apoſt.)* quam modò, cùm recitaremus audiſtis, moriens teſtamentum fe-



cit,quia habuit vnde faceret.Erat quod diceret ſuum, cùm in ea ſocietate viueret,vbi nemini licebat ſuũ aliquid dicere,ſed eſſent illis omnia communia. *Ibidem, Vide totum ſermonem. Vide etiam. Tom.1.regulam 3.monachorum,& Tom.2. Epiſtolam.109.*

Quid debemus vouere?Credere in illum,ſperare ab illo vitam æternam,bene viuere ſecundum communẽ modum. Eſt enim quidam modus communis omnibus,furtum non facere:non nubere caſtimoniali præcipitur,& nuptæ non præcipitur *a*:adulterium non facere, omnibus præcipitur. Non amare vinolentiã qua ingurgitatur anima, & corrumpitur *in ſe templum Dei, omnibus æqualiter præcipitur. Non ſuperbire, omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem occidere,non odiſſe fratrem,non aduerſus aliquem tenere perniciem, omnibus in communi præcipitur.Hoc totum omnes vouere debemus. Sunt etiam vota propria ſingulorum, alius vouet Deo caſtitatem coniugalem,vt præter vxorem ſuam non nouerit aliam: ſic & fœmina,vt præter virum ſuum non nouerit alium. Alij etiam vouent, &ſi experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil tale concupiſcere aut ſuſtinere: & ipſi vouerunt aliquid maius, quàm illi. Alij virginitatem ipſam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur,quale illi experti ſunt & reliquerunt:& iſti vouerunt plurimum.*b* Alij vouent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis aduenientibus,magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus,& ire in communem vitam in ſocietatem ſanctorum *c*, magnum votum vouit. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Quiſque quod vouere voluerit voueat: illud attendat, vt quod vouerit reddat. Vnuſquiſq; Deo quod vouet,ſi reſpicit retrorſum malum eſt. *Tom.8.in Pſalm.75.circa finem.*

*a Notent hæretici, aliquid præcipi quibuſdam perſonis (vt caſtimonialibus,non nubere) quod aliis præceptũ non eſt.*

* *1.Cor.3. 2.Cor.6.*

*b Quantum fallãtur noui hæretici, docẽtes,ea tãtùm vouere poſſe,quæ à Deo præcepta fuerint, hinc & aliũde paſſim fit perſpicuum.*

*c En tibi, Lector, votũ monaſticum.*

### *VIII. Facultates ſuas relinquere propter Chriſtum, conſilij eſſe Euangelici, & meriti ſingularis.*

DIctum eſt diuiti:* Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis,& ve-

* *Matt. 19.*

ni ſequere me. Hæc ſi dicunt, videntur aliquid rationabiliter dicere. Sed totum audiant, totum aduertant, nō in parte aures aperiant, in parte ſurdeſcant. Cui enim Dominus hæc præcepit? Profectò illi diuiti, qui vitæ æternæ conſequendæ conſilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat: * Quid faciam vt vitam æternam conſequar? Ille autem non ei reſpondit: Si vis venire ad vitam, vade, vende omnia quæ habes, ſed ſi vis venire ad vitam, ſerua mandata *a*. Quæ iuuenis cùm ſibi à Domino ex lege commemorata ſe ſeruaſſe dixiſſet & quæſiſſet quid adhuc ſibi deeſſet, reſpōſum accepit: * *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Et ne ſe illa quæ multum amabat, hoc modo perdere exiſtimaret: *Et habebis*, inquit, *theſaurum in cœlis b*. Deinde addidit, *Et veni ſequere me*, ne cuiquam, cùm hæc fecerit, aliquid prodeſſe exiſtimetur, ſi non ſequitur Chriſtum. At ille quidem triſtis abſceſſit, qui viderit, quemadmodum illa legis mandata ſeruauerat. Puto enim quòd ſe arrogantius quàm verius ſeruaſſe reſponderat. Veruntamen magiſter bonus mandata legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit *c*. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam, ſerua mandata: hîc autem: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & cætera. *Tom. 2. Epiſt. 89. ad Hilarium, quæſt. 4.*

** Ibidem.*

*a Volenti ad vitam ingredi, ſeruanda ſunt mandata.*

** Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18.*

*b Volēti perfectionē & theſaurū in cœlis habere, non tantùm ſeruādā mādata.*

*c Aduerte, mandata legis ab excellentiori via perfectionis à Chriſto diſtingui. At noui hæretici mandata & conſilia promiſcuè confundunt.*

Ora veſtimenti * hæc datur intelligi, quæ in capite veſtimenti eſt, qua veſtientis caput ingreditur: per hanc ſignificātur perfecti fideles in Eccleſia. In ora namque perfectio eſt, & vtique meminiſſe dictum cuidam diuiti: * *Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia, quæ poſſides, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me.* Triſtis quidem ille diſceſsit, neglector perfectionis, & elector defectionis. Sed nunquid ideò defuerunt, in quos vnitatis vnguentum tali rerū terrenarum dimiſſione perfectos, tanquam in oram veſtimenti à capite deſcenderet? Nam exceptis Apoſtolis, & qui cum eis erant præpoſitis atque doctoribus, quos

** Pſal. 132.*

** Math. 19.*

*In Eccleſia Dei præter illos, qui diuina mādata faciunt, ſūt alij perfecti, per orā veſtimenti Aaron deſignati: ſunt & his eminentiores, vt Apoſtoli, quos per barbā intelligimus, vtpote Chriſto capiti proximos.*



eminentiores & fortiores in barba intelligimus, lege in actibus Apoſtolorum, * & vide qui rerum ſuarū venditarum precia ad pedes Apoſtolorū ponebant, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant eis omnia cōmunia, & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat, & erat illis anima vna, & cor vnum in Deū. Nempe ita ſcriptum eſſe cognoſcis. Agnoſce ergo bonum & iucundum, fratres habitantes in vnum, Agnoſce barbam Aaron, Agnoſce oram veſtimenti ſpiritalis, Interroga ipſam Scripturam, vbi cœperūt iſta fieri: inuenies in Hieruſalē. *To. 7. contra literas Petiliani, lib. 2. ca. 104.*

** Act. 4.*

### *IX. Placere Deo obedientiam, quæ prælatis propter Deum exhibetur.*

IOnadab homo fuit quidam, cōmendatur nobis ex Prophetia Ieremiæ, * qui filiis ſuis præceperat vt vinū non biberent, neque in domibus reſiderent, ſed in tabernaculis habitarent. Præceptum autem patris, filii tenuerunt & ſeruauerunt, & ex hoc benedici à Domino meruerunt. Dominus autem hoc non præceperat, ſed pater ipſorum. Sic autem hoc acceperunt, tanq̄ præceptum à Domino Deo ſuo: quia etſi Dominus nō præceperat, vt non biberent vinum, & in tabernaculis habitarent, præceperat tamen Dominus, vt filii patri obedirent. In ea ergo re ſola, filius non debet obedire patri ſuo, ſi aliquid pater ipſius iuſſerit contra Dominum Deum ipſius. Neque enim debet iraſci pater, quādo ſic ei præponitur Deus. Vbi enim hoc iubet pater, quod contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt, quomodo Deus; quia obedire patri iuſſit Deus. Benedixit ergo Deus filios Ionadab propter obediētiam, eóſque obiecit inobedienti populo ſuo: exprobrans quia cùm filii Ionadab obedientes eſſent patri ſuo, illi non obedirent Deo ſuo. *Tom. 8. concione prima Pſalmo 70.*

** Ierem. 35.*

*Laudantur & benedicūtur à Deo filij Ionadab propterea quòd ex patris ſui præcepto vinum nō biberint.*

In votis ſumma & ſola virtus eſt obedientiæ. Si ieiunaueritis diebus ac noctibus, orationémque feceritis, ſiue ſacco fueritis humiliati vel cinere, ſi nihil aliud feceritis, niſi quod præceptum eſt lege, & tibi viſus fueris quaſi ſapiens & non obediens patri: omnes virtutes tuas perdidiſti. Vna obedientia plus valet, quàm omnes virtutes. *Et infrà.* Propterea venimus

*Sine obediētia non proſunt virtutes cæteræ.*

*Monachus ſeculi libertatẽ Chriſti ſeruitute cõmutat.*

ad monaſterium, ſeculi libertatem perdidimus, vt ſeruitutem Chriſti accipiamus. *Tom.9. ſerm. de obedientia & humilitate, cap.1.*

### *X. Monachos ex antiqua traditione tonderi.*

QVid autem iniquius, quàm velle ſibi obtemperari à minoribus (*hæc in Monachos quoſdam dicuntur*) & nolle obtemperare maioribus? Apoſtolo dico, non nobis, in tantum vt etiam comam iam nutriant. Vnde ille nec diſputari omnino voluit, dicens: * *Si autem quis vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Hoc autem præcipio, vt ſcilicet non differentis ſolertia requiratur, ſed præcipientis auctoritas attendatur. Nam & hoc quo pertinet quæſo, tam apertè contra Apoſtoli præcepta comari? * An ita vacandum eſt, vt nec tonſores operentur? An quia Euangelicas volucres imitari ſe dicũt, quaſi depilari timent, ne volare non poſſint? Vereor in hoc vitio plura dicere, propter quoſdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa, & penè omnia veneramur. Sed quò magis eos in Chriſto diligimus, eò ſolicitius admonemus. Neque enim metuimus, ne humilitas eorum reſpuat admonitionem noſtram, quandoquidem & nos à talibus, vbi fortè titubamus aut aberramus, cupimus admoneri. Hoc ergo admonemus tam ſanctos viros, ne ſtultis vanorum hominum argumentationibus moueantur, & eos in hac peruerſitate imitentur, quibus ſunt in cæteris longè diſſimiles. Illi enim venalem circunferentes hypocriſim, timent ne vilior habeatur tonſa ſanctitas, quàm comata, vt videlicet qui eos videt, antiquos illos quos legimus cogitet, Samuelem & cæteros qui non tondebantur. Nec cogitat quid interſit inter illud propheticum velamentum, & hanc Euangelij reuelationem, de qua dicit Apoſtolus: * Cùm tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Quod enim ſignificabat velamen interpoſitum inter faciem Moſi & aſpectum populi Iſraël, hoc ſignificabat illis temporibus etiam coma ſanctorum. Nam idem Apoſtolus etiam comam pro velamento eſſe dicit, cuius auctoritate iſti

* 1. Cor. 11.

* *aliâs* vacari.

*Dolet Auguſtinus crinitos eſſe Monachos: noui tamẽ hæretici raſos illos per cõtemptũ nominant ac rident.*

* 2. Cor. 3.



vrgentur: Apertè quippè ait: * *Vir quidem ſi comatus ſit, ignominia eſt illi*: Ipſam ignominiam, inquiunt, ſuſcipimus merito peccatorum noſtrorum, ad hoc obtendentes ſimulatæ humilitatis vmbraculum, vt ſub eo proponant venalem typhum, quaſi Apoſtolus ſuperbiam doceat, cùm dicit, * *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, confundit caput ſuum*: Et vir quidem non debet velare caput ſuum, cùm ſit imago & gloria Dei. Qui ergo dicit, Non debet: neſcit fortè docere humilitatem. Sed ſi hanc ignominiam tempore Euangelij, quod erat Sacramentum tempore prophetiæ, pro humilitate iſti appetunt, tondeant, & cilicio caput velent. *Tom.3. de opere Monachorum, cap.31.*

* 1. Cor. 11.

* *Ibidem.*

### *XI. Qui coniugati erant, Monachos nonnunquam factos fuiſſe.*

VNde incidit vt diceret Potitianus, neſcio quando ſe & tres alios contubernales ſuos, nimirum apud Treuiros, cùm Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiſſe deâbulatum in hortos muris contiguos, atque illic vt fortè combinati ſpaciabantur, vnum ſecum ſeorſum, & alios duos itidem ſeorſum paritérque digreſſos: ſed illos vagabundos irruiſſe in quandam caſam, vbi habitabant quidam ſerui tui, ſpiritu * pauperes, qualium eſt regnum cœlorum, & inueniſſe ibi codicem, in quo ſcripta erat vita Antonij. Quã legere cœpit vnus eorum, & mirari & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia ſeculari ſeruire tibi. Erat autem ex eis quos dicunt Agentes in rebus. Tunc ſubito repletus amore ſancto & ſobrio pudore, iratus ita ſibi coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei cauſa militamus? Maiórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenúmque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quãdiu iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turgidus parturitione nouæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus vbi tu vi-

* *Matth. 5.*

*Quàm vtilis ſit piorum librorũ lectio. Vita S. Anthonij.*

debas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit & voluit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando, & diſcreuit, decreuítque meliora. Iam iámque tuus,* ait amico ſuo, Ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari noli aduerſari. Reſpondit illi adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim ſumptu idoneo, relinquẽdi omnia & ſequendi te. Item Potitianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabãt, quærentes eos, deuenerunt in eundem locum, & inuenientes, admonuerunt vt redirent, quoniam declinaſſet dies. At illi narrato placito & propoſito ſuo, quóque modo in eis talis voluntas orta eſſet atque firmata, petiuerunt ne ſibi moleſti eſſent, ſi adiungi recuſarent. Iſti autem nihilo mutati à priſtinis, fleuerunt ſe tamen, vt dicebat, atque illis piè congratulati ſunt, & commendauerunt ſe orationibus eorum, & trahentes cor in terra abierunt in palatium, illi autem affigentes cor cœlo, manſerunt in caſa: Et ambo habebant ſpõſas: Quæ poſtquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipſæ virginitatem tibi. *Tom. 1. confeſſ. lib. 8. cap. 6. Huc pertinet Epiſt. 199. ad Edictam, in qua & de veſte monachali diſputatio eſt.*

*aliàs, Iámque quietus.

*Ecce quid ſit relinquere cũcta, & Chriſtum ſequi.*

*Sponſæ ſpõſos imitatæ, ſuã dedicauerunt Deo virginitatem.*

### XII. *Propter carnalem erga parentes affectum, vota religionis deſerenda non eſſe.*

LEgi Epiſtolam, quam miſiſti fratribus conſolari te cupiens, quòd multis tentationibus tua tyrocinia quatiantur. In qua etiam inſinuaſti deſiderare te literas noſtras. Condolui frater, & ceſſare ab ſcribendo nõ potui, ne non ſolùm tuo, ſed etiam meo deſiderio negaremus, quod me videbam officio debere caritatis. Si te igitur tyronem Chriſti profiteris, caſtra ne deſeras, in quibus tibi étiam ædificanda turris eſt, illa de qua in Euangelio* Dominus loquitur: In ea quippe ſtantem & ſub armis verbi Dei militantem, nulla ex parte penetrare vllæ tentationes valent. Inde & iactata in aduer-

* *Luc. 14.*



ſarium tela, graui pondere veniunt, & profecta firmo munimine deuitantur. Conſidera etiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cùm ſit rex noſter, tamen à ſocietate, qua etiam frater eſſe dignatus eſt reges appellaſſe milites ſuos, & vnumquenque ad bellandum cum rege, qui habet viginti milia, inſtructione decem milium idoneum eſſe debere præmonuit. Sed paulò antequàm de turre & de rege exhortatorias ſimilitudines poneret attende qui dixerit: * *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios & fratres & ſorores, adhuc & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ſi non tulerit crucem ſuam & venerit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Deinde ſubiungit: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non primò ſedet & computat ſi ſumptus habet ad conſummationem, ne quando cùm poſuerit fundamentum, non poſſit ædificare, & omnes qui tranſeunt & vident incipiant dicere: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere? Aut quis rex vadens committere bellum cum alio rege, non primùm ſedet & cogitat, ſi potens eſt cum decem milibus ei occurrere, qui cum viginti milibus venit ad illum?* Cæterùm dum adhuc longè eſt, mittit legationem, rogans pacem. Quò autem pertinent iſtæ ſimilitudines, ipſa concluſione ſatis apparuit. Ait enim: Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ ſunt eius, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Itaque & ſumptus ad turrim ædificandam, & bellantium valentia decem milium aduerſus regem qui viginti habet, nihil eſt aliud, quàm vt renunciet vnuſquiſque omnibus quæ ſunt eius. Præloquutio autem ſuperior, cum extrema concluſione concordat. In eo enim quod vnuſquiſque renunciat omnibus quæ ſunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc & animam ſuã: Omnia enim hæc propria eius ſunt, quæ plerunque implicent & impediunt ad obtinenda, non iſta propria temporaliter tranſitura, ſed in æternum manſura communia. Quo enim tibi modo nunc quędam mulier mater eſt, hoc ipſo vtique non eſt & mihi. Quapropter hoc temporale ac tranſitorium eſt: ſicut

* *Luc. 14.*

transiſſe iam vides quod te concepit, quod geſtauit vtero, quod peperit, quod lacte nutriuit. Quod autem ſoror in Chriſto eſt, & tibi eſt & mihi, & omnibus quibus vna cœleſtis hæreditas, & pater Deus, & frater Chriſtus, in eadem caritatis ſocietate promittitur. Hæc æterna ſunt: hæc nulla temporis labe deteruntur: hæc tantò firmius tenenda ſperantur, quantò minus priuato, ſed communi potius iure, obtinenda prædicantur. Potes hoc facillimè in ipſa tua matre cognoſcere. Nam vnde te nunc irretitum inuoluit, & ab inſtituto curſu retardatum inflectit, & curuat, niſi ex quo tua propria mater eſt? Nam ex quo ſoror eſt omnium, quibus eſt pater Deus, & mater Eccleſia, tam te non impedit, quàm neque me, neque omnes fratres noſtros, qui eam non priuata, ſicut tu in domo veſtra, ſed publica, in domo Dei, caritate diligimus. Quod ergò tu illi etiam carnali neceſſitudine annecteris, ad ſortem valere debet familiarius colloquendi, & apertiore ianua conſulendi, vt hoc ipſum quo te priuatim diligit, interficiatur in ea, ne quod ex vtero ſuo te genuit, pluris pendat, quàm quod ex vtero Eccleſiæ genita eſt tecum. Quod autem de matre dixi, hoc de tali cætera propinquitate intelligendum eſt. Hoc etiam quiſque de anima ſua cogitet, vt etiam in ipſa priuatum affectum oderit, qui proculdubio temporalis eſt. Diligat autem in eo communionem ſocietatémque illam, qua dictum eſt:* Erat illis in Deum anima vna & cor vnum. Sic enim anima tua nō eſt propria, ſed omnium fratrum, quorum etiam animæ tuæ ſunt, vel potius quorum animæ cum tua non animæ, ſed anima vna eſt, Chriſti vnica, quæ de manu canis vt eruatur, canitur in * Pſalmis. Inde ad contemptum mortis facillimè peruenitur. Nec ſuccenſeant parentes hoc præcipere Dominum, vt eos oderimus, quādo nobis hoc de anima noſtra præcipitur. Nam ſicut nunc de anima iubetur, vt eam propter Chriſtum cum parētibus oderimus: ita quod alio loco de anima idem Dominus dicit, in parentes quoque poteſt congruentiſſimè conuenire: * *Qui amat* inquit, *animam ſuam, perdet eam.* Dicat etiam fidenter: Qui amat parentes ſuos, perdet eos. De anima quippe hoc ibi dixit, oderit: quod hic, perdet.

** Act. 4.*

** Pſal. 21.*

** Ioan. 12.*



Sicut autem hoc præceptum quo perdere iubemur animam noſtram, non ad id valet, vt ſe quiſque interimat, quod inexpiabile nefas eſt: & tamen valet vt interimat in ſe carnalem animæ affectum, quó cum impedimento futuræ vitæ præſens vita delectat. Hoc eſt enim quod dictum eſt, oderit animam ſuam, & perdat eam. Quod tamen in diligendo fit, quandoquidem apertiſſimè fructum eiuſdem animæ acquirendæ, in eodem præcepto commemorat dicens: Qui perdidit eam in iſto ſeculo, in vita æterna inueniet eam: ita de parentibus rectiſſimè dicitur, vt qui eos amat perdat eos, non more parricidarum interficiens, ſed ſpiritali gladio, verbo Dei, carnalem affectum eorum, quo & ſeipſos & eos quos ipſi genuerūt irritamentis huius ſeculi obligare conantur, piè fidentérque percutiens, & occidens, illud in eis viuere faciat, quo fratres ſunt, quo cum filiis ſuis temporalibus, parentes æternos Deum Eccleſiámque cognoſcunt. Ecce rapit te ſtudium veritatis cognoſcendæ, atque percipiendæ voluntatis Dei in ſcripturis ſanctis. Rapit Euangelicæ prædicationis officium. Dat ſignum Dominus vt vigilemus in caſtris, vt ædificemus turrim, de qua hoſtem ſempiternæ vitæ & proſpicere & propellere valeamus. Rapit militem Chriſti tuba cœleſtis ad prælium, & retinet mater? Non planè talis, qualis Maccabæorum * fuit, nec ſaltem ſimilis Lacedęmoniis matribus, de quibus memoriæ traditum eſt, quòd filios ſuos vt pro terrena patria ſanguinem funderent, multò amplius atque ardentius in certamina bellica, quàm ſignorum ſonitus, excitabant. Nam mater, quæ te, ad diſcendam vitam, remoueri à curis ſecularibus nō permittit, ſatis oſtendit quemadmodum te, ſi opus eſſet, ad obeundam mortem penitus ſeculum repudiare permitteret. Sed quid dicit, aut quid allegat? Fortè decem illos menſes, quibus viſcera eius onerasti, & dolores parturitionis ac labores educationis? Hoc, hoc interfice verbo ſalutari, hoc perde matris, vt in vitam æternam inuenias eam. Hoc memēto vt oderis in ea, ſi diligis eam, ſi tyro Chriſti es, ſi turris fundamenta poſuiſti, ne dicant tranſeuntes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perficere. Carnalis

*Quo pacto parētes odiſſe, à Domino iubemur.*

*Carnalis parentum affectus, quo & ſeipſos & filios irritamētis huius ſeculi obligare conātur, verbo Dei perdēdus & occidēdus.*

**2. Macc. 7.*

*Argumētū carnaliū parentum.*

enim affectus eſt iſte, & adhuc veterem hominem ſonat. Hunc carnalem affectum, & in nobis & in noſtris, militia Chriſti vt perimamus hortatur: nec tamen ita vt ingratus ſit quiſque parentibus, & eadem ipſa beneficia, quibus in vitam hanc æditus, ſuſceptus atque nutritus eſt, enumerata derideat: ſeruet potius vbique pietatem. Habent hæc locum vbi maiora non vocāt. Mater Eccleſia, mater eſt etiam matris tuæ. Hæc nos de Chriſto concepit, hæc martyrum ſanguine parturiuit, hæc in ſempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutriuit & nutrit, cibóſque maiores præparans quod adhuc paruuli & ſine dētibus vagire vultis, horreſcit. Hæc mater toto orbe diffuſa, tam variis & multiplicibus errorum infeſtationibus agitatur, vt abortiui iam filij eius, aduerſus eam infeſtis armis belligerare non dubitent. Ignauia etiam atque torpore quorundam, quos gremio continet, membra ſua frigeſcere plurimis locis & fouendis paruulis minus idonea fieri, dolet. Vnde niſi per alios filios, vnde niſi per alia membra, quorum è numero es, iuſtum ac debitum poſcit auxilium? Huiúſne tu neceſſitates deſerens, ad carnalia verba conuertaris? Nónne hæc grauioribus querelis inſonat auribus? Nónne hæc cariora viſcera, & cœleſtia vbera oſtentat? Adde viri eius ſuſceptionem carnis, ne carnalibus inhæreres; & à verbo æterno vniuerſa, quæ tibi mater improperat, ne his implicareris aſſumpta: adde contumelias, flagella, mortem, mortem autem crucis. Talibus concepit te ſeminibus, talíque in vitam nouam connubio procreat. Langueſcis & contabeſcis in veterem hominem? Itáne matrem terrenam, non habebat imperator tuus? Quæ tamen cum ei nunciaretur agenti cœleſtia, reſpondit: * Quæ mihi mater, aut qui fratres? Et extendens manum in diſcipulos ſuos dixit, non pertinere ad cognationem ſuam, niſi qui facerent voluntatem patris eius. In quo numero profectò etiam ipſam ſanctam Mariam benignus incluſit: Faciebat enim & illa voluntatem patris eius. Ita optimus magiſter atque diuinus, & maternum nomen, quod ei quaſi priuatum propriúmque nunciauerant, quia terrenum erat, in comparatione cœleſtis propinquitatis, abiecit:

*Habēda ratio parentum vbi maiora non vocant. Plus Eccleſiæ matri, nam ei quæ ſecundum carnem nos genuit, debemus.*

** Matth. 12. Mar. 3. Luc. 8.*



& eandem cœleſtem propinquitatem, in diſcipulis ſuis commemorans, quo ſibi rurſum conſortio generis, cum cæteris ſanctis virgo ſancta cohæreret, oſtendit. Et ne iſto ſaluberrimo magiſterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus docuit, adminiculum error acciperet, quo matrem à quibuſdam habuiſſe negatur, alio loco diſcipulos monuit ne ſe patrem in terris dicant habere, vt quomodo illos manifeſtum eſt habuiſſe patres, ſic ſe habuiſſe matrem manifeſtaret, cuius tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium neceſſitudinum diſcipulis præberet exemplum. Hæc igitur interrumpuntur vocibus matris tuæ, & inter hæc locum inuenit commemoratio prægnantis atque lactentis, vt de Adam & Eua alius Adam naſcereris, & nutrireris? Reſpice potius, reſpice Adam ſecundum de cælo, & porta iam cœleſtis imaginem, ſicut terreni * portaſti: imò & hîc locum habeant materna ipſa beneficia, quæ tibi ad eneruationem cordis enumerantur. Habeant prorſus locum; noli eſſe ingratus, repende gratiam matri tuæ, repende ſpiritalia pro carnalibus, pro temporalibus ſempiterna. Sed qui non vult ſequi, non impediat. Qui non vult conuerti in melius, caueat ne in deterius peruertat & euertat. Quid intereſt vtrum in vxore, an in matre, dum tamen Eua in qualibet muliere, caueatur? Nam iſta vmbra pietatis de foliis illius arboris venit, quibus ſe primùm parentes noſtri, in iſta damnabili nuditate texerunt. Et quicquid in illis verbis atque ſuggeſtione, quaſi officium tibi caritatis obtendit, vt à germaniſſima atque ſynceriſſima Euangelij caritate te detorqueat, ad aſtutiam ſerpentis pertinet, & ad duplicitatem regis illius, * qui habet viginti milia, quam nos docemur decem milium, hoc eſt cordis, in qua Deum quærimus ſimplicitate ſuperare. His potius intende cariſſime, & tolle crucem tuam & ſequere Dominum. *Tom. 2. Epiſt. 38. ad Lætum.*

*Chriſtus Dominus ſaluberrimo magiſterio & exemplo carnalē affectū in parētibus contemni docuit.*

*Matt. 23.*

** 1. Cor. 15.*

** Luc. 14.*

### *XIII. Monachos apoſtatas, quia retro reſpexerunt in aperto æternæ ſalutis diſcrimine verſari.*

REprobati ſunt in populo Iſraël, qui feſtinauerunt aſſiduè: affectus iſte reprehenditur in ſcriptura feſtinantium. Qui ſunt enim qui feſtinant? Qui conuerſi ad Deum, cùm hîc non inuenerint requiem quam quærebant, & gaudia quæ promittebantur, tanquam in itinere deficientes, & longum ſibi quiddam donec hoc ſeculum, vel hæc vita finiatur, reſtare arbitrãtes, & quęrentes hîc aliquam requiem, quæ ſi habetur falſa eſt, reſpiciunt retro & decidunt à propoſito, nec attendunt cum quanto terrore dictum eſt,* *Mementote vxoris Loth.* Vt quid enim in ſtatuam ſalis verſa eſt, ſi non homines condit vt ſapiant? Ergo exemplum illius malum, tibi ſit bonum ſi caueris: *Mementote*, inquit, vxoris Loth. Reſpexit* enim retro vnde liberata erat à Sodomis, & ibi remanſit vnde reſpexit: ipſa in loco manſura, & tranſeuntes alios conditura. Liberati ergo à Sodomis præteritæ vitæ, non reſpiciamus retro. Nam hoc feſtinare eſt, non attendere quod promiſit Deus, quia longè eſt: & reſpicere ad id quod proximum eſt, vnde iam liberatus es. De talibus quid dicit Apoſtolus Petrus?* Contigit illis res veri prouerbij, canis reuerſus ad ſuum vomitum. Premebat enim pectus conſcientia peccatorum, accepta indulgentia quaſi vomuiſſet, & reuelatum eſt peccatum tuum, facta eſt bona conſcientia ex mala conſcientia. Quid rurſus conuerteris ad vomitũ tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? *Tom.8. Pſal.83. circa initium.*

*Vnde fit vt quidam retro reſpiciant.*

* *Luc.17.*

* *Gen.19.*

* *Prou.26.* *2. Pet. 2.*

*Apoſtatæ canes reuerſi ad vomitum.*

Vnuſquiſque autem fratres cariſſimi, de loco itineris ſui ad quem proficiſcendo* peruenit, & quem vouit Deo, inde reſpicit retro cùm ipſum dimiſerit *a*. Verbi gratia, ſtatuit caſtitatem coniugalem ſeruare (inde enim incipit iuſtitia) receſſit à fornicationibus, & ab illa illicita immunditia: quando ſe ad fornicationes conuerterit, retro reſpexit. Alius ex munere Dei maius aliquid vouit, ſtatuit nec nuptias pati, qui non damnaretur ſi duxiſſet vxorem: poſt votum quod Deo promiſit ſi duxerit, damnabitur *b*, cùm hoc faciat quod ille qui non promiſerat: tamen ille non damnatur, iſte damnatur. Quare, niſi quia iſte reſpexit retro? Iam enim ille antè erat, iſte autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo *quæ ſi nuberet, non peccaret: ſanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur. Reſpexit enim retro de loco quò acceſſerat. Sic quibus placet relicta omni ſpe ſeculari & omni actione terrena conferre ſe in ſocietatem ſanctorum, in communem illam vitam vbi non dicit aliquis aliquid proprium *c*, ſed ſunt illis omnia communia, * & eſt illis anima vna & cor vnum in Deum: quiſquis inde recedere voluerit, non talis habetur, qualis ille qui non intrauit. Ille enim nondum acceſſit, iſte retro reſpexit. Quapropter cariſſimi, quomodo quiſque poteſt, vouete * & reddite Domino Deo veſtro quod quiſque potuerit, nemo retro reſpiciat, nemo priſtinis ſuis delectetur, nemo auertatur ab eo quod antè eſt, ad id quod retro eſt. *Ibidem.*

* *aliàs* proficiendo.

*a Reſpicit retro, quicũque ab eo deficit, quod Deo vouit.*

*b Qui poſt caſtitatis votũ vxorem ducit, quare dãnetur.*



* *1.Cor.7.*

*c Per votum religionis, ſecularis omnis relinquitur ſpes, & vitæ cõmunis inſtituta capiuntur, in qua nemo quicquã tanquã ſuum poſſideat.*

* *Act. 2. et 4.*

* *Pſalm. 75.*

*a Religio portui ſimilis.*

Si nulla ex parte haberet (*portus aditum*) nulla in eum nauis intraret *a*. Oportet ergo vt ex aliqua parte pateat. Aliquando autem per eam partem qua patet ventus irruit, & vbi ſcopuli non ſunt, naues ſe inuicem colliſæ confringunt. Vbi ergo ſecuritas, ſi nec in portu? Et tamen vtrunque fœliciores in portu quàm in pelago, fatendum eſt, concedendum eſt *b*, verum eſt: tamen ſi naues in portu bene ſibi applicentur, non ſibi collidũtur. Seruetur tibi parilitas æqualitatis, conſtantia caritatis: & quando fortè ventus ex illa parte qua patet irruerit, ſit tibi cauta gubernatio. Nam quid dicturus eſt mihi quiſquis talibus locis fortè præeſt, imò ſeruit fratribus in his quæ monaſteria dicuntur? quid dicturus eſt? cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admiſſurus ſum, cum paucis bonis bene mihi erit. Vbi cognoſcis, quem fortè vis excludere? Vt cognoſcatur malus, intus probandus eſt. Quomodo ergo excludis intraturum, qui poſtea probandus eſt, & probari niſi intrauerit non poteſt? Repelles omnes malos? Dicis enim, & noſti inſpicere. Omnes nudis cordibus ad te veniũt qui intraturi ſunt? Ipſi ſe non nouerunt, quãto minus tu. Multi enim ſibi promiſerunt quod impleturi eſſent illam vitam ſanctam, in cõmune habentem omnia, vbi nemo dicit aliquid ſuũ, *quibus eſt vna anima, & cor vnũ in Deum: miſſi ſunt

*b In religione, quãuis nõ ſit pfecta ſecuritas, tutiores tamẽ ſumus quàm in ſeculo.*

* *Act.2.et 4.*

in fornacem & crepuerunt *Tom.8.Pſal.99.in expoſitione.*

Fuit quidam in noſtro monaſterio, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, reſpondebat: qualiſcunque nunc ſim, talis ero qualem me Deus futurum eſſe præſciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum, ſed vſque adeò profecit in malum, vt deſerta monaſterij ſocietate fieret canis * reuerſus ad ſuum vomitum, & tamen adhuc qualis ſit futurus incertum eſt. *Tom.7.de bono perſeuerant.cap.15.*

*Religioſus monaſterium deſerens, cani ad vomitum reuerſo comparatur.*

* *Prou.26. 2.Pet.2.*

## *XIIII. Monachos apoſtatas ad clericatum aut præfecturam admittendos non eſſe.*

*16 q.1 c. Legi epiſtolam.*

LEgi Epiſtolam benignitatis tuæ de Donato & fratre eius, & quid reſponderem, diu fluctuaui. Sed tamen etiam atque etiam cogitanti, quid ſit vtile ſaluti eorum, quibus in Chriſto nutriendis ſeruimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, niſi non eſſe iſtam viam dandam ſeruis Dei, vt ſe facilius putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores *a*. Et ipſis enim facilis lapſus, & ordini clericorum fit indigniſſima iniuria, ſi deſertores monaſteriorum ad militiam clericatus eligantur, cùm ex his, qui in monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores atque meliores in clerum aſſumere ſoleamus, niſi fortè, ſicut vulgares dicunt: Malus choraula bonus ſymphoniacus eſt: ita iidem ipſi vulgares de nobis iocabũtur dicentes: Malus monachus bonus clericus eſt. Nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam monachos ſurrigamus, & tam graui contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero ſumus *b*, cùm aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamen deſit inſtructio neceſſaria, aut perſonæ regularis integritas. *Tom.2.Epiſt.76.ad Aurelium.*

*a Nullus ſectando deterior dignus efficitur, qui ad meliora prouehatur.*

*b Cùm monachus apoſtata, clericus fit & monachis occaſio præbetur ſuperbiendi, & clericorũ ordo graui afficitur contumelia. At verò apud nouos hæreticos monachi apoſtatæ tãquã Apoſtoli & Prophetæ honorantur.*

Placuit vt ſiquis de alterius monaſterio repertum vel ad clericatum promouere voluerit, vel in ſuo monaſterio maiorem monaſterij conſtituerit: Epiſcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione ſeiunctus, ſuæ



tantùm plebis communione contentus ſit: & ille neque clericus, neque præpoſitus perſeueret. *Tom.1. Conciliorũ, concil.Afric.cap.47. Vide & Concil. Carth.5.ca.13.*

Recenti autem Concilio ſtatutum eſt, vt de aliquo monaſterio qui receſſerint vel proiecti fuerint, non fiant alibi clerici, aut præpoſiti monaſteriorum. *Tom.2. Epiſt.235.ſub finem, ad Quintianum.*

*Diſcedentes vel expulſi ex monaſteriis, nec clerici, nec monaſteriorum Præpoſiti cõſtituendi.*

## *XV. Propter nonnullos improbos non eſſe omnes monachos infamandos.*

NOlite itaque augere cruciatus meos (*admonet Auguſtinus Hipponenſes, ne propter obiectum crimen presbytero cuidam à quodam clerico, temere de aliis clericis iudicent aut malè ſuſpicentur.*) deficiendo vel in ſuſpicionibus falſis, vel in peccatis alienis. Nolite obſecro vos, ne dicam de vobis: Et ſuper dolores vulnerum meorum addiderũt: nam illi qui gaudent de iſtis doloribus noſtris, de quibus in perſona corporis Chriſti tantò antè prædictum eſt:* *Aduerſus me inſultabant, qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum*: multò tolerabilius ſuſtinentur, pro quibus tamen etiam ipſi orare, & bonum eis velle didicimus. Ad quid enim aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel clericus, vel monachus, vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata inuenitur adultera, nec proiiciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus, qui ſanctum nomẽ profitentur, aliquid criminis vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Hos ergo de noſtris doloribus ſuauitatẽ ſuæ malæ linguæ captantes, facilè eſt, vt illis canibus comparemus, ſi fortè in malo intelligendi ſunt, qui lingebant* vulnera pauperis illius, qui ante ianuam diuitis iacebat, & quo vſque veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa & indigna omnia tolerabat. *Tom.2.Epiſt. 137.ad plebem Hipponenſem.*

* *Pſalm.68.*

*Hæc diligentiſſimè obſeruant noſtri temporis hæretici.*

* *Luc.16.*

Quantumlibet enim vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit quàm arca Noë

*a Vix vlla tam fœlix ſo*

*a* vbi tamen inter octo homines reprobus vnus* inuentus eſt: aut melior ſit quàm domus Abrahæ, vbi dictũ eſt, * *Eiice ancillam & filium eius*: aut melior ſit, quàm domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*: aut melior ſit quàm domus ipſius Iacob, vbi lectum * patris filius inceſtauit: aut melior ſit quàm domus ipſius Dauid, cuius filius cum ſorore * concubuit, cuius alter filius * contra patris tam ſanctam manſuetudinem rebellauit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes bonos habitaret, non diceret quod ſuperius commemoraui, * *Foris pugnæ, intus timores*: nec diceret cùm de ſanctitate & fide Timothei loqueretur, * *Neminem habeo, qui germane de vobis ſollicitus ſit*. Omnes enim ſua quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti: aut melior quàm cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt: aut melior ſit poſtremò, quàm cælum, vnde angeli ceciderunt. Simpliciter autem fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animã meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus peiores *b*, quàm qui in monaſteriis ceciderunt: ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, * Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc. Quapropter etſi contriſtamur, de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis *c*. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi veſtri offenduntur, *d* torcularia deteſtari, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris implentur. *Ibidem, ſub finem Epiſtolæ.*

Nemo vos fallat fratres: ſi non vultis falli, & vultis amare fratres, ſcitote omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos. Non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem profeſſionem habere fictas perſonas *a*. Sũt Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni. Quaſi plures malos vides, quia palea * ſunt, & te ad grana peruenire non permittunt. Sunt ibi & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium. Inuenis ſanctimoniales indiſciplinatas, ... tamen omnis homo fictus. * *Matth. 3.*

*dalitas, in qua non aliquis extiterit improbus.*
* *Geneſ. 9.*
* *Gen. 21.*
*Galat. 4.*
*Malach. 1.*
*Rom. 9.*
* *Geneſ. 35.*
* *2. Reg. 13.*
* *2. Reg. 15.*
* *2. Cor. 7.*
* *Phil. 2.*
* *Ioan. 12.*
*b Vt his, qui in monaſteriis profecerunt, vix vlli meliores: ſic apoſtatis, vix vlli deteriores.*
* *Apoc. 22.*
*c Apoſtatæ purgamenta, ſtè verò perſeuerantes in monaſteriis, ornamenta ſunt Eccleſiæ.*
*d Propter amurcam non deteſtanda torcularia.*
*a In omni profeſſione ſunt fictæ perſonæ, non*



natas, Nunquid ideo ſanctimonium reprehendendum *b* eſt? Multæ non ſtant in domibus ſuis, circumeunt domos alienas curioſè agentes, loquentes* quæ non oportet, ſuperbæ, linguatæ, ebrioſæ. Et ſi virgines ſunt, quid prodeſt integra caro, mente corrupta? Melius eſt humile coniugiũ, quã ſuperba virginitas. Si enim nuberet nõ haberet nomẽ, vnde extolleretur, & haberet frænũ quo regeretur. Sed nunquid propter virgines malas damnaturi ſumus & ſanctas * & corpore & ſpiritu? Aut propter iſtas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? Vndique vnus * aſſumetur, & vnus relinquetur. *Tom. 8. in Pſal. 99. ſub finem expoſitionis huius Pſalmi.*

O ſacri ſerui Dei milites Chriſti, ita ne diſſimulatis callidiſſimi hoſtis inſidias, qui bonam famam veſtram, tam bonum Chriſti * odorem, ne dicant animæ bonæ, * poſt odorem vnguentorum tuorũ curremus, & ſic laqueos eius euadant, omni modo cupiens obſcurare putoribus ſuis, tam multos hypocritas ſub habitu monachorum vſquequaque diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alij membra martyrum, ſi tamen martyrum venditant: alij fimbrias & phylacteria * ſua magnificant: alij parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel in illa regione ſe audiſſe viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ precium ſanctitatis: cùm interea vbicũq; in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, vel quoquomodo innotuerint, ſub generali nomine monachorum, veſtrum propoſitum blaſphematur, tã bonum, tam ſanctum, quod in Chriſti nomine cupimus, ſicut per alias terras, ſic per totam Africam pullulare. Nónne ergo inflãmamini zelo Dei? Nónne concaleſcit cor veſtrum intra vos, & in meditatione veſtra * exardeſcit ignis, vt iſtorum mala opera bonis operibus perſequamini, vt eis amputetis occaſionem turpium nundinarum, quibus exiſtimatio veſtra læditur, & infirmis * offendiculum ponitur? *Tom. 5. de opere monachorum, cap. 28.*

Nemo laceret ſeruos Dei quia non expedit lacerantibus. Seruis Dei quidem merces falſis detractationi-

*b Propter ſanctimoniales vicioſas non damnandum ſanctimonium.*
* *1. Tim. 5.*
* *1. Cor. 7.*
* *Matt. 27.*
* *2. Cor. 2.*
* *Cant. 1.*
* *Matt. 23.*
*Propoſitum monachorum bonum & ſanctum.*
* *Pſalm. 38.*
* *Rom. 14.*

bus creſcit, ſed creſcit pœna etiam detrahentibus. Non ſine cauſa dictum eſt,* *Gaudete & exultate quando detrahunt de vobis, dicentes falſa, quia merces veſtra magna eſt in cælis.* Nolumus cum detrimento veſtro magnam habere mercedem. Minus ibi habeamus, & tamen vobiſcum ibi regnemus, Amen. *Tom.10 in editione Pariſienſi de communi vita clericorum, ſerm.2.*

* *Matth.5.*

Quid mirum ſi homines ſeruis Dei detrahunt, & qui eorum vitam peruertere non poſſunt, famam decolorare conantur, cùm ipſum Deum & Dominum eorum quotidie blaſphemare nõ ceſſent, cùm eis diſplicet quicquid contra eorum voluntatem iuſto & occulto iudicio facit? *Tom.2. Epiſt.136. ad Felicem & Hilarium.*

## CAPVT NONVM DE DIVERSIS CAERIMONIIS antiquiſſimiſque nonnullis Eccleſiæ conſuetudinibus.

### *I. Cærimonias et ſigna externa ad pietatem vtilia eſſe.*

*a Figuræ atque ſimilitudines rerum ſenſibilium, mouendo affectui accõmodatæ.*

*Animꝰ humanus, à ſimilitudinibꝰ corporum, ad ſpiritalia myſteria trãſiens, vegetatur & ardentiore dilectione ad quietẽ rapitur.*

SI Quæ autem figuræ ſimilitudinem non tantùm de cælo & de ſyderibus, ſed etiam de inferiori creatura ducuntur ad diſpẽſationem Sacramentorum, eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris, mouendo affectui diſcentium *a* accommodata, à viſibilibꝰ ad inuiſibilia, à corporalibus ad ſpiritalia, à tẽporalibus ad *b* æterna. *To.2. Epi.119. ad Ianuarium, cap.7.*

b *Hominis mens à rebus viſibilibus, corporalibus & temporalibus, ad res inuiſibiles, ſpiritales, æternáſq; attollitur.*

Credo quod ipſe animi motus quandiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur: ſi verò feratur ad ſimilitudines corporales, & inde feratur ad ſpiritalia, quæ illis ſimilitudinibus figurantur, ipſo quaſi trãſitu vegetatur, & tanquã in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem &



quietem. *Ibidem, capite vndecimo.*

Nec illorum ergo ſacrificiorum egebat Deus, nec cuiuſquam eget vnquam, ſed rerum diuinitus impartitarum, vel imbuendo virtutibus animo, vel æternæ ſaluti adipiſcendæ quædam ſigna ſunt, quorum celebratione atque functione, non Deo ſed nobis vtilia pietatis officia exercentur. *Tom.2. Epi.5. ad Marcellinum, circa initium.*

*Sacrificia, vel ſigna externa, vel ſacræ cærimoniæ non Deo, ſed nobis conferunt.*

Interrogandus eſt (*Catechumenus*) an hæc credat, atque obſeruare deſideret. Quod cùm reſponderit ſolenniter vtique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus. De Sacramento ſanè quod accepit, cùm ei benè commendatum fuerit, ſignacula quidem rerum diuinarum eſſe viſibilia, ſed res ipſas inuiſibiles in eis honorari: nec ſic habendam eſſe illã ſpeciem benedictione ſanctificatam, quemadmodum habetur in vſu quolibet: dicendum etiam quid ſignificet & ſermo ille quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res ſimilitudinem gerit. Deinde monendus eſt ex hac occaſione, vt ſi quid etiam in ſcripturis audiat quod carnaliter ſonet, etiamſi non intelligit, credat tamen ſpiritale aliquid ſignificari, quod ad ſanctos mores futurámque vitam pertineat. *Tom.4. de Catechizandis rudibus, cap.26.*

*Sacramenta, ſignacula ſũt viſibilia rerũ diuinarum, in quibus res ipſæ inuiſibiles honorãdæ ſunt.*

Nã & orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quamuis eorum inuiſibilis voluntas & cordis intentio Deo nota ſit: nec ille indigeat his indiciis, vt humanus ei pandatur animus: ſed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum gemendúmque humilius atque feruentius. Et neſcio quomodo, cùm hi motus corporis fieri, niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis ille interior inuiſibilis qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent iſta præceſſit: quia facta ſunt, creſcit. *Tom 4. de cura pro mortuis gerenda, cap.5.*

*Externi geſtus orãtium etſi non ſint neceſſarij Deo, hominibus tamen cõducunt atque cõueniunt ad interiorem hominem excitandum & exercitandũ.*

### *II. Hymnos & cantica eccleſiaſtica ab Auguſtino defendi & commendari.*

*Auguſtinus librum cōtra quendā Hilarium ſcripſit, qui hymnorū recitationē in Eccleſia reprehendebat.*

INter hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus Catholicus, neſcio vnde aduerſus Dei miniſtros, vt fieri aſſolet, irritatus, morem qui tunc eſſe apud Carthaginem cœperat, vt Hymni ad altare dicerentur de Pſalmorum libro, ſiue ante oblationē, ſiue cùm diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum, maledica reprehenſione vbicunque poterat lacerabat, aſſerens fieri non oportere. Huic iubentibus fratribus reſpondi, & vocabatur liber ipſe contra Hilarium. Hic liber ſic incipit: Qui dicunt mentionē. *Tom.1.lib.2.retract.ca.11.*

Ad vigilias maturius ſurgite, ad tertiam, ad ſextam, ad nonam ante omnia conuenite. Nullus ſe à tam ſancto opere ſubtrahat, niſi quem infirmitas, aut publica vtilitas, aut fortè certa & grandis neceſſitas tenuerit occupatum. *Tom.10.de tempore, ſerm.55.*

*Amen & Halleluia omnes decantāt Hebraice nullúſque in ſuam linguā trāſferre audet.*

Sciendum eſt Amen & halleluia, quod nec latino nec barbaro licet in ſuam linguam transferre, Hebræo cūctas gentes vocabulo decantare. *Tom.2.epiſt.178. in altercatione cū Paſcentio Arriano. Idem habes Tom.7. contra lit.Petil.lib.2.cap.78.*

Vt autem halleluia per illos ſolos dies quinquaginta (*qui intra Paſcha & Pentecoſten ſunt*) in Eccleſia cantetur, nō vſquequaque obſeruatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi, ipſis autem diebus vbique. *Ibidem, epiſt.119.ad Ianuarium, cap.17.*

*Quantū animi fructum Auguſtinus ex Eccleſiaſticis canticis retulerit.*

Quantum fleui in hymnis & canticis tuis (*apoſtrophe eſt ad Deum*) ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus, commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ: & benè mihi erat cum eis. Non longè cœperat Mediolanēſis Eccleſia genus hoc conſolationis & exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum, concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat aut non multo amplius, cum Iuſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuū Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, quæ fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cū Epiſcopo ſeruo tuo. Ibi mater, ancilla tua, ſollicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc



frigidi à calore ſpiritus tui, excitabamur tamen ciuitate attonita atque turbata. Tunc hymni atque pſalmi, vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentū, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitātibus. *Tom.1.lib.9.Confeſſ.cap.6.& 7.*

*Hymni & pſalmi, quādo & quare, more Orientaliū, in Occidēte frequentari cœperint.*

Aliquando autem hanc ipſam fallaciam (*carnalem nempe delectationem in cantu*) immoderatius cauens erro nimia ſeueritate, ſed valde interdū, vt melos omne cantilenarum ſuauium quibus Dauidicum Pſalterium frequentatur *a*, ab auribus meis remoueri velim, atque ipſius Eccleſiæ, tutiúſque mihi videtur quod de Alexādrino Epiſcopo Athanaſio ſæpè mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi, vt pronūcianti vicinior eſſet quàm canenti *b*. Veruntamē cùm reminiſcor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ *c*, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo commoueor, non cantu, ſed rebus quæ cantantur: cum liquida voce & conuenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius vtilitatem rurſus agnoſco. *Ibidem, lib.10. confeſſ. cap.33.*

*a Frequens olim melos cātilenarum ex Dauidico pſalterio.*
*b Diuus Athanaſius ſic recitari Pſalmos iubebat, vt pronūciari potiꝰ quàm cani viderētur.*
*c Auguſtinꝰ ad cātus Eccleſiæ lachrymas fudit.*

Sine dubitatione faciendum eſt, maximè illud quod etiam de Scripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis & pſalmis canendis, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam vtili. Ad mouendum piè animum, & accendendum diuinæ lectionis affectum, varia conſuetudo eſt & pleraque in Africa Eccleſiæ mēbra pigriora ſunt, ita vt Donatiſtæ nos reprehendant quòd modicè pſallimus in Eccleſia diuina cantica Prophetarum, cū ipſi ebrietates ſuas ad canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum quaſi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non eſt tempus, cùm in Eccleſia fratres cōgregantur, ſancta cantandi, niſi cùm legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur? *Tom.2.*

*Vſus canēdi hymnos & pſalmos, ex Scripturis defendi poteſt.*

*Donatiſtæ imitātur noui hæretici, qui canticis humano ingenio cōpoſitis, multos dementant. Antiſtes quandoque clara voce deprecans. Communis oratio, voce Diaconi indicebatur.*

t

*Deflebat Auguſtinus Eccleſias ſacerdotibus ac miniſtris deſtitutas: virgines ſacras & cōtinentes alios, diſsipatos. Noui tamen hæretici, oppida hæc potius quàm deflenda, factis declarant. Dolebat etiam Auguſtinus, hymnos laudéſque Dei de Eccleſia deperiſſe.*

*Epiſt. 119. ad Ianuariũ, cap. 18. Vide etiã lib. 1. Retra. ca. 19.*

Videbat homo Dei (*Auguſtinus*) ciuitates (*à Vuandis & Alanis*) excidio perditas pariter cum ædificiis, villarúmque habitatores, alios hoſtili nece exſtinctos, alios effugatos atque diſperſos, Eccleſias ſacerdotibus ac miniſtris deſtitutas, virginéſque ſacras & quoſque continentes vbique diſſipatos: & in his alios defeciſſe tormentis, alios gladio interemptos eſſe, alios in captiuitate perdita animi ac corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hoſtibus deſeruire. Cernebat etiam hymnos Dei & laudes de Eccleſiis deperiſſe, ædificia Eccleſiarum quàm plurimis locis ignibus concremata eſſe, ſolennia quoque quæ Deo debentur de propriis locis defeciſſe: ſacrificia ac Sacramenta diuina vel non quæri, vel quærenti qui tradat non facilè reperiri &c. *Tom. 1. Poßidonius in vita Auguſtini, cap. 28.*

In pſalmis aliquando plures cantant, vt oſtendatur, quia de pluribus fit vnus: aliquando vnus cantat, vt oſtendatur quid fiat de pluribus. *Tom. 9. in Euangel. Ioannis, tract. 12.*

*De cantico Te Deum laudamus, ita ſcribit Dacius Mediolanenſis Epiſcopus, cuius memoriam facit S. Greg. 4. dialog. A beato Ambroſio cunctis fidelibus vrbis adſtantibus & videntibus, in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Auguſtinus baptizatus & confirmatus eſt. In quibus fontibus, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus cantantes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus, ſimúlque morantibus ediderunt, quod ab vniuerſa Eccleſia Catholica vſque hodie tenetur & religioſè decantatur. Chron. lib. 1. cap. 10.*

*Doctrinæ diuinæ vim quare ſuauibus cantilenarũ modulis Spiritus ſanctus miſcuerit.*

Quoniamquidem Spiritus ſanctus videns obluctãtem ac reſiſtentem ad virtutis viam humani generis animum, & ad delectationes vitæ huius magis inclinari, quàm ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim ſuæ doctrinæ permiſcuit; vt dum ſuauitate carminis mulcetur auditus, diuini ſermonis pariter vtilitas inſeratur, ſecundũ ſapientes medicos, qui ſi, quãdo vſus popoſcerit, auſteriora medica-



menta ægris offerunt mortalibus, ne æger vtilitatẽ præ auſteritate refugiat, ora ac ſummitates poculi quo remedium porrigunt, melle circumlinunt. *Tom. 8. in Prologo Pſalmorum.*

** Pſalm. 18.*

*a Cantandũ in Eccleſia, non auium more, quæ humana verba tantùm ſonant.*

Deprecati Dominum vt ab occultis * noſtris mũdet nos, & ab alienis parcat ſeruis ſuis, quid hoc ſit intelligere debemus, vt humana ratione, non quaſi auiũ voce cantemus. *a* Nam & meruli & pſitaci & corui & picæ & huiuſcemodi volucres, ſæpe ab hominibus docentur ſonare quod neſciunt. Scienter autem cantare, non aui, ſed homini diuina * voluntate conceſſum eſt. Et quam multi mali & luxurioſi ſic cantant digna auribus ſuis & cordibus, nouimus & dolemus. Eò enim peiores ſunt, quò non poſſunt ignorare quod cantant. *b* Sciunt enim ſe cantare flagitia, & tamen cantant tantò libentius, quantò immundius, quoniã tantò ſe putant debere fieri lætiores, quantò fuerint turpiores. Nos autem qui in Eccleſia diuina eloquia cantare didicimus, ſimul etiam inſtare debemus eſſe quod ſcriptum eſt, * *Beatus populus qui intelligit iubilationem.* Proinde cariſſimi quod conſona voce cantauimus, ſereno etiam corde noſſe ac videre debemus. *c Tom. 8. in Pſalm. 18. expoſitione ſecunda.*

* *aliâs*, cãtare naturæ hominis diuina &c.

*b Carnales homines, obſcena quædã atque auribus ſuis digna cantantes, grauiter peccant.*

** Pſalm. 88.*

*c Quod voce in Eccleſia canitur, corde ſimul meditandũ eſt.*

*III. Tunſionem pectoris, conuerſionem ad orientem, eleuationem manuum, & genuflexionem Chriſtianis olim orantibus non ſine cauſa in vſu fuiſſe.*

MAximè aũt hoc dicendũ fuit, & hinc admonenda charitas veſtra, quia mox vt hoc verbũ ſonuit lectoris, ſecutus eſt etiã ſonus tũſionis pectoris veſtri, audito ſcilicet ꝙ Domin⁹ ait, * *Cõfiteor tibi Pater.* In hoc ipſo quod ſonuit. *Confiteor*, pectora tutudiſtis. Tundere aũt pectus quid eſt, niſi arguere ꝙ latet in pectore, & euidenti pulſu occultũ caſtigare peccatum? *Tom. 10. de verbis Domini, ſerm. 8. Idẽ legitur in ſerm. de tempore. 48.*

** Matth. 11.*

*Tunſione pectoris, peccatum argui ſignificatur.*

** Pſal. 33.*

** Luc. 18.*

*Propè eſt * Dominus his qui obtriuerũt cor.* Videte ſi publicanus iſte* obtriuerat cor, & ibi videbitis, quia propè eſt Domin⁹ his qui obtriuerũt cor. Publicanus autẽ de longinquo ſtabat, & neque volebat ad cœlum ocu-

*Pectoris tunſio contriti cordis ſignũ eſſe debet.*

los ſuos leuare, ſed percutiebat pectus ſuum. Tunſio pectoris, obtritio cordis. *Tom. 8. in Pſalm. 31. enarratione ſecunda.*

*Antiſtites ad altare aſsiſtentes pectora cũ omnibus tundebant.*

*Matth. 6.*

Si falſum eſt (*nos quotidie peccare*) vnde quotidie tũdimus pectora? Quod nos quoque antiſtites ad altare aſsiſtentes cum omnibus facimus. *Et paulò pòſt.* Nam ſi non habemus peccata, & tundentes pectora dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra: ex hoc ipſo certè & grauiter nullo dubitante peccamus, cùm inter ipſa ſacramenta mentimur. *Tom.10.homil.quinquageſima, cap.8.*

*Quare Chriſtiani, ad orientẽ conuerſi orent.*

Et accommodatiſſima iſta ſimilitudo eſt, vt ſpiritaliter tantum intereſſe videatur inter iuſtos & peccatores, quantum corporaliter inter cœlum & terrã. Cuius rei ſignificandæ gratia, cùm ad orationes ſtamus, ad Orientem conuertimur, vnde cœlum ſurgit: non tanquam ibi ſit Deus & quaſi cæteras mundi partes deſeruerit, qui vbique præſens eſt, non locorum ſpaciis, ſed maieſtate potentiæ: ſed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe conuertere, id eſt, ad Dominum, cùm ipſum corpus eius quod eſt terrenũ ad corpus excellentius, id eſt, ad corpus cœleſte conuertitur. *Tom.4.lib.2.de ſerm. Domini in monte, cap.9.*

** Matt. 27.*

*In oratione, quare eleuãdæ manus, & quomodo.*

** 1.Tim.2.*

Leua ergo manus in oratione, Leuauit pro nobis *Dominus Deus noſter manus in cruce, & extenſæ ſunt manus eius pro nobis. Ideò extenſæ ſunt manus eius in cruce, vt manus noſtræ extendantur in bona opera, quia crux ipſius miſericordiam nobis præbuit. Ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis ſacrificiũ Deo ſeipſum, & per illud ſacrificium deleta ſunt omnia peccata noſtra. Leuemus & nos manus noſtras ad Deum in prece, & non confundentur manus noſtræ leuatæ ad Deum, ſi exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit qui leuat manus? Vnde præceptum eſt vt leuatis manibus oremus ad Deum? Apoſtolus enim dicit: * Leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione, vt cùm leuas manus tuas ad Deum, veniãt tibi in mentem opera tua. Quia enim manus iſtæ leuantur vt impetres quod vis, ipſas manus cogitans in bonis operibus exerce, ne erubeſcant leuari ad Deum. *Tom.8.in Pſal.62.expoſitionẽ illorum verborum: In nomine tuo le-*





*uabo manus meas. Huc etiam pertinent quædam ex lib.2. ad Simplic. quæſt. 4.*

## IIII. *Quanta ſit ſigni crucis dignitas & quanta virtus.*

*Sunt quædã exteriora ſigna, pigritãtis fidei excitatoria.*

SVnt quædam exteriora ſigna, pigritantis etiam fidei aliquando excitatoria, & quaſi quandam compunctionẽ penetrabilibus ſuis figentia, quæ & Chriſtianitatis religio vult obſeruari & amicorum ad infirmos conuenientium deuotio gaudet adimpleri. Hæc & tu fili mi non negligas, erunt ſiquidem & tibi ipſi ſalubria, & mihi chariſque tuis cõſolatoria. Habent ſiquidem Chriſtianorũ arcana illius Dominicæ crucis quaſi quoddam venerabile monimentum, quod de crucis ipſius imaginatione crucẽ cognominant, quod & nos omni veneratione digniſſimum fatemur, & ad recordationem crucifixi noſtri veneramur. Adiicitur etenim ſuper crucem quædã hominis inibi patiẽtis imago, per quod ſalutifera Ieſu Chriſti nobis renouatur paſſio: *a* hanc complectere humiliter, venerare ſuppliciter, tamen hæc ad memoriam tibi reduces.

*a Imaginis Chriſti crucifixi vſus.*

*Nec Deus eſt, nec homo, b præſens quam cerno figura:*
*Sed Deus eſt & homo, quem ſignat ſacra figura,*
*Verus homo, verúſque Deus, tamen vnus vterque:*
*Probra crucis patitur, mortem ſubit & ſepelitur:*
*Viuit idem, crucis hæc per ſigna triumphat ab hoſte;*
*Id notum vobis crucis huius littera reddit:*
*Scilicet ipſius nota ſunt crux & crucifixus:*
*Hæc & ego veneror, c Ieſum quoque ſemper adoro.*

*b Verſus ad imaginem Chriſti crucifixi.*

*c Preces ad imaginẽ factas, & honorem illi exhibitũ, ad prototypa referri, ex his perſpicuè cõſtat.*

Tu autem bone Ieſu, qui pro me pendens ita paſſus es, miſereri mihi digneris, & præſta vt qui mihi mortuus es, & ad hoc mortuus es, vt mundo moriens, tibi viuam bone Ieſu. *Tom.9.de viſitatione infirmorum, lib.2.cap.3.*

Accipite itaque vos, qui fidem deſideratis verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum quidem adhuc per ſacrum baptiſmum renati eſtis, ſed per crucis

*Catechumeni, antequã per Baptiſmum renaſcuntur, per crucis ſignũ in vtero Eccleſiæ concipiuntur.*

ſignum in vtero ſanctæ matris Eccleſiæ iam concepti eſtis. *Et poſt pauca:* Purgata itaque familia redemptoris, poſteaquàm cantauit canticum ſalutis, accepit Symboli remedium contra antiqui ſerpentis venenum, vt ſi quando voluerit aduerſarius Diabolus denuò inſidiari, nouerit redemptus cũ ſymboli Sacramento & crucis vexillo ei debere occurri, vt talibus armis indutus facile vincat Chriſtianus de cuius oppreſſione malè antea triumphauerat nequiſſimus Diabolus. *Tom. 9. de ſymbolo ad Catechumenos, cap. 1.*

*Symboli Sacramento, et crucis vexillo, inſidiis Diaboli occurrendum.*

Conſideraſti quanta virtus ſit ſigni, hoc eſt, crucis, * *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum:* Crux verò fulgebit, & obſcurabit luminaria cœli, delapſiſque ſyderibus ſola radiabit, vt diſcas quoniam crux & Luna lucidior, & Sole erit præclarior, quorum ſplendorẽ diuini luminis illuſtrata fulgore ſuperabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in ciuitatem exercitus antecedit, præferens humeris ſigna atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armiſonæ, annunciat regis introitum: ita Domino deſcendente è cœlis, præcedet exercitus angelorũ, qui ſignum illud, id eſt, triũphale vexillum ſublimibus humeris præferentes diuinum regis cœleſtis ingreſſum, terreſtriũ mentibus nunciabunt. *Tom. 10. ſerm. 130. de tempore, vltra medium.*

* *Matt. 24.*

*Crucis fulgor, in die Iudicij cœli luminaria obſcurabit. Triumphale crucis vexillum, ante Chriſtum iudicem, ab angelis præferendum.*

Eccleſia dixit. Populus autem meus ſignũ ſalutis in fronte geſtando, totum hominem, viros ac mulieres, de alto ſignaculi, caſta de ſublimibus, & publica libertate defendit. S Y N A G. Reſpõdit. Vellẽ addiſcere vbi ſignum frontis acceperis, vel quis propheta ſignũ iſtud quod dicis, hoc eſt, ſignum frontis ſignaculo ſanctificationis inciderit. E C C L E S. dixit. Habes Ezechielem prophetam, qui ex præſentia maieſtatis exclamat: * Ite & cædite & nolite parcere oculis veſtris. Nolite miſereri ſenioribus, iuuenes, virgines, paruulos, & mulieres interficite vſque ad internecionem: omnem autem ſuper quem ſignum ſcriptum eſt in fronte, ne tetigeritis. Idem quoque ipſe Propheta ſic ait, Vade per mediam Hieruſalem & notabis ſignum ſuper frontem virorum qui ingemiſcunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipſorum. Item in Apocalypſi, * *Vidi agnum ſtantem in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, & habebant nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Vide ergo ſignum mihi datum, & inſigne crucis, quam dimiſſa te atque derelicta, paſſio Saluatoris ornauit. *Tom. 6. de alterca. Synag. & Eccleſiæ, iuxta medium.*

* *Ezech. 9.*



* *Apoc. 14*

Signantur ſigno Dominicæ paſſionis in frontibus populi ad tutelam ſalutis. *Tom. 6. contra Fauſtum Manich. lib. 12. cap. 30.*

Crucifixus noſter à morte ſurrexit, & cœlos aſcẽdit, crucẽ nobis in memoriã ſuæ paſſionis reliquit, crucẽ reliquit ad ſanitatẽ. *a* Hoc ſignum præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Huius crucis myſterio rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, *b* eiuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. *c* Cum eiuſdem crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, *d* altaris ſacramenta cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur: *e* Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur. Et vniuerſaliter omnia Eccleſiaſtica ſacramenta in huius virtute perficiuntur. *f* Qui hoc mare magnum & ſpacioſum, in quo ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, abſque naufragio tranſire deſiderat, crucem ſequatur, crucem teneat, & eam non deſerat, donec ad optatum ſalutis portum perueniat. Hoc curſum noſtrum dirigit, hoc ad agonem nos inſtruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia deſtruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. *g* Et quod faciebat in terris corporis Chriſti præſentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Chriſti victorioſæ crucis inſignita memoria. *Tom. 10. ſerm. 19. de Sanctis.*

Carthagine Innocentia religioſiſſima fœmina de primariis ipſius ciuitatis, in mamilla cãcrum habebat: Rem ſicut medici dicunt nullis medicamentis ſanabilem. Aut ergo præcidi ſolet & à corpore ſeparari membrum vbi naſcitur, aut vt aliquando homo quie-

*a Signi crucis quàm multæ, & quàm variæ prærogatiuæ.*

*b Aquæ baptiſmi conſecratio per ſignũ crucis.*

*c Per manus impoſitionẽ dona gratiarum accipiũtur.*

*d Baſilicarum dedicatio & Altarium cõſecratio, cũ ſigno crucis.*

*e In Sacramẽto Euchariſtiæ conficiendo, cum verbis Dominicis, etiã crucis ſignũ adhibetur.*

*f In ſacramento Ordinis & in omnibus Eccleſiæ Sacramentis ſigno crucis vtimur.*

*g. Signũ crucis, maleficia & dæmonum machinamẽta deſtruit.*

*Cancer morbus ſigno crucis ſanatus.*

tius viuat, fomentis eſt peſtis mitiganda frequentibus. Nam vt inde mortem quantumlibet tardius adfuturā confidamus, ſecundum Hippocratis, vt fertur ſententiam, omnis eſt omittenda curatio. Hoc illa à perito medico & ſuæ domui familiariſſimo acceperat, & ad ſolum Deum ſe orando conuerterat. Admonetur in ſomnis appropinquante Paſcha, vt in parte fœminarū obſeruanti ad baptiſterium, quæcunque illi baptizata primitus occurriſſet, ſignaret ei locum ſigno crucis Chriſti: fecit, & confeſtim ſanitas ſecuta eſt. Medicus ſanè qui ei dixerat, vt nihil curationis adhiberet, ſi paulò diutius vellet viuere: cùm inſpexiſſet eam, poſtea, & ſaniſsimam comperiſſet, quam prius habere illud malum tali inſpectione cognouerat, quæſiuit ab ea vehementer, quid adhibuiſſet curationis, cupiens, quantum intelligi datur noſſe medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur. Cúmque ab ea quid factum eſſet, audiſſet, voce velut cōtemnentis & vultu, ita vt illa metueret ne aliquod contumelioſum verbum proferret in Chriſtum, religioſa vrbanitate reſpondiſſe fertur: putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuiſſe dicturam. Atque illa iam exhorreſcente mox addidit. Quid grande fecit Chriſtus ſanare cancrum, qui quatriduanum * mortuum ſuſcitauit? Hoc ergo cùm audiſſem & vehementer ſtomacharer, in illa ciuitate atque in illa perſona, non vtique obſcurè factum, tam ingens miraculum ſic latere: hinc eam & admonendam & penè obiurgandam putaui. Quæ cùm mihi reſpondiſſet, nō ſe inde tacuiſſe, quæſiui ab eis, quas fortè tunc matronas amicisſimas ſecū habebat, vtrū hoc antè ſciſſent? Reſponderunt ſe omnino neſciſſe. Ecce, inquā, quomodo nō taces, vt nec iſtæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate iunguntur? Et quia breuiter ab ea quæſieram, feci vt illis audientibus multúmque mirantibus, & glorificantibus Deum, totū ex ordine quemadmodum geſtum fuerit, indicaret. *To. 5. de ciuit. Dei, lib. 22. cap. 13.*

* Ioan. 11. *Reprehēdit Auguſtinus ſanatam mulierem de nō publicato miraculo.*

* Exod. 17.

***Huc etiam pertinet, quòd cùm Amalech * pugnaret contra Iſrael, Moſes manus in crucis modum eleuatas tenens, atque Deum obſecrans, de proſtratis hoſti-***



***bus triumphū obtinuit, quemadmodum Auguſtinus commemorat, lib. 10. de ciuit. Dei. cap. 8.***

### *V. Crucis ſigno etiam Auguſtini tempore frontes Chriſtianorum atque Catechumenorum ſignari ſolitas eſſe.*

* Matt. 26. & 27.

*Crux per mortē Chriſti à locis ſuppliciorum tranſitū fecit ad frōtes Imperatorū.*

VIde quid propter te pertulit, qui quare perferret non habebat. Quantacunque patiaris, non peruenies ad illas inſultationes, ad illa flagella, * ad illā ignominioſam veſtem, ad illam ſpineam coronam, ad illam poſtremò crucem non peruenies, quia iam & de pœna generis humani ſublata eſt. Cùm enim ſub antiquis ſcelerati crucifigerētur, modò nullus crucifigitur. Honorata eſt & finita eſt. Finita eſt in pœna, manet in gloria. A locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorū. Qui tantū honorū dedit pœnis ſuis, quid ſeruat fidelibus ſuis? *Tom. 8. in Pſalm. 36. concione ſecunda.*

*Crux Chriſti in frōtibus regum.*

Inſultet ille (*nempe Paganus*) crucifixo Chriſto, videam ego in frontibus regum crucem Chriſti. Quod irridet, ibi ſaluor. Nihil eſt ſuperbius ægroto, qui deridet medicamentum ſuum. Si non derideret acciperet & ipſe, & ſanaretur. Crux illa ſignū eſt humilitatis, ille autem ſuperbia nimia non agnoſcit vnde ſanetur tumor animæ ſuæ: ſi autem ego agnoſco, in via ambulo, vſque adeò de cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam crucem Chriſti, ſed in fronte portem. *Ibidem, in Pſal. 141.*

*a Crucē tanquā trophæū de hoſte ſuperato, Chriſtus in frontibus fideliū poſuit.*

* Galat. 6.

*b Quid ſeruat fideli ſuo, qui talē honorem dedit ſupplicio ſuo?*

Mori voluit pro nobis (*Chriſtus*) parū dicimus, crucifigi dignatus eſt, vſque ad mortē crucis obediens factus. Elegit extremū & peſsimū genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortē. De morte peſſima occidit omnem mortem: peſsima enim erat nō intelligētibus Iudæis, nam à Domino electa erat: Ipſam enim crucem ſuam ſignum habiturus erat, ipſam crucem de Diabolo ſuperato tanquam trophæum in frontibus fidelium poſiturus, a vt diceret Apoſtolus, * *Mihi autē abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Nihil erat tūc in carne intolerabilius, nihil eſt nunc in fron-

te glorioſius. Quid ſeruat fideli ſuo, qui talem honorem dedit ſupplicio ſuo? b *Tom.9. in Ioannem, Tract.36.*

*A Chriſtianis principibus prohibitum, ne quis reus crucifigeretur.*

Quia ipſe (*ſcilicet Chriſtus*) honoraturus erat fideles ſuos in fine huius ſæculi, prius honorauit crucē in hoc ſæculo, vt terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi, & quod cum magna inſultatione perſequutores Iudæi Domino procurarunt, magna fiducia ſerui eius etiā & reges in fronte nunc portant. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm.18.*

Non ſine cauſa ſignū ſuū Chriſtus in frōte nobis figi voluit, tanq̄ in ſede pudoris, ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat. Hoc ergo in cōſpectu hominū ſi feceris, ſi inde corā hominibus nō erubueris, ſi in cōſpectu filiorū hominū nec ore nec factis Chriſtum negaueris, ſpera tibi perfici dulcedinem Dei. *Tom.8. in Pſal. 30. concil.3.*

Exod. 12.

Quartadecima die mēſis vt lumine veritatis impleto, erroris nox operiatur: ad veſperā, vt ſeculi occaſus imminēs approbetur: eiecto fermēto, vt à corde peruerſæ mentis malitiæ corruptio tollatur: oblitis ſanguine liminibus domorū, vt figura Dominicæ paſsionis fronte ſignetur. *Tom.4. viginti vnius ſententiarum, ſent.2.*

Apertius autem Chriſti paſsio in illo populo figurata eſt, cū iuſsi ſunt ouem occidere & manducare, & de ſanguine eius poſtes ſuos ſignare, & hoc celebrare omni anno, & appellare Paſcha Domini. Manifeſtiſsimè quippe Propheta de Domino Ieſu Chriſto dicit: Quia tanquam ouis ad immolandū ductus eſt. Cuius paſsionis & crucis ſigno in fronte hodie tanquam in poſte ſignandus es, omnéſque Chriſtiani ſignantur. *Tom.4. de Catechiz. rudib. cap.20.*

* *Eſaiæ 53.*

Homines ſumus, quod puto non diu eſſe ſuadendum charitati veſtræ, Chriſtiani: & ſi Chriſtiani vtique ipſo nomine ad Chriſtum pertinētes, huius ſignum in fronte geſtemus: de quo non erubeſcimus, & ſi in corde geſtamus. Signum eius eſt humilitas eius. Per ſtellam eum Magi cognouerunt: * & erat hoc ſignū de Domino datum, cœleſte atque præclarū. Noluit ſtellā eſſe in fronte fidelium ſignum ſuum, ſed crucem ſuā. Vnde humiliatus, inde glorificatus eſt. Inde erexit humiles,

* *Matth. 2.*



que humiliatus ipſe deſcendit. *Tom.9. in Euang. Ioannis, Tract.3.*

Ipſa cruce in qua illi inſultatum eſt, non permiſit caluam eſſe frōtem noſtram, quia eam ſuo ligno ſignauit. *Tom.8. in titulum Pſal.46.*

Signabar iam ſigno crucis eius, & condiebar eius ſale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum ſperauit in te. *Tom.1. lib.1. Confeſſ. cap.11.*

## VI. *Benedictionem Epiſcopalem, vel Sacerdotalem in Eccleſia frequētem fuiſſe & ſolennem.*

SPonſus & ſponſa cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis vel paranymphis offeratur. Qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipſius benedictionis in virginitate permaneāt. *Tom.1. Conciliorum, Concil. Carthag.4. cap.13.*

*Diſt. 23. & 30. q.5. Spōſus à ſponſa. Spōſus et ſpōſa p̄xima nocte poſt benedictionē virginitatem ſeruent.*

Surreximus, & accepta ab Epiſcopo benedictione diſceſſimus. *Tom.5. de ciuit. Dei, lib.22. cap.8.*

Contradicitur etiam iſtorum (*Pelagianorum*) contentione benedictionibus noſtris, vt in caſſum ſuper populum dicere videamur, quicquid eis à Domino precamur, vt rectè ac piè viuendo illi placeant: & illa quæ pro fidelibus precatur Apoſtolus dicens, * *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per Spiritum eius.* Si ergo voluerimus benedicendo ſuper populum dicere, Da illis Domine virtutem corroborari per Spiritum tuum: iſtorū nobis diſputatio contradicit. *Tom.2. epiſt. 90. quæ eſt Patrum Concilij Carthaginenſis ad Innocentium, inter quos erat Auguſtinus.*

* *Epheſ.3.*

*Epiſcoporū in benedicēdo populo certa quædā verba.*

Poſtulationes fiunt cùm populus benedicitur. Tunc enim antiſtites velut aduocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. *Tom.2. Epiſt.59. quæſt.5. ad Paulinum.*

## VII. *Officium ſepeliendi defunctorum corpora & pro eis orandi, pium & laudandum eſſe.*

*In Auguſtini obitu, quid factum fuerit.*

NObis aſtantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace cum patribus ſuis,

enutritus in bona ſenectute: & nobis coram poſitis pro eius commendanda corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt. *Tom. 1. in vita Auguſtini per Poſſidonium ſcripta, cap. 31.*

*1. 3 q. 2. c. Animæ*

*a Quare iuſtorũ & fideliũ corpora, p̃ cæteris, in honore habẽda.*

**Gen. 23. & 25.*

*b Antiquorũ iuſtorũ funera, officioſa pietate curata.*

** Geneſ. 47.*

**Tob. 2. et 12.*

*c Tobias, ſepeliẽdo mortuos Deum promeruit.*

** Matth. 26. Mar. 14. Ioan. 12.*

** Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

*d Laudãtur, qui corpus Chriſti honorificè ſepeliẽdum curarũt.*

Nec contemnenda & abiicienda ſunt corpora defunctorum, maximéque iuſtorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera, ſanctus vſus eſt Spiritus. *a* Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid huiuſmodi, tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes maior affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata * ſunt, *b* exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa, ipſique dum viuerent, * de ſepeliendis vel etiã transferendis ſuis corporibus filiis mandauerunt. Et Thobias * ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte angelo *c* commendatur. Ipſe quoque Dominus * die tertio reſurrecturus, religioſę mulieris bonum opus prædicat, prædicandúmque commendat, quod vnguentum precioſum ſuper membra eius effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, * qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum ſepeliendúmque curarunt. *d* Verùm iſtæ auctoritates non hoc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus: ſed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis aſtruendam. *e* Vbi & illud ſalubriter diſcitur, quanta poſſit eſſe remuneratio pro eleemoſynis, quas viuentibus & ſentientibus exhibemus, ſi neque hoc apud Deum perit, *f* quod exanimis hominum membris officij diligentiæque perſoluitur. *Tom. 5. lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 13.*

*e Pietatis officia, quæ ſanctorum cadaueribus ſepeliendis præſtita eſſe ſacræ literæ teſtantur, reſurrectionis fidem aſtruunt.*

*f Si officia pia cadaueribus exhibita, non carent præmio apud Deum, multò minus quæ viuentibus præſtantur.*



Permittantur itaque pia corda carorum de ſuorum mortibus contriſtari dolore ſanabili, *a* & conſolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles quãdo moriuntur, paululum à nobis abire, & ad meliora tranſire. Conſolentur eos etiam fraterna obſequia, ſiue quæ funeribus exhibentur, ſiue quæ dolentibus adhibentur, ne ſit iuſta querela dicentium: * Suſtinui qui ſimul con triſtaretur, & non fuit, & conſolantes, & non inueni. Sed pro viribus cura ſepeliendi & ſepulchra conſtruẽdi, quia & hæc in Scripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt. *b* Nec ſolùm in corporibus Patriarcharum * aliorúmque Sanctorum, & humanis cadaueribus quorumque iacentium, verùm etiam in ipſius Domini * corpore prædicati atque collaudati ſunt qui iſta fecerunt. Impleant hæc homines erga ſuos officia poſtremi muneris, & ſui humani lenimenta mœroris. Verùm illa quæ adiuuent ſpiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis obſeruãtius, *c* inſtantius, abundantius impendant, qui ſuos carne non ſpiritu mortuos, non ſolùm carnaliter, ſed etiam ſpiritaliter amant. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſer. 34.*

*a Defuncti moderatè lugendi.*

** Pſal. 68.*

*b Curã ſepeliẽdi mortuos & ſepulchra moderatè cõſtruẽdi, inter bona opera ſcripturæ ſacræ deputant.*

** Gen. 49.*

** Ioan. 19.*

*c Oblationes & orationes magis adiuuãt ſpiritus defunctorũ, quàm officia, alioqui pia cadaueribus impenſa.*

### *VIII. Catechumenis & ſacramentum Pœnitentiæ aut Confirmationis accipientibus impoſitionem manuum adhiberi ſolitam.*

Spiritus autem ſanctus quia in ſola Catholica per manus impoſitionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores noſtri voluerunt, quod Apoſtolus ait, * Quoniã caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Ipſa eſt enim caritas, quam non habent, qui ab Eccleſiæ Catholicæ cõmunione præciſi ſunt. *Tom. 7. de Baptiſ. contra Donatiſtas, lib. 3. cap. 16.*

** Rom. 5.*

Quemadmodum autem Spiritum ſanctum ſicut habent filij dilecti, non habent filij maligni, & tamen Baptiſmum habent: ſic & Eccleſiam ſicut habent Catholici, non habent hæretici, & tamen Baptiſmum habent. Nam Spiritus ſanctus * diſciplinæ fugiet fictum, nec tamen eum effugiet Baptiſmus. Itaque ſicut poteſt Ba-

*Hæretici quãuis Baptiſmũ habeãt, Eccleſiã non habent.*

** Sapien. 1.*

*De cõſe. diſt. 4. c. Quomodo Deus.*

*Manus, quare reſipiſcẽtibus hæreticis imponatur.*

ptiſma eſſe, & vnde ſe aufert Spiritus ſanctus, ita poteſt eſſe Baptiſma vbi non eſt Eccleſia. Manus autem impoſitio ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe iudicaretur, propter caritatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcunque alia ſancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur. *Tom. 7. lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 23. lege & lib. 6. cap. 31.*

*26. q. 6. c. Is qui in infirmitate.*

Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credãt abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint. *Concil. Carthag. 4. cap. 78.*

Catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum, per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis, puto ſanctificari, & quod accipiunt, quãuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen. *Tom. 7. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 26. Vide ſuprà libr. 3. cap. de ſacramento Confirmationis.*

## IX. *Templa & altaria olim à Chriſtianis conſecrari atque inungi ſolita.*

*Feſtiuitas dedicationis tẽpli vel altaris*

QVotieſcunque fratres cariſſimi altaris vel templi feſtiuitatem colimus, ſi fideliter ac diligenter attendimus, & ſanctè ac iuſtè viuimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpiritali ædificatione completur. Non enim mentitus eſt ille qui dixit: * Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et iterum, Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt? *Tom. 10. ſerm. 252. de tempore, qui eſt primus in anniuerſario Dedicationis.*

** 1. Cor. 3. & 6.*

*Templa Deo cõſtructa, & Martyrũ reliquiis honorata.*

Adhuc amplius agendæ ſunt gratiæ Deo noſtro. Hãc enim Eccleſiam, quam fecit nomini ſuo conſtrui, fecit etiam ſanctorum martyrum reliquiis amplius honorari. *Ibidem, ſerm. 256. qui eſt 5. in anniuerſario dedicationis.*

In Muſticana (*Felicianus*) poſitus ciuitate, Deo omnipotenti parietes conſecratos, Eccleſiam venerandam, quaſi quadam obſeſſione credidit retinendam. *Tom. 7. contra Creſcon. Grammat. lib. 4. cap. 40.*

De Eccleſiis (*quoties ſuper earum conſecratione hæſitatur*) agendum eſt, vt ſine vlla trepidatione conſecrentur. *Tom. 1. Conciliorum, Concil. Carthag. 5. cap. 6.*



*Ex manufacto tẽplo ad tẽplũ interioris hominis mens conuertenda.*

Bona opera fidelium de ſua temporali terrenáque ſubſtantia; cùm in theſauris cœleſtibus reconduntur, fides hoc videt, quæ pietatis oculum habet in corde. Vnde & iſta ædificia, quæ congregandis religioſis cœtibus exſtruuntur, cum oculo carnis inſpexerit, laudat interius quod cernit exterius, & viſibili accipit lumine ad quod gaudeat inuiſibili veritate. Neque enim occupata eſt fides inſpicere quàm pulchra ſunt membra huius habitationis, ſed de quanta interioris hominis pulchritudine procedant hæc opera dilectionis. Retribuet ergo Dominus fidelibus ſuis tam piè, tam hilariter, tam deuotè iſta operantibus, vt eos quoque ipſos in ſuæ fabricæ conſtructione componat, quò currunt lapides viui, Fide formati, Spe ſolidati, Caritate compacti. *Tom. 10. ſub finem, in ſermonibus adiectis in editione Parienſi, ſerm. 16. qui eſt in dedicatione Eccleſiæ.*

*Feſtiuitas cõſecrati altaris. Altaria lapidea, benedictione vel vnctione cõſecrabantur, vt in his diuina fierẽt ſacrificia.*

Sicut optimè nouit ſanctitas veſtra fratres, conſecrationem altaris hodie celebramus, & iuſtè ac meritò gaudentes celebramus feſtiuitatem, in qua benedictus vel vnctus eſt lapis, in quo nobis diuina ſacrificia conſecrantur. Sed quando feſtiuitates iſtas colimus fratres cariſſimi, diligenter debemus attendere, & totis viribus laborare, vt quod in templis vel altaribus viſibiliter colitur, in nobis inuiſibiliter compleatur. *Tom. 10. ſer. 255. de tempore, qui eſt 4. in anniuerſario Dedicationis.*

*De cõſec. d. 1. c. Altaria.*

Altaria ſi non fuerint lapidea, Chriſmatis vnctione non conſecrentur. Ad celebranda autem diuina officia, ordinem quem Metropolitani tenent, comprouinciales eorum obſeruare debebunt. *Concil. Hippon. can. 6. cui interfuit S. Auguſtinus, vt cõſtat ex lib. 1. Retract. ca. 17.*

## X. *Sacra templa non eſſe violanda: fuiſſe inſuper iam olim loca ſancta deuotis peregrinationibus Chriſtianorum frequentata.*

*17. q. 4. c. Miror.*

*a Obiurgat Auguſtinus Bonifaciũ, q̃ è loco ſacro hominem vi extraxerit.*

MIror quomodo tam ſubitò fidei murum aries ruperit inimici. a Noui enim qua religione ſemper ſis Eccleſiam Dei veneratus. Quo inſtigante facere auſus es, hominem de Eccleſia rapuiſti. Tuus ſi de tuo amico fortè præſumeret fugitiuus, poſſet proculdubio

interceſſoris cauſa veniam promereri. Ergo ſi amicus
intenditur, cur Deus offenditur? Sed ſi de poteſtate præ-
ſumitur, Nabuchodonoſor * regem intende, qui cauſa
ſuperbiæ in bouem eſt ex homine cõmutatus. Non vt
confundam te hæc ſcribo, ſed vt filium meum chariſſi-
mum moneo. Eccleſiæ igitur illæſum reuoca, quem vt
irreligioſiſſimus rapuiſti. Oblatio verò domus tuæ à
clericis ne ſuſcipiatur indixi, communionémque tibi
interdico, *b* donec peracta pro auſibus vel errore à me
definita tibimet pœnitentia, & tempore condonato,
*c* pro hoc facto corde cõtrito & humiliato dignum of-
feras ſacrificium Deo. *Tom 2. Epiſt.187. ad Bonifacium.*

Compara nunc aſylum illud non cuiuſlibet Dei gre-
galis, vel de turba plebis, ſed Iouis ipſius ſororis & con-
iugis, & reginæ omnium Deorum, cum memoriis no-
ſtrorum Apoſtolorum. Illuc incenſis templis & Diis e-
repta ſpolia portabantur, non reddenda* victis, ſed diui
denda victoribus: huc autem, & quod alibi ad ea loca
compertum eſt pertinere, cum honore & obſequio re-
ligioſiſſimo reportatum eſt. Ibi amiſſa, hîc ſeruata li-
bertas: ibi clauſa, hîc interdicta captiuitas: ibi poſſi-
dendi à dominantibus hoſtibus premebantur, huc libe
rãdi à miſerãtibus hoſtibus ducebantur. Poſtremò illud
Iunonis templum ſibi elegerat auaritia & ſuperbia le-
uium Græcorum: * iſtas Chriſti Baſilicas miſericordia
& humilitas etiam immanium barbarorum. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib.1. cap.4.*

Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel in-
cluditur loco, qui condidit omnia, & cum à veris ado-
ratoribus in ſpiritu & veritate * oportere adorari, vt in
occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coro-
net. Veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter no-
ta ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in
aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis
enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi beati Felicis No-
lenſis corpus conditum eſt, quò volui vt pergerent,
quia inde nobis facilius fideliúſque ſcribi poteſt, quic-
quid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nã
& nos nouimus Mediolani apud memoriam Sãctorum,
vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, fu-

** Dan.4. et 5*

*b Imponit eidem Bonifacio pœnitentiam, & communione fidelium interdicit.*

*c Condonatio temporis pœnitẽtiæ penes Episcopum.*

*Huiuſmodi condonatio nunc vocatur & intelligitur indulgentiæ nomine.*

* *aliàs*, donanda.

*Barbari hoſtes honorem habuerunt Baſilicis Petri & Pauli Apoſtolorum*

* *aliàs*, Græculorum.

** Ioan.4.*

*Quare in quibuſdã locis miracula fiant, nõ item in aliis.*

*Peregrinatio ad ſepulchrũ S. Felicis quibuſdã inuicem contendentibus, ab*



rem quẽdam, qui ad eum locum venerat, vt falſum iu-
rando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, &
quod abſtulerat reddere. Nunquid non & Africa ſan-
ctorum Martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſ-
quam hîc ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſto-
lus dicit: * Non omnes ſancti habent dona curationum,
nec omnes habent diiudicationem ſpirituum, ita nec in
omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui
diuidit propria vnicuique prout vult. *Tom.2. Epiſt.137. ad Clerum & ſeniores plebis Hipponenſ.*

Acceperat autem ab amico ſuo terram ſanctam de
Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus * Chriſtus, die ter-
tio reſurrexit: eámque ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne
quid mali etiam ipſe pateretur. At vbi domus eius ab il
la infeſtatione purgata eſt, quid de illa terra fieret, cogi-
tabat: quam diutius in cubiculo ſuo reuerẽtiæ cauſa ha-
bere nolebat. Fortè accidit, vt ego & collega tunc meus
Epiſcopus Synicenſis Eccleſiæ Maximinus, in proximo
eſſemus: vt veniremus rogauit, & venimus. Cùmque
nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infodere-
tur alicubi, atque ibi orationum locus fieret: vbi etiam
poſſent Chriſtiani ad celebrãnda, quæ Dei ſunt, congre
gari. Non reſtitimus, factum eſt. Erat ibi iuuenis paraly
ticus ruſticanus, qui hoc audito petiuit à parentibus
ſuis, vt illum ad eum locum ſanctum non cunctanter
afferrent. Quò cùm fuiſſet allatus, orauit: atque inde
continuò pedibus ſuis ſaluus abceſſit. *Tom.5. de ciuit. dei, lib.22. cap.8.*

Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto
* reliquias Martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius me-
moriam veniebat magnæ multitudinis concurſus, & oc
curſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pi-
gnora ſacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat de-
dit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupẽtibus
qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ du
cem vlterius non requirens. *Ibidem. Lege totum caput. Vide etiam Tom.2. Epiſt.42. Vbi habet, Imperatorem ad ſepulchrum* Petri *Apoſtoli ſupplicare.*

Sanctorum corpora & præcipuè beatorũ Martyrum
reliquias, ac ſi Chriſti membra ſynceriſſimè honorãda,

*Auguſtino iniuncta.*

*Ad ſepulchra Martyrum facta quædam mirabilia.*

** 1.Cor.12.*

** Ioan.19.*

*Terra ſãcta Hieroſolymis allata quanto in honore apud Chriſtianos fuerit.*

*Vbi portio terræ ſanctæ defoſſa fuerat, ibi extructum ſacellũ.*

*In eodẽ loco per miraculũ ſanatus paralyticus.*

* *aliàs*, præiecto.

*Ad memoriam S. Stephani magnus fiebat concurſus fidelium.*

*Cæca mulier miraculo effecta eſt vidẽs.*

*Sanctorum corpora &*

*Præcipuè Martyrum, ac ſi Chriſti mẽbra eſſent, honoranda. Baſilicæ nominib⁹ Martyrum appellatæ, à Chriſtianis frequentandæ.*

& baſilicas eorum nominibus appellatas velut loca ſancta diuino cultui mancipata, affectu piiſſimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur. *Tom.3. de Eccleſiaſt. dogmatibus, cap.73.*

** 2. Reg. 7. Vbi erat arca Teſtamẽti ibi ſacratior et commendatior Dei præſentia.*

Quod autem quæris, quid ſit quod ſcriptũ ſit, * Intrauit Rex Dauid & ſedit ante Dominum: quid aliud intelligendum eſt, niſi quia ſedit in conſpectu Domini: ſiue vbi erat arca Teſtamenti, per quam ſacratior & commendatior quædam præſentia Domini accipi poteſt: ſiue oraturus ſedit, quod non fit rectè niſi in conſpectu Dei, hoc eſt, in intimo cordis? *Tom.4. ad Simplicianum, lib.2. Quæſt.4.*

## XI. *Diaconos vti Dalmatica & Alba.*

** 1 Reg. 2. Dalmaticæ vſus.*

SEd hinc, inquiunt, videtur Sacerdos fuiſſe Samuel, * quia veſtitus erat Ephod. Quaſi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur ſicut Epiſcopi. *Tom.4. Quæſtionum veteris & noui Teſtamenti, Quæſtione 46.*

*Diaconus quando Alba induendus.*

Vt Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis alba induatur. *Concil. Carthag.4. cap.41.*

*De ordinatione Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Acolytorum, Exorciſtarũ, Lectorum & Oſtiariorũ, vide lib.3. cap. de ſacramẽto Ordinis.*

## XII. *Sanctimonialium, Virginum & Viduarum conſecrationem & profeſſionem Patribus in vſu fuiſſe, eaſdémque veſtibus ſuæ profeſſioni accommodatis indui ſolitas.*

*Diſt.77. Placuit vt ante annos. Diaconi ordinandi et Virginis cõſecrãdæ ætas.*

ITem placuit, vt ante viginti quinque annos ætatis, nec Diaconi ordinentur, nec Virgines conſecrentur. Et vt Lectores populum non ſalutent. *Concil. Carthag.3. cap.4.*

*Quàm diligẽter ſacræ virgines cuſtodiendæ.*

Vt virgines ſacræ, ſi parentibus, à quibus cuſtodiebantur, priuatæ fuerint, Epiſcopi prouidentia, vel Presbyteri, vbi Epiſcopus abſens eſt, in monaſterio Virginũ, vel grauioribus fœminis commendentur, vt ſimul habitantes, inuicem ſe cuſtodiant, ne paſſim vagantes, Eccleſiæ lædant opinionem. *Ibidem, cap.31.*



Vt presbyter, inconſulto Epiſcopo, Virgines non cõſecret, Chriſma verò nunquam conficiat. *Ibidem, ca.36.*

*Velata igitur virgine, neque petitor potens, neque raptor formidabatur: At nunc velatas huiuſmodi, vxores ducere aut violare apud ſectarios licet.*

Item placuit, vt quicunque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquo etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet) velauerit Virginem, ſeu velauit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obſit Cõcilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt. *Concil. Mileuit. cap.26.*

Inordinatè viuere, & diuerſi generis profeſſiones velle miſcere, vt vel ſanctimonialis habeat ornamenta nuptiarum, vel ea quæ ſe non continens nupſit, ſpeciem virginis gerat, omni modo peccatum eſt. *Tom.6. contra Fauſtum Manich. lib.6. cap.9.*

Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. *Tom.1. Regula 3. Monachorum, cap.18.*

** 1. Tim. 2.*

** aliàs formæ.*

*33. q. 5. c. Quod Deo. Habitus matronalis à viduali diſtinctus.*

Non ſit notabilis habitus veſter (*alloquitur Moniales*) nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus. Nec ſint vobis tam tenera capitum tegmina, ne retiola ſubter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel ſpargat negligentia vel componat induſtria. *Tom.2. in Regula monialium, quæ eſt Epiſtola 109.*

Scriptum eſt* quidem mulieres eſſe non debere in habitu ornato, aurique circumpoſitione, & intortione crinium, & cætera huiuſmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram fermè * adhiberi ſolent, meritò reprehẽſa ſunt. Sed eſt quidã pro modulo perſonæ habitus matronalis à viduali veſte diſtinctus, qui poteſt fidelibus coniugatis ſalua religionis obſeruantia conuenire. *Ibidem, Epiſt.199. ad Editiam.*

*Monialium veſtes ipſarũ profeſſioni et ſanctimoniæ accommodentur.*

Sanctimonialis virgo, cùm ad conſecrationem ſui Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. *Concil. Carthag.4. cap.11.*

*27. q. 1. Sicut. Eſt tibi viduarũ votum & habitum religioſum à laicali diſtinctum.*

Sicut bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruantia & præceptione cuſtodiendum eſt, vt ſi quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis po-

ſitæ,& matura ætate, à viro relictæ, ſe deuouerunt Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint,poſtea verò ad ad nuptias ſeculares tranſierunt,ſecundùm Apoſtolum, * damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ * ſunt. *Ibidem,cap.*104.

** 1.Tim.5.*
**alias niſæ.*

### *XIII. Quare quibuſdam diebus lugeat Eccleſia, & aliis lætetur.*

*Quinquaginta dierum à feſto Reſurrectionis vſque ad Pentecoſtẽ, myſteriũ.*

NEque enim fruſtrà ipſe Dominus & quadraginta dies poſt reſurrectionem in hac vita & terra cum diſcipulis conuerſatus eſt: & poſteaquàm aſcendit in cælum, decem diebus interpoſitis promiſſum miſit Spiritum ſanctum, completo die Pentecoſtes: qui dies quinquageſimus habet aliud ſacramentum, quod ſepties ſeptem quadraginta nouem fiunt, & cùm reditur ad initium, quod eſt octauus, qui & primus dies, quinquaginta complentur,qui celebrantur poſt Domini reſurrectionem, iam in figura non laboris, ſed quietis & letitiæ:propter hoc & ieiunia relaxantur,& ſtantes oramus,quod eſt ſignum reſurrectionis. Vnde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare obſeruatur,& Halleluia canitur, quod ſignificat actionem noſtram futuram non eſſe,niſi laudare Deum,ſicut ſcriptũ eſt:* *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Sed dies quinquageſimus & in ſcripturis commendatur,non tantùm in Euãgelio,quia tunc Spiritus ſanctus aduenit, ſed etiam in veteribus libris. Nã & ibi poſteaquàm Paſcha occiſo agno celebrauerunt, dies quinquaginta numerantur vſque ad diem, quo lex data eſt in mõte Sina famulo Dei Moſi,digito Dei ſcripta: in libris autem Euangelij * apertiſsimè declaratur digitum Dei ſignificare Spiritum ſanctum. *Vide quæ ſequuntur. Tom.2. Epiſt.109. ad Ianuarium,cap.15.& 16.*

*Cur inter Paſcha & Pentecoſten, relaxentur ieiunia,& ſtãdo preces fiãt et Halleluia cantetur.*
** Pſal.83.*
*Dies quinquageſimus etiam in veteri Lege commendatus.*
** Luc.11.*

*Halleluia certis diebus cantatur.*
** Epheſ.5.*

Venerunt dies vt cantemus Halleluia. Adeſtote animo fratres ad percipienda ea quæ Dominus ſuggerit ad exhortationem noſtram, & nutriendam caritatem, qua nobis * inhærere Deo bonum eſt. *Et paulò poſt.* Sicut enim



enim dies iſti præteritis diebus Quadrageſimæ,quibus ante reſurrectionem Dominici corporis vitæ huius ſignificatur mœror, ſolenniter grata hilaritate ſuccedunt: ſic dies ille qui poſt reſurrectionem dabitur plenario corpori Domini, hoc eſt, ſanctæ Eccleſiæ, cunctis vitæ huius ærumnis, atque doloribus excluſis, perpetua beatitudine ſuccedet. *Et deinde*: Quinquagenario verò numero poſt reſurrectionem Domini, quo cantamus Halleluia, non cuiuſdam temporis finis & trãſitus, ſed beata illa ſignificatur æternitas, quia denarius * additus quadragenario,laborantibus in hac vita fidelibus, merces illa perſoluitur, quã & primis & nouiſſimis paterfamiliàs præparauit æqualem. *Tom.8. in Pſalm.110.*

*Quadrageſimæ diebus, huius vitæ mœror ſignificatur.*
*Sectarij omnes dies volunt æquales haberi: ſine mœrore perpetuũ gaudiũ & Halleluia celebrant: denique hos ritus & viciſſitudines in Eccleſia.*
** Matth.20.*

Eſt Halleluia, Et bis Halleluia, ꝙ nobis cantare certo tẽpore ſolenniter moris eſt, ſecundùm Eccleſiæ antiquam traditionem. Neque enim & hoc ſine Sacramento certis diebus cantamus Halleluia. Certis quidem diebus cantamus Halleluia, ſed omni die cogitamus. *Ibidem, in Pſalm.106. prope initium.*

*Solennis Eccleſiæ mos atque antiqua traditio eſt, cantare certo tempore Halleluia.*

Significantur enim nobis tempora, vnum ante reſurrectionem Domini, alterum poſt reſurrectionem Domini. Vnum in quo ſumus,alterum in quo nos futuros eſſe ſperamus. Tempus mœroris, quod ſignificant dies Quadrageſimæ, & ſignificamus & habemus. Tempus autem lætitiæ & quietis & regni, quod ſignificant dies iſti, ſignificamus per Halleluia, ſed nondum habemus laudes, ſed nunc ſuſpiramus ad Halleluia. Quid eſt Halleluia? Laudate Deum. Sed nondum habemus laudes. In Eccleſia frequentantur laudes Dei poſt reſurrectionem, quia nobis erit perpetua laus poſt reſurrectionem noſtram. Domini paſſio tempus noſtrum ſignificat,in quo nunc flemus. Flagella, vincula, contumeliæ, ſputa, ſpinea corona, vinum fellitũ, in ſpongia acetum, inſultationes, opprobria, poſtremò ipſa crux, in ligno membra ſacra pendentia, quid nobis ſignificant niſi tempus quod agimus,tempus mœroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis? *Tom.10. Serm.151. de tempore.*

*Eccleſia ritè diſtinxit inter tempora ante & poſt Paſcha.*
*Dei laudib⁹ Eccleſiæ deputauit tempus proprium ſicut & aliud tempus mœrori.*

Cum labore celebramus quadrageſimam ante Paſcha, cum lætitia verò tanquam acceptam mercedem,

quinquageſimam poſt Paſcha. *Tom.9.in Ioannẽ, tract.17.*

### *XIIII. Diem Dominicum à Chriſtianis honorandum & celebrandum eſſe.*

Dies dominicus non Iudæis, ſed Chriſtianis reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo habere cœpit feſtiuitatem ſuam. Animæ quippe omnium ſanctorum ante reſurrectionem corporis ſunt quidem in requie, ſed in ea non ſunt actione, qua corpora recepta vegetantur. Talem quippe actionem ſignificat dies octauus, qui & primus, quia non aufert illam requiem, ſed glorificat. *Tom.2. Epiſt.119.ad Ianuarium, cap.13. Lege quæ ſequuntur.*

*Dies Dominicus Chriſtianis propter Chriſti reſurrectionẽ ſolennis.*

Hæc tamen ſeptima erit Sabbatum noſtrum, cuius finis non erit veſpera, ſed Dominicus dies velut octauus æternus, qui Chriſti reſurrectione ſacratus eſt, æternam nõ ſolùm ſpiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurans. *Tom 5.lib.22.de ciuitate Dei, cap.30.*

*Dies Dominicus Chriſti reſurrectione ſacratus, æternam ſpiritus & corporis requiem præfigurat.*

Sabbatum autem eſt dies ſeptimus, Dominicus verò poſt ſeptimum; quid niſi octauus, idem qui primus habendus eſt? Ipſe enim dicitur* etiam vna * Sabbati, vt deinde ſit ſecunda, tertia, quarta, & deinceps vſque ad ſeptimum Sabbatum. A Dominico autem vſque ad Dominicum octauus eſt dies, vbi Teſtamenti noui reuelatio declaratur, quod in veteri tanquam ſub terrenis promiſſionib⁹ tegebatur. *To.8. Pſa.150. in præfatione.*

Quare ergo octauo* die (*circuncidebatur puer*)? Quia in hebdomadis idem primus qui & octauus. Completis enim ſeptem diebus reditur ad primum: finitur ſeptimus, Dominus ſepultus: reditur ad primum, Dominus reſuſcitatus. Domini enim reſuſcitatio promiſit nobis æternum diem, & conſecrauit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipſe videtur propriè ad Dominum pertinere, quia eo die Dominus reſurrexit. *Tom.10. Serm.15.de verbis Apoſtoli.*

* *Marc.16.*
* *aliàs*, prima.
* *Leuit.12. Luc.2.*

*Dies Dominicus quare ſic nominatus.*

Omni die Dominico ad Eccleſiam conuenite. Si enim infœlices Iudæi tanta deuotione celebrant Sabbatum, vt in eo nulla opera terrena exerceant: quantò magis Chriſtiani in die Dominico ſoli Deo vacare, &



pro animæ ſuæ ſalute debent ad Eccleſiam conuenire? *Tom.10. Serm.215.de tempore.*

Sciendum eſt fratres chariſſimi, quòd ideò à ſanctis Patribus noſtris conſtitutum eſt Chriſtianis & mandatum, vt in ſolennitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus ocium haberent, & à terreno negocio vacarent, vt paratiores & promptiores eſſent ad diuinũ cultum, cùm non haberent, quod eos inde retardaret incommodum, relinquerẽtque eo tempore terrenam ſolicitudinem, quò facilius poſſent Dei intendere voluntatem. *Tom.10. Serm.251. de tempore.*

*Diebus Dominicis & feſtis, à terreno negocio vacare, Chriſtianis mandatum, vt rebus diuinis operam dare cõmodius poſſint.*

Dominicũ diem Apoſtoli & Apoſtolici viri ideo religioſa ſolennitate habendum ſanxerunt, quia in eodem redemptor noſter à mortuis reſurrexit. *Ibidem, Vide integrum ſermonem.*

*Diem Dominicum Apoſtoli religioſa ſolẽnitate habendum ſanxerunt.*

### *XV. Solennium feſtorum ſtata tẽpora etiã olim fuiſſe.*

Beneficiorum Dei ſolennitatibus, feſtis, & diebus ſtatutis, dicamus ſacramúſque memoriam, ne voluminе temporum ingrata ſubrepat obliuio. *Tom. 5. de ciuit. Dei, lib.10.cap.4.*

Nunquam alio quàm die Dominico, Pentecoſte eſt, vt totum quod ad ſalutem humanam proficit, Dominico die & inchoatum & adimpletum noſcatur. *Tom.4. quæſt.noui Teſt.95. Lege ibidem plura quæ ſequuntur.*

Paſcha, id eſt, Dominicæ reſurrectionis ſolennitas, ante tranſgreſſum vernalis æquinoctij & quartædecimę lunæ perfectionem, non poteſt celebrari, in eodẽ menſe natæ. *Tom.3. de Eccleſiaſticis dogmat.cap.87.*

In ſcripturis quidem ad agendum Paſcha non eſt præceptum tempus, niſi ex menſe nouorum, à luna quartadecima vſque ad viceſimam primam: ex Euangelio tamen quia iam manifeſtum, quo etiam die Dominus crucifixus ſit, & in ſepultura fuerit & reſurrexit, adiuncta eſt etiam ipſorum dierum obſeruatio per Patrum Concilia & orbi vniuerſo Chriſtiano perſuaſum eſt, eo modo Paſcha celebrari oportere. *Tomo ſecundo Epiſtola 119. ad Ianuarium, capite decimo quinto, contra Fauſtum Manichæum libro vigeſimo ſecundo, capite vndecimo, & duodecimo, Item Tomo octauo, in Pſalm. 148. De feſtis Sanctorum*

*Patrum Concilia certum tempus celebrando Paſchatis feſto præfixerunt.*

*vide ſupra cap. de ſanctis, art. 9.*

## *XVI. Dies feſti quomodo agendi & celebrandi ſint.*

*Natalitia Sanctorum quomodo celebranda. Sancti orant pro nobis.*

ATtendite ergo chariſſimi, tenete omnes vnanimiter Deum Patrem, & matrem Eccleſiam. Natalitia ſanctorum cum ſobrietate celebrate, vt imitemur eos, qui præceſſerunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, vt benedictio Domini in æternum maneat ſuper vos, fiat, fiat. *Tom. 8. in Pſalm. 88. conc. 2. ſub finem.*

*Martyrum natalitia recte celebramus, eorũ facta imitãdo.*

Qui volumus rectè celebrare natalitia Martyrũ, deſideremus imitationem Martyrum: Ne velimus præcedere Martyres, & melioris conſilij nobis videri eſſe, quia euitamus paſſiones pro iuſtitia & pro fide, quas illi non euitauerunt. *Ibidem, in Enarratione Pſal. 69.*

*In diebus ſolẽnibus, ebrietas ante omnia fugiẽda.*

Quoieſcunque aut Natalem Domini aut reliquas ſolennitates celebrare diſponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ quaſi beſtiæ crudeliſſimæ repugnate, odium velut venenum mortiferum de corde veſtro repellite, & tanta ſit in vobis charitas, quæ non ſolùm vſque ad amicos, ſed etiam vſque ad ipſos perueniat inimicos, vt ſecurè poſſitis dicere in oratione Dominica: * *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nam qui ſe ſcit vel vnum hominum odio habere, neſcio ſi ad altare Domini ſecurus poſſit accedere, cùm præcipuè beatus Ioannes Euangeliſta terribiliter clamet & dicat: * Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt. Nam veſtrum eſt iudicare, vtrum homicida antequam pœnitentiam agat, præſumere debet Euchariſtiam accipere. *Tom. 10 ſerm. 1. de tempore.*

** Matth. 6.*

*Qui proximũ odit, Euchariſtiã non ſumat.*

** 1. Ioan. 3.*

** 1. Cor. 4.*

*Sanctorum natalitia, nõ turpibus conuiuiis, ſed eorum vitæ imitatione celebranda.*

Chriſtum animo attende, attende Apoſtolos, quorum nouiſſimus eſt ille, qui dicit: * *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti*: attende animo tot martyrum milia. Cur enim te natalitia eorum conuiuiis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam ſequi honeſtis moribus non delectat? Ibi videbis non ſolùm viros, ſed etiam fœminas, poſtremò pueros & puellas, nec impudentia decipi, nec iniquitate peruerti, nec periculi timore frangi, nec ſeculi amore corrumpi. Ita te non inuenientem quid excuſes, non ſolùm præceptorum ineuitabilis



rectitudo, ſed etiam exemplorum innumerabilis multitudo circundabit. *Tom. 10. lib. 50. homiliarum, homilia quinquageſima, cap. 13. Vide in ſermonibus de Sanctis, ſerm. 46. & 47.*

## *XVII. Diebus variis varia legi in templis, ex ſcripturis & martyrum paſſionibus excerpta.*

*Ordo lectionũ in templis Lectiones ex Euangelio recitatæ*

MEminit ſanctitas veſtra Euangelium ſecundùm Ioannem ex ordine lectionum nos ſolere tractare. Sed quia nunc interpoſita eſt ſolennitas ſanctorũ dierũ, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Eccleſia recitari, quæ ita ſunt annuæ, vt aliæ eſſe non poſſint, ordo ille quem ſuſceperamus, neceſſitate paululum intermiſſus eſt, non omiſſus. *Tom. 9. in proœmio, in expoſitionem Epiſtolæ Ioannis.*

Actus Apoſtolorum teſtes ſunt, ille liber canonicus omni anno in Eccleſia recitandus. Anniuerſaria ſolennitate poſt paſſionem Domini noſtis illum librum recitari. *Ibidem, tract. 6. in Euang. Ioannis.*

Sicut paſſio Domini ex omnibus Euangeliſtis conſcripta eſt, ſic dies iſti ſeptem vel octo durant ſpacium, vt ſecundùm omnes Euangeliſtas reſurrectio recitetur. Paſſio autem quia vno die legitur, non ſolet legi niſi ſecundùm Matthæum. Volueram aliquando vt per ſingulos annos ſecundùm omnes Euangeliſtas etiam paſſio legeretur, factum eſt &c. *Tom. 10. de tempore, ſerm. 144.*

Interceſſerunt vt intermitteremus textum huius Epiſtolæ quædam pro diebus feſtis ſolẽnia lectionum, quæ non potuerunt niſi legi, & ipſa tractari. *Tom. 9. in epiſt. Ioan. tract. 9.*

Liceat etiam legi paſſiones martyrum, cùm anniuerſarij dies eorum celebrãtur. *Tom. 1. Conciliorum, conc. Afric. cap. 13. id obſeruatum fuiſſe in Eccleſia Africana, colligitur ex 22. de Ciuitate Dei, cap. 8.*

## *XVIII. Statis temporibus orare, moris olim fuiſſe.*

ORationibus inſtate, horis & temporibus conſtitutis. In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod

factum eſt,vnde & nomen accepit:vt ſi fortè aliqui etiã præter horas cõſtitutas,ſi eis vacat, orare voluerint, nõ eis ſint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerint. *Tom.1.in regula 3.Monachorum,cap.7.* & 8.

* *Luc.18.*

*Quare per certa interualla Deum, etiam verbis, oremus.*

* *1.Theſſ.5.*

*Quomodo intelligendum illud Apoſtoli: Sine intermiſſione orate.*

In ipſa ergo Fide, & Spe, & Charitate continuato deſiderio *ſemper oramus. Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantùmque in hoc deſiderio profecerimus nobis ipſis innoteſcamus,& ad hoc agendum nos ipſos acrius excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem feruentior præcedit affectus. Ac per hoc & quod ait Apoſtolus: * *Sine intermiſſione orate*, quid eſt aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo,qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo deſideremus & oremus ſemper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipſum deſyderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id,quod deſideramus intẽdere,ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat,& penitus exſtinguatur,niſi crebrius inflammetur. *Tom.2. Epiſt.121.ad Probam.*

*Hymni & orationes veſpertinæ, ex more cantari ſolitæ.*

Victoriana villa dicitur, quæ ab Hippone regio minus triginta milibus abeſt. Memoria martyrum ibi eſt Mediolanenſium, Geruaſij & Prothaſij:portatus eſt die eo quidam adoleſcens, qui cùm de medio tempore æſtatis equum ablueret in fluminis gurgite dæmonem incurrit. Ibi cùm iaceret, vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo:ad veſpertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis ſuis, & quibuſdam Sanctimonialibus, ex more Domina poſſeſſionis intrauit, atque hymnos cantare cœperunt. *Tomo quinto de Ciuitate Dei, libro vigeſimo ſecundo, capite octauo.*

* *Exod.20.*

*Veſpertina atque nocturna celebratio*

*Penſũ orationis & ſeruitutis Deo reddere, præſertim feſtis diebus, debemus*

Sic quoque ſanctificamus ritè Sabbatum Domini, dicente Domino, * *Omne opus non facietis in eo.* Veniat ergo, cuicunque poſſibile ſit,ad veſpertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu Eccleſiæ pro peccatis ſuis Deum. Qui verò hoc non poſſit, ſaltem in domo ſua oret,& non negligat Deo ſoluere



votum,ac reddere penſum ſeruitutis. *Tom.10.ſerm.201. de tempore.*

### *XIX. Quomodo illud Apoſtoli ad Galat.4. Dies obſeruatis & menſes, accipiendum ſit.*

* *Matt.10.*

* *Pſal.32.42.56.&c.*

NAm ſi Mathematicus nobis contradicturus eſt de ſyderibus & luminaribus cœli ad Sacramẽta myſticè figuranda ſimilitudines ducere, contradicant & augures,ne dicatur nobis,* Eſtote ſimplices vt columbæ: Contradicant & Marſi,ne dicatur nobis, Aſtuti ſicut ſerpentes: Contradicant hiſtriones, ne in Pſalmis * citharam nominemus. Ac quia ex his rebus ad myſteria verborum Dei, ſimilitudinum ſigna ſumuntur, dicant ſi placet,vel auſpicia nos captare,vel venena cõficere,vel theatricas affectare luxurias,quod dementiſſimum eſt dicere. Non igitur nos de Sole & Luna, annuis menſtruíſue temporibus,actionum noſtrarũ euẽta coniicimus,ne in vitæ humanæ periculoſiſſimis tempeſtatibus tanq̃ in ſcopulos miſeræ ſeruitutis illiſi, à libero arbitrio naufragemus,ſed ad rem ſacratè ſignificandam ſimilitudines aptas religioſiſſima deuotione ſuſcipimus,ſicut de cætera creatura, de ventis, de mari,de terra,de volatilibus,de piſcibus,de pecoribus, de arboribus,de hominibus,ad ſermonem quidem multipliciter, ad celebrationem verò Sacramentorum iam Chriſtiana libertate parciſsimè,ſicut de aqua,de frumẽto,de vino,de oleo. In ſeruitute autẽ veteris populi etiã multa celebrari imperata ſunt, quæ nobis tantummodo intelligenda traduntur. Non itaque dies obſeruamus & annos,& menſes & tempora, ne audiamus ab Apoſtolo:*Timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis.* Eos enim inculpat qui dicũt, Non proficiſcar, quia poſterus dies eſt,aut quia Luna ſic fertur:vel Proficiſcar vt proſpera cedãt,quia ita ſe habet poſitio ſyderũ:Non agam hoc menſe cõmercium,quia illa ſtella mihi agit menſem:vel agam,quia ſuſcepit menſem. Nõ plantem hoc anno vineã,quia biſſextus eſt. Non autem quiſq̃ ſapiens arbitretur, obſeruatores temporum reprehendendos, qui dicunt, Non proficiſcar hodie,

*Faciũt ergo naufragium, qui liberum tollunt arbitrium.*

*In Sacramẽtorũ celebratione vtimur quibuſdam creaturis, vt aqua in Baptiſmo, frumẽto & vino in Euchariſtia, oleo in aliis quibuſdam.*

* *Gal.4.*

quia tempeſtas exorta eſt:aut non nauigem,quia adhuc ſunt hybernæ reliquiæ:aut tempus ſeminandi eſt,quia imbribus autumnalibus terra ſatiata eſt:vel ſi qui fortè alii naturales effectus circa motum aëris & humoris ad variandas temporum qualitates in ſyderum ordinatiſſima conuerſione notati ſunt, de quibus dictum eſt * cùm conderentur:Et ſint in ſignis & temporibus, & diebus,& in annis. Si quæ autem figuræ ſimilitudinum non tantùm de cœlo & de ſyderibus, ſed etiam de inferiori creatura ducuntur, ad diſpenſationem Sacramentorum,eloquentia quædam eſt doctrinæ ſalutaris mouendo affectui diſcentium accommodata,à viſibilibus ad inuiſibilia,à corporalibus ad ſpiritalia, à temporalibus ad æterna. *Tom.2. Epiſt.119.ad Ianuariũ,cap.7.*

** Gen. 1.*

*Similitudines ex creaturis ductæ ad eloquentiã pertinent ſalutarem, quæ mouendis affectibus diſcẽtiũ accommodata eſt.*

* *Damnatur ergo ab Apoſtolo, mathematica dierum obſeruatio,qua tollatur liberum arbitrium:item Iudaica,qua ſignificetur aliquid tanquam futurum, quod re vera iam exhibitum ſit:non autem Chriſtiana, per quam præteritorum renouatur memoria,& voluntas ad meliora excitatur,& ordo in Eccleſia conſeruatur atque diſciplina.*

** Gal.4.*

Et quod dicit (*Apoſtolus*)* Dies obſeruatis, & Sabbata,& ſolennitates,timeo vos ne fruſtrà laborauerim in vobis:non ſic ſcriptum eſt vt Adimantus ponit. Nõ enim nominat ibi Sabbatum Apoſtolus, Dicit enim: Dies obſeruatis, & annos,& tempora, timeo vos, ne fruſtra laborauerim in vobis. Sed putet eſſe de Sabbato dictum, nunquid & nos non dicimus iſta non eſſe obſeruanda,ſed illa potius, quæ his ſignificantur? Illi enim ea ſeruiliter obſeruabant, non intelligentes ad quarum rerum ſignificationem & prænunciationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apoſtolus, & in omnibus qui ſeruiũt *creaturæ potius quàm creatori. Nam nos quoque & Dominicum diem & Paſcha ſolenniter celebramus,& quaſlibet alias Chriſtianas dierum feſtiuitates. Sed quia intelligimus quò pertineant,nõ tempora obſeruamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus. *Tom.6.lib.contra Adimantum Manichæum,cap.16.*

*Seruilis & Iudaica temporũ obſeruatio poſt Euãgelium promulgatũ,vitioſa.*

*Nos diem Dominicum & Paſcha, aliáſque Chriſtianas feſtiuitates celebramus.*

** Rom. 1*



*Lege in hanc ſententiam Epiſtolam 118. & præcipuè 119.ad Ianuarium: vbi multa leguntur ad hoc argumentum pertinentia. Cuiuſmodi ſunt, paſſionis Dominicæ diem non redire ad eundem diem: Natalis verò feſtum ad eundem redire: myſterium Quadrageſimæ & Pentecoſtes:celebratio cœnæ Dominicæ,& lotio pedum in quinta feria maioris hebdomadæ,& quædam id genus alia,de quibus idem ſæpe meminit Auguſtinus,præſertim in ſermonibus,quos frequentes habuit in feriis Sanctorum: vti Stephani, Laurentii,Cypriani,Geruaſij & Prothaſij atque plurium aliorum.*

# CAPVT DECIMVM DE ANTICHRISTI EXTREMIque iudicij temporibus, ac deinceps futuro hominum tam electorum quàm reproborum ſtatu.

## *I. Antichriſtum filium illum perditionis vnum aliquem particularem hominem futurum.*

ET *reuelabitur *homo peccati*, Antichriſtus videlicet:qui licet ſit homo, fons tamen erit omnium peccatorum & filius perditionis. Hic eſt filius diaboli,quia per omnia adimplebit volũtatem ſuam:quia plenitudo diabolicæ poteſtatis & totius mali ingenij corporaliter habitabit in illo. In quo erunt omnes theſauri malitiæ & iniquitatis abſconditi. Qui aduerſatur,id eſt, contrarius eſt Chriſto omnibúſque membris eius:& extollitur,id eſt,in ſuperbiam erigitur ſuper omne quod dicitur Deus, id eſt, ſuper Deos gentilium, Apollinem,Iouem,Mercurium, quos pagani Deos exiſtimant. Super omnes iſtos Deos extollitur Antichriſtus,quia maiorem & fortiorem ſe faciet illis omnibus. Et nõ ſolum ſupra illos,ſed etiã ſu-

** 2.Theſſ.2.*

pra omne quod colitur: id eſt; ſupra ſanctam Trinitatem, quæ ſola modo colenda & adoranda eſt ab omni creatura: Ita ſe extollet vt in tẽplo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus. *Tom.9.tract.de Antichriſto.*

** Ioan.7.*
** 2.Theſſ.2.*
** Ioan.5.*
*Antichriſtus ſuſcipiẽdus à Iudæis Ita interpretatur hunc Ioannis locũ Ambroſ. in 2.Theſ.2. Hilarius lib.de patris & filij vnitate. Chryſoſt.hom. 40.in Ioannẽ.& Hiero. in Eſaiam, cap.59. & ad Algaſiã.*
** Pſalm.9.*
*Antichriſti perſecutio & violẽta erit & fraudulenta.*

*Qui à ſemetipſo * loquitur, gloriam propriam quærit.* Hoc erit ille qui vocatur Antichriſtus, extollens ſe, ſicut Apoſtolus ait, * ſupra omne quod dicitur Deus, & quod colitur. Ipſum quippe annuncians Dominus gloriam ſuam quæſiturum, non gloriam patris, ait ad Iudæos, * Ego veni in nomine patris mei, & non ſuſcepiſtis me, alius veniet in nomine ſuo, hunc ſuſcipietis. Significauit eos Antichriſtum ſuſcepturos, qui gloriam nominis ſui quæſiturus eſt: inflatus, nõ ſolidus, & ideò non ſtabilis, ſed vtique ruinoſus. *Tom.9.in Euang. Ioannis, Tract.29.*

*Inſidiatur in * occulto velut leo in cubili ſuo*: Leonem in cubili dicit eum, in quo & vis, & dolus operabitur. Prima enim perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cum proſcriptionibus, tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, quæ nunc per huiuſcemodi hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura, qua nihil eſt periculoſius: quoniam & violenta & fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolũ in miraculis. Ad vim relatum eſt quod dictum eſt, leo: ad dolos, quod dictum eſt, in cubili ſuo. Et rurſum ipſa repetita ſunt conuerſo ordine. Inſidiatur, inquit, vt rapiat innocentem: hoc ad dolum pertinet. Quod autem ſequitur: rapere pauperem dum attrahit eum, violentiæ deputatur. Attrahit enim, ſignificat, quibus poteſt cruciatibus affligendo ad ſe adducit. Item duo quæ ſequũtur, ipſa ſunt. In muſcipula ſua humiliabit eum, dolus eſt. Inclinabitur & cadet dum dominabitur pauperũ, vis eſt. Muſcipula enim bene ſignificat inſidias, dominatio verò terrorem apertiſſimè inſinuat. Et bene ait: Humiliabit eum in muſcipula ſua: Cùm enim ſigna illa facere cœperit, quantò mirabiliora videbũtur hominibus: tantò illi ſancti qui tunc erunt contemnentur & quaſi pro nihilo habebuntur: quos ille, cui per iuſtitiam & innocentiam reſiſtent, mirificis factis ſuperare



videbitur. Sed inclinabitur & cadet, dum dominabitur pauperum, id eſt, dum quælibet ſupplicia irrogabit reſiſtentibus ſibi ſeruis Dei. *Tom.8.in Pſalm.9.*

** Gen.49.*
*Antichriſtum de tribu Dan naſciturũ ſcripſit Hippolytus martyr oratione de Antichriſto: ſic eundẽ Geneſeos locum interpretatus: ſicut & B. Ambroſ. de benedictionibus Patriarcharum, cap.2. & in Pſal. 4. verſu 10.*
** Ierem. 8.*

*Fiat Dan coluber * in via, ceraſtes in ſemita, & reliqua.* Dicũt quidam Antichriſtũ per hæc prædici, & de iſta tribu futurum pro eo quod hoc loco Dan, & coluber aſſeritur & mordens, & quod inter tribus Iſraël primus Dan ad Aquilonem caſtrametatus eſt, illum ſignificans, qui ſe in lateribus Aquilonis ſedere dicit, & de quo figuraliter dicit Propheta: A Dan auditus eſt fremitus equorum. Qui non ſolum coluber, ſed etiam ceraſtes vocatur κέρατα enim græcè cornua dicuntur. Serpens ergo ille cornutus eſſe perhibetur. Per quem dignè Antichriſtus aſſeritur, quia contra vitam fideliũ cum morſu peſtiferæ prædicationis armabitur etiã cornibus poteſtatis. Quis autem neſciat ſemitam anguſtiorem eſſe quàm viam? fit ergo Dan coluber in via, quia in præſentis vitæ latitudine eos ambulare prouocat, quibus quaſi parcendo blanditur: ſed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris ſui veneno conſumit, fit ceraſtes in ſemita: quia quos fideles reperit & ſeſe ad præcepti cœleſtis itinera conſtringentes, non ſolùm nequitia callidæ perſuaſionis impetit, ſed etiam terrore poteſtatis premit, & in perſecutionis languore poſt beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua poteſtatis. Equus iſte cuius vngulas ceraſtes mordere dicitur, hunc mundum inſinuat, qui per elationem ſuam in curſu labentium temporum ſpumat. Et quia Antichriſtus extrema mundi huius apprehendere nititur, ceraſtes iſte equi vngulas mordere perhibetur. *Tom 3.de benedict. Iacob circa finem.*

** Gen.49.*
*Antichriſtus ex copulatione patris, & matris, ſicut cæteri homines.*

Sicut ergo auctores noſtri dicunt, Antichriſtus ex populo Iudæorum naſcetur de tribu Dan, ſecundum Prophetam dicentem: * *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Sicut enim ſerpens in via ſedebit, & in ſemita erit: vt eos qui per ſemitam iuſtitiæ ambulant, feriat, & veneno ſuæ malitiæ occidat. Naſcetur aũt ex copulatione patris & matris ſicut alii homines, non vt aliqui dicũt ex ſola virgine: ſed tamẽ totus in peccato

concipietur, in peccato generabitur, & in peccato naſcetur. In ipſo verò conceptionis initio, diabolus ſimul introibit in vterum matris eius: & ex virtute diaboli confouebitur & confutabitur in ventre matris, & virtus diaboli ſemper cum illo erit. Et ſicut in matrem * Domini noſtri Spiritus ſanctus venit, & eam ſua virtute obumbrauit & diuinitate repleuit, vt de ſancto Spiritu acciperet, vt quod naſceretur diuinum eſſet & ſanctum: ità quoque diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, & totam eam replebit, totam circundabit, totam tenebit, & totam interius exteriúſque poſſidebit, vt diabolo per hominem cooperante concipiat, & quod natum fuerit totum ſit iniquum, totum perditum. Vnde & ille homo * peccati, filius perditionis appellatur, quia inquantum poterit genus humanum perdet, & ipſe in nouiſſimo perdetur. *Tom. 9. tract. de Antichriſto.*

** Luc. 1.*

** 2. Theſſ. 2.*

*Conſtitue Domine* legiſlatorem ſuper eos.* Videtur mihi Antichriſtum ſignificare: de quo Apoſtolus dicit,* cùm reuelabitur homo peccati. Vt ſciant gentes quoniam homines ſunt, vt qui nolunt liberari à filio Dei & pertinere ad filium hominis & eſſe filij hominum, id eſt, noui homines: ſeruiant homini, id eſt, veteri homini peccatori, quoniam homines ſunt. Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ venturus creditur tanta ei licebit facere, & in omnes homines, & in ſanctos Dei, vt tunc verè nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere. *Et paulò pòſt.* Et omnium inimicorum ſuorum dominabitur: Ità enim traditur, quod reges omnes ſuperaturus ſit, & ſolus regnum obtenturus: quando etiam ſecundùm Apoſtolum, qui de illo prædicat:* In templo Dei ſedebit, extollens ſe ſuper omne, quod colitur & quod dicitur Deus. Et quoniam traditus in concupiſcentiam cordis ſui & damnationi vltimæ deſtinatus, per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen dominationémque venturus eſt: propterea ſequitur, Dixit enim in corde ſuo, non mouebor de generatione in generationem ſine malo: id eſt, fama mea & nomen meum de hac generatione in generationem poſterorum non tranſiet, niſi artibus malis adipiſcar tam excelſum principatum, de quo poſteri tacere non

** Pſalm. 9.*

** 2. Theſſ. 2.*

** 2. Theſſ. 2.*

*Antichriſtus traditur reges omnes eſſe ſuperaturus, et ſolus regnum obtenturus.*

*Traditio hæc eſt Chryſoſt. in 2. Theſſ. 2. Hieronymi ſuper 11. Danielis, Lactantij lib. 7. diuinarum inſtit. cap. 16.*



poſſint. Animus enim perditus & expers bonarum artium atque à iuſtitiæ lumine alienus, malis artibus ſibi aditum molitur ad famam tam diuturnam, vt apud poſteros etiam celebretur. *Et infrà.* Eſt & alius intellectus, ſi de generatione mortali ad æternitatis generationem ſe venire non poſſe vanus & erroris plenus animus arbitratur, niſi artibus malis: quod quidem & iam de Simone diffamatum eſt, cùm ſceleratis artibus cœlum ſe putaſſet adepturum & de humana generatione in diuinam generationem rebus magicis tranſiturum. Quid ergo mirum ſi etiam ille homo peccati, qui totam nequitiam & impietatem, quam omnes pſeudoprophetæ inchoauerunt, impleturus eſt, & tanta ſigna facturus, vt decipiat ſi fieri poteſt etiam electos Dei, dicturus eſt in corde ſuo, Non mouebor de generatione in generationem ſine malo. *Tom. 8. in Pſalm. 9. vltra medium.*

*Antichriſtus totã nequitiã & impietatẽ, quã omnes pſeudo prophetæ inchoauerunt, impleturus eſt.*

Illam ſanè nouiſſimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt, præſentia ſua ipſe extinguet Ieſus: Sic enim ſcriptum eſt, * quod eum interficiet ſpiritu oris ſui & euacuabit illuminatione præſentiæ ſuæ: Hîc quæri ſolet, quando iſtud erit? importunè omninò. Si enim hoc vobis noſſe prodeſſet, à quo melius, quàm ipſo Deo magiſtro interrogãtibus diſcipulis diceretur? Non enim ſiluerunt inde apud eum, ſed à præſente quæſierunt, dicentes: * Domine ſi hoc in tempore repræſentabis regnum Iſraël? At ille: Non eſt, inquit, veſtrum noſſe tempora, quæ Pater in ſua poſuit poteſtate. *Tom. 5. de Ciuitate Dei, lib. 18. cap. 53.*

** 2. Theſſ. 2.*

*Tempus Antichriſti venturi incertũ.*

** Act. 1.*

In illo *(extremo)* iudicio vel circa illud iudicium, has res didicimus eſſe venturas: Heliam Theſbiten, fidem Iudæorum, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum venturum iudicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum malorúmque diremptionem: mundi conflagrationem, eiuſdémque renouationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe credendum eſt: ſed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientiã, quàm nunc valet conſequi ad perfectum hominum intelligentia. *Ibidem, lib. 20. cap. 30.*

*Hippolytus martyr, cuius Hieronymus meminit lib. de ec-*

*cleſiaſticis ſcriptoribus, tempora Antichriſtum proximè anteceſſura ſignat in hunc modum. Templa diuina domorum inſtar erunt, locis omnibus fient euerſiones Eccleſiarum, ſcripturæ contemnentur, hoſtis illius cantica decantabunt. Poſt hæc ſtupra, adulteria, periuria, incantationes, diuinationes, magno impetu, ſtudioq; ſequentur. In ſumma ex iis, qui Chriſtiani videntur, tunc exurgent falſi Prophetæ, falſiq; Apoſtoli, homines impoſtores, corruptores, malefici, mentientes alius in alium, adulteri, ſtupratores, rapaces, auari, periuri, detractores: Paſtores fiẽt quaſi lupi: monachi expetent, quæ ſunt mundi. Obſecro, ſi non hæc in noſtra tempora maximè congruunt.*

## *II. Quomodo intelligendus ſit ille Apoſtoli locus, 2. Theſſ. 2. Niſi venerit diſceſsio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati &c.*

* 2. Theſſ. 2.

NVllo modo eſt prætereundus Apoſtolus Paulus, qui ſcribens ad Theſſ.* *Rogamus*, inquit, *vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non citò moueamini mente, neque terreamini, neque per ſpiritum, neq; per verbum, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo, quoniam niſi venerit refuga primùm & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui aduerſatur & ſuperextollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ità vt in templo Dei ſedeat, oſtentans ſe tanquã ſit Deus. Non retinetis in memoria, quod adhuc cùm eſſem apud vos hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Iam enim myſterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet, teneat: donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur iniquus ille, quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui, & euacuabit illuminatione præſentiæ ſuæ eum, cuius eſt præſentia ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute, ſignis, & prodigiis mendacij, & in omni ſeductione iniquitatis, his qui pereunt: pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Et ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacia, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Nulli dubium



eſt eum de Antichriſto iſta dixiſſe, diéque iudicij. Hunc enim appellat diem Domini non eſſe venturum, niſi ille prior venerit, quem * refugam vocat, vtique à Domino Deo: Quod ſi de omnibus impiis meritò dici poteſt, quanto magis de iſto? Sed in quo templo Dei, vt Deus ſit ſeſſurus incertum eſt *a*: vtrũ in illa ruina templi quod à Salomone rege conſtructum eſt: an verò in Eccleſia. Non enim templum alicuius idoli aut dæmonis, templum Dei Apoſtolus diceret. Vnde nonnulli, non ipſum principem, ſed vniuerſum quodammodo corpus eius, id eſt, ad eum pertinentem hominum multitudinem ſimul cum ipſo ſuo principe hoc loco intelligi Antichriſtum volunt. Rectiúſque putant etiam latinè dici, ſicut in græco eſt, non in templo Dei, ſed in templum Dei ſedeat, tanquam ipſe ſit templum Dei, quod eſt Eccleſia. *Et paulò pòſt.* Quod autem ait: Et nunc quid detineat ſcitis, id eſt, quid ſit in mora, quæ cauſa ſit dilationis eius, vt reueletur in ſuo tempore, ſcitis: quoniam ſcire ille nos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideò nos qui neſcimus quod illi ſciebant, peruenire cum labore ad id quod ſenſit Apoſtolus cupimus, nec valemus: præſertim quia & illa quæ addidit, hunc ſenſum faciunt obſcuriorem. Nam quid eſt: Iam enim myſterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus? Ego prorſus quid dixerit, me fateor ignorare. Suſpiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere de hac re potui, non tacebo. Quidam putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano: & propterea Paulum Apoſtolum, non id apertè ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio malè optauerit, cùm ſperaretur æternum: vt hoc quod dixit: *Iam enim myſterium iniquitatis operatur,* Neronẽ voluerit intelligi, cuius iã facta velut Antichriſti videbantur. Vnde nonnulli ipſum reſurrecturum & futurũ Antichriſtum ſuſpicantur. Alij verò nec eũ occiſum putãt, ſed ſubtractum potius vt putaretur occiſus:

** ἀποστασία legitur ĩ græco, quod latinè ſonat diſceſſio.*

*a Harũ opinionum prior eſt Irenæi aduerſus hæreſes Valẽt. lib. 5. qui dicit Antichriſtũ regnaturũ atq; in tẽplo ſeſſurum Hieroſolymis. Ambroſij quoq; ſup Luc. 10. ca. 87. & Hippolyti mart. tract. de Antichriſto. & Hieronymi in 2. Theſ. 2. qui exiſtimat hic Hieroſolymitanũ tẽplum ab eo adcõciliandũ Iudæorum fauorẽ reſtaurãdũ eſſe. Nec verè diſcordat hæc opinio à poſteriori cũ Hieroſolymis reſidẽs, in omnẽ Eccleſiã per vniuerſum orbẽ credatur ſuã tyrannidem exerciturus. Neronem ideo typũ Antichriſti geſſiſſe, Chryſoſtomus docet, quia et ille Deus reputari voluit. Ambroſ. autẽ myſteriũ iniquitatis cœpiſſe à Nerone.*

& viuum occultari in vigore ipſius ætatis in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur & reſtituatur in regnum. Sed multum mihi mira eſt hæc opinantium tanta præſumptio. Illud tamen quod ait Apoſtolus:* *Tantum qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat*: non abſurdè de ipſo Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum ſit: Tantum qui modò imperat, imperet: donec de medio fiat, id eſt, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus, quem ſignificari Antichriſtum nullus ambigit. Alij verò, & quod ait: quid detineat ſcitis: & myſterium operari iniquitatis, non putant dictum, niſi de malis & fictis, qui ſunt in Eccleſia, donec perueniant ad tantum numerum, qui Antichriſto magnum populum faciat: & hoc eſſe myſterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autem Apoſtolum fideles, vt in fide quam tenent, tenaciter perſeuerent dicendo: *Tantum qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat*: hoc eſt, donec exeat de medio Eccleſiæ myſterium iniquitatis, quod nunc occultum. Ad ipſum enim myſterium pertinere arbitrantur, quod ait in Epiſtola ſua Ioannes Euangeliſta:* *Pueri nouiſsima hora eſt: & ſicut audiſtis, quòd Antichriſtus ſit venturus, nunc autem Antichriſti multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus, quòd nouiſsima ſit hora. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Sicut ergò ante finem in hac hora inquiunt, quàm Ioannes nouiſſimam dicit, exierunt multi hæretici de medio Eccleſiæ, quos multos dicit Antichriſtos: ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Chriſtum, ſed ad illum nouiſſimum Antichriſtum pertinebunt, & tunc reuelabitur. Alius ergo ſic, alius autem ſic Apoſtoli obſcura verba coniectat: quod tamen eum dixiſſe nõ dubium eſt: non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Chriſtus, niſi prius venerit ad ſeducendos in anima mortuos aduerſarius eius Antichriſtus, quanuis ad occultum iam iudicium Dei pertineat, quòd ab illo ſeducentur. Præſentia quippe eius erit, ſicut dictum eſt, ſecundùm operationem Satanæ* in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacij, & in omni ſeductione iniquitatis, his qui pereunt. Tunc enim ſoluetur* Satanas: & per

** 1. Theſſ. 2. Conſentiunt & alij patres Ambroſ. Chry. Oecumenius, & Hieron. in hunc locum. Ita Hieronymus myſteriũ iniquitatis hæreticos operari dicit, qui exeant de eccleſia, in 2. Theſſ. 2.*

** 1. Ioan. 2.*

*Omnes exibũt de Eccleſia, qui nõ ad Chriſtum ſed ad nouiſsimũ Antichriſtum pertinebunt, & tũc reuelabitur.*

** 2. Theſſ. 2.*

** Apoc. 20.*



& per illum Antichriſtum in omni ſua virtute mirabiliter quidem, ſed mendaciter operabitur. Quod ſolet ambigi, vtrum propterea dicta ſint ſigna & prodigia mendacij: quoniam mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt: vt quod non facit, facere videatur: An quia illa ipſa etiam ſi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuiſſe niſi diuinitus fieri, virtutem diaboli neſcientes: maximè quando tantam, quantã nunquam habuit, accipiet poteſtatem. Non enim quãdo de cœlo ignis cecidit, & tantã familiam cum tantis gregibus pecorũ ſancti Iob,* vno impetu abſumpſit, & turbo irruens, & domũ deiiciens, filios eius occidit, phantaſmata fuerunt? quæ tamen fuerunt opera Sathanæ, cui Deus dederat hanc poteſtatẽ. Propter quid horum ergo dicta ſunt prodigia & ſigna mendacij, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horũ dictum ſit:* ſeducentur eis ſignis, atque prodigiis qui ſeduci merebũtur: pro eo quòd dilectionem veritatis, inquit, non receperũt, vt ſalui fierent. Nec dubitauit Apoſtolus addere, & dicere: *ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Deus enim mittet, quia Deus diabolum facere iſta permittet iuſto ipſius iudicio, quanuis faciat ille iniquo, malignóque cõſilio. *Vt iudicentur, inquit, omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Proinde iudicati ſeducentur, & ſeducti iudicabuntur. Sed iudicati ſeducentur illis iudiciis Dei occultè iuſtis, & iuſtè occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ nunquam iudicare ceſſauit. Seducti autem iudicabuntur nouiſſimo, manifeſtóque iudicio per Ieſum Chriſtum, iuſtiſsimè iudicaturum, iniuſtiſsimè iudicatum. *To. 5. de ciuit. Dei, lib. 20. cap. 19.*

** Iob. 1.*

** 2. Theſſ. 2.*

*Deus mittere dicitur operatione erroris, quia diabolũ facere iſta permittit.*

*Sunt & hæretici Antichriſti, & infideles, qui Eccleſiam Chriſti perſequuntur, iuxta illud Ioannis: Antichriſti * multi facti ſunt, & quidem tot Antichriſti, quot vel hæreſiarchæ vel perſecutores. Generaliter enim, inquit Origenes ſupra. 24. Matth. vnus eſt Antichriſtus, ſpecies autem illius multæ: tanquam ſi dicamus, mendacium generaliter vnum eſt, ſecundùm differentias autem falſorum dogmatum, inueniuntur multa eſſe mendacia. Si enim mendacium nihil differt à mendacio, pu-*

** 1. Ioan. 2.*

Sſſ

ta Baſilidis, aut Marcionis, aut Valentini, aut Apellis, aut aliquorum ſimilium, vnum videtur eſſe mendacium. Si autem ſecundùm diuerſa dogmata mentiuntur, multi ſunt, qui exurgunt. Hi enim ſunt Antichriſti, & quicunque poſt eos ſurrexerint. Qui Marcionis, vel alicuius eorum prædicant verbū falſum, Prophetæ ſunt Antichriſti eius, qui eſt ſecundùm Marcionē id eſt illius mendacij, quod introduxit Marcion, & alij falſi Prophetæ ſunt mendacij illius quod eſt ſecundum Baſilidem, alij verò illius, quod eſt ſecundùm Apellem. Similiter dices & de prædicatoribus ſingulorum hæreſum. Non debemus attendere eis, qui dicunt, Ecce hic eſt Chriſtus, non autem oſtendunt eū in Eccleſia, quæ plena eſt fulgore ab Oriente vſque ad occidentē, quæ plena eſt lumine vero, quæ eſt columna & firmamētum veritatis, in qua tota totus eſt aduentus filij hominis, dicentis omnibus, qui vbique ſunt: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Quoties canonicas proferunt ſcripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum eſt veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſsionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis. Quibus verbis abundè declarauit Origenes, non modò qui ſint hæretici, verùm etiam, qui Antichriſti, quos Ioannes inſimulat cùm dicit, Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Neque tamen ideò non vnus ſupremus omnium, potentiſsimus, fallaciſsimus, crudeliſsimus futurus eſt Antichriſtus, qui & Iudæus ſit * ex tribu Dan, & Hieroſolymis * per tempus & tempora, & dimidium temporis, ſiue vt in Apocalypſi legitur, * per menſes quadraginta duos, & toto orbe terrarum Chriſtianos perſecuturus, neque tamen funditus deleturus Eccleſiam Dei: ſicut partim iam à nobis eſt declaratum, partim deinceps fuſius per ſingula declarabitur. Quod ad hæreticos Antichriſtos attinet, vide ſuprà, libr. I. cap. de hæret. articulo 10.

* Gen. 49.
* Dan. 7.
* Apoc. 13.

### III. Antichriſti perſecutionem, non vna aliqua in regione, ſed vniuerſo orbe futuram.

* Apoc. 20.

ET cùm finiti * fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de cuſtodia ſua, & exibit ad ſeducendas nationes, quæ ſunt in



quatuor angulis terræ Gog & Magog, & trahet eos in bellum, quorum numerus eſt, vt arena maris. Ad hoc ergo tunc ſeducet, vt in hoc bellum trahat. Nam & antea modis quibus poterat per mala multa & varia ſeducebat. Exibit autem, dictum eſt, in apertam perſecutionem de latebris erumpet odiorum. Hæc enim erit nouiſſima perſecutio nouiſſimo imminente iudicio, quam ſancta Eccleſia toto terrarum orbe patietur: vniuerſa ſcilicet ciuitas Chriſti, ab vniuerſa diaboli ciuitate, quantacunque erit vtraque ſuper terram. Gentes quippe iſtæ quas appellat Gog & Magog, non ſic ſunt accipiendæ, tanquam ſint aliqui in aliqua parte terrarum barbari conſtituti, ſiue quos quidam ſuſpicantur Getas & Maſſagetas, propter literas horum nominum primas, ſiue aliquos alios alienigenas, & à Romano iure ſeiunctos. Toto nanque orbe terrarū ſignificati ſunt iſti eſſe, cùm dictum eſt: Nationes quæ ſunt in quatuor angulis terræ, eáſque ſubiecit eſſe Gog & Magog. Tom. 5. de ciuitate Dei, lib. 20. cap. 11.

Nouiſſimam Antichriſti perſecutionē, nouiſſimo imminēte iudicio, ſancta Eccleſia toto orbe terrarū patietur.

Quod verò ait: * Et aſcenderunt ſuper terræ latitudinem, & cinxerunt caſtra ſanctorum & dilectam ciuitatem: non vtique ad vnum locum veniſſe, vel venturi eſſe ſignificati ſunt, quaſi aliquo vno loco futura ſint caſtra ſanctorum & dilecta ciuitas, cùm hæc non ſit niſi Chriſti Eccleſia toto terrarū orbe diffuſa: ac per hoc vbicūque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit, quod ſignificatum eſt nomine latitudinis terræ: ibi erunt caſtra ſanctorum, ibi erit dilecta Deo ciuitas eius: ibi ab omnibus inimicis ſuis, quia & ipſi in omnibus gentibus cum illa erunt, perſecutionis illius immanitate cingetur, hoc eſt, in anguſtias tribulationis arctabitur, vrgebitur, concludetur, nec militiam ſuam deſeret, quæ vocabulo eſt appellata caſtrorum. Ibidem.

* Apoc. 20.

Hieroſolymam veniens omnes Chriſtianos quos ad ſe non poterit conuertere, per varia tormenta iugulabit, & ſuam ſedem in templo ſancto ponet. Templum etiam ſanctum quod Salomon * Deo ædificauit in ſtatu ſuo reſtaurabit, & filium Dei omnipotentis ſe eſſe mentietur. Reges autem & principes primùm ad ſe conuertet, deinde per illos cæteros populos.

Vide ſuprà articulo 1.

* 3. Reg. 5.

Loca verò per quæ Chriſtus Dominus ambulauit, prius deſtruet: deinde per vniuerſum mundũ nuncios & prædicatores mittet. Prædicatio autem eius & poteſtas tenebit à mari vſque ad mare, ab Oriente vſque ad occidentem, ab Aquilone vſque ad Septentrionem. *Tom.9. Tract. de Antichriſto.*

** Luc.21.* — *Tẽpore Antichriſti Eccleſia vniuerſo orbe tribulabitur.* — ** 1.Theſſ.5.* — ** Matt.24. Marc.13.* — ** 1. Theſſ.5.*

Videamus itaque ne fortè melius intelligatur, non eo modo (*per bella quæ ſemper alibi fuerunt*) impleri quæ prędicta ſunt illis verbis * (*areſcentibus hominibus præ timore & expectatione*) ſed tunc potius eſſe ventura, quando ſic erit tribulatio vniuerſo orbi, vt ad Eccleſiam pertineat, quæ vniuerſo orbe tribulabitur, non ad eos qui tribulabunt eam. Ipſi enim dicturi ſunt,* Pax & ſecuritas. *Et paulò pòſt.* Quando enim ſol obſcurabitur & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur: ſicut ab aliis duobus Euãgeliſtis * hic locus commemoratus eſt, Eccleſia non apparebit, impiis tunc perſecutoribus vltra modum ſæuientibus, & remoto timore tanquã arridentibus mundi felicitate dicentibus, * Pax & ſecuritas: tunc ſtellæ cadent de cœlo & virtutes cœlorum commouebuntur, quoniã multi qui gratia fulgere videbantur, perſequentibus cedent & cadent, & quidam fideles firmiſſimi turbabuntur. *Tom.2. Epiſt. 80. ad Heſychium, verſus finem.*

**1.Theſſ.5.* — **Matt.24.*

Vtraque pars erit in omnibus gentibus, vna quæ premat, altera quæ prematur. Vna quæ dicat,* Pax & ſecuritas; altera in qua ſol * obſcuretur, & non det luna lumen ſuum, & de qua cadent ſtellæ, & in qua virtutes cœlorum moueantur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. *Ibidem, Paulò infrà.*

### IIII. *Antichriſtum non plus triennio & ſex menſibus eſſe regnaturum.*

** Dan.7.*

QVatuor illa regna (*de quibus Daniel**) expoſuerunt quidam Aſſyriorum, Perſarum, Macedonum & Romanorum. Quàm verò conuenienter id fecerint, qui noſſe deſiderant, legant presbyteri Hieronymi librum in Danielem, ſatis diligenter, eruditéque conſcriptum. Antichriſti tamen aduerſus Eccleſiam ſæuiſſi-



mum regnum, licet exiguo ſpacio temporis ſuſtinendum, donec Dei vltimo iudicio regnum ſancti accipiant ſempiternum: qui vel dormitans hæc legit, dubitare non ſinitur. Tempus quippe & tempora, & dimidium temporis annum vnum eſſe, & duos & dimidium: ac per hoc tres annos & ſemiſſem etiam numero dierum poſterius poſito diluceſcit, aliquando in ſcripturis & menſium numero declaratur. *Tom.5. de Ciuit. Dei, libr.20. cap.23.*

*Antichriſti aduerſus Eccleſiam ſæuiſſimum regnum exiguo temporis ſpacio ſuſtinendum: diebus mille, ducentis nonaginta, inquit Hieronymus: iuxta illud Danielis 12. Et à tempore quo ablatum fuerit iuge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille, ducenti, nonaginta, faciunt hi tres annos & dimidium: Vide & Chryſoſt. ſiue auctorem operis imperfecti in Matth. homil.49.*

Alligatio * diaboli, eſt non permitti exercere totam tentationem, quam poteſt vel vi, vel dolo, ad ſeducendos homines, in partem ſuam cogendo violenter, fraudulenterúe fallendo. Quod ſi permitteretur in tam lõgo tempore & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deiiceret, & ne crederent, impediret. Quod ne faceret, alligatus eſt. Tunc autem ſoluetur, quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & ſex menſibus legitur * totis ſuis, ſuorúmque viribus ſæuiturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum eſt, vt vinci tanto eius impetu, inſidiiſque non poſſint. *Ibidem, cap.8.* ** Apoc.9.* ** Dan.12.*

Solue quatuor * angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. Flumen Euphraten, peccatorem populum dicit: in quo Satanas & propria voluntas ligata eſt. Euphrates autem fluuius eſt Babilonis, quæ interpretatur confuſio. Vnde ad ipſum fluuium pertinent, quicunque res confuſione dignas exercent. Et ſoluti ſunt quatuor angeli, id eſt, inchoata eſt perſecutio: Parati in horam & diem & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum. Hæc ſunt quatuor tem- *Apoc. 9.* *Nota.*

pora triennij & pars tẽporis. *Tom. 9. in Apocalypſin, hom. 7.*
* Apoc. 13. *Et data eſt * ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* Tempus nouiſſimæ perſecutionis in iſtis quadraginta duobus menſibus intelligitur. *Ibidem, homil. 10.*

Hæc autem tam terribilis & timenda tribulatio tribus annis manebit in toto & dimidiũ. *Tunc breuiabuntur * dies propter electos: nam niſi Dominus breuiaſſet dies non fieret ſalua omnis caro. Et infrà.* Antichriſtus diaboli filius, totius malitiæ artifex peſſimus, cùm per tres annos & dimidium, ſicut prædictum eſt, * magna perſecutione totum mundum vexauerit & omnem populum Dei variis pœnis cruciauerit, poſtquã Eliam & Enoch interfecerit, & cæteros in fide permanentes martyrio coronauerit: ad vltimũ veniet ira Dei ſuper illum, ſicut beatus Paulus ſcripſit, dicens: * Quẽ Dominus Ieſus Chriſtus interficiet ſpiritu oris ſui. *To. 9. Tract. de Antichriſto.*

* Matt. 24. Marc. 13. * Dan. 12. *Martyrium Enoch & Eliæ, aliorũq; ſub Antichriſto.* * 2. Theſſ. 2.

### *V. Antichriſti tempore, non defecturam Eccleſiam Chriſti.*

* Apoc. 20. NEc ſic accipiendum eſt quod ait: * vt non ſeduceret gentes donec finiantur mille anni: quaſi poſtea ſeducturus ſit eas duntaxat gẽtes ex quibus prædeſtinata conſtat Eccleſia: à quibus ſeducendis illo eſt vinculo clauſtróque prohibitus. Sed aut illa locutione dictum eſt, quæ in Scripturis aliquoties inuenitur, qualis eſt in
* Pſal. 122. Pſalmo: * *Sicut oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri.* Neque enim cùm miſertus fuerit, non erunt oculi ſeruorum eius ad Dominum Deum ſuum. Aut certè iſte eſt ordo verborum: Et clauſit, & ſignauit ſuper eum, donec finiantur mille anni. Quod verò interpoſuit, vt nõ ſeduceret iam gentes: ita ſe habet, vt ab huius ordinis connexione ſit liberum: & ſeorſum intelligendum, velut ſi pòſt adderetur, vt ſic ſe haberet tota ſententia: Et clauſit & ſignauit ſuper eum, donec finiantur mille anni, vt non ſeduceret iam gentes: id eſt, ideo clauſit, donec finiantur mille anni, vt iam non ſeduceret gentes. *Tom. 5. de ciuitate Dei, libr. 20. cap. 7.*

* Apoc. 20. Poſt hæc, inquit, * *oportet eum ſolui breui tempore.* Si hoc eſt diabolo ligari & includi, Eccleſiam non poſſe ſedu-



cere, hæc ergo erit ſolutio eius, vt poſſit? Abſit. Nunquam enim ab illo Eccleſia ſeducetur prædeſtinata, & electa * ante mundi conſtitutionem, de qua dictum eſt: * Eph. 1.
* *Nouit Dominus, qui ſunt eius:* & tamen hîc erit Eccleſia illo tempore etiam quo ſoluendus eſt diabolus: ſicut ex quo eſt inſtituta, hîc fuit & erit omni tempore, in ſuis vtique qui ſuccedunt naſcendo morientibus. *Et paulò pòſt.* Illam nec ſolutus vtique ſeducturus eſt. *Ibidem, cap. 8.* * 2. Tim. 2.

*Eccleſia ſicut ex quo eſt inſtituta, hîc fuit, ita erit omni tempore, illã diabolus nec ſolutus vtique ſeducturus eſt.*

In eorum ſanè, qui tunc futuri ſunt, ſanctorum atque fidelium comparatione quid ſumus? Quandoquidẽ ad illos probandos tantus ſoluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus: quanuis & hoc temporis interuallo, quoſdam milites Chriſti tam prudentes & fortes fuiſſe atque eſſe non dubium eſt, vt etiam ſi in iſta mortalitate viuerent, quãdo ille ſoluetur, omnes inſidias eius atque impetus & cauerent prudentiſſimè & patientiſſimè ſuſtinerent. *Ibidem.*

Vtrum autem etiam illis vltimis tribus annis * & menſibus ſex quando ſolutus totis viribus ſæuiturus eſt, aliquis in qua non fuerat, ſit acceſſurus ad fidem, nonnulla quæſtio eſt. Quomodo enim ſtabit quod dictum eſt: * Quis intrat in domum fortis vt vaſa eripiat, niſi prius alligauerit fortem, ſi etiam ſoluto eripiuntur? Ac per hoc ad hoc cogere videtur iſta ſententia, vt credamus illo licet exiguo tempore neminem acceſſurum eſſe populo Chriſtiano, ſed cum eis qui iam Chriſtiani reperti fuerint diabolum pugnaturum. Ex quibus etiam ſi aliqui victi ſecuti eum fuerint, non eos ad prædeſtinatum filiorum Dei numerum pertinere. Neque enim fruſtra idem Ioannes Apoſtolus, qui & hanc Apocalypſin ſcripſit, in epiſtola ſua de quibuſdam dixit: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Sed quid fiet de paruulis? Nimium quippe incredibile eſt, nullos iam natos & nondum baptizatos, præoccupari Chriſtianorum filios illo tempore infantes: nullos etiam ipſis naſci iam diebus: aut ſi erunt, non eos à parentibus ſuis ad lauacrum regenerationis modo quocunque perduci. Quod ſi fiet, quo pacto ſoluto

* Dan. 12. * Matt. 12. * 1. Ioan. 2.

*Tempore Antichriſti paruulos per Baptiſmum acceſſuros eſſe ad Eccleſiam*

iam diabolo vaſa iſta eripientur, in cuius domum nemo intrat, vt vaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit eum? Imò verò id potius credendum eſt, vt nec qui cadant de Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos: ſed profectò tam fortes erunt & parentes pro baptizandis paruulis ſuis, & hi qui tunc primitus credituri ſunt, vt illum fortem vincant etiam non ligatum: id eſt omnibus, qualibus antea nunquam, vel artibus inſidiantem, vel vrgentem viribus, & vigilanter intelligant, & toleranter ferant, ac ſic illi etiam non ligato eripiantur. Nec ideo falſa erit Euangelica illa ſententia: * *Quis intrat in domum fortis, vt vaſa eius eripiat, niſi prius alligauerit fortem?* Secundùm enim ſententiæ eius veritatem, ordo iſte ſeruatus eſt, vt prius alligaretur fortis, ereptíſque vaſis eius longè latéque in omnibus gentibus ex firmis & infirmis ita multiplicaretur Eccleſia, vt ex ipſa rerum diuinitus prædictarum & impletarum robuſtiſſima fide, etiam ſoluto vaſa poſſet auferre. Sicut enim fatendum eſt multorum refrigeſcere * caritatem cùm abũdat iniquitas: & inuſitatis maximíſque perſecutionibus atque fallaciis diaboli iam ſoluti, eos qui in libro * vitæ ſcripti non ſunt eſſe multos ceſſuros: ita cogitandum eſt, non ſolùm quos bonos fideles illud tempus inueniet, ſed nonnullos etiam, qui foris adhuc erunt, adiuuante Dei gratia per conſiderationem ſcripturarum: in quibus & alia & finis ipſe prænũciatus eſt, quem venire iam ſentiunt: ad credendum quod non credebant, futuros eſſe firmiores: & ad vincendum etiam non ligatum diabolum fortiores. *Tom. 5 de Ciuitate Dei, lib. 20. cap. 8.*

* *Matt. 12.*
* *Matt. 24.*
* *Apoc. 20.*

## *VI. Enoch & Eliam vſque hodie in viuis manere, eoſdémque Antichriſti tempore mundo prædicaturos.*

ENoch & Eliam non dubitamus in quibus nati ſunt corporibus viuere. *Tom. 7. de pecc. orig. cap. 24.*

Neque enim arbitrandum eſt Eliam, vel ſic eſſe iam ſicut erunt ſancti, quãdo peracto operis diei, denarium pariter accepturi ſunt: vel ſic quemadmodum ſunt homines, qui ex iſta vita nondum emigrarunt, de qua ille



tamen non morte, ſed trãſlatione migrauit. Iam itaque aliquid melius habet, quàm in hac vita poſſet: quamuis nondum habeat, quod ex hac vita rectè geſta in fine habiturus eſt: pro nobis enim meliora prouiderunt, ne ſine nobis perfecti perficerentur: aut ſi quiſquam putat hoc Eliam mereri non potuiſſe, ſi duxiſſet vxorem, filióſque procreaſſet: creditur enim non habuiſſe, quia hoc ſcriptura non dixit, quamuis & de cœlibatu eius nihil dixerit: quid de Enoch reſpondebit, qui filiis genitis Deo placens, non mortuus, ſed viuus trãſlatus eſt? *Et infrà.* Enoch & Elias in Adam mortui, mortíſque propaginem in carne geſtantes, quod debitum vt ſoluant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quod tamdiu dilatum eſt, morituri, nunc tamen in alia vita viuũt. *Tom. 3. de Geneſi ad literam, lib. 9. cap. 6.*

*Elias creditur vxorem non habuiſſe, etſi de cœlibatu eius ſcriptura nihil dixerit.*

*Enoch, et Elias, vt mortis debitum ſoluant creditur redituri ad hãc vitã.*

*Ecce ego * mittam vobis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris: qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum, ne forte veniẽs percutiam terram penitus.* Per hunc Eliam magnum, mirabilémque prophetam expoſita ſibi lege, vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Chriſtum verum, id eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus, cordibúſque fidelium. Ipſe quippe ante aduentum iudicis Saluatoris non immeritò ſperatur eſſe venturus: qui etiam nunc viuere non immeritò creditur. Curru * namque igneo raptus eſt de rebus humanis: quod euidentiſſimè ſancta Scriptura teſtatur. Cùm venerit ergo exponendo legem ſpiritaliter, quam nunc Iudæi carnaliter ſapiunt: conuertet * cor patris ad filiũ. *Tom 5. de Ciuit. Dei, lib. 20. cap. 29.*

* *Malach. 4.*

*Per Eliam Thesbiten, vltimo tempore Iudæos in Chriſtum credituros, celeberrimum eſt in ſermonibꝰ, cordibúſque fidelium.*

* *4. Reg. 2.*
* *Malach. 4.*

Mulierem volaſſe * in deſertum ipſam Eccleſiam intelligit, in qua in nouiſſimo tempore ſub Elia croditura eſt ſynagoga. Alas duas aquilæ magnæ, duos vult intelligi Prophetas: ſcilicet Eliam & qui cum eo venturus eſt. Aqua emiſſa de ore draconis exercitum perſequentium eam ſignificat. *Tom. 9. in Apocalypſin, homil. 10.*

* *Apoc 12.*

Enoch adhuc ſine morte in teſtimonium nouiſſimi temporis reſeruatur. *Et paulò pòſt.* Enoch ſine morte per totius penè ſeculi tempus remotus ab hominum conuerſatione cuſtoditur, vt in eo qualiter homines ſi non

*Enoch etſi adhuc viuat, mortis tamen debitum vitare nõ poterit.*

peccarent, generata prole commutarentur in vitam ſpiritalem ſine morte, oſtenderetur. Sed licet longo ſeruatus tempore adhuc viuat: mortis tamen debitũ, quod omnes in Adam ſumpſimus, vitare non poterit. *Tom.3. de mirabilibus ſacræ Script. lib.1. cap.3.*

** Matt.21.*

In Ioanne Dominus Ieſus Chriſtus * præfigurare voluit futurum aduentum ſuum, & hoc dicere, (*quando dixit: Ioannes ipſe eſt Elias*) quia in ſpiritu Eliæ erat Ioannes. Et quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc erit Elias ad ſecundum aduentum. Quomodo duo aduentus iudicis, ſic duo præcones. Iudex quidem ipſe, præcones autem duo, non duo iudices. Oportebat autem iudicem primò venire iudicandum. Miſit ante ſe primum præconem, vocauit illum Eliam: quia hoc erit in ſecundo aduentu Elias, quod in primo Ioannes. Iámque intendat charitas veſtra quàm verum dicam.

*Hoc erit in ſecundo aduẽtu Elias, quod in primo Ioannes.*

Quando conceptus eſt Ioannes vel potius quando natus, Spiritus ſanctus hoc de illo homine impleto prophetauit, * *Et erit*, inquit, *præcurſor altiſſimi, in ſpiritu & virtute Eliæ.* Non ergo Elias, ſed in ſpiritu & virtute Eliæ. Quid eſt in ſpiritu & virtute Eliæ? In eodem ſpiritu vice Eliæ. Quare vice Eliæ? quia quod Elias ſecundo, hoc Ioannes in primo aduentu fuit. Rectè ergo modò Ioannes propriè reſpondit: Nam Dominus figuratè, Elias ipſe eſt Ioannes, iſte autem, vt dixi, propriè: Non ſum * ego Elias. Si figurã præcurſionis aduertas, Ioannes ipſe eſt Elias: quod enim ille ad primum aduentum, hoc ille ad ſecundum erit. Si proprietatem perſonæ interroges: Ioannes Ioannes, Elias Elias eſt. Dominus ergo ad præfigurationem rectè, ipſe eſt Elias: Ioannes autem rectè ad proprietatem: Non ſum Elias. *Et infrà.* Nunquid tu Elias es? Iam ſi diceret, Elias ſum: ergo iam in ſecundo aduentu adueniens Dominus iudicaret, non adhuc in primo iudicaretur. Tanquam dicens: venturus eſt adhuc & Elias: Non ſum, inquit, Elias: ſed obſeruate humilem, ante quem venit Ioannes, ne ſentiatis excelſum ante quem venturus eſt Elias. Nam & Dominus ita compleuit. Ipſe eſt Ioannes Baptiſta, qui venturus eſt. Ipſa præfiguratione venit iſte, qua proprietate venturus eſt Elias. Tunc Elias per

** Luc.1.*

** Ioan.1.*



proprietatem Elias erit, nunc per ſimilitudinem Ioannes Elias erat. Modò Ioannes per proprietatem Ioannes eſt, tunc per ſimilitudinem Elias Ioannes erit. Ambo præcones ſibi dederunt ſimilitudines ſuas, & tenuerunt proprietates ſuas: vnus autem Dominus iudex, ſiue illo præcone præcedente, ſiue illo. *Tom. 9. in Ioannem, tract. 4. circa medium. Lege & Tom.4. 83. quæſtionum, q.58.*

## *VII. Ante extremum iudicij diem Euangelium in vniuerſo orbe eſſe prædicandum.*

** Matt. 24.*

Ipſe Dominus in Euangelio docet, * tunc futurum eſſe iudicij diem, cùm Euangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus. *Tom.4. de ſerm. Domini in monte, lib.2. in expoſ. Dominicæ orationis.*

*Probat Auguſtinus Euangeliũ non eſſe prædicatum ab Apoſtolis per totum orbem.*

Quod putat venerabilitas tua iam hoc (*Euangelium prædicatũ eſſe per totum orbem*) per ipſos Apoſtolos factũ, non ita eſſe certis documentis probaui. Sunt enim apud nos, hoc eſt, in Africa, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum eſſe prædicatum Euangeliũ, ex iis qui ducũtur inde captiui, & Romanorum ſeruitiis iã miſcentur quotidiè nobis addiſcere in promptu eſt. Pauci tamen anni ſunt, ex quo quidam eorum rariſſimi atque pauciſſimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita vt non habeãt reges ſuos, ſed ſuper eos præfecti à Romano conſtituãtur imperio, & illi ipſi eorũ præfecti Chriſtiani eſſe cœperunt. Interiores autẽ qui ſub nulla ſunt poteſtate Romana, prorſus nec religione Chriſtiana in ſuorum aliquibus detinentur, neque vllo modo rectè dici poteſt, iſtos ad promiſſionem Dei nõ pertinere. Non enim Romanos, ſed omnes gentes Dominus ſemini * Abrahæ, media quoque iuratione promiſit: ex qua promiſſione iam factum eſt, vt nonnullæ gentes, quæ non tenentur ditione Romana, reciperent Euangelium & adiungerentur Eccleſiæ, quæ fructificat & creſcit in vniuerſo mundo. Adhuc enim habet quo creſcat, donec fiat quod de Chriſto in Salomonis figura prophetatum eſt: * *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* A flumine

** Geneſ.17.*

** Pſalm 71.*

ſcilicet vbi baptizatus eſt,quia inde cœpit Euangelium
prædicare.A mari autem vſque ad mare totus eſt orbis
cum omnibus gentibus,quoniam mari Oceano cingi-
tur vniuerſus. Quomodo autem implebitur aliter illa
* *Pſal.85.* prophetia: * *Omnes gentes quotquot feciſti venient, &*
*adorabunt coram te Domine?* Non enim de locis ſuis mi-
grando venient,ſed in locis ſuis credẽdo. De credenti-
* *Ioan. 6.* bus quippe Dominus dixit: * *Nemo poteſt venire ad*
*me niſi datum fuerit ei à Patre meo.* Propheta autem di-
* *Sophon.2.* cit: * *Et adorabunt eum vnuſquiſque de loco ſuo, omnes*
*inſulæ gentium.* Omnes inſulæ: dixit, tanquam diceret,
etiam omnes inſulæ:hinc oſtendens quàm nulla pars
relinquatur orbis terrarum,vbi non ſit Eccleſia, quan-
do nulla relinquitur inſularum,quarum nonnullæ etiã
in Oceano ſunt conſtitutæ,& quaſdam earum Euange-
lium iam ſuſcepiſſe didicimus:atque ita & in inſulis ſin
* *Pſal.71.* gulis quibuſque impletur quod dictum eſt: * *Domina-*
*bitur à mari vſque ad mare,* quo vnaquæque inſula cin-
gitur,ſicut in vniuerſo orbe terrarum, quæ tanquam
omnium quodammodo maxima eſt inſula, quia & ip-
ſam cingit Oceanus,ad cuius littora in Occidentalibus
partibus Eccleſiam perueniſſe iam nouimus,& quocũ-
que littorum nondum peruenit,peruentura eſt vtique
fructificando atque creſcendo. Si ergo quia prophetia
veritatis mentiri non poteſt,neceſſe eſt,vt omnes gen-
tes,quotquot fecit Deus,adorent eum,quomodo ado-
* *Rom.10.* rabunt eum,niſi inuocent eum? *Quomodo * autem inuo-*
*cabunt,in quem non crediderunt?* Aut quomodo credent
ei,quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine
prædicante? Aut quomodo prædicabunt niſi mittan-
tur? Mittit enim angelos ſuos & cõgregat electos ſuos
*In quibus* à quatuor ventis,id eſt, ab vniuerſo orbe terrarum. In
*gentibus nõ-* quibus ergo gentibus nondum eſt Eccleſia, oportet vt
*dum eſt Ec-* ſit,non vt omnes qui ibi fuerint,credant: Omnes enim
*cleſia,opor-* gentes promiſſæ ſunt, non omnes homines omnium
*tet vt ſit.* gentium. Non enim omnium eſt fides. Credit itaque
omnis gens in omnibus, qui electi ſunt ante conſtitu-
tionem mundi,in cæteris non credit,& credentes odit:
* *Matt.24* quomodo enim & illud implebitur,* *Eritis odio omni-*
*bus gentibus propter nomen meum,* niſi in omnibus gen-



tibus ſint,& qui oderint,& quos oderint? Quo pacto
igitur ab Apoſtolis eſt prædicatio iſta completa, quan-
do adhuc vſque ſunt gentes,quod certiſsimum eſt no-
bis,in quibus modò cœpit, & in quibus nondũ cœpit
impleri? *Tom.2.epiſt.80.ad Heſychium,verſus finem.*
Quod autem dixit Apoſtolus,* *Nunquid non audie-* * *Rom.10.*
*runt,In omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines orbis*
*terræ verba eorum:* quanuis locutus ſit præteriti tempo-
ris verbis,tamen quod futurum fuerat dixit, non quod
iam factum atque completum: ſicut ipſe Propheta quo
vſus eſt teſte,non ait: * In omnem terram exiturus,ſed * *Pſal.18.*
exiit,inquit,ſonus eorum, quod vtique nondum factũ
erat: quale eſt etiam illud, * *Foderunt manus meas &* * *Pſalm.21.*
*pedes meos,* quod tam longè poſtea factum nouimus. *Et*
*infrà.* Minus mirandum eſt,quod etiam verbis præſen-
tis temporis vſus eſt in eo, quod illum identidem di-
xiſſe memoraſti,propter ſpem quæ repoſita *eſt nobis, * *Coloſſ.1.*
quam antè audiſtis in verbo veritatis Euangelii, quod
aduenit in vos,ſicut & in omni mundo eſt fructificans *Apoſtolus*
& creſcens,quanuis Euangeliũ nondum tenebat vni- *fructificare*
uerſum: ſed fructificare illud in vniuerſo mundo dixit *Euangelium*
& creſcere,vt ita ſignificaret, quouſque fuiſſet fructiſi- *in vniuerſo*
cando & creſcendo venturum. Si ergo latet quando *mũdo dixit,*
Eccleſia fructificante atque creſcente vniuerſus omni- *vt ſignifica-*
no à mari vſque ad mare orbis implebitur, procul du- *ret,quouſq;*
bio latet,quando finis erit: antè quippe non erit. *Ibi-* *fructificãdo*
*dem,paulò infrà.* *atque creſ-*
Apertiſsima de hac re legitur ſentẽtia Saluatoris di- *cendo ſit vẽ-*
cẽtis: * *Et prædicabitur hoc Euangeliũ regni in vniuerſo* *turum.*
*orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet fi-* * *Matt.24.*
*nis.* Tunc veniet, quid eſt,niſi antè non veniet? Quanto *Finis mũdi*
poſt ergo veniat, incertum nobis eſt, ante tamen non *antè ventu-*
eſſe venturum dubitare vtique non debemus. Si ergo *rus non eſt,*
ſuſciperent hunc laborem ſerui Dei,vt peragrato orbe *quàm Euan*
terrarum,quantum poſſent colligerent, quod remanet *geliũ regni*
gentium,vbi nondum eſt Euangelium prædicatũ, hinc *in vniuerſo*
aduertere vtcunque poſſemus, quantum hoc tempus *orbe prædi-*
longè ſit à fine ſeculi. Quod ſi propter quædam loca *cetur.*
inacceſsibilia & inhoſpita fieri poſſe non creditur,vt à
ſeruis Dei peragretur orbis, & quot quantæque ſint

adhuc gentes ſine Chriſti Euangelio, fideliter renuncietur: multo minus exiſtimo ſcripturis poſſe comprehendi, quanta vſque ad finem futura ſunt tempora, quandoquidem in eis legimus: *Nemo * poteſt cognoſcere tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Vnde ſi iam nobis certiſſimè nunciatum fuiſſet in omnibus gentibus Euangelium prædicari, nec ſic poſſemus dicere quantum temporis remaneret vſque ad finem, ſed magis magiſque iam propinquare meritò diceremus: Niſi quis fortè reſpondeat, tanta celeritate prædicato Euãgelio, Romanas gentes & plæraſque barbaras occupatas, atque ita nonnullas non paulatim, ſed ſubitò ad fidem Chriſti fuiſſe conuerſas, vt nõ ſit incredibile paucis annis, etſi non vitæ noſtræ, qui iam ſenuimus, certè iuuenum, qui vẽturi ſunt ad ſenectam vniuerſas omninò reſiduas gentes Euangelio poſſe compleri. Sed ſi ita erit, facilius cùm factum fuerit probari experiendo, quàm legendo antequam fiat, inueniri poteſt. *Tom.2. epiſt.78. ad Heſychium.*

* Act.1.

Sunt adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum eſt Euangelium prædicatum, neceſſe eſt autẽ impleri omnia quæ de Chriſto & Eccleſia prædicta ſunt: oportet ergo & in eis prædicari, quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis. Quomodo ergo iſti dicunt, iam eſſe cõpletum quod Dominus ait: * prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Sed poſtea cæteris deficiẽtibus, ſolam Chriſto Africam remanſiſſe, cùm adhuc illud implendũ ſit, nõdum impletum? Cùm autẽ impletum fuerit veniet finis. Sic enim Dominus ait: * *Et prædicabitur hoc Euangelium regni, in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus & tunc veniet finis.* Quomodo ergo cùm adimpleta eſſet fides omniũ gẽtium, tum perditio gẽtiũ, excepta Africa, conſecuta eſt? Quandoquidem ipſa, fides omnium gentium nondum impleta eſt. Niſi fortè hoc reſtat hominũ inſaniæ, vt dicãt nõ ex illis Eccleſiis quæ fundatæ ſunt, per Apoſtolorũ labores, adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus, ſed illis pereuntibus, & earũ reparationem ex Africa per partem Donati, & reſiduarum

* Luc.24.

* Matt.24.



gentium acquiſitionem. Puto quod ipſi etiam rideant, cùm hoc audiunt, & tamen niſi hoc dicant, quod erubeſcunt ſi dicant, non habent omnino quod dicant. *Tom.7. de vnit. Eccleſiæ, cap.15.*

### VIII. *Chriſtum in humana atque viſibili forma venturum ad iudicandum humanum genus.*

*Pater non iudicat * quenquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Hoc enim dictum eſt, quia hominibus in iudicio nõ apparebit niſi filius. Pater occultus erit, filius manifeſtus. In quo erit filius manifeſtus? In forma qua aſcendit. Nam in forma Dei cum patre occultus eſt, in forma ſerui hominibus manifeſtus. Non ergo pater iudicat quẽquam, ſed in manifeſto omne iudicium dedit filio. Hoc enim dictum eſt, quia hominibus in iudicio non apparebit niſi filius, ſed manifeſto. In quo manifeſto iudicio filius iudicabit, quia ipſe iudicandis apparebit. Euidentius nobis oſtendit ſcriptura, * quia ipſe apparebit. Quadrageſimo die poſt reſurrectionẽ ſuam aſcendit in cœlum, videntibus diſcipulis ſuis, & vox illis angelica, *Viri,* inquit, *Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Iſte qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum eum vidiſtis euntem in cœlum. Quomodo eum videbant ire? In carne quam tetigerunt, quam palpauerũt, cuius etiam cicatrices tangendo probauerunt, in illo corpore in quo cũ eis intrauit & exiuit per quadraginta dies, manifeſtans ſe eis in veritate, nõ in aliqua falſitate, nõ phãtaſmate, nõ vmbra, non ſpiritu, ſed quemadmodum ipſe dixit non fallens, * *Palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Eſt quidem illud iam corpus dignũ cœleſti habitatione, nõ ſubiacens morti, nõ mutabile per ætates. Nõ enim ſicut ad illã ætatẽ ab infantia creuerat, ſic ab ætate quæ iuuentus erat, vergit in ſenectutẽ: manet ſicut aſcendit, venturus ad eos, quibus antequam veniat, verbum ſuum voluit prædicare. Sic enim veniet in forma humana. Hanc videbũt & impii. Videbunt & ad dexteram poſiti, videbunt ad ſiniſtram

* Ioan.5.

*Hominibus in iudicio nõ apparebit, niſi filius: idque in ea forma, qua aſcendit.*

* Act.1.

* Luc.24.

*Impij quoque videbũt humanã formã Chriſti in iudicio.*

*Zach.12. Ioan.19. Apoc.1.*

ſeparati: ſicut ſcriptum eſt, * *Videbunt in quem pupugerunt.* Si viderunt in quem pupugerunt, corpus ipſum videbunt quod lancea percuſſerũt. Lancea non percutitur verbum. Hoc ergo impii videre poterunt, quod & vulnerare potuerunt. Latentem Deum in corpore non videbunt, poſt iudicium videbitur ab his qui ad dextram erunt. Hoc eſt ergo quod ait, * *Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio*: quia manifeſtus ad iudicium veniet filius, in humano corpore apparẽs, hominibus dicens dextris, * *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*: dicens ſiniſtris. *Ite in ignem æternũ, qui præparatus eſt Diabolo & angelis eius &c. Tom.9. in Ioannem, tract.21. vltra medium.*

*Ioan.5.* — *Matt.25.*

Ecce ad dextram ſunt iuſti, ad ſiniſtram ſunt iniuſti. Omnes pariter homines vident filium hominis, vident qui punctus eſt, vident qui crucifixus eſt, vident humiliatum, vident natum ex virgine, vident agnum de tribu Iuda, vident verbum Deum apud Deum. Quando videbunt, ipſe erit & tunc, ſed forma ſerui apparebit. Forma ſerui ſeruis demonſtrabitur: forma Dei, filiis ſeruabitur. *Ibidem, paulò infrà.*

Secundum id quod Deus eſt (*Chriſtus*) iudicat. Hoc eſt ex poteſtate diuina, non humana, & tamen ipſe homo iudicaturus eſt, ſicut Dominus gloriæ crucifixus eſt: ita enim apertè ait, * *Cùm venerit filius hominis in gloria ſua & omnes angeli eius cum eo, tũc congregabuntur ante eum omnes gentes,* & cætera quæ futuro iudicio vſque ad vltimam ſententiam in eo loco prædicantur. Et Iudæi quippe qui in malitia ſua perſeuerantes in illo iudicio puniendi ſunt, ſicut alibi ſcriptum eſt, * *Videbunt in quem pupugerunt*, cum enim & boni & mali viſuri ſunt iudicem viuorum & mortuorum, procul dubio eum videre non poterunt mali, niſi ſecundum formam, qua filius hominis eſt, ſed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus eſt. Cæterum illam Dei formam in qua æqualis eſt Patri procul dubio impii nõ videbunt, non enim ſunt mundicordes: *Beati * enim mundicordes, quoniam ipſi Deum videbunt*: & ipſa viſio eſt facie ad faciem, quæ ſummum præmium promittit iuſtis, & ipſa fiet cum tradet regnũ

Deo &

*Matt.25.* — *Zach.12. Ioan.19. Apoc.1.* — *Matth.5.*



Deo & Patri: in quo ſuæ formæ viſionem vult intelligi ſubiecta Deo vniuerſa creatura, & ipſa in qua filiꝰ Dei, filius hominis factus eſt. Quia ſecũdũ hãc & ipſe filius tunc ſubiectus illi erit, qui ei ſubiecit * omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin ſi filius Dei iudex in forma qua æqualis eſt patri etiam impiis cùm iudicaturus eſt apparebit, quid eſt quod pro magno dilectori ſuo pollicetur dicens, * *Et ego diligam eũ & oſtendam meipſum illi?* Quapropter filius hominis iudicaturus eſt, nec tamen ex humana poteſtate, ſed ex ea qua filius Dei eſt. Et rurſus filius Dei iudicaturus eſt, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus eſt æqualis patri, ſed in ea qua filius hominis eſt. *Tom.3. de Trinit. lib.1. cap.13.*

*1.Cor.15.* — *Ioan.14.* — *Filius Dei iudicaturus eſt, nec tamẽ in ea forma apparens, in qua Deus eſt, ſed in qua filius hominis eſt.*

Poteſtatem * dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis eſt. Iudex hic erit filius hominis, forma illa hîc iudicabit, quæ iudicata eſt. Audite & intelligite, iã hoc propheta prædixerat, * *Videbunt in quem pupugerunt.* Ipſam formam videbunt, quam lancea percuſſerunt. Sedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice: Damnabit veros reos, qui factus eſt falſus reus. Ipſe veniet, forma illa veniet. Hoc & in Euangelio habes, * Cùm ante oculos diſcipulorum ſuorum iret in cœlum, ſtabant illi & attendebant, & ſonuit vox angelica, * Viri Galilæi quid ſtatis &c. Hic Ieſus ſic veniet quomodo vidiſtis eum euntem in cœlum. Quid eſt ſic veniet? In ipſa forma veniet. *Tom.10. de verbis Domini, ſerm.64.*

*Ioan.5.* — *Zach.12. Ioan.19. Apoc.1.* — *Luc.24.* — *Act.1.*

Et aſpicient ad * me pro eo quod inſultauerunt, & plangent ſuper eo planctum quaſi ſuper chariſſimum ſiue dilectum, & dolebunt dolore quaſi ſuper vnigenitum. Pœnitebit quippe in die illa Iudæos etiam eos qui accepturi ſunt Spiritum gratiæ & miſericordiæ, quod in eius paſſione inſultauerunt Chriſto, cùm ad eum aſpexerint in ſua maieſtate venientem, eúmque eſſe cognouerint, quem prius humilem in ſuis parentibus illuſerunt, quanuis & ipſi parentes eorum tantæ illius impietatis auctores reſurgentes videbunt eum, ſed puniendi iam, non adhuc corrigendi. Non itaque hoc loco ipſi intelligendi ſunt, vbi dictũ eſt: * & effundã ſuper domũ Dauid & ſuper habitatores Hieruſalẽ ſpiri-

*Zach.12.* — *Ibidem.*

tum gratiæ & miſericordiæ,& aſpicient ad me pro eo quod inſultauerunt, ſed tamen de illorum ſtirpe venientes,qui per Eliam illo tempore ſunt credituri. Sed ſicut diximus Iudæis,vos occidiſtis Chriſtum, quanuis hoc parentes eorum fecerint, ſic & iſti ſe dolebunt feciſſe quodammodo,quod fecerunt illi,ex quorũ ſtirpe deſcendunt. *Tom.5.de ciuit. Dei,lib.20.cap.30. Lege etiam Tom.2.epiſt.85.ad Heſychium, & 112.ad Paulinam.Item Tom.9.tract.76.in Ioannem, & de ſymbolo ad catechum. lib.2.& 3.cap.8.& lib.3.cap.7.& alibi.*

*Iudæi per Eliam & Antichriſti tempore credituri.*

### *IX. Apoſtolos Apoſtolicæq; perfectionis ſectatores, Chriſto aſſeſſuros in iudicio atque unà cum illo mundum iudicaturos.*

VIdeamus quomodo faciet qui venturus eſt tempeſtate illa. Quid facturus?quæ erit in circuitu * eius tempeſtas valida? Proculdubio iſta tempeſtas quandam ſeparationẽ factura eſt.Iſta eſt illa ſeparatio, quã non exſpectauerunt, qui antequam ad littus venirent retia diruperunt. In illa verò ſeparatione fit quædam malorum & bonorum diſtinctio.Alii ſunt enim ſequẽtes nunc Chriſtum, expeditis humeris ſine ſarcina curarum ſecularium:qui non fruſtra audierũt,* Si vis eſſe perfectus, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo,& veni,ſequere me: qualibus dicitur, * Sedebitis ſuper duodecim ſedes,iudicantes duodecim tribus Iſrael.Alii ergo erũt iudicantes cum Domino, alii verò iudicandi, ſed ad dexteram ponendi. Nam quia erunt quidam iudicantes cum Domino habemus apertiſſimum teſtimoniũ, quod modo commemoraui:Sedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael. Sed dicit aliquis, duodecim illic Apoſtoli conſedebunt, non amplius. Vbi ergo erit Apoſtolus Paulus? Nunquid inde ſeparatus eſt? Abſit vt hoc dicamus, abſit vt hoc vel tacitè cogitemus. *Paulò infrà.* Apoſtolus de ſe Paulus dum argueret fideles laicos,quia iudicia ſua nõ deferebant ad Eccleſiam,ſed ad publicum pertrahebant eos,

** Pſal.49.*

** Matt.19. Marc.10. Luc.18.*

** Ibidem.*

*Non ſolos duodecim Apoſtolos cũ Chriſto iudicaturos.*



cum quibus habebant negocia, ait: * *Neſcitis quia angelos iudicabimus?* Videte quemadmodum iudicem ſe fecit:non ſolùm ſe, ſed & omnes qui rectè iudicant in Eccleſia.Cùm ergo manifeſtum ſit,multos cum Domino iudicaturos,alios verò non tam ex æquo, ſed pro meritis iudicandos, cum omnibus angelis ſuis veniet, quando ante eum congregabuntur omnes gentes: & inter omnes angelos deputandi erunt illi,qui tam perfecti fuerint, vt ſedentes ſuper duodecim ſedes, iudicent duodecim tribus Iſrael. *Tom.8.in Pſalm.49:enarrat.vnica,circa medium.*

** 1.Cor.6.*

*Perfecti ſedebunt ſuper ſedes duodecim.*

*Aduocabit cœlum * ſurſum.* Cœlum omnes ſanctos perfectos iudicaturos, aduocabit eos ſurſum ſeſſuros, ſecum iudicaturos duodecim tribus Iſrael. Quomodo enim aduocabit cœlum ſurſum, cùm ſemper ſurſum ſit cœlum? Sed quos hîc cœlum dicit, eoſdem cœlos alibi * appellat. Quos cœlos? Qui enarrant gloriam Dei. Cœli enim enarrant gloriam Dei,de quibus dicitur, In omnem terram exiit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum. Videte enim diſcernentem Dominum in iudicio, aduocabit cœlum ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. A quibus, niſi à malis? de quibus hîc poſtea non fit mentio iam tanquam diiudicatis ad pœnam. Iſtos bonos vide & diſtingue, Aduocabit cœlum ſurſum & terram diſcernere populum ſuum. Vocat & terram non tamen conterendam ſed diſcernendam.Primò enim cùm cõmixtos vocauit,quando locutus eſt Deus Deorum, & vocauit terrã à ſolis ortu vſque ad occaſum; nondum diſcreuerant ſerui illi,qui miſſi erant,inuitare ad nuptias, qui congregauerant bonos & malos.Cùm verò Deus Deorum manifeſtus * veniet, & non ſilebit, ſic aduocabit cœlum ſurſum vt iudicet cum illo.Quod enim cœlum,ipſi cœli:ſicut quæ terra,ipſæ & terræ:ſicut quæ Eccleſia,ipſæ Eccleſiæ.Aduocabit cœlũ ſurſum & terram diſcernere populum ſuum.Iam cum cœlo terram diſcernit,id eſt,cœlum cum illo terram diſcernit.Quomodo diſcernit terram? vt alios ponat ad dexteram, alios ad ſiniſtram. *Ibidem.*

*Amen*, inquit, *dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis*

** Pſal.49.*

** Pſal.18.*

** Pſalm.49.*

** Matt.19. Luc.22.*

*me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Hinc diſcimus cum ſuis diſcipulis iudicaturum Ieſum. Vnde & alibi Iudæis dixit: * *Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Ideò ipſi iudices veſtri erunt.* Nec quoniā ſuper duodecim ſedes ſeſſuros eſſe ait, duodecim ſolos homines cum ipſo iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero, vniuerſa quædam ſignificata eſt iudicantium multitudo. *Tom.5.de ciuit. Dei, lib.20.cap.5.*

** Matt.12. Luc.11.*

** Matt.25.* Pauciores qui cum Domino iudicabunt, & plures qui ſtabunt ante illum: ſed non vna conditio eorum. Alii ad ſiniſtram, alii ad dexteram: alii vt regnent, alii vt puniantur: alii vt audiant, * *Venite benedicti Patris mei percipite regnum*: alii vt audiant, *Ite in ignem æternum &c. Tom.8 in Pſalm.90.concione ſecunda.*

** Matt.19. Luc.22.* *Sedebitis*, inquit, * *ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. Quos iudicantes? Infra qui ſunt in terra. Qui iudicabunt? qui facti ſunt cœlum. Illi autem qui iudicabuntur, in duas partes diuidentur: vna ad dexteram, altera ad ſiniſtram erit. Iudicabunt cum Chriſto ſancti. *Veniet enim in iudicium * cum ſenioribus populi ſui*, ait Eſaias. ** Eſa.3.* Alii ſunt ergo qui cum illo iudicabunt, alii qui ab illo iudicabuntur, & ab illis qui cum eo iudicabunt. Diuidentur ergo iſti in duas partes. Vna ponetur ad dexteram, cui enumerabuntur eleemoſynæ quas fecerunt. Alia ponetur ad ſiniſtram, cui enumerabitur crudelitas & ſterilitas miſericordiæ. Et illis ad dexteram conſtitutis dicetur: * *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* ** Matt.25.* Quare? *eſuriui*, inquit, *& dediſtis mihi manducare.* Et illi: *Quando te vidimus eſurientem?* Et ille, *Cùm vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ergo quid eſt fratres? Illi iudicabunt, de quibus dictum eſt, * vt fiant amici de mammona iniquitatis: vt & ipſi, inquit, recipiant vos in æterna tabernacula. Sancti ſedebunt cum Domino attendere, qui fecerunt miſericordiam, & aſſument illos ſeparatos in dexteram in regnum cœlorum: & ipſa eſt pax Hieruſalem. *Ibidem, in Pſal.121.verſus finem.*

** Luc.16.*

*Sācti in extremo iudicio ſedebunt cum Domino attendere qui fecerunt miſericordiam.*



Quod dictum eſt: * *Aduocabit cœlum ſurſum*, quoniam ſancti & iuſti rectè cœlum appellantur: nimirum hoc eſt, quod ait Apoſtolus: * *Simul cum illis rapiemur in nubibus in obuiam Chriſto in aera.* Nam ſecundum literæ ſuperficiem, quomodo ſurſum aduocatur cœlum, quaſi poſſet eſſe niſi ſurſum? Quod autem adiunctum eſt: * *Et terram diſcernere populum ſuum*, ſi tantummodo ſubaudiatur, aduocabit, id eſt, aduocabit & terram, nec ſubaudiatur ſurſum, hunc videtur habere ſenſum ſecundum rectam fidem, vt cœlum intelligatur in eis, qui cum illo ſunt iudicaturi, & terra in eis qui iudicandi ſunt: & aduocabit cœlum ſurſum, non hîc intelligamus rapiet in aëra, ſed in iudiciarias ſedes eriget. *Tom.5.de ciuitate Dei, lib.20.cap.24.*

** Pſal.49. * 1.Theſſ.4. * Pſalm.49*

Exceptis enim eis qui cum illo etiam iudicabunt, quibus & promiſit dicens: * *Sedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* In quo numero iudicantium omnes intelliguntur, qui propter Euāgelium omnia ſua dimiſerunt, & ſecuti ſunt Dominū: Duodenarius quippe numerus ad quandam vniuerſitatem refertur: Non enim Paulus Apoſtolus ibi nō erit, qui inter illos duodecim non fuit. Exceptis ergo illis, quos etiam nomine angelorum ſignificauit, quando ait: * *Cùm venerit filius hominis iudicare cum angelis ſuis*: Angeli enim vtique nuncij ſunt: Nuncii autem rectiſſimè accipiuntur omnes qui ſalutem cœleſtium hominibus nunciauerunt, vnde etiam Euangeliſtæ boni nuncii poſſunt interpretari: & de Ioanne Baptiſta dictum eſt, * *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuā*: His ergo, vt dicere cœperam exceptis, cætera omnium hominum multitudo, ſicut in ipſius verbis Domini manifeſtum eſt, in duas partes diuidetur. Poſiturus eſt enim oues * ad dexteram, hœdos ad ſiniſtram. *Tom. 5. lib.50.homiliarum, hom.vltima, vltra medium.*

** Matt. 19. Luc.22. * Matt.25. *Malach.3. Matth.11. Marc.1. Luc.7. * Matt.25.*

### *X. In extremo iudicio, vnumquenque fidelium recepturum ſecundum opera quæ geſſit in corpore, ſiue bona ſiue mala.*

IN Pelagianorum errorem cadit, qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari, quæ ſola hominem liberat * per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ. *Rom.7.* Sed rurſum qui putat, quando ad iudicium Dominus venerit, non iudicari hominem ſecundum opera ſua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore eſt. Soli enim paruuli, qui nondum habent opera propria, vel bona, vel mala, ſecundum ſolum originale peccatum damnabuntur, quibus per lauacrum regenerationis nõ ſubuenit gratia Saluatoris. Cæteri autem omnes, qui iam vtentes libero arbitrio, ſua propria peccata, originali peccato inſuper addiderunt, ſi de poteſtate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Chriſti, non ſolùm ſecundum originis, verùm etiam ſecundum propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt. *Vtentes libero arbitrio, ſecundũ propriæ volũtatis merita iudicium reportabunt.* Boni verò etiam ipſi quidem, non ſolum ſecundum ſuæ bonæ voluntatis merita præmium conſequentur, ſed etiam ipſam bonam voluntatẽ per Dei gratiam conſecuti ſunt, ac ſic impletur quod ſcriptum eſt: * Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnẽ animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: gloria aũt & honor & pax omni operãti bonũ, Iudæo primũ & Græco. *Rom.2.* *Tom.2. epiſt.47. ad Valentinum.*

Omnes nos * manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis ſui prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. *1.Cor.5.* Quam rem etiam Dominus in Euangelio denunciat, dicens: * *Filius hominis venturus eſt in gloria ſua cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* *Matth.16* Diligenter quæſo attendite fratres, & mecum pariter pauescite, quia non dixit, quod reddat vnicuique ſecundum miſericordiam ſuam, ſed ſecundum opera ſua. Hîc enim eſt miſericors, ibi iuſtus. *Tom.10. de verbis Apoſt. ſerm.35.*

Solum audituri ſunt * (*illi qui mittentur in ignem æternum*) quia eſuriui, & non dediſtis mihi mãducare. *Matt.25.* Rogo vos fratres, nolite hæc trãſitoriè cogitare, nec credatis, quòd hoc de Iudæis tantùm aut paganis vel hæreticis fuerit dictũ, ſed definitiſsimè credite, quia hoc Chriſtiani & Catholici, qui in malo opere perſeuerare voluerint audituri ſunt. Ad iudicium enim non veniunt nec *Ad iudicium nõ veniunt, nec Pagani, nec hæretici, nec Iudæi, qui iam iudicati ſunt.*



Pagani, nec hæretici, nec Iudæi, quia de ipſis ſcriptum eſt, * Qui non credit, iam iudicatus eſt. *Ioan.3.* *Et infrà.* Denique & alio loco Dominus terribiliter nos admonet dicens, * *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur:* *Matth.3.* Non dixit, quæ facit fructum malum, ſed quæ non facit fructum bonum. Hinc ergo poſſumus euidenter agnoſcere, quas pœnas arbor ſpinoſa in die iudicij patietur, quando illa quæ fructum non dederit excidetur, & in ignem mittetur. Nemo ſe decipiat fratres cariſſimi, nemo ſe falſa ſpe circumueniat, quia Chriſtiani nominis non facit ſola dignitas Chriſtianum, Nihilque prodeſt, quod aliquis Chriſtianus vocatur in nomine, ſi hoc non oſtendit in opere. Scriptum eſt enim, * *Fides ſine operibus mortua eſt.* *Iacob.2.* Qui enim credit, & opera bona non exercet, clamat illi ſcriptura diuina. Tu, inquit, credis quia Deus vnus eſt, bene facis. Et dæmones credunt & contremiſcũt. Ac ſic qui credunt, & opera bona non faciunt, fidem dæmonum videntur habere: Qui verò nõ credunt, peiores dæmonibus comprobantur. Et illud diligenter conſiderandum eſt, quod Dominus dicit, * *Qui audit mandata mea & facit ea, ipſe eſt qui diligit me.* *Ioan.14.* Et iterum: *Si quis diligit me, mandata mea ſeruat.* Et ſine dubio qui non cuſtodit, non diligit. Et illud valde timendum eſt, quod iterum Dominus dicit: Quid prodeſt quod dicitis, *Domine, Domine, & non facitis, quæ dico vobis?* *Luc.6.* Scire debemus fratres cariſſimi, quod nihil prodeſt verbis proferre fidem, & factis deſerere veritatem. *Nihil pdeſt verbis proferre fidem & factis deſerere veritatem.* Sicut nobis non placet, ſi ſerui noſtri verbis ſe profitentur eſſe noſtra mancipia, & tamen non velint implere opera ſua: ità nec Deo placet, ſi ſe quiſque Chriſtianum verbis tantummodò eſſe pronunciat, & opera quæ fieri iuſſit Chriſtus implere diſſimulet. Denique beatus Apoſtolus cùm de reddenda ratione in die iudicij loqueretur, ità pronunciauit, dicens: * Oportet nos omnes ſtare ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum: *2.Cor.5.* & Dominus in Euangelio, * Tunc, inquit, reddet vnicuique ſecundùm opera ſua: *Matt.16.* *Rom.2.* Non dixit, ſecundùm fidem ſuam: ſed vnicuique ſecundùm opera ſua: quia ſicut iam

** Iac. 2.*

ſuprà dictum eſt, Iacobus Apoſtolus clamat,* *Fides ſine operibus mortua eſt.* Nos ergo fratres cariſſimi, ſi & pœnã euadere,& ad æternam beatitudinem volumus peruenire,non ſolùm credamus in Deum,ſed etiam toto corde diligamus,& quantum poſſumus, ipſo adiuuante bona opera facere ſtudeamus, vt cùm ipſo auxiliante fecerimus quæ præcepit, mereamur recipere quæ promittit. *Tom.10. de Sanctis, ſerm.38. qui eſt primus in Commemorat. fidelium animarum.*

** Matt. 19.* ** Iac. 2.* ** Matt. 25.*

*Damnãdos in iudicio Dominus increpabit, non quia nõ crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt.*

Non video, cur Dominus dixerit,* *Si vis venire ad vitam ſerua mandata*: & commemorauit ea quæ ad bonos mores pertinent: ſi etiam his non ſeruatis, ad vitam veniri poteſt per ſolam fidem, quæ ſine operibus * mortua eſt. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt,dicet: * *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius*: quos non increpabit, quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt. Nam profectò ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, vitam promittat æternam: propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permixtæ eiſdem paſcuis vtebantur, vt appareat eos illi dicturos: * Domine quando te vidimus illa & illa patientem,& non miniſtrauimus tibi? qui in eum crediderant, ſed bona operari non curauerant, tanquam de ipſa fide mortua ad vitam perueniretur æternam. *Tom.4. de octo ad Dulcitium quæſtionibus, q.1.*

** Ibidem.*

*Eleemoſynarum fructus in iudicio imputatur.*

** Matt. 25.*

Eleemoſynis tantum tribuit ſcriptura diuina, vt earũ tãtummodò fructum ſe imputaturum prænunciet Dominus dextris,& earum tantummodò ſterilitatem ſiniſtris, quando his dicturus eſt, * Venite benedicti patris mei, percipite regnum Dei. Illis autem,Ite maledicti in ignem æternum. *Tom.3. Enchirid. cap. 69.*

In iudicio ſuo Dominus ſolas eleemoſynas factas imputat dextris, ſolas non factas imputat ſiniſtris: non quo cætera facta hominum vel bona vel mala non veniant in iudicium: ſcriptum eſt enim omnia ventura ad iudicium: Et tamen non elegit Dominus noſter Ieſus Chriſtus pronuncians nobis iudicium ſuum futurum, nõ elegit vnde nos admoneret, niſi ſolas eleemoſynas. Nunquid dextris non erit dicendum, quia caſtè vixi-



*Omnia facta bona neceſſe eſt honorari in iudicio Ieſu Chriſti.*

ſtis, quia res alienas non rapuiſtis, quia fidem meam vſque ad ſanguinem confeſſi eſtis? Omnia enim facta iſta bona neceſſe eſt honorari in iudicio Ieſu Chriſti. Rurſus putatis non eſſe dicendum ſiniſtris, quia fuiſtis impudici, quia fornicati eſtis, quia res alienas rapuiſtis, quia ſuperbia veſtra & malis moribus nomẽ meum blaſphemari feciſtis, & cætera quæque enumerat: tacet tamen Dominus noſter, prænuncians nobis iudicium ſuum, omnia cætera recta facta iuſtorum,& ſolas eleemoſynas commemorare dignatus eſt. Tacuit omnia mala facta iniquorum, & ſolam ſterilitatem eleemoſynæ increpandam eſſe iudicauit, non niſi ad nos commonendos. Quare hoc? Quia omnia crimina eleemoſynis redimuntur. Ideò illam laudauit fœcunditatem,iſtam culpauit & damnauit ariditatem. *Tom.10. lib 50. homiliarum, homil. 9.*

*Omnia crimina eleemoſynis redimuntur.*

Donec veniat ille dies, in quo coniuncti angelis Deũ ſine vlla fatigatione & ſine vllo fine laudare mereamur, vt ad illud ineffabile gaudium venire poſſimus, quantum poſſumus bonis operibus ſtudeamus inſiſtere: & quotidie conſcientias noſtras intus aſpicientes, ſi aliquid in ſtola animæ noſtræ aut per negligentiam diſſutum,aut per luxuriam ſordidatum,aut per iracundiam combuſtum, aut per inuidiam conciſum, aut per auaritiam tenebroſum eſſe cognoſcimus, dum adhuc in poteſtate noſtra eſt, cum Dei adiutorio feſtinemus vulnerata curare, reparare perdita, & ad candorem iuſtitiæ ea quæ obſcurata fuerant reuocare. Ne fortè ſi bonis operibus nudi, & viciorum pannis ſordentibus inuoluti, ante tribunal æterni iudicis venerimus, illa ad nos terribilis ſententia dirigatur: * * *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Et ideò quantum poſſumus fructus iuſtitiæ ſtudeamus adferre, timentes illud, quod Dominus dixit: * Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,& in ignem mittetur. Hæc ſententia euidenter oſtendit, quia non ſolùm malum feciſſe, ſed etiam bonum non egiſſe damnabile erit. *Ibidem, homil. 16.*

** Matth. 25.* ** Matth. 3.*

*Non ſolùm malum nõ feciſſe, ſed etiã bonũ nõ egiſſe damnabile erit.*

### XI. *Corpora damnatorum igne corporeo, doloris pleno atque inextinguibili, æternùm eſſe concremanda.*

**Apoc.19. & 20.*

*Gehēnæ ignis corporeus, quo & homines & dæmones pariter cruciabūtur.*

AT verò gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt,* corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, ſolida hominum, aërea dæmonum, aut tãtùm hominum corpora cum ſpiritibus, dæmones autem ſpiritus ſine corporibus hærentes ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtriſque ignis erit, ſicut veritas dixit.* *Tom.5.de Ciuitate Dei, lib.21.cap.10.*

**Matth.25.*

*Corpora dānatorum in æternorum ignũ tormētis durare poſſe, probatur naturalibus experimentis.*

Quid igitur oſtendam vnde conuincantur increduli, poſſe humana corpora animata atque viuentia non ſolùm nũquam morte diſſolui, ſed in æternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad omnipotentis nos referre potentiam, ſed aliquo exemplo perſuaderi ſibi flagitant. Quibus ſi reſpondebimus, eſſe animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in mediis ignibus viuant, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum ſcaturigine reperiri, quarum feruorem nemo impunè contrectat: illos autem non ſolùm ſine vlla ſui læſione ibi eſſe, ſed extra eſſe non poſſe: aut nolunt credere, ſi oſtendere non valemus, aut ſi valuerimus, ſiue oculis demonſtrare res ipſas, ſiue per teſtes idoneos edocere, non ſatis hoc eſſe ad exemplum rei, de qua quæſtio eſt, eadem infidelitate contendunt: quia hæc animalia nec ſemper viuunt, & in illis feruoribus ſine doloribus viuunt, ſuæ quippe naturæ conuenientibus vegetantur illis, non cruciantur elementis: quaſi non incredibilius ſit vegetari, quàm non cruciari talibus rebus. Mirabile eſt enim dolere in ignibus & tamen viuere, ſed mirabilibus viuere in ignibus nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non & illud? *Ibidem, cap.2.*

Cur facere non poſſit Deus, vt & reſurgant corpora mortuorum & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cœlo, in terra, in aëre, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum: cùm ſit om-



nibus quibus plenus eſt procul dubio maius & excellentius etiam ipſe mundus miraculum? Sed iſti cum quibus, vel contra quos agimus, qui & Deum eſſe credunt, à quo factus eſt mundus, & Deos ab illo factos, per quos ab illo adminiſtratur mundus, & miraculorum effectrices, ſiue ſpontaneorum, ſiue cultu & ritu quolibet impetratorum, ſiue etiam magicorum mundanas, vel non negant, vel inſuper & prædicant poteſtates, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, quæ nec animalia ſunt rationalia, nec vlla ratione præditi ſpiritus, ſicut ea quorum pauca commemorauimus, reſpondere aſſolent: Vis eſt iſta naturæ, natura eorum ſic ſe habet, propriarum iſtæ ſunt efficaciæ naturarum. Tota itaque ratio eſt cur Agrigentinum ſalem flamma fluere faciat, aqua crepitare: quia hæc eſt natura eius. At hoc eſſe potius contra naturam videtur, quæ non igni, ſed aquæ dedit ſalem ſoluere, torrere autem igni, non aquæ. Sed iſta inquiunt, ſalis huius naturalis eſt vis, vt his contraria patiatur. Hæc igitur ratio redditur, & de illo fonte Garamantico, vbi vna vena friget diebus, noctibus feruet, in vtroque moleſta tangentibus. Hæc & de illo alio, qui cùm ſit contrectantibus frigidus, & facem ſicut alij fontes exſtinguat accenſam: diſſimiliter tamen atque mirabiliter idem ipſe accendit exſtinctam. Hæc & de lapide Aſbeſto, qui cùm ignem nullum habeat proprium, accepto tamen ſic ardet alieno, vt non poſſit exſtingui. Hæc de cæteris quæ piget retexere, quibus licet vis inſolita contra naturam ineſſe videatur: alia tamen de illis non redditur ratio, niſi vt dicatur, hanc eorum eſſe naturam. Breuis ſanè iſta eſt ratio fateor, ſufficiénſque reſponſio. Sed cùm Deus auctor ſit naturarum omnium, cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impoſſibile nolunt credere, eíſque redditionem rationis poſcentibus reſpondemus hanc eſſe voluntatem omnipotentis Dei, qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult poteſt: qui potuit creare tam multa, quæ ſi non oſtenderentur, aut à credendis hodiéque teſtibus dicerentur, profectò impoſsibilia putarentur, non

*Mirabilia naturæ.*

ſolùm quæ ignotiſſima apud nos, verùm etiam quæ notiſſima poſui. *Ibidem, cap 7.*

Quod igitur de ſempiterno ſupplicio damnatorum per ſuum prophetam Deus dixit, * fiet omninò, fiet: vermis eorum non morietur & ignis eorum non exſtinguetur. Ad hoc enim vehementer commendandum etiam Dominus Ieſus cum membra quæ hominem ſcandalizant, pro his omnibus poneret, quos vt ſua membra dextera quis diligit, eáque præciperet amputari: * Bonum eſt, inquit, tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennã, in ignem inexſtinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguitur. Similiter de pede: bonum eſt tibi, inquit, claudum introire in vitam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexſtinguibilis, vbi vermis eorum non moritur & ignis non exſtinguitur. Non aliter ait de oculo: Bonum eſt tibi, luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur. Non eum piguit vno loco eadem verba ter dicere: Quem non terreat iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio, tam vehemens ore diuino? Vtrunque autem horum, ignem ſcilicet atque vermem, qui volunt ad animæ pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam vri dolore animæ ſerò, atque infructuoſè pœnitẽtis eos qui fuerint à regno Dei ſeparati: & ideo ignem pro iſto dolore vrentem non incongruè poni potuiſſe contendunt. Vnde illud Apoſtoli eſt: * *Quis ſcandalizatur, et ego non vror?* Eundem etiam dolorem vermem putant intelligendum eſſe. Nam ſcriptum eſt, * inquiunt, *Sicut tinea veſtimentum, & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri.* Qui verò pœnas & animæ & corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitant igne vri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod etſi credibilius dicitur, quia vtique abſurdum eſt, ibi dolorem aut corporis, aut animæ defuturum, ego tamen facilius exiſtimo, vt ad corpus dicam vtrunque pertinere, quàm neutrum: & ideò tacitum in illis diuinæ ſcripturæ verbis animi dolorem, quoniam

** Iſai. 66.*
** Marc. 9.*
** 2. Cor. 11.*
** Proue. 25.*
*Et ignẽ qui nõ exſtinguetur, & vermẽ*



conſequens eſſe intelligitur, etiamſi non dicatur, vt corpore ſic dolente, animus quoque ſterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in veteribus ſcripturis: * *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Potuit breuius dici, vindicta impij: Cur ergo dictum eſt carnis impij, niſi quia vtrunque, id eſt, & ignis & vermis pœna erit carnis? aut ſi vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod ſecundùm carnem vixerit: propter hoc enim veniet in mortem ſecundam quam ſignificauit Apoſtolus dicẽs: Si enim ſecundùm carnem vixeritis moriemini. Eligat quiſque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc propriè, illud tropicè: aut vtrunque propriè corpori. Iam enim ſatis ſuperius diſputaui poſſe animalia etiam in ignibus viuere, in vſtione ſine conſumptione, in dolore ſine morte, per miraculum omnipotentiſſimi creatoris, cui hoc poſſibile eſſe qui negat, à quo fit quicquid in naturis omnibus miratur, ignorat. Ipſe enim eſt Deus, qui omnia in hoc mundo magna & parua miracula quæ commemorauimus, etiam incomparabiliter plura quæ non commemorauimus fecit, eadémque ipſo mundo vno atque omnium maximo miraculo incluſit. Eligat ergo vnum de duobus quiſque quod placet: Vtrum & vermem ad corpus propriè, an ad animum tranſlato à corporalibus ad incorporalia vocabulo exiſtimet pertinere. Quid autem horum verum ſit res ipſa expeditius indicabit, quando erit ſcientia tanta ſanctorum vt eis cognoſcendarum illarum pœnarum neceſſaria non ſit experientia, ſed ea quæ tunc erit plena atque perfecta ad hoc quoque ſciẽdum ſapientia ſola ſufficiat. Nunc enim ex parte * ſcimus donec veniat, quod perfectum eſt, dum tamen nullo modo illa corpora talia futura eſſe credam⁹ vt nullis ab igne afficiantur doloribus. *Ibidem, cap. 9.*

*qui non morietur, Auguſtinus ad cruciatum corporis cenſet pertinere.*
** Eccli. 7.*
*Rom. 8.*
*Sapientia Sãctorum plena atque perfecta in altera vita.*
** 1. Cor. 13.*

Si non veniret ignis Dei iudicij & ſola peccatoribus immineret ſeparatio à facie Dei, in qualibet eſſent affluentia delitiarum, non videntes à quo creati ſunt, & ſeparati ab illa dulcedine ineffabilis vultus eius, in qualibet æternitate & impunitate peccati, plangere ſe deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc a-

mantibus pœna eſt, non contemnentibus. Qui dulcedinem ſapientiæ & veritatis vtcunque ſentire cœperunt, nouerunt quod dico: quanta pœna eſt tantummodò à facie Dei ſeparari. Qui autem illam dulcedinem non guſtauerunt, ſi nondũ deſiderant Dei faciem, timeant vel ignem: ſupplicia terreant, quem præmia non inuitant. Vile tibi eſt quod Deus pollicetur, contremiſce quod minatur. Veniet dulcedo præſentiæ: non mutaris, non excitaris, non ſuſpiras, non deſideras. Amplexaris peccata tua, & delitias carnis tuæ, ſtipulas ad te congeris, veniet ignis. *Ignis* * *in conſpectu eius ardebit.* Non erit iſte ignis ſicut focus tuus: quo tamen ſi manum mittere cogaris, facies quicquid voluerit, qui hoc minatur. Si tibi dicat, ſcribe contra caput patris tui, ſcribe contra capita filiorum tuorum: nam ſi non feceris, manum tuam mitto in focum tuum: facies, ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non ſemper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leue malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Ad malum faciendum, nec minæ te compellere deberent: à bono faciendo, nec minæ te terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo, inuitaris ad bonum. *Tom. 8. in Pſalm. 49. ſuper illum verſiculum: Ignis ante eum præibit.*

* *Pſal. 49.*

*Ignis gehennæ ardentior omni alio igne.*

*Minis æterni ignis prohibentur homines à malo.*

### *XII. Corpora electorum accepta iam immortalitate, poſt ſupremi iudicis ſententiam, in locis cæleſtibus eſſe conſtituenda.*

SEd neceſſe eſt, inquiunt, vt terrena corpora naturale pondus vel in terra teneat, vel cogat ad terram, & ideò in cælo eſſe non poſſunt. Primi quidem illi homines in terra erant nemoroſa atque fructuoſa, quæ paradiſi nomen obtinuit. Sed quia & ad hoc reſpondendum eſt, vel propter Chriſti corpus, cum quo aſcendit in cælum, vel propter ſanctorum, qualia in reſurrectione futura ſunt, intueantur paulò attentius pondera ipſa terrena. Si enim ars humana efficit, vt ex metallis, quæ in aquis poſita, continuò ſubmerguntur, quibuſdam modis vaſa fabricata etiam natare poſſint, quantò credibilius & efficacius occultus aliquis modus operationis Dei, cuius omnipotentiſſima voluntate Plato dicit, nec orta interire, nec colligata poſſe diſſolui, cùm multo mirabilius incorporea corporeis, quàm quæcunque corpora quibuſcunque corporibus copulentur, poteſt molibus preſtare terrenis vt nullo in ima pondere deprimãtur: ipſiſque animis perfectiſſimè beatis, vt quanuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora vbi volunt ponant, & quò volunt agant, ſitu motúque facilimo. An verò ſi hoc angeli faciant, vt quælibet animalia terreſtria rapiant vnde libet, conſtituántque vbi libet, aut eos ſine labore non poſſe, aut onera ſentire credendum eſt? Cur ergo ſanctorum perfectos atq; beatos diuino munere ſpiritus, ſine vlla difficultate poſſe ferre quò voluerint, & ſiſtere vbi voluerint ſua corpora non credamus? Nam cum terrenorum corporum ſicut onera in geſtando ſentire cõſueuimus, quantò maior eſt quantitas, tantò maior fit & grauitas, ita vt plura pondo quàm pauciora plus premant, membra tamen ſuæ carnis leuius portat anima cùm in ſanitate robuſta ſunt, quàm in languore cùm macra ſunt. Et cum aliis geſtantibus oneroſior ſit ſanus & validus, quàm exilis & morbidus, ipſe tamen ad ſuum corpus mouendum atque portandum agilior eſt, cùm in bona valetudine plus habet molis, quàm cùm in peſte, vel in fame minimum roboris. Tantum valet in habendis etiam terrenis corporibus quanuis adhuc corruptibilibus atque mortalibus non quantitatis pondus, ſed temperationis modus. Et quis verbis explicet quantum diſtat inter præſentem, quam dicimus ſanitatem & immortalitatem futuram? Non itaque noſtram fidem redarguant philoſophi de põderibus corporum. Nolo enim quærere, cur non credant terrenum poſſe eſſe corpus in cælo, cùm terra vniuerſa libretur in nihilo. Fortaſſis enim de ipſo medio mundi loco, eo quod in eum coëant quæque grauiora, etiam argumentatio veriſimilior habeatur. Illud dico, ſi dij minores quibus inter animalia terreſtria cætera, etiã hominẽ faciẽdum cõmiſit Plato, potuerunt, ſicut dicit, ab igne re-



*Occultus aliquis modus operationis Dei, animis perfectiſſimè beatis, præſtare poteſt, vt terrena corpora, iam incorruptibilia, ponãt vbi volunt, & quò volunt agant, ſitu motúque facillimo.*

*Plato in Timæo.*

*Deus de carne hominis corruptionē aufert, naturā congruentiámque figuræ el mēbrorū relinquit, & pōderis tarditatē detrahit.*

mouere vrendi qualitatem, lucendi relinquere quæ per oculos emicaret: itáne Deo ſummo concedere dubitabimus, cuius ille voluntati poteſtatique ne moriantur conceſſit, quæ orta ſint, & tam diuerſa, tam diſſimilia, id eſt, corporea & incorporea ſibimet connexa, nulla poſſint diſſolutione ſeiungi, vt de carne hominis cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, congruentiam figuræ membrorúmque detineat, detrahat ponderis tarditatem? *Tom. 5. de Ciuitat. Dei, lib. 13. cap* 18.

** Pſalm. 93.*

Contra quod magnum Dei donū ratiocinatores iſti, quorum cogitationes * nouit Dominus, quoniā vanæ ſunt, de ponderibus elementorum argumentantur: quoniam ſcilicet magiſtro Platone, didicerunt, mundi duo corpora maxima atque poſtrema, duobus mediis, aëre ſcilicet, & aqua eſſe copulata atque cōiuncta. Ac per hoc, inquiunt, quoniam terra ab hinc ſurſum verſus eſt prima: ſecunda, aqua ſuper terram: tertius, aër ſuper aquam: quartum, ſuper aëra cœlum: non poteſt eſſe terrenum corpus in cœlo. Momentis enim propriis vt ordinem ſuum teneant, ſingula elementa librantur. Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas.

*Refutatur Platonicorū argumentorū, de ordine elemētorum vanitas.*

Quid ergo faciunt in aëre terrena tot corpora, cùm à terra ſit aër tertius? Niſi fortè qui per plumarū & pennarum leuitatem donauit auium terrenis corporibus vt portentur in aëre: immortalibus factis corporibus hominum, non poterit donare virtutem: qua etiam in ſummo valeant habitare? Animalia quoque ipſa terrena, quæ volare non poſſunt: in quibus & homines ſunt: ſicut ab aqua piſces, qui ſunt aquarum animalia: ita ſub terra viuere debuerunt. Cur ergo non ſaltem de ſecundo, id eſt, de aquis, ſed de elemento tertio terrenum animal carpit hanc vitam? Quare cùm pertineat ad terram, in ſecundo, quod ſuper terram eſt elemento, viuere ſi cogatur, continuò ſuffocatur: & vt viuat, viuit in tertio? An errat hic ordo elementorum: vel potius non in natura rerum, ſed in iſtorum argumentationibus deficit? Omitto dicere quod iam in decimo tertio libro dixi, quàm multa grauia terrena

*cap. 18.*





ſint corpora ſicut plumbum: & formam tamen ab artifice accipiant, qua natare valeant ſuper aquam, & vt accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in cælum & eſſe poſſit in cælo, omnipotenti artifici contradicitur. Iam verò contra illud quod iam dixi ſuperius etiam iſtum conſiderantes atque tractantes elementorum ordinem quo confidunt, non inueniunt omnimodo quid dicant. Sic eſt enim hinc ſurſum verſus terra prima, aqua ſecunda, tertius aër, quartum cælum: vt ſuper omnia ſit animæ natura. Nam & Ariſtoteles quintum corpus eam dixit eſſe, & Plato nullum. Si quintum eſſet, certè ſuperius eſſet cæteris: cùm verò nullum eſt, multò magis ſuperat omnia. In terreno ergo quid facit corpore? in hac mole quid agit ſubtilior omnibus? in hoc pondere quid agit leuior omnibus? in hac tarditate quid agit celerior omnibus? itáne per huius tam excellentis naturæ meritum non poterit effici vt corpus eius leuetur in cælum? & cùm valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorſum, ita aliquo modo & animæ leuare ſurſum terrena corpora non valebunt? Iam ſi ad eorum miracula veniamus, quæ facta à Diis ſuis opponunt martyribus noſtris, nónne etiam ipſa pro nobis facere, & nobis reperientur omninò proficere? Nam inter magna miracula Deorum ſuorum, profectò magnum illud eſt, quod Varro commemorat: Veſtalem virginem cùm periclitaretur falſa ſuſpicione de ſtupro, cribrum impleſſe aqua de Tyberi, & ad ſuos iudices, nulla eius parte ſtillante, portaſſe. Quis aquæ pondus ſuper cribrum tenuit? quis tot cauernis patentibus nihil inde in terram cadere permiſit? reſponſuri ſunt, aliquis Deus: aut aliquis dæmon. Si Deus, nunquid maior eſt Deo, qui fecit hunc mundum? Si dæmon, nunquid potentior eſt angelo, qui Deo ſeruit, à quo factus eſt mundus? Si ergo Deus minor, vel angelus, vel dæmon potuit pondus humidi elementi ſic ſuſpendere, vt aquarū videatur mutata fuiſſe natura, itáne Deus omnipotens, qui ipſa creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non poterit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans ſpiritus? Deinde cùm

*Corpus humanum ferri poteſt in cælum, & eſſe in cælo.*

*Animæ natura ſupra omnia elemēta.*

*Sicut anima nunc detinetur à corpore in terris, ita corpus poſtmodum ab anima detinebitur in cælis*

aërem medium ponant, inter ignem deſuper, & aquam ſubter, quid eſt quod eum inter aquam & aquam, & inter aquam & terram ſæpe inuenimus? Quid enim volunt eſſe aquoſas nubes, inter quas & maria, aër medius reperitur? Quonam quæſo elementorum pondere atque ordine efficitur, vt torrentes violentiſſimi atque vndoſiſſimi, antequam ſub aëre in terris currant, ſuper aëra in nubibus pendeant? Cur denique aër eſt medius inter ſumma cæli, & ima terrarum quaquauerſum orbis extenditur, ſi locus eius inter cælum & aquas, ſicut aquarum inter ipſum & terras, eſt conſtitutus? Poſtremò ſi ita eſt elementorum ordo diſpoſitus, vt ſecũdùm Platonem duobus mediis, id eſt, aëre & aqua, duo extrema, id eſt, ignis & terra iungantur, cælique obtineat ille ſummum locum, hæc autem imi, velut fundaminis mundi, & ideò in cælo eſſe non poteſt terra, cur eſt ipſe ignis in terra? Secundùm hanc quippe rationem ita iſta duo elementa in locis propriis, imo, ac ſummo, terra & ignis, eſſe debuerunt: vt quẽadmodum nolunt in ſummo eſſe poſſe, quod imi eſt: ita nec in imo eſſe poſſit, quod ſummi eſt. Sicut ergo nullam putant, vel eſſe vel futuram eſſe terræ particulam in cælo: ita nullã particulam videre debuimus ignis in terra. Nunc verò non ſolùm in terris, verùm etiam ſub terris ita eſt, vt eum eructent vertices montium: præter quod in vſibus hominum & eſſe ignem in terra, & eum naſci videmus ex terra. Quandoquidem & de lignis, & de lapidibus naſcitur, quæ ſunt corpora ſine dubitatione terrena. Sed ille, inquiunt, ignis eſt tranquillus, purus, innoxius, ſempiternus: iſte autem turbidus, fumeus, corruptibilis atque corruptor. Nec tamen corrumpit montes, in quibus iugiter æſtuat cauernáſque terrarum. Eſto: ſit illi iſte diſſimilis, vt terrenis habitationibus congruat. Cur ergo nolunt, vt credamus naturam corporum terrenorum aliquando incorruptibilem factam cælo cõuenientem futuram: ſicut nunc ignis corruptibilis his conuenit terris? Nihil igitur afferunt ex ponderibus atque ordine elementorum, vnde omnipotenti Deo, quo minus faciat corpora noſtra talia, vt etiam in cælo poſſint habitare, præſcribant. *Ibidem, lib. 22. cap. 11.*

*Plato in Timæo.*

*Natura corporum terrenorum aliquando incorruptibilis facta, cælo conueniens erit: ſicut nunc ignis corruptibilis his conuenit terris.*



Si enim animæ tantummodo eſſemus, id eſt, ſine vllo corpore ſpiritus, & in cælo habitãtes, terrena animalia neſciremus, nobiſque futurum eſſe diceretur vt terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteremur, nónne multo fortius argumentaremur id credere recuſantes, & diceremus naturam non pati, vt res incorporea, ligamento corporeo vinciretur? Et tamen plena eſt terra vegetantibus animis, quibus hæc membra terrena miro modo ſunt connexa & implicita. Cur ergo eodem volente Deo qui fecit hoc animal, non poterit terrenũ corpus in cæleſte corpus attolli, ſi animus omni, ac per hoc etiam cæleſti corpore præſtantior, terreno corpori potuit alligari? An terrena particula tam exigua potuit aliquid cæleſti corpore melius apud ſe tenere, vt ſenſum haberet & vitam? & eam ſentientem atque viuentem dedignabitur cælum ſuſcipere? aut ſuſceptam non poterit ſuſtinere, cùm de re ſentiat & viuat iſta meliore quàm eſt corpus cæleſte? Sed ideo nunc nõ fit, quia nondum eſt tempus quo id fieri voluit, qui hoc quod vidẽdo iam voluit, multo mirabilius, quàm quod ab iſtis non creditur, fecit. Cur enim non vehementius admiremur incorporeos animos cæleſti corpore potiores terrenis alligari corporibus, quàm corpora licet terrena ſedibus, quanuis cæleſtibus tamen corporeis ſublimari, niſi quia hoc videre conſueuimus, & hoc ſumus: illud verò nondum ſumus, nec aliquando adhuc vidimus? Nam profectò ſobria ratione conſulta mirabilioris eſſe diuini operis reperitur, incorporalibus corporalia quodammodo attexere, quàm licet diuerſa, quia illa cæleſtia, iſta terreſtria, tamen corpora & corpora copulari. *Ibidem, cap. 4.*

*Vehementius admirãdum incorporeos animos terrenis alligari corporibus q̃ corpora terrena, ſedibus quanuis cæleſtibus, tamẽ corporeis ſublimari.*

Cæli ſuperiores ignoti ſunt nobis in terra laborantibus, & per humanas coniecturas vtcunque iſta quærentibus: quomodo ſint ſuper inuicem, vel quod ſint, vel quibus modis diſtincti ſint, quibus incolis impleti ſunt, qua diſpoſitione regantur, quomodo ibi vnus quidam hymnus indeficiens concinens ab omnibus prædicet Deum, multum eſt ad nos inuenire, ſatagamus tamen peruenire: Ibi eſt enim patria noſtra quam longa fortaſſe peregrinatione obliti ſumus. *Tom. 8. in Pſal. 32. con-*

*tione 2. Vide & Tom. 3. de fide & ſymbolo, circa finem.*

### *XIII. Summam & vltimam beatitudinem electorum in contemplatione ſeu fruitione diuinæ eſſentiæ conſiſtere.*

QVanta erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, (* 1. Cor. 15.) qui erit * omnia in omnibus? Nam quid aliud agetur, vbi neque vlla deſidia ceſſabitur, neque vlla indigentia laborabitur, neſcio. Admoneor etiam ſancto Cantico, (* Pſalm. 83.) vbi lego vel audio. * *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vſus neceſſarios diſtributa, quoniã tunc nõ erit ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſecura ſempiterna fœlicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, qui nũc latent harmoniæ corporalis numeri non latebunt, intrinſecus, & extrinſecus, per corporis cuncta diſpoſiti, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione ſuccendent. *Et infrà.* Ibi perficietur, (* Pſal. 45.) * *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Quod erit ibi verè maximum ſabbatum non habens veſperam. Quod commendauit Dominus in pri- (* Geneſ. 2.) mis operibus mundi, vbi legitur: * Et requieuit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit: & benedixit Deus diem ſeptimum, & ſanctificauit eum, quia in eo requieuit ab omnibus operibus ſuis, quæ inchoauit Deus facere. Dies enim ſeptimus etiam noſipſi erimus, quando eius fuerimus benedictione & ſanctificatione pleni atque refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniam ipſe eſt Deus, quod nobis ipſi eſſe voluimus, quan- (* Geneſ. 3.) do ab illo cecidimus, audientes à ſeductore, * Eritis ſicut dij: & recedentes à vero Deo, quo faciente dij eſſemus eius participatione, non deſertione. Quid enim ſine illo fecimus, niſi quod in ira eius defecimus? A quo refecti & gratia maiore perfecti, vacabimus in æternum, videntes quia ipſe eſt Deus, quo pleni erimus, quando ipſe erit omnia in omnibus. *To. 5. de Ciu. Dei, li. 22. ca. 30.*

Habitatio noſtra iucunditas ſola erit: Peribit labor



& gemitus, tranſeunt orationes, ſuccedunt laudationes. Ibi ergo * habitatio iocundatorum, non erit ge- (* Pſalm. 83.) mitus deſiderantium, ſed lætitia perfruentium. Aderit enim cui modo ſuſpiramus: ſimiles * ei erimus, quo- (* 1. Ioan. 3.) niam videbimus eum ſicuti eſt. Ibi totum negotium noſtrum non erit niſi laudare Deum & frui Deo. Et quid (* Ioan. 1.) alium quæremus, vbi ſolus ſufficit, per quem * facta ſunt omnia? *Tom 8. in Pſalm. 86. verſus finem.*

Ibi Sine vlla corporis ſimilitudine perſpicua veritas cernitur, nullis opinionum falſarum nebulis obfuſcatur. Ibi virtutes animæ non ſunt operoſæ ac laborioſæ: neque enim opere temperantiæ libido frænatur, aut opere fortitudinis tolerantur aduerſa, aut opere iuſtitiæ iniqua puniuntur, aut opere prudentiæ mala deuitantur. Vna ibi & tota virtus eſt amare quod videas, & ſumma fœlicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte ſuo bibitur, vnde aſpergitur aliquid huic humanæ vitæ, vt in tentationibus huius ſeculi temperanter, fortiter, iuſtè, prudentérque viuatur. Propter illud quippe adipiſcendum, vbi ſecura quies erit, & ineffabilis viſio veritatis, labor ſuſcipitur, & continendi à voluptate, & ſuſtinendi aduerſitates, & ſubueniendi indigentibus, & reſiſtendi decipientibus. (*Propter adipiſcendam vitam beatam, præſentis vitæ labores ſuſcipiuntur.*) Ibi videtur claritas Domini, non per viſionem ſignificantem: ſiue corporalem ſicut viſa eſt in monte Sina, ſiue ſpiritalem, ſicut vidit Eſaias, vel Ioannes in Apocalypſi, ſed per * ſpeciem, non (* 1. Cor. 13.) per ænigmata, quantum eam capere mens humana poteſt ſecundùm aſſumentis Dei gratiã, vt os ad os loquatur ei, quem dignum tali Deus colloquio fecerit: non os corporis, ſed mentis. *Tom. 3. de Geneſi ad lit. lib. 12. cap. 26.*

Vna ibi virtus erit, & id ipſum erit virtus præmiũmque virtutis, quod dicit in ſanctis eloquiis homo qui hoc amat: (* Pſal. 72.) *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Hæc ibi erit plena & ſempiterna ſapientia, eadémque veraciter vita iam beata. Peruentio quippe eſt ad æternum ac ſummum bonum, cui adhærere in æternum eſt finis noſtri boni. Dicatur hæc & prudentia, quia proſpectiſſimè adhærebit bono, quod non amittatur: & fortitudo, quia firmiſſimè adhærebit bono, vnde non auellatur: & temperantia, quia caſtiſſimè adhærebit bono, vbi

iam non corrūpatur: & iuſtitia, quia rectiſſimè adhærebit bono, cui meritò ſubiiciatur. *To.2. Ep.52. ad Maced.*

Cum ſiniſtri ierint * in ambuſtionem æternam, iuſti autē in vitam æternam: quia hæc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcant vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: illa cognitione, illa viſione, illa contemplatione ſatiabitur in bonis animæ deſideriū. Hoc enim ei ſolum ſat eſt, vltra non habet, quod appetat, quo inhiet, quod requirat: nā deſiderio huius ſatietatis ardebat, qui Domino Chriſto ait, * Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. *Tom.3. de ſpiritu & lit. cap.33.*

* *Mat.25.* * *Ioan.17.* * *Ioan.14.*

Illa viſio Dei qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis inuiſibilem Dei ſubſtantiam, quæ ſolis ſanctis promittitur, quam dicit Apoſtolus Paulus, * Facie ad faciem: & de qua dicit Apoſtolus Ioannes, * Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt: & de qua dicitur, * Vnam petij à Domino, hāc requiram vt contempler delectationem Domini: & de qua dicit ipſe Dominus, * Et ego diligam eum & oſtendam meipſum illi, & propter quam ſolam, fide corda mundamus, vt ſimus beati * mundicordes, quoniam ipſi Deum videbunt, & ſi qua alia de iſta viſione dicta ſunt, quæ copioſiſſimè ſparſa per omnes ſcripturas inuenit, quiſquis ad eam quærendam oculum amoris intendit: ſola eſt ſummum bonum noſtrū, cuius adipiſcendi cauſa præcipimur agere, quicquid agimus. *Tom.3. de Trinitate, li.1. cap.13. verſus finem.*

* 1.*Cor.13.* * 1.*Ioan.3.* * *Pſalm.26.* * *Ioan.14.* * *Matth.5.*

*Et oſtendam * meipſum illi.* Quid eſt meipſum? non formam ſerui. Quid eſt meipſum? formam Dei, in qua nō * rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Quid eſt meipſum? dilectiſſimi, filij Dei ſumus: & nondum apparuit, * quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Hæc claritas Dei eſt, ineffabilis lux, fons lucis ſine commutabilitate, veritas ſine defectu, ſapientia in ſeipſa manens, innouans omnia. Hæc ſubſtantia Dei eſt. *Tom.8. Pſalm.169. in expoſitione, vltra medium.*

* *Ioan.14.* * *Philip.2.* * *Ioan.3.*

In contēplatione Dei finis omnium bonarū actionū & requies ſempiterna, & gaudiū quod nūquam auferetūr à nobis. Hoc enim ſignat in eo quod ait: * *Iterum,*



*videbo vos, & gaudebit cor veſtrū, & gaudiū veſtrū nemo tollet à vobis.* Cuius gaudij ſimilitudinem præſignabat Maria * ſedens ad pedes Domini, & intenta in verbum eius, quieta ſcilicet ab omni actione, & intenta in veritatē ſecundū quendam modum, cuius capax eſt iſta vita, quo tamen præfiguraret illud quod futurum eſt in æternū: Martha quippe ſorore ſua in neceſſitatis actione conuerſante, quanuis bona & vtili, tamen cùm requies ſucceſſerit, tranſitura, ipſa requieſcebat in verbo Domini. Et ideo Dominus conquerenti Marthæ, quòd eam ſoror nō adiuuaret, reſpondit: Maria optimā partem elegit, quæ nō auferetur ab ea. Non malam partē dixit, quod agebat Martha, ſed iſtā optimam quæ non auferetur. Illa enim quæ in miniſterio indigentiæ eſt, cùm indigentia ipſa tranſierit, aufertur. Boni quippe operis tranſituri, merces eſt requies permanſura. In illa igitur cōtemplatione Deus erit * omnia in omnibus, quia nihil ab illo aliud requiretur, ſed ſolo ipſo illuſtrari, perfruique ſufficiet. Ideóque ille in quo ſpiritus * interpellat gemitibus inenarrabilibus: *Vnam*, inquit, * *petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini*, per omnes dies vitæ meæ, vt contempler delectationem Domini. Contemplabimur enim Deū Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum &c. *Tom.3. de Trinit. lib.1. cap.10.*

* *Ioan.16.* *Luc.10.*

***Boni operis*** *tranſituri merces eſt requies permanſura.*

* 1.*Cor.15.* * *Rom.8.* * *Pſalm.26*

Facilius poſſumus dicere in illa vita æterna, quid ibi nō ſit, q̄ quid ſit. Non eſt ibi mors, nō eſt ibi luctus, nō eſt ibi laſſitudo, nō eſt infirmitas, non eſt fames: nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigētia nulla mœſtitia, nulla triſtitia. Ecce diximus quid ibi nō ſit. Quid aūt ibi ſit vultis noſſe? *Hæc nec oculus vidit, * nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Si in cor hominis nō aſcendit, cor hominis illuc aſcēdat. Mundetur cor ab omni immūditia, vt poſſit portare Deum, qui eſt vera ſempiternáque iuſtitia. Manet enim Deus in corde credētis & ſe diligētis, & manet homo in Deo, id eſt, in æterna vita, quod eſt præmium Deum amantis. Nec amare, nec diligere quis poteſt, qui in Eccleſia eius non eſt: quoniam omnis, qui præter illam eſt, nec cum Deo eſt, qui vita

* 1.*Cor.2.*

æterna eſt. *Infrà.* Hanc (*Eccleſiam*) dilectiſsimi amemus omnes, tali matri inſeparabiliter inhæreamus, vt ſimul cum illa & per illam Deo patri coniungi perpetuò mereamur. *Tom.9. de ſymbolo, ad Catechumen. lib.3. cap.11. Vide & lib.2. cap.12.*

*FINIS QVATVOR LIBRORVM Auguſtinianæ Confeſsionis.*

# PARAENESIS

## *AVGVSTINIANÆ, EPILOGI VICEM obtinens, & ad errantes in fide omnes pertinens, vt ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem ſe recipiant & adiungant.*

*Optat Auguſtin⁹, quæ ad cõuerſionẽ hæreticorũ præcipuè ſpectant, & nunc etiam illis optanda ſunt.*

*Pudore impediti ſectarij non reſipiſcunt.*

*Humanum errare, diabolicum in errore perſiſtere.*

*Aut nũquã errandũ, aut ab errore deſiſtendũ cõmiſſo.*

VTINAM HÆC ALIquando cogitẽt, vel ſerò cogitent, vel detumeſcente animoſitate cogitẽt, ad ſe redeãt, ſe interrogẽt, ſe diſcutiãt, ſibi reſpõdeant pro veritate: nõ timeant eos quibus falſitatem diutiſsimè vendiderunt. Ipſos enim timent offendere: erubeſcunt humanæ infirmitati, & nõ erubeſcũt inuictiſsimę veritati. Vtique hoc timent, ne dicatur eis: Quare ergo nos decepiſtis? quare nos ſeduxiſtis? quare tãta mala & falſa dixiſtis? Reſpõdere deberẽt, ſi Deũ timerent: humanum fuit errare, diabolicũ eſt per animoſitatẽ in errore manere. Melius quidẽ erat, ſi nunq̃ errarem⁹, ſed vel quod ſecũdum eſt faciamus, vt errorẽ aliquãdo emendemus. Decepimus, quia decepti eramus: falſa præiudicauimus, qui præiudicantibus falſa credidimus. Dicãt ſuis, ſimul errauimus: ſimul ab errore recedamus. Duces vobis fuimus ad foueam, & ſecuti eſtis cùm duceremus



ad foueam: & non ſequimini cùm ducimus ad Eccleſiam? Poſſent iſta dicere, indignantibus dicerent: aliquando & illi ponerent indignationem, amarent vel ſerò vnitatẽ. *Tom.10. de verbis Apoſt. ſer. 22. circa finẽ.*

*Quæ ſit ingenua cõfeſſio reſipiſcẽtium hæreticorum doctorum.*

Eſt cõfuſio adducẽs peccatũ, & eſt cõfuſio adducẽs gratiã & gloriã. Cõfuſio adducit peccatũ cũ erubeſcit quiſque prauã mutare ſentẽtiã, ne aut inconſtans putetur, aut diu erraſſe, ſeipſo iudice, teneatur. Ita deſcendũt in infernũ viuẽtes, id eſt, ſuã perditionẽ ſentiẽtes, quos Dathan* & Abiron, & Chore hiatu terræ abſorpti, tantò antè futuros figurauerũt. Cõfuſio aũt adducit gratiã & gloriã, cũ erubeſcit quiſq; de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur. *Tom.2. Epiſt.48. ad Vincentium, ſub finem.*

Eccleſiaſt.4.

*Apud ſectarios obſtinatos viget confuſio vitioſa, & dãnabilis: apud pœnitẽtes verò laudabilis & ſalutaris.*

* *Num. 16.*

*Hæretici per Dathan & Abiron deſignari.*

Sæpe intuẽs quãtũ poterã, mentẽ humanã tàm viuacem, tàm ſagacẽ, tàm perſpicacẽ, nõ putabã latere veritatẽ, niſi q̃ in ea quærẽdi modus lateret: eũdémque ipſum modũ ab aliqua diuina auctoritate eſſe ſumendũ. Reſtabat quærere quænam illa eſſet auctoritas, cum in tãtis diſſenſionibus ſe quiſq; illã traditurũ polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis ſylua, cui demũ inſeri multũ pigebat: atq; inter hæc ſine vlla requie, cupiditate reperiẽdi veri animus agitabatur. Diſſuebã tamẽ magis magiſq; ab iſtis quos iã deſerere propoſuerã. Reſtabat aũt aliud nihil in tantis periculis, q̃ vt diuinã prouidentiam lachrymoſis & miſerabilibus vocibus, vt opẽ mihi ferret, deprecarer. Atque id ſedulò faciebã, & iam ferè me cõmouerant nonnullæ diſputationes Mediolanẽſis Epiſcopi, vt nõ ſine ſpe aliqua de ipſo veteri Teſtamẽto multa quærere cuperẽ, quæ vt ſcis malè nobis cõmendata execrabamur. Decreuerámque tam diu eſſe Cathecumenus in Eccleſia, cui traditus à parẽtibus erã, donec aut inuenirẽ quod vellẽ, aut mihi perſuaderẽ nõ eſſe quærendum. *Et paulò pòſt.* Hoc ergo modo & ſimili animæ tuæ cura ſit, diu te quoq; affectũ vides, & ſi iam ſatis tibi iactatus videris, finémque huiuſmodi laboribus vis imponere, ſequere viã Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque manauit, & ab hinc ad poſteros manatura eſt. Ridiculũ, inquis, iſtud eſt, cum oẽs hanc ſe profiteãtur tenere ac

*Suo exẽplo docet Auguſtinus quid ſit agendum de vera religione dubitanti.*

Lib. cõfeſ. 5. cap. 10. & lib. 6. ca. 11.

*Lib. 5. cõfeſſ. cap. 13.*

*Tenẽda via Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per*

*Apoſtolos ad nos vſque manauit.*

docere. Profitẽtur hoc omnes hæretici, negare nõ poſſum, ſed ita vt eis quos illectãt rationẽ ſe de obſcuriſſimis rebus polliceantur reddituros, eóque Catholicã, maximè criminãtur, quod illis qui ad eam veniũt præcipitur vt credant: ſe autẽ nõ iugũ credendi imponere ſed docẽdi fontẽ aperire gloriantur. Quid, inquis, dici potuit quod ad eorũ laudem magis pertineret? Nõ ita eſt. Hoc enim faciunt tanto labore præditi, ſed vt aliquam concilient multitudinem nomine rationis. Qua promiſſa naturaliter anima gaudet humana, nec vires ſuas valetudinémque conſiderans ſanorum eſcas appetendo, quæ malè cõmittuntur niſi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam vera religio, niſi credantur ea, quæ quiſque poſtea ſi ſe bene geſſerit dignúſque fuerit, aſſequatur atque percipiat, omninò ſine quodam graui auctoritatis imperio iniri rectè nullo pacto poteſt. *Tom. 6. de vtilitate credendi, cap. 8. & 9.*

*Hæretici docendi fontẽ aperire ſe gloriãtur, & quo animo id faciant.*

*Vera religio iniri non poteſt, niſi credendo.*

*De vera dubitãs religione, quãto poteſt ſtudio Deũ oret, vt ab errore liberetur.*

Quamobrem tametſi docere non valeo, monere tamen non deſino, vt quoniam multi ſapientes videri volunt, neque vtrum ſint ſtulti facile dignoſcere eſt: omni intentione, votiſque omnibus, gemitibus denique, vel etiam, ſi fieri poteſt, fletibus Deum deprecare, vt te ab erroris malo liberet, ſi tibi beata vita cordi eſt. Quod facilius fiet, ſi præceptis eius, quæ tanta Eccleſiæ Catholicæ auctoritate firmata eſſe voluit, libens obtemperes. *Ibidem, cap. 15.*

*Quàm ſit ſtabilita & cõfirmata Eccleſia.*

Hoc (*vt arctam viam homines ingrederentur*) factum eſt diuina prouidẽtia, per prophetarũ vaticinia, per humanitatẽ doctrinámque Chriſti, per Apoſtolorũ itinera, per martyrũ cõtumelias, cruces, ſanguinem, mortes: per Sanctorum prædicabilẽ vitã, atque in his vniuerſis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporũ opportunitate, miracula. Cùm igitur tantum auxiliũ Dei, tantum profectũ fructúmque videamus, dubitabimus nos eius Eccleſiæ cõdere gremio, quæ vſque ad cõfeſſionẽ generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporũ, fruſtra hæreticis circum latrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas partes

*Quàm ſit tutũ Eccleſiæ gremio condi.*

*Hæreticis fruſtra circumlatrantibus, Eccleſia in qua eſt ſedes Apoſtolica, culmen auctoritatis obtinuit.*



dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Nam ſi nulla certa ad ſapientiam ſalutémque animis via eſt, niſi cum eos rationi præcolit fides, quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque auxilio diuino, quàm tanto labori præditæ auctoritati velle reſiſtere? *Ibidem, cap. 17.*

*Reſiſtentes Eccleſiæ auctoritati, ingrati ſunt auxilio Dei.*

Quæ eſt peior mors animæ quàm libertas erroris? Sed iam tollamus iſta omnia de medio: amemus pacem, quam omnis doctus & indoctus intelligit præponendam eſſe diſcordiæ, diligamus & teneamus vnitatem. Hoc iubent Imperatores, quod iubet & Chriſtus: quia cùm bonum iubent, per illos non iubet niſi Chriſtus. Et nos etiam per Apoſtolum obſecrat, *vt idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata. Neque dicamus, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti, ſed ſimul omnes non ſimus niſi Chriſti, quia nec diuiſus eſt Chriſtus: nec Paulus crucifixus eſt pro nobis, quanto minus Donatus (*vel quiuis hæreſiarcha*) nec in nomine Pauli baptizati ſumus, quanto minus in Donati? (*vel alterius hæretici*). *Tom. 2. epiſt. 166. ad Donatiſtas.*

*Libertas erroris, mors animæ peſſima.*

*Amanda pax, diligenda vnitas.*

* *1. Cor. 1.*

*Euitanda ſchiſmata.*

Quid ſi ipſa Eccleſia nunc vos alloquatur cum pace & dicat, O filii mei, quid querimini de matre? Quare me deſeruiſtis? iam volo à vobis audire. Accuſatis fratres veſtros, & ego laceror valde. Quando me premebant gentes, multa tuli cum dolore. Multi me deſeruerunt, ſed fecerunt in timore. Vos verò nullus coëgit ſic contra me rebellare, dicitis mecum vos eſſe, ſed falſum videtis eſſe. Ego Catholica dicor, & vos de Donati parte. Iuſſit me Apoſtolus* pro regibus mundi orare. Vos inuidetis quod reges iam ſunt in Chriſtiana fide. *Tom. 7. Pſalm. contra partem Donati.*

* *1. Tim. 2.*

Concordate nobiſcum fratres, diligimus vos, hoc vobis volumus, quod & nobis. Si propterea nos grauius odiſtis, quia errare vos & perire non permittimus, hoc Deo dicite, quem timemus minantem malis paſtoribus, & dicentem: * *Quod errauerat non reuocaſtis, & quod perierat non inquiſiſtis*. Hoc vobis per nos Deus ipſe facit, ſiue obſecrando, ſiue minando, ſiue corripiendo, ſiue

* *Ezech. 34.*

*Alienati ab Eccleſia matre Catholica, ſacrilega diſcordia pereunt.*

damnis, ſiue laboribus, ſiue per ſuas occultas admonitiones vel viſitationes, ſiue per poteſtatũ temporalium leges. Intelligite quid vobiſcum agatur, perire vos non vult Deus in ſacrilega diſcordia alienatos à matre veſtra Catholica. *Tom.2.Epiſt.166.ad Donatiſtas.*

Ipſum teſtamentum vos à flamma conſeruaſſe gloriamini, quod lingua delere conamini. *Tom.7. contra Epiſt. Parmen.lib.1.cap.2. Ibidem, lib.2.cap.2. addit eos factis id non probare.*

Communicate omnibus gentibus & tunc vos teſtamentum à pernicie flammarum conſeruaſſe gloriemini. *Ibidem, cont.lit. Petil.lib.1.cap.23.*

*Catholicis & hæreticis ſcripturæ cõmunes. Chriſtus verò & Eccleſia non cõmunis.*

** Galat.3.*

*Vbi agnoſcitur in ſcripturis Chriſtus, ibidẽ ferè & Eccleſia cognoſcitur.*

** Gen.22.* ** Pſalm.2. Heb.1.5.* ** Pſal. 49.* ** Pſal. 18.*

In Scripturis didicimus Chriſtum, in ſcripturis didicimus Eccleſiam. Has ſcripturas cõmuniter habemus: quare non in eis & Chriſtum & Eccleſiam communiter retinemus? Nos vbi agnouimus eum, de quo dicit Apoſtolus, * *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius:* Non dicit & ſeminibus, tanquam in multis, ſed tanquã in vno, & ſemini tuo quod eſt Chriſtus: ibi agnouimus Eccleſiam de qua dicit Deus ad Abraham, * *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Vbi agnouimus Chriſtum in Pſalmo de ſe prophetantem, *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te:* ibi agnouimus Eccleſiam in eo quod ſequitur, Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Vbi agnouimus Chriſtum in eo quod ſcriptum eſt: * *Deus Deorum Dominus loquutus eſt*: ibi agnouimus & Eccleſiam, in eo quod ſequitur: Et vocauit terram à ſolis ortu vſque ad occaſum. Vbi agnouimus Chriſtum in eo, quod ſcriptum eſt, * *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo exultauit vt gigas ad currẽdam viam*: ibi agnouimus & Eccleſiam in eo quod paulò ſuperius dicitur: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: in ſole poſuit tabernaculum ſuum, ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, hoc eſt, in manifeſtatione omnibus nota vſque ad terminos terræ.

*Eccleſia quare tabernaculum in ſole poſitum.*

** Pſal.21.*

Vbi agnouimus Chriſtum, in eo quod ſcriptum eſt: * *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea: ipſi verò conſiderauerunt, & aſpexerunt me, & diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt*



*ſortem*: ibi agnouimus & Eccleſiam in eo quod paulò pòſt in Pſalmo ipſo dicitur, Cõmemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ patriæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentiũ. Vbi agnouimus Chriſtũ in eo quod ſcriptum eſt, * *Exaltare ſuper cœlos Deus*: ibi agnouimus & Eccleſiam in eo quod ſequitur, Et ſuper omnem terram gloria tua. ** Pſal.56.* Vbi agnouimus Chriſtum in eo quod ſcriptum eſt, * *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis*: ibi agnouimus & Eccleſiam in eo quod de ipſa in Pſalmo ipſo dicitur, Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Corãm illo procident Æthiopes & inimici eius terram lingent, Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi. ** Pſal. 71.* Vbi agnouimus Chriſtum in eo quod ſcriptum eſt,* Lapidem de monte ſine manibus præciſum fregiſſe omnia regna terrarum, vtique illa quæ de culturis dæmonum præſumebant: ibi agnouimus & Eccleſiam in eo quod dictũ eſt, lapidem ipſum creuiſſe & factum mõtem magnum, & repleuiſſe omnem terram. ** Dan.2.* Vbi agnouimus Chriſtum in eo quod ſcriptum eſt,* *Præualebit Dominus aduerſus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ*: ibi agnouimus & Eccleſiam in eo quod illic ſequitur, Et adorabunt in conſpectu eius vnuſquiſque de loco ſuo omnes inſulæ gẽtium. ** Soph. 2.* *Tom.2. Epiſt.166.ad Donatiſtas. Lege quæ ſequuntur in eundem ſenſum.*

Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolicã? Si propter homines quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait, dicunt enim & nõ faciunt, cathedræ in qua ſedebant vllam iniuriam fecit? Nõnne illam cathedram Moſi commendauit, & illos ſeruato cathedræ

**Matth.23.* honore redarguit? Ait enim, **Cathedram Moſi ſedent, quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* Dicunt enim & non faciunt. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis blaſphemaretis cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. *Tom.7. contra lit. Petil. lib.2.cap.51.*

Expergiſcimini aliquando, non vos tartareus obliget ſomnus, non in profundum ſacrilegi erroris adhuc impia conſuetudo demergat, iam conſonate paci, cohærete vnitati, acquieſcite caritati, cedite veritati, Eccleſiam Catholicam incipientem ab Hieruſalem cognoſcite vſquequaque diffundi. *Ibidem, cont. Donatiſtas, poſt col. lat. cap.18.*

*Duo præcipua hæreticorũ mala, præſumptio & defenſio falſitatis.*

Sed duo ſunt quæ in errore hominum difficillimè tolerantur, præſumptio priuſquàm veritas pateat: & cùm iam patuerit, præſumptæ defenſio falſitatis. *Tom.3. de Trinit.lib.2.in initio.*

Audent ſacrilega ſchiſmata vel hæreſes impiæ, ſi quãdo in flagello vt ſe corrigant admonentur, pœnas furoris ſui etiam inter martyria deputare. *Tom.7. contra Epiſt.Parmen.lib.3.cap.6.*

Vt eis pœnarum ſuarum natalitia celebrentur, magno conuentu hominum furioſorum. *Ibidem.*

Chriſti martyrem non facit pœna ſed cauſa. *Tom.7. cont.Creſcon. Grammat.lib.3.cap.47.*

*Ab Eccleſia diſcedẽtes Catholica, minutatim ſecti conciſiq; diſpereunt.*

Neceſſe eſt, vt minutatim ſecti, conſciſsíque diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ, Catholicæ pacis ſanctiſſimo vinculo prætulerunt. *Tom.7. contra Epiſt. Parmen.lib.1.cap.4.*

Suſtineat eos mater (*Eccleſia*) piis viſceribus ſanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium eſt, quo progrediuntur, multum eſt, vix ferendum eſt, magnæ patientiæ adhuc ferri. Non abutantur hac patientia Eccleſiæ, corrigantur, bonum eſt, vt amici exhortamur, non vt inimici litigamus. Detrahunt nobis, ferimus: Canoni detrahunt, veritati non detrahant. Eccleſiæ ſanctæ pro remiſſione peccati originalis paruulorũ (*Eadem eſt ratio & in ceteris dogmatibus ab Eccleſia definitis*) quotidie laboranti non contradicant, fundata iſta res, ferendus eſt diſputator errans in aliis quæſtioni-

*Diſputator errãs in iis q̃ nondum ab*



bus non diligenter digeſtis, nondum plena Eccleſiæ auctoritate firmatis, ibi ferendus eſt error: non tantùm progredi debet, vt etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur. Non expedit, adhuc fortè noſtra non eſt reprehendenda patientia, ſed debemus timere ne culpetur etiam negligentia. *Tom. 10. de verbis Apoſtoli, ſerm.14.*

*Eccleſia diſcuſſa definita q; ſunt, ferẽdus eſt.*

*Quatere moliens fundamẽtum Eccleſiæ, non ferẽdus.*

Vana eſt iniquitas, nihil eſt iniquitas, potens non eſt niſi iuſtitia. Occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt. Florere poteſt ad tempus iniquitas, permanere non poteſt. Nolite ſperare ſuper iniquitatem. *Tom.8. in Pſalm.61.*

*Veritas vinci non poteſt.*

Chriſtus adferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet miraculis cõciliauit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide cõtraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roborauit religionem, quam nõ ſolùm hæreticorum ineptiſſima nouitas fraudibus agens, ſed nec gentium quidem veternoſus error violenter aduerſans aliqua ex parte conuelleret. *Tom.6.de vtilitate creden.cap.14.*

Sic eos (*quos corrigere non valemus*) in iſto mundo, in quo Eccleſia Catholica per omnes gentes diffunditur, quem agrum ſuum Dominus dicit, * tanquam zizania inter triticum, vel in hac vnitatis area tanquam paleam permixtam frumento, vel intra retia verbi & Sacramenti tanquam malos piſces cum bonis incluſos, vſque ad tempus meſſis aut ventilationis aut littoris toleramus, ne propter illos eradicemus & triticum: aut grana nuda ante tempus de area ſeparata, non in horreum mittenda purgemus, ſed volatilibus colligenda proiiciamus: aut diruptis per Schiſmata retibus, dum quaſi malos piſces cauemus, in mare pernitioſæ libertatis exeamus. Propter hoc enim his atque aliis ſimilitudinibus Dominus ſeruorum ſuorum tolerantiam confirmauit, ne dum ſe boni putant malorum permixtione culpari, per humanas & temerarias diſſenſiones aut paruulos perdant, aut paruuli pereant. Quod vſque adeò cœleſtis magiſter cauendum præmonuit,* vt etiam de præpoſitis malis plebem ſecuram faceret, ne propter illos doctrinæ ſalutaris cathedra

**Matth.13. Cur mali in Eccleſia tolerentur.*

**Matth.23. Non deſerẽda Eccleſia ob præpoſitos malos.*

deſereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim ſua ſunt quæ dicunt, ſed Dei, qui in cathedra vnitatis doctrinam poſuit veritatis. *Et paulò pòſt.* Ecce Scripturæ cōmunes, ecce vbi nouimus Chriſtum, ecce vbi nouimus Eccleſiam. Si Chriſtum ipſum tenetis, ipſam Eccleſiā quare non tenetis? Si in ipſum Chriſtum quem legitis & non videtis, tamen propter veritatem Scripturarum creditis, quare Eccleſiam negatis, quam & legitis & videtis? Hæc vobis dicendo, & ad hoc bonum pacis & vnitatis & caritatis vos compellendo, inimici vobis facti ſumus, & mandatis, quia occidetis nos, qui veritatem vobis dicimus, & in errore vos perire, quantum poſſumus, non permittimus. Vindicet nos Deus de vobis, vt ipſum errorem veſtrum in vobis occidat, & nobiſcum de veritate gaudeatis, Amē. *Tom. 2. Epiſt. 166. ad Donatiſtas, in fine.*

*Si ſectarij Chriſtū haberēt & crederēt, Eccleſiam nō negarent, nec deſererent.*

*Inuiſa eſt hæreticis vox corripiētis, ſicut & Iudæis fuit.*

Scripturarum à nobis tenetur veritas cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas, vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat. *Tom. VII. contra Creſconium Grammat. lib. I. cap. XXIII.*

# INDEX RERVM ET SENTENTIARVM

*QVAE IN HISCE QVATVOR Præcedentibus libris ex Auguſtino collectis continentur: a, priorem paginam foliorum: b, poſteriorem indicat.*

## A.

*Aaron.*

Sublato ſacrificio & ſacerdotio Aaronis, & ſuccedente ſacerdotio ſecundùm ordinē Melchiſedech, vbique offertur quod Melchiſedech protulit. 336.b. & 337.a b.

*Abraham.*

Abraham quomodo ſine operibus ſecundùm Paulum, & ex operibus ſecundùm Iacobum ſit iuſtificatus. 204.a. 252.b.

Abrahæ nec obedientia ſine fide nec fides ſine obedientia profuiſſet. 253.a.b.

Abraham cùm adhuc in lymbo eſſet, ſciuit quæ apud viuos gererentur. 404.a.b.

*Abrenunciatio.*

Baptizandi abrenunciare iubentur Satanæ, pompis & angelis eius. 77.b. 308.b.

Quæ ſint pompæ Diaboli, quibus renunciandum eſt in Baptiſmo. 308.b. 309.a.

Vniuerſo huic mundo corporeo, incorporea anima renunciare in myſteriis iubetur. 309 a.

*Abſolutio.*

Poteſtas abſoluendi cōceſſa Sacerdotibus. 355.b.

A Dei miniſtro ſolui debet peccator, ſicut ab Apoſtolis ſolutus eſt Lazarus. 355.b. 356.a.

Quando ſoluitur? à quibus ſoluitur? quæ ſolueritis (inquit) in terra erunt ſoluta & in cœlo. 356.a.b.

Eccleſiæ clauibus quicquid ſoluitur, etiam in cœlo ſolutum eſſe promittitur. 356.b.

*Vide* Claues & Cōfeſsio.

*Abſtinentia.*

Abſtinentia à carnibus & quibuſdam terræ fructibus olim vſitata. 445.b.

Qui cupiũt Domino abſque impedimento ſeruire, coniugia non appetunt, & à carnibus ac vino abſtinent. 449.b.

Auguſtini in cibis abſtinentia. 445.a.

probat Auguſtinus abſtinentiam & delectum ciborum qui fit coërcendæ libidinis cauſa. 449.a.

Credere abſtinentibus à vino vel à carnibus nihil meriti ac-

cedere, non Chriſtiani ſed Ioviniani eſt. 444.b

*Vide* Ciborum delectus.

*Acolythus.*

Acolythi ordinatio. 363.b

*Acta Apoſtolorum.*

Acta Apoſtolorũ, contra Manichæos, Canonicum eſſe librũ probat, quia illum Eccleſia, ab ipſo Chriſto inchoata & per Apoſtolos prouecta, certa ſucceſsionum ſerie vſque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum & conſeruatum agnoſcit atque conſeruat. 56.a.

Actibus Apoſtolorũ neceſſe eſt me credere, ſi credo Euangelio: quoniã vtranque Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendat auctoritas. Ibidẽ.

*Adam.*

Adam ante peccatũ de ligno vitæ ſtabilitatem habebat contra vetuſtatem 134 b.

Bona velle poterat, & quæ voluiſſet efficere. 166 a.

Habebat liberum arbitrium integrũ agẽdi quæ volebat. ibidẽ

Relictus erat in manu cõſilij ſui, hoc eſt, in poſsibilitate liberi arbitrij. 135.a.

Potuit libero arbitrio peccare & non peccare 166.a.

Non patiebatur in paradiſo pugnã carnis & ſpiritus. 137 a.

Voluntate peccauit, non neceſſitate. 219 b.

Si neceſsitate malo angelo conſenſiſſet, nõ peccaſſet. Ibidem.

Si non peccaſſet, neque corporis neque animæ mortem incurriſſet. 134.a.& b.

In corpus ſpiritale mutãdus erat 134.b. non expoliandus carne, ſed ſuperueſtiẽdus immortalitate, neque vlla ſenectute grauandus. Ibidem

Adamo ad iuſtitiam retinendam non ſufficiebat liberum arbitrium. 16[illegible] a.

Adam vigorem arbitrij per peccatum perdidit, nõ tamen electionem. 196.b.& 197.a.

Per peccatum eſt gratia nudatus. 132.b. pudicitia, continentia, charitate, immortalitate priuatus 136.b in anima mortuus. 133 a. Diabolo captiuus. ibidẽ. qui futurus erat carne ſpiritalis, factus eſt mente carnalis. 135.a.

Gratiam, qua corpus eius omni ex parte animæ obediebat, amiſit. 133 b.

Pro libertate duram meruit ſub Diabolo ſeruitutem. 135.a.

Et exẽplũ factus, volũtate peccãtibus, & origo peccati. 146.b.

Non opera aut iuſsione ſed permiſsione diuina traditus in ſeruitutem Diaboli. 135.b.

Imaginẽ Dei nõ omnino perdidit, ſed tãtũ deformauit. 133.b.

A ligno vitæ quare fuerit ſeparandus. 134.a.

Adam & Euæ quomodo oculi aperti poſt peccatũ. 149.b. 377.a.

Qualiter Adam nõ omnino deſertus à creatore. 135 b.

Adam apud inferos à Chriſto ſolutus. 135.a.

*Adæ peccatum quoad poſteros.*

Adæ peccatum multiplex. 142.b. non fuiſſe illud paruum aut leue, 138.a.



Ex Adæ peccato, quæ incõmoda ſecuta. 137.a.b. & quanti mali fuerit cauſa. 138.b.

Adæ peccato oẽs homines obſtricti. 142 a.b. idque non imitatione, ſed propagatione peccati. 143.a.b 144.a.b. 145 & ſeq.

Adæ peccato humana natura in deterius mutata. 138.a. naturalis innocentia perdita. 136.b.

Quod fuit in Adam culpæ, nobis factũ eſt iam naturæ. 297.a

Adæ peccato non tantũ pœnam, ſed & peccatũ in omne genus humanũ trãſmiſſũ eſſe. 136.a.

Adæ peccatũ quomodo iuſtè poſteris eius omnibus imputetur. 146.b. 147 a.b.

Per peccatum Adę liberum arbitrium non periiſſe de hominum natura. 158.b.

*Vide infrà*, Peccatũ originale.

*Adorare.*

Adoramus carnem Chriſti in myſteriis. 319.a.b

Adorant diuites ſimul & pauperes carnem Chriſti, quando illam manducant. 319.b.

Adorare carnem Chriſti nolẽs, peccat. 319.a.

Adorationis honor, etiã hominibus à viris ſãctis tribut⁹. 414.b

Petrũ prouolutis genibus adorat gentiũ multitudo. 414.a.

Quare Angelus in Apocalypſi noluerit adorari. 418.a.

De Pauli & Barnabę adoratione. 418.b.

*Adulterium.*

Adulterium vnde dictũ. 391.a.

Adulterium habet lethalem culpam. 391.b.

Adulterij reus eſt, & qui dimiſſa adultera, & qui dimiſſa nõ adultera, alteram ducit. 385.a.

Propter adulterium dimiſſo cõiuge, manet vinculũ vſque ad alterius mortem 385.b

Cum adultera diuortiũ facere licet: ducere alteram illa viuente non licet. 383.a.

*Africani Epiſcopi.*

Africanorum Epiſcoporũ ſynodus in Mauritania iuſſu Pontificis Romani coacta. 90.a.b.

De Africanorum Epiſcoporum cauſis iudicat Pontifex Romanus. 87.a.

Africani Epiſcopi, Innocentij Papę paſtoralẽ diligẽtiã aduerſus Pelagianos implorãt. 85 b

*Agapes.*

Agapes ex carnib⁹ etiã fiebãt, & pauperib⁹ diſtribuebãtur 315 a

*Altare.*

Ad altare aſsiſtunt antiſtites. 488 b. clara voce deprecãtur. 487 a ſacriſicia celebrant. 494.a.

Altaris dedicatio. ibidem. Altare lapideum benedictione vel vnctione conſecratũ. Ibidem.

Altaria non niſi lapidea, chriſmatis vnctione cõſecrãda. Ibidẽ.

Super altare corpus Domini offertur. 432.a.

In altari pro peccatorib⁹ Chriſti ſanguis effunditur. Ibidem.

Altaris ſacramenta à ieiunis celebranda, & quare. 345 a.b.

Altaria olim in locis vbi ſanctorum corpora iacebant ſuper exſtructa. 340.a.b.414 b.

In altaribus ſacrificatur Deo. 340.a.b. 432.a.

Altaria crucis charactere conſecrantur. 282 a.

*Ambroſius.*

Dęmones ab Ambroſio adhuc viuente, & aliud agente veniã petebant. 423.a.

Ambroſij laus. 99.a.
Ambroſij cœlibatus. 466.b.

*Anabaptiſmus.*

Hæreticos non rebaptizandos Apoſtolica docet traditio. 76.a
Rebaptizare hæreticum peccatum: rebaptizare Catholicum, immaniſsimũ ſcelus eſt. 291.a.
Anabaptiſmus quare non admittendus. 291.b.
Anabaptiſmus, Nouatianorum, Donatiſtarum, & Arrianorum proprius. 291.b. Donatiſtarum. 351.b.
Anabaptiſmus ab Apoſtolo dãnatus. 299 a
In rebaptizandis hæreticis errauit Cyprianus, dum aduerſus Apoſtolicam traditionẽ, quaſi ſcripturarũ teſtimoniis ſuffultus niteretur. 92.b.
Cyprianus errorem fortè correxit. 107.a.

*Anachoreta.*

Anachoretarum laus, continentia, temperantia. 472.b.
Eorum vita ſolitaria defenditur. Ibidem.

*Angeli.*

Angelos inuocabat Iob. 415.b.
Angelorum matutina cognitio. 412.a.
Angeli Deo preces noſtras offerunt. Ibidem
Angelus Raphaël preces Tobiæ & Saræ obtulit Deo. Ibidem
Cùm exaudiunt nos Angeli, ipſe Deus in eis nos exaudit. 410.b.
Angeli cuſtodes noſtri vota noſtra offerunt Deo. 412.b.
Sine difficultate nos adiuuant Angeli. Ibidem.
Ad capiendũ lumen Dei, ab Angelis mens adjuuatur humana. Ibidem.
Angeli ſubueniũt miſeris, & periclitantibus opitulãtur. 413.a.
Angelorum erga homines officia multa. Ibidem.
Triplex cauſa quare Angeli tam ſedulam noſtri curam gerant. 412.a.

*Anima.*

Quod eſt anima in corpore, hoc eſt Spiritus ſanctus in Eccleſia. 40.a.
Animæ liberum habent volũtatis arbitrium. 157.a. 162.a.
Anima rationalis, ab irrationali bruto, libero differt arbitrio. 158.a.
Anima liberum habens arbitriũ, qua lege cæteris creaturis præpoſita ſit. 161.a.
Anima in peccatum propria voluntate collapſa, Chriſto mediatore indiget. 148.a.
Anima accipere vel habere non poteſt dona Dei, niſi conſentiendo. 198.a.
Animæ ſine Baptiſmo diſcedẽtes ex hac vita, dãnantur. 286 a.
Peccatorũ animæ in inferno poſitæ exſpectãt reſurrectionem ſui corporis. 405.b.
Animæ ſtatim vt de corporibus exierint, iudicantur. 392.b.
Habent animæ mortuorum ante vltimã reſurrectionẽ, vel gaudiũ vel tormenta, quæ vtraque poſt reſurrectionem maiora erunt. 393 a b.
Animę bonæ poſt migrationẽ ex hoc ſeculo, gaudiũ habent, malæ tormenta. 407 b.
Animas defunctorũ, Martyrum meritis iuuari. 403.a.
Animæ defunctorũ quæ gerãtur apud viuos, cognoſcere poſſũt quatuor modis. 404 a.
Poſt mortẽ incipit requies animæ nũquã interrũpẽda. 406.a.
Animæ Sanctorũ exeũtes de corpore, ad Chriſtũ vadũt. 405 b.
Animæ in hoc ſeculo purgatæ, à Chriſto recipiuntur, & cum eo eſſe credendæ ſunt. 407 b.
Animæ piorum defunctorum, in Deo ſunt Ibidem
Iuſtorũ animæ, ante reſurrectionem viuunt cũ Deo in ſecreto Patris, quò poſt paſsionem reſurgens aſſumptus eſt Dominus. 409.a.
Animæ ſanctorũ Martyrũ etiam nũc regnant cũ Chriſto. 405 b. & ſequ.
Animarũ beatitudo nõ omnino perfecta, donec cõiungãtur iterum ſuis corporibus. 406 a.

*Antichriſtus.*

Antichriſtus ex tribu Dan. 502.a
Antichriſtus ex copulatione patris & matris, ſicut cæteri homines. Ibidem.
Antichriſtus filius perditionis, in quo erunt oẽs theſauri malitiæ & iniquitatis abſconditi 501 a.
Antichriſtus ἄνθεος quiſpiam cũctas religiones ſuę ſubiiciẽs poteſtati. Ibidem.
Antichriſtus à Iudæis ſuſcipiendus. 501.b.
Antichriſtus reſtaurabit templũ Salomonis 506.a.
Antichriſtus ſeſſurus in templo Hieroſolymis, deinceps verò & in Eccleſia. 504 a.
Antichriſtus reges oẽs ſuperaturus traditur, & ſolus regnũ obtenturus. 502.b.
Tempus Antichriſti venturi incertum. 503.a.
Non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Chriſtus, niſi prius venerit ad ſeducẽdos in anima mortuos aduerſarius Antichriſtus. 504 b.
Circa extremum iudicium venturus eſt. 503 a.
Signa vẽturi Antichriſti Ibidẽ b
Antichriſti perſecutionẽ, nouiſſimo imminente iudicio, ſancta Eccleſia toto orbe patietur. 506.a b.
Antichriſti perſecutio durabit per tempus & tempora & dimidium temporis, dies mille ducentos nonaginta. 507 a.
Tribus annis & ſex menſibus, legitur totis viribus Antichriſtus ſæuiturus: & tamen tales erunt, cum quibus ei belligerãdũ eſt, vt vinci tãto eius impetu inſidiiſque non poſsint. Ibidem.
Antichriſtus non præualebit aduerſus Eccleſiam. 508.a b.
Antichriſti tempore, paruuli nihilominus & adulti nõnulli, ad Eccleſiam per Baptiſmum acceſſuri. 508.b.
Antichriſtus cum Simone mago comparatur. 503.a.
Nero typus Antichriſti. 503 a.
Ad Antichriſtũ pertinẽt oẽs, qui exeunt de Eccleſia. 504 b.
Antichriſti hæretici, temporibus Apoſtolorum à Simone mago eſſe cœperunt. 116.a.b.

*Antonius.*

Vita ſancti Antonij quàm ſit lectu vtilis. 479 a.

*Apocalypſis.*

Apocalypſeos liber, Ioannis eſt & canonicus. 64 a.

*Apoſtata.*

Apoſtatæ, canes reuerſi ad vomitum. 482 b.
Apoſtatæ, inſtar vxoris Loth in ſtatuam ſalis verſi, cæteros ſua infœlicitate condiunt. 476. a.

*Apoſtoli.*

Apoſtoli baptizati credũtur, etſi ſcriptum non legitur. 78. a.
Apoſtoli circũducebãt mulieres ſorores, exẽplo Chriſti. 470 a.
Apoſtoli potuerunt etiam peccare. 218. a.
Apoſtoli votum paupertatis fecerunt. 471 b.
Apoſtoli cur omnium gentium locuti ſunt linguis. 39 b.
Apoſtoli præcipiebant quæ fierent, & corripiebant ſi non fierent. 370 a
Apoſtoli ſinguli ſingulos tradiderũt Symboli articulos. 76 b.
Apoſtolis Epiſcopi ſuccedunt. 368. a.

*Apoſtolica.*

Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, cõtra hæreſim de ſola fide iuſtificãte, potiſsimum ſcriptæ. 200 a.
Apoſtolicæ cathedræ principatus ſemper viguit in Eccleſia Romana 85 a.
Apoſtolica cathedra. 83. b.
Apoſtolica traditio fons eſt, vnde ad noſtra tempora deriuãdi canales. 73. a.

*Arca.*

Vbi arca Teſtamenti, ibi ſacratior & cõmendatior Dei præſentia. 495 b.

*Artes liberales.*

Artes liberales vtiles ad tractandas & intelligẽdas melius ſcripturas. 70 71 72.

*Aquarij.*

Aquarij hęretici qui ſola aqua in ſacrificio vtebantur. 343. b.

*Auguſtinus.*

Auguſtinũ quid in Eccleſia Catholica teneat. 84 b.
Auguſtinus Catholicam fidem profitetur. 182.
Auguſtini aurea de Patrum auctoritate vox: quod credunt credo, quod tenent teneo, diquod docẽt doceo, quod prædicant prædico. 105. b.
Auguſtinus cõſenſione Patrũ ab errore Cypriani reuocatꝰ. 106. a
Auguſtinus iudiciũ præcedẽtiũ Patrum ſecutus, ſententiã mutauit in ſcripturę cuiuſdam interpretatione. 105. a.
Auguſtinus ſua ſcripta examinãda atque emendanda, Romano Pontifici ſubdit. 90. a. b.
Auguſtinus clamat falsò ſibi imponi, quaſi cũ Manichæis liberũ negarit arbitrium. 157. b.
Profitetur liberũ arbitriũ ad cogitandum aliquid vel agendũ, etiam ſecundũ Deum, etſi non ſine gratia. 175 b. 176. a.
Auguſtinus ſententiam, quam de non cogendis ad ſaniorẽ mentem hæreticis habuit, retractat. 126. b.
Auguſtinus à B. Ambroſio lauacrũ regenerationis accepit. 99. a.
Auguſtinus adhuc catechumenꝰ nihil tã ſibi fugiendũ eſſe decreuit quàm vxorẽ, quod votum Chriſtianus poſtea fideliter impleuit. 469 b.
Auguſtinus quantopere vitarit conſortiũ fœminarũ. 467 a. b.
Auguſtinus Presbyter ac deinceps Epiſcopꝰ factꝰ. 267. b. 474. b
Auguſtini menſa qualis. 445. a.
Auguſtinus Monachorum inſtitutor. 75 a b.
Auguſtini ſoror vidua monialis. 467 a.
Auguſtini monaſterium. 475. a.
Auguſtinus cuculla nigra indutus & cingulo coriaceo præcinctus. Ibidem.
Auguſtinus, iam Epiſcopus factus clericos inſtituit, qui ad exemplar Apoſtolorum nihil poſsiderent propriũ. 475. a b
Auguſtinus inuocat ſanctos. 416. a. Beatam virginem. Ibidem. beatum Cyprianum. 416. b
Auguſtinus ꝑ defuncta ſua matre Dominũ deprecatur. 401. b. & ſacrificium celebrari curat. 341. a. precatur etiam lectores, vt ad altare pro defunctis parentibus ſuis orent. 341. b
Pro Auguſtino iã defuncto Miſſæ ſacrificium oblatum. 341. a

B.

*Baptiſmus.*

Baptiſmum Chriſti omnibus eſſe neceſſarium ad ſalutem. 285. b. 286. a
Baptiſmus ſanguinis etiã ſaluat. ibidem
Latro ſine Baptiſmo ſaluatus in cruce. 302. b
Baptiſmus Chriſti quare per mare rubrum præfiguratus. 277. a
Baptiſmi forma. 293. a
Baptiſmus Sacramentum natiuitatis. 286. a
Baptiſmus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti conferri debet, vt ſit Baptiſmus Chriſti. 286. b. inſeparabiliter manet in baptizato. 290. a. nec eſt in vllo iterandus. 291. a. b
Baptiſmi ſacramentũ iterare cur ſit nefas. ibidem
Quid Baptiſmus valeat, declarant ea, quæ in Baptiſmo Chriſti apparuerunt. 285. a
Abluit omnia prorſus peccata. 282. b. nec ſolùm peccata, ſed omnia prorſus hominum vitia & mala. 192 a. 283. a
Per Baptiſmum morimur peccato. 282. b. 283. a
Per eundem innouamur, liberamur, ſaluamur, non autem quaſi innouamur, quaſi liberamur, quaſi ſaluamur. 283. b
Per Baptiſmum vniuerſus peccatorum reatus ſoluitur. ibid.
Nihil peccati remanet quod nõ remittatur. 283. a
Ipſa etiam vitioſa deſideria purgantur. 283. a
Baptiſmus perfectè innouat hominem, ab omnibus omnino peccatis. 151. b. aufert crimina, non radic. ibidem. confert remiſsionem peccatorũ æqualiter omnibus. 298. a. b
Baptizatis cur dicatur: Mortificate mẽbra veſtra: Et, Exuite veterem hominem. 212 b
In Baptiſmo accipitur perfecta ſanitas ab iis malis quibus eramus rei. 150. b
Baptizatus omni peccato caret, non omni malo. 151. a
Deletis per Baptiſmum peccatis omnibus, reſtat tamẽ cum carne conflictus. ibidẽ
Baptiſmi gratia nõ in ſola peccatorũ remiſsiõe cõſiſtit. 298. b
Baptizati in Eccleſia accipiunt Spiritũ ſanctũ. 285. a. extra Eccleſiam non accipiunt. 292. b 293 a

Xxx iiij

Per Baptiſmum reconciliamur Deo, vt in illo viui, vt ſalui, vt liberati, vt redempti, vt illuminati ſiamus. 295.a. & ſecundùm rationalem mentẽ innouamur. 207.a
Baptizatis iuſtitia confertur quã Adam perdidit. 207.b
Baptiſmum ſequi debet renouatio hominis interioris de die in diem. 210.a. b. 211.a
In Baptiſmo plena peccatorum remiſsio fit, non tamen plena hominis innouatio. 211 a
Per Baptiſmum vita æterna non acquiritur, ſi poſt baptiſmum malè viuatur. 287 b
Non ſolã fidem à baptizãdis requiri. 347.b
In Baptiſmo quænã à Chriſtiano profeſsio inchoëtur. 308.b
Baptiſmo coniũgendã eſſe iuſtitiã & bonos mores. 287.b
Præter Baptiſmũ, requiri in adultis pœnitentiã & fidẽ. 286.a
Baptizatos poſſe amittere gratiam, quã in baptiſmate acceperunt. 287.a
Baptiſmi gratiã non amitti niſi propria voluntate quis peccet. 350.a
Baptiſmus non eſt melior qui per meliorẽ datur, neque malus qui per malũ datur. 280.b. nec pendet à merito baptizantis. ibidẽ & 281 a
Baptiſmus Chriſti verbis Euangelicis cõſecratus, & per adulteros & in adulteris ſanctus eſt. 282 b
Baptiſmi aquã mundat & ſanctificat etiam homicida, 310 a
Apoſtata Baptiſmũ non amittit, ac proinde rebaptizari non poteſt. 290.a
Hæretici redeuntes ad Eccleſiã non rebaptizãdi. 290.b.291.a
Baptiſmus hæreticorum, verus etiam baptiſmus eſt. 50 a. verũ & integrum Sacramentum. 288.b 289.a b
Qua fide imbutus ſit qui baptizatur, quantum ad Sacramenti quæſtionẽ, nihil intereſt. 289.a
Hæretici baptiſmũ nobiſcũ habere poſſunt, gratiã non poſſunt. 277.b
Baptiſmus hæreticorũ, Eccleſiæ Catholicæ baptiſmꝰ eſt. 289.b
Valet apud hæreticos ad conſecrationẽ, non ad vitæ æternæ participationem. 290 b
Baptizati ab hæreticis cur non rebaptizẽtur, cùm à Ioãne baptizati rebaptizati legãtur. 294 a
Baptiſmũ in hæreticis non iterãdum, ex Apoſtolica traditione credit Eccleſia. 76.a
Nec ſalutẽ baptiſmus cõfert extra Eccleſiã. 46. b. nec peccatorũ remiſsionẽ. 292.a.b. 293.a
Separato ab Eccleſia ineſt ad iudicium. 293 a
Extra Eccleſiã baptiſmum eſſe, nec quicquã tamen ad ſalutem hominis prodeſſe, à Paradiſo ducta ſimilitudine, declaratur. 292 a
Baptiſmũ in neceſsitate, etiam à laico dari. 291.a. extra neceſsitatem id non niſi illicitè fieri. Ibidem.
*Vide* Paruuli, & Anabaptiſmus.

*Baptiſmi character.*

*Vide infrà* Character.

*Baptiſmus paruulorum.*

Baptiſmus etiam paruulis neceſſarius. 296.b. 297.a
Baptiſmus paruulorũ ex Apoſtolica venit traditione. 76.a
Baptiſmus prodeſt paruulis, non tã ob geſtantium quàm totius Eccleſiæ fidem. 302 a
Baptiſmum paruulorũ vniuerſa frequentat Eccleſia. 300.a
Baptiſmus prodeſt paruulis ex opere operato. 302.a.b

*Baptiſmus Ioanis.*

Baptiſmus Ioãnis prænunciabat Baptiſmum Chriſti. 275. b & ſicut veteris legis Sacramenta, præfiguratorio fungebatur officio. 293 b. parabat viam baptiſmo Domini. 294.a
Baptiſmus Ioannis non erat baptiſmꝰ chriſti. 293 a. b. nec neceſſarius ad ſalutẽ. 294.b
Baptiſmus Ioannis fuit in aqua tantùm, Baptiſmus Chriſti in aqua & ſpiritu ſancto. 293 b
Baptizatis ab Ioanne, etiã Chriſti Baptiſmus fuit neceſſarius. 293 a.b
Baptiſmus Ioãnis, baptiſmus hominis, baptiſmus Chriſti, baptiſmus Dei. 293 b
Non renaſcebantur qui Ioannis baptiſmate baptizabãtur. ibi.
Baptizauit Ioãnes in aqua pœnitentiæ, in remiſsionem peccatorum, vt in ſpe remitterentur peccata, reipſa verò in Domini baptiſmo id fieret. 294 a
Baptiſmus Chriſti, baptiſmo Ioãnis finem impoſuit. ibidem.

*Baptiſmi cærimoniæ.*

Baptiſmi fons benedicitur adhibito oleo vnctionis. 77. b. & cruce ſignatur. 282.a
Baptizandi ter inunguntur oleo. 308. a. ſputo & luto linuntur. 307.b
In Baptiſmo trina merſio quid ſignificet. 309.b
Baptizatorum ſuſceptores quid præſtare debeãt ſuſceptis. ibi.
*Vide* Abrenunciatio, & Catechumeni.

*Baſilicæ.*

Baſilicæ, martyrum nominibus appellatæ. 423 a
Conſecratio Baſilicarũ. 493.b. 494 a
Baſilicæ ſigno crucis dedicantur. 490 a
Martyrum reliquiæ honorãt Baſilicas. 493.b
Barbari hoſtes, honorẽ habuerũt Baſilicæ Petri & Pauli. 494.b

*Benedictio.*

Benedictio Epiſcoporum. 492 a
Benedictio populi in Miſſa. 343.a
Benedictionẽ accipiens panis, fit corpus Chriſti. 325.a
Primitiæ, mel & lac propriã habent benedictionẽ, vt à Sacramẽto Dominici corporis diſtinguantur. 343.b

C.

*Calix.*

Quare vinum in calice aqua miſcendum ſit. 343.a
Vinum aqua in calice miſceri, exemplo Chriſti, & Dominica traditione. ibidẽ

*Cantus.*

Ad cantus Ecleſiæ lachrymas fudit Auguſtinus. 487.a
*Vide* Hymni, & Pſalmi.

*Caritas.*

Caritas cæteris Spiritus ſancti donis præferenda. 187 b
Caritas ſola diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. 174.a. 247.b

Caritatẽ Dei non habet, qui Eccleſiæ nõ diligit vnitatẽ. 311.b
Caritas inchoata, inchoata iuſtitia eſt, caritas prouecta, ꝓuecta iuſtitia eſt, caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt. 207.b
Caritas diffuſa in corde credentis, & veterẽ implens legem, lex eſt fidei, & lex Chriſti. 207.b. 248.b
Chriſti ſarcina caritati leuis eſt. 250.b. 251.a
Caritate iuſtus eſt, quicũque iuſtus eſt. 208.a. 262.a
Caritas, veriſsima, pleniſsima, perfectiſsimáq; iuſtitia. 208.a
Caritas, vtriuſque teſtamẽti ſcopus. 243.b. 244.a.b
Caritas plenitudo legis, quia legis cõſummatio atque perfectio eſt. 246.b
Decedente fide & ſpe, nihilominus augebitur caritas in futura vita. 185.b
Caritas, Euangelica margarita. 247.b
Per caritatẽ cõmune fit omnibus, quod habent ſinguli. 270.a

### *Caro.*

Caro chriſti ex Maria ſumpta in Euchariſtia adoranda. 319 a
Si caro vera non eſſet in Euchariſtia, nihil magnum dixiſſet Chriſtus, Caro mea verè eſt cibus. 324.b
Caro Chriſti quare adoranda. 31.b.32.a

### *Carnis inobedientia.*

Carnis inobedientia, reciproca pœna inobediẽtię. 132.b.149 a
Indecentem carnis motũ, niſi homines peccaſſent, nuptiæ non haberent. 376.b
Carnalem ſe eſſe quomodo dicat Apoſtolus. 211.b

### *Caſtitas.*

Vt ſeruetur caſtitas, & Dei donũ eſt & liberũ arbitriũ. 454 b
Per vniuerſa monaſteria monachorum, & per clericos, vel etiam laicos multos, caſtitas olim ſeruata. 466.b
Redarguuntur qui caſtitatẽ cauſãtur eſſe impoſsibilẽ. 455.a b
Caſtitatem vouẽtium dux & adiutor Deus. 454.b
Poſt votum caſtitatis, malum eſt appetere nuptias. 460.b
Qui poſt caſtitatis votum, vxorem duxerit, damnatur, quia reſpexit retro. 460.b. 455 b. 456.a.b
Sacrilegus eſt eorũ carnalis congreſſus, qui caſtitatẽ ſuã Deo conſecrarunt. 455.a
Caſtitatẽ vel paupertatẽ vouentium gradus meliores. 454.b
*Vide* Continentia, Virginitas, & Cœlibatus.

### *Catechiſmus.*

Catechiſmus baptizãdorũ ex traditiõe, & qualis eſſe debeat. 78.b
Qualiter catechizãdus adultus. 305 b 306.b

### *Catechumenus.*

Catechumeni antequã baptizentur nõ tantùm de quæſtionibus fidei, ſed & de bonis moribus inſtruendi ſunt. 304 a.b
Catechumenos ſimul cũ ſymbolo diſceſsionẽ à peccatis profiteri debere. 304.b. inũgi ante Baptiſmũ. 307.b. ſputo & luto liniri. Ibid. Sanctificari per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis. 315.a
Catechumenis non ſufficit ad ſalutem inunctio vel ſanctificatio, ſi non conſequatur Baptiſmus. 307.b.308 285.b
Catechumenis non licet Euchariſtiam ſumere. 315.a. aut intueri. Ibid. Sanctum panem olim accipiebant. ibidem
Catechumenus ſignat ſe cruce Chriſti, portat in frõte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui. 325.a
Neſciunt catechumeni quid in Euchariſtiæ ſacramento accipiant Chriſtiani. ibidem
Catechumenis quare occultẽtur fideliũ Sacramenta. Ibidem
Catechumenus audiẽs eſt & ſurdus, quãdo legitur, Caro mea verè eſt cibus. 325.b. non mãducat carnẽ Domini. 325.a.b

### *Cathedra.*

Cathedræ Apoſtolicæ principatus in Romana ſemper viguit Eccleſia. 85 a
Cathedra Apoſtolica in qua Petrus ſedit, Cathedra Romana. 83.b
Cathedræ Apoſtolicæ iudicium audit & ſequitur Imperator. 128.b.129.a
Cathedræ Apoſtolicæ non eſt facienda iniuria, propter homines, qui in ea ſedent. 527.a.b
Cathedræ S.Petri ſolẽnitas. 81.a

### *Catholica.*

Catholicæ etymologia. 41.a. 43.a.b. 44.a
Catholicæ nomẽ ab Eccleſia Catholica tolli non poteſt. 42.a
Catholicam Eccleſiã ne hæretici quidem aliter quàm Catholicam vocant. 42.a
In ſola Catholica Eccleſia per manus impoſitionem datur Spiritus ſanctus. 311 b
*Vide* Eccleſia.

### *Catholica fides.*

Catholicæ fidei ſumma. 180.a
Fides vera, fides Catholica. 182.a
Catholicæ fidei præſtãtia & virtus. ** a.
Chriſtianam fidem non reperiri extra Catholicam diſciplinã. 182.a b
Catholicam fidẽ profitetur Auguſtinus & per illam ad coronã ſe venturũ confidit. 182.b
Laudabiles mores ſine recta & Catholica fide neminem ſaluant. ** b.& *** a
Catholica interpretatio ſequẽda in Scripturis. 70.a
Catholicæ diſciplinæ via, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos, ad nos vſque dimanauit, tenenda eſt. 525.a
Catholica doctrina ex Patrũ traditione ad nos venit. 102.a

### *Cærei.*

Cæreorum & luminariũ vſus in Eccleſia, tempore Auguſtini. 363.b

### *Cærimoniæ.*

Signa & externæ cærimoniæ cõferunt ad ſalutem hominis. 485.b 486.a
In ſignis viſibilibus res inuiſibiles honorandæ. 486 a
Cærimonialia legis abrogata, non morum præcepta. 242.a

### *Character.*

Character Sacramẽtalis. 279.a b Habetur ab Eccleſiæ deſertore, ſine caritate 290.b. ad damnationem ſuam. 290.b
Character Dominicus in quibuſuis baptizatis agnoſcendus. 290.b

Character Dominicus extra Domini gregem habetur ab hæreticis. 290. b. ad iiſdem imprimitur. 279. b. etiam apud hæreticos impreſſus, manet indelebilis. 279.a.290.a.
Characterem Apoſtatæ nõ amittunt. Ibidem.
Character Sacramentorum, cum notis militaribus comparatur. 279.a.

*Chriſma.*

Chriſmatis ſacramentum, in genere viſibilium Sacramentorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus. 310.a.
Chriſma & oleum benedictionis accipiunt baptizãdi, vt iam nõ vaſa vacua, ſed Deo plena, & templum Dei eſſe mereantur. 308.a.
Chriſmatis ſacramentum poteſt eſſe in bonis & in malis, inuiſibilis vnctio charitatis non niſi in bonis. 310.a.
Chriſma cõficere ſolius Epiſcopi eſt. 369.a.
Chriſmatis viſibili oleo, inuiſibilis & ſpiritualis vnctio ſignificatur. 311.a.
Chriſmatis oleum ſanctificatur etiam verbis Epiſcopi mali. 312.a.

*Chriſtus.*

In Chriſto tria ſunt, verbum, anima & caro. 24.a.b.25.a.b 26.a.
Idiomata diuina cõueniunt Chriſto ſecundùm diuinitatem, humana ſecũdùm humanitatem. 26.b.
Chriſtus mediator, omni homini neceſſarius. 148.a.b.191.a. 152.a.
Humana diuinitas & diuina humanitas Chriſti, mediatrix. 29.a.
Chriſtus ſecundùm humanam naturam nõ eſt vbique. 27.a. 35.a.b.
Chriſtus ex carne B. virginis carnem ſuam accepit 24.b.27.b. 28.a.32.a.
Chriſti caro qua ratione adoranda. 32.a.
Idem Chriſtus in Euangelio aliquando res agit humanas, aliquando diuinas. 26.b.
Chriſtus verè & non putatiuè paſſus eſuriem, ſitim &c. ſecundùm humanitatem. 33.a.
Chriſti diuinitas in cruce nihil perpeſſa. 32.b.34.a
Chriſtus non niſi pro peccatoribus mortuus. 140. b. etiam paruulis. 141.a.
Chriſtus ſecundùm animam, ante reſurrectionem apud inferos fuit. 33.a.b.33.b.
Chriſtus cur voluit baptizari. 285.a.
Chriſtus baptizatus aquas ſanctificauit. Ibidem.
Chriſtus in vltima cœna ſuis ſe manibus portauit. 315.b.
Manducatus reficit non deficit. 313.b.
Per partes manducatus manet integer in cælo, integer in corde. Ibidem.
Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo ſalubrem nobis refectionem dedit. 317.a.
Chriſtus in forma Dei ſumit ſacrificium, in forma ſerui ſacrificium eſſe voluit. 335.a.
Ex Chriſti plenitudine, gratiæ particulas pro modulo noſtro accipimus. 209.b.
In Chriſto euacuatur non vetus Teſtamentum, ſed velamen eius. 237.b.
Chriſt⁹ ampliora quædã & maiora præcepta hominibus dedit, quàm fuerant in veteri lege. 235.b.236.a.
A quibus didicimus Chriſto eſſe credendum, ab iiſdem quid ipſe velit, diſcere oportet. 70.a
Chriſtum in fundamento nulla hæreſis habet. 257.a.
Antiquorum de perſona Chriſti humana & diuina eius natura, errores. 27.a.b.

*Chriſtianus.*

Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. ** b. 53. b. 54 a.
Chriſtiani vocantur, etiam qui malè viuunt. 51 b.
Chriſtianum dici, & Chriſtiani opera non habere, nihil prodeſt. 288.b.516.a.
Chriſtian⁹ nemo ſit, abſque Chriſtiana Eccleſiæ inſtitutione & Sacramentis. 274.b.
In os Chriſtiani, Euchariſtiam ſumentis, Dominicum ingreditur corpus. 79.a.
A Chriſtianis idem corpus manducatur, in quo Chriſtus tanta paſſus eſt. 313.a.
Chriſtiani, veteris legis obſeruãt præcepta, iis exceptis, per quæ Chriſtus promittebatur. 241.b.242 a 259.a.b. & ſequ.
Cur Chriſtianis magis quàm cæteris aduerſetur Satan. 308.b.

*Ciborum delectus.*

Ante Baptiſmum catechumenis olim iniungebatur, ad plures dies abſtinere à carnibus & à vino. 445.a.
Multi vinum non bibunt, nec tamen eo ſe inquinari arbitrantur. 449.a.
Sancti Dei homines quare à vino & à carnibus ſe abſtinuerint. 465.a.
Abſtinẽtia à carnibus multis modis defenditur & approbatur. 448.b.449.a.b.
Mundis, hoc eſt, benè vtentibus, omnia munda. 447.b.
In veteri Teſtamẽto quidam cibi immundi, non natura, ſed ſignificatione. ibidem.
Qui à carne ieiunant, non ideo damnant carnem. 437.a.
Chriſtiani Catholici edomandi corporis cauſa, non ſolùm à carnibus, ſed à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinẽt, vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus ſicut per Quadrageſimam ferè omnes. 451.a.445.a.449.a.
Laudat Auguſtinus Monachos, qui non ſolùm à carnibus & à vino, ſed & ab aliis quibuſdã cibis, appetitum prouocantibus, abſtinent. 445.a.
Propter corporis caſtigationem abſtinere à cibis, doctrina eſt Apoſtolorum. 464.b.
Iouiniani hæreſis eſt, ieiunia & ciborum delectum nihil prodeſſe. 444.b.
Delectus ciborum, propter ſcandalum quoque obſeruandus. 446 a.b.
Manichæi quàm peruerſa intentione à carnibus, ouis, lacte, & vino abſtinuerint. 445.b. 446.a.
Tatiani hæretica mente non veſcebantur carnibus. 377.a.b.
Similiter & Priſcillianiſtæ. 377.b.

*Circunciſio.*

Circunciſio in veteri Teſtamento pro Baptiſmo erat. 351.a.

*Ciuitas.*

Ciuitas Dei non fert, ſibi inuicem contraria in fidei doctrina ſentientes. 109.b.

Ciuitates multę, legum imperialium timore, ex hæreticis Catholicæ factæ. 125.b.126.a.b.

*Claues.*

Claues Eccleſiæ adſoluẽdum & vindicandum. 58.a.b.

Clauiũ Eccleſiæ poteſtas & certitudo. 355.b.

Claues per antiſtites adminiſtrã tur. 359 a.

Eccleſiæ clauibus pœnitens ſoluendus, vt ſit ſolutus in cælo. 348.b.

Quàm tutum, honeſtum, & vtile ſit peccatori, Eccleſiæ clauibus ſe ſubiicere. 356.b.

*Vide* Abſolutio & Confeſſio.

*Cœlibatus.*

Cœlibatus nuptijs melior. 376.b.

Cœlibatus propriam & excellentem præ cæteris gloriam habebit in cælo. 466.b.

Si omnes ex charitate cœlibes eſſent, multo citius Dei ciuitas impleretur. 464.b.

*Vide* Continentia, & Continentia coniugalis.

*Cœlibatus Eccleſiaſticus.*

Caſtitas clericorum. 455.a.466.b

Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis prohibentur vxores. 467.a. 469.a.

Soli ex clero Lectores & Cantores habere permittuntur vxores. 469.a

Placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt. Ibidem.

Quare à Presbyteris, aliíſque Eccleſiæ miniſtris caſtitas requiratur. 468.b.

Clerici olim, etiam inuiti, ad continentiæ ſarcinam ſubeundam capiebantur. 468 a.

Continentiæ ſarcinam vſque ad finem vitæ, Deo adiuuante, clerici portabant. ibidem.

Cœlibatus Sacerdotum ex Apoſtolorum traditione eſt, & ab antiquitate ſeruatus ante tempora Auguſtini. 469.a.

Non eſt legitima vxor, quã quis ſacris ordinibus initiatus aſſumpſit. 468.a.

*Cœnobia.*

Cœnobia in vrbe Romana, tempore Auguſtini, virorum, virginum & viduarum. 433.a.b.

Cœnobitarũ laus, mores & exercitia. 472.b 473.a.b.

Cœnobitarum nemo quicquam poſsidet proprium. 473 a.

Cura cibi & potus monachorum in cœnobiis, tota penes præfectos. Ibidem.

*Concilium.*

Conciliorum plenariorum ſaluberrima in Eccleſia auctoritas. 77.a.

Eorundem auctoritate, quod antè erat dubium, remotis dubitationibus firmatur. 90.b. 91.a.

Conciliorum auctoritate firmatum eſt, æquè conferri Sacramenta extra Eccleſiam ab hæreticis, atque intra Eccleſiam à malis. 290.b.

In plenario concilio non aliqua nouitas inſtituta, ſed antiquitas roborata. 106 b.

Securæ vocis eſt aſſerere, quod vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione per concilium plenariũ roboratum eſt. 69 b.

Concilia prouincialia vniuerſalibus cedunt. 91.a.92.b.

Concilium Africanum Romani Pontificis conſenſum in rebus grauiſsimis poſtulat. 85.a.b.

Concilium Carthaginenſe & Mileuitanum, confirmari ſua decreta ab eodem Pontifice Romano petunt. 93.b.94.a.b.

Conciliorum vniuerſalium decreta reuerenter eſſe ſeruanda Auguſtinus & dixit & ſcripſit. 368.a.

*Concubina.*

Concubinam habere non licet, etiam animo ducendi eam aliquando vxorem. 382.b.

Concubinarij ad gehennã damnantur. 387.a.

*Communio Sanctorum.*

Communio ſanctorum etiã paruulis prodeſt ad ſalutem. 302.a.

Communio orationum & bonorum operum Eccleſiæ, peccatorem pœnitentem adiuuat. 271.b.358 a.

Communicantes ſumunt de corpore agni immaculati partẽ. 334.b.

*Concupiſcentia.*

Concupiſcentia ſiue inobedientia carnis aduerſus ſpiritum, effectus originalis peccati eſt. 149.a.b.150.a.

In paruulis baptizatis à reatu ſoluitur: ante agonem relinquitur mortuos, nulla damnatione proſequitur. 299.a.b

Euacuatur in Baptiſmo, non vt non ſit, ſed ne obſit. 150.a.

Dimittitur, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. 150.b.

Manet in renatis tanquam ſuperatum quid & perẽptum. 151.b

Concupiſcentia quæ in baptizatis remanet, affectio eſt quædã malæ qualitatis, ſicut languor. 150.b.

Ineſſe poteſt in renatis, nõ autem obeſſe. 152 b.155.a.b.156.a.

Nõ eſt peccatum in regeneratis quando ad illicita illi non conſentitur. 151.a. 152.a.283.b

Concupiſcentiæ motus abſque culpa eſt in corpore non conſentiẽtis, ſicut in corpore dormiẽtis. 154.b.155.a. non eſt peccatum in renatis. 151 a b.

In renatis quomodo maneat actu, & prætereat reatu. 152.b. 153.a.b.& ſequ.

Vitium eſt in renatis, iam mortuum, ſed adhuc ſepeliendum. 154.a.

Reatu ſoluto, ad agonem relinquitur 155. b.156.a b. ad ſuberbiam comprimendam. 283. b. 284.a.b.

Concupiſcẽtiæ pœna productior eſt quàm culpa, ne parua putetur culpa, ſi cum illa finiatur & pœna. 284.a.

In vſum iuſtitiæ conuertunt eam fidelium nuptiæ. 376.a.
Motus eius vel maiores vel minores ſunt, prout anima in interiori homine profecerit. 156.a.
Quotidie in proficientibus minuuntur. 150.b.151.a
Iiſdem debellandis homo fit melior, aucta bona qualitate. 212.b.
Concupiſcentia peccatum ab Apoſtolo appellatur, quia peccato facta eſt, & quia conſentientem ad peccatũ trahit, concipítque & parit peccatum. 152.a.b.154 a.
Vocatur peccatũ ſicut lingua locutio, & manus vocatur Scriptura, vel ſicut frigus pigrum dicitur, quod pigros facit. 152 a.
Diſcernitur à peccato, vt pariẽs à partu. 154.b.
Carere concupiſcentiis, certaminis præmium eſt. 155.a.

*Confeſſio.*

Nec acriores inimico dolores infligimus, quàm cùm plagas peccatorum noſtrorum, confitendo & pœnitendo ſanamus. 350.a.
In cõfeſsione exit & defluit omnis ſanies. 354 a.
Circumſtantiæ peccatorũ in cõfeſsione explicandæ. 354. a.b. & ſequ.
Confeſsio non diuidenda, ita vt partem vni, partem alteri confiteamur Sacerdoti. 354.b.
Exomologeſis ſatisfactione peccator purgandus. 357.b.
Ante mortem Deo & Sacerdoti confitenda peccata. 354.a.
Peccati occulti occultam confeſſionem Sacerdoti fieri. 359.a.
Serpens antiquus confeſsionem quare nitatur impedire. 352.b. 353.a.
Si non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis. 353.a.
Qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Ibid.
Fit per confeſsionem veniale, quod criminale erat in operatione. 353.a.
Si peccatum occultum eſt, ſufficit referre in notitiã Sacerdotis. 358.b.
Peccator pœnitentiæ & confeſſionis medicinam negligens, damnatione dignus, diuina lege cenſetur. 352.b.
Non ſoli Deo, ſed etiam ſanctis & Deum timentibus confitenda peccata. 352.b.
Pœnitentes qui peccata confitentur, per Lazarum figurãtur procedentem è ſepulchro. 353.b

*Confirmatio.*

Confirmatio manus impoſitione & Chriſmate fit. 312.a.
Confirmationis formam Dominus ante aſcenſum diſcipulis tradidit, qua baptizati accipere deberent Spiritum ſanctum. Ibidem.
*Vide* Manus impoſitio Chriſma & Vnctio.

*Coniugium.*

Sanctitas Sacramenti facit, ne diuortiũ à cõiugibus fiat. 376.b. 379.a.b.380 a.
In coniugatis fidelibus non tantùm proles & pudicitia, ſed & Sacramentum nuptiarum commendatur. 381.a.
Coniugalis actus, carnalis voluptatis cauſa, peccatum eſt. 390. b.391.a.
Coniugium, humani officij munus eſt: virginalis integritas, portio angelica. 452.a.
Coniugium Sacerdotibus prohibitum. 467.a.469 a.
*Vide* Matrimonium.

*Conſilium.*

Aliud eſt conſilium, aliud præceptum: conſilium datur vt virginitas conſeruetur, vt à vino & à carnibus abſtineatur, vt vendãtur omnia & pauperibus erogentur: præceptum verò datur vt iuſtitia cuſtodiatur. 457.a.
Conſilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam. Ibidem.

*Conſtantinus.*

Conſtantinus non auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, Pont. Romano & Epiſcopis eam commendauit. 129.a.
Conſtantinus prior contra partem Donati ſeuerisſimam legem dedit. 123.a.
Conſtantinus ſuppliciũ de Donatiſtis ſumit. 117.a.
Conſtantinum in condendis legibus aduerſus hæreticos, ſecuti ſunt cæteri deinceps Imperatores. 123 a.

*Conſuetudo.*

Conſuetudo populi Dei & inſtituta maiorum, vbi Scriptura nihil certi ſtatuit, pro lege tenenda. 77.b.439 a.
Agendi ordinem, quem in Miſſa vniuerſa ſeruat Eccleſia, ab Apoſtolo Paulo inſtitutum eſſe. 342.a b

*Continentia.*

Non eſſe hominibus vllo modo intolerabilem continẽtiæ ſarcinam. 468.a.
Fidele conſilium Apoſtoli, ſeruare continentiam. 457 a.
Continentes, angelorum vitam ducunt in terris. 329.a.
Continentiæ votum. Ibidem.
Continentia omni modo ſeruanda iis, qui eam vouerunt. 328 b.
Continentium certamina glorioſiora, quàm coniugatorum. 156.a.
Bonum nuptiarum non ſolùm infra virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam conſtituimus. 452 a.
Continentiam coniugio præponamus, ſanctam verò virginitatem etiam continentiæ viduali. Ibidem.
Eccleſia dicit bonas eſſe nuptias, ſed meliorem virginitatem. 464.a.
Iugis continentia, bonis nuptiis melior. 450.a.
Bonum Suſannæ coniugiũ, melior viduitas Annæ, optima virginitas Mariæ. 452 a.
In virginitate fructus centenus, in caſtis nuptiis tricenus 452.b.
Eunuchorum, qui ſe propter regnum Dei caſtrauerunt, maiora ſunt merita, quàm coniugatorum. 458.b.
Continentia amplioris meriti quàm coniugium. 378.b.
Continentiæ Deo cõſecratæ maior merces quàm caſtitatis cõiugalis. 382.b.
Coniugati continentibus inferiores, opere & mercede, vo-

to & præmio. 452.b.
Continentibus locus melior datür in regno cœlorum quàm coniugatis. 453.a.
Iouiniani hæreſis eſt, merita virginitatis nuptiis æquare. Ibidem. Huic monſtro ſancta Eccleſia Romana fideliſsimè ac fortiſsimè reſtitit: nec vſque ad deceptionem aliquorũ Sacerdotum potuit peruenire. 453.b.
Iouinianus & Manichæi Catholicos dicebant damnare nuptias, propterea quòd virginitati nuptias coæquari nolebant. 453.b.
Continentia propter maius præmium comparandum in cœlo, non autem propter euitandas tantummodo moleſtias, ſtatui coniugali præfertur. 466.a.

*Continentia coniugalis.*

Quibus temporibus continentia maximè ſeruanda ſit Chriſtianis coniugibus. 328.b.
Beatiora coniugia iudicãda, quæ ſiue filiis procreatis, ſiue etiam terrena prole contempta, continentiam inter ſe pari conſenſu ſeruant. 381.a.
Meliores coniuges maturius ſe pari conſenſu continent. 382.b.
Mutuo conſenſu ſeruata continentia, permanet inter virum & mulierem coniugium. 388.b.
Coniugium Ioſeph & Mariæ. Ibidem.
Coniuges fideles quò continentiores, eò ſunt Chriſto magis familiares. 389.a.
Perpetua continentia ſeruata à fidelibus coniugatis, non diſſoluit matrimonii vinculum. Ibidem.
Inter ſenes abſque concubitu, verum coniugium eſt. 389.b.
Votum continentiæ inter coniugatos. 452.a.
Coniugatos ſi ex conſenſu perennem Deo vouerint continentiam, ſui voti obnoxios detineri. 381.a. Debere Deo cõtinentiam quam vouerunt. Ib.
Non eos terreat ſarcina continentiæ: leuis erit, ſi Chriſti erit: Chriſti erit, ſi fides aderit. 454.b.
Gratulatur coniugibus Auguſtinus, quòd mutuo cõſenſu Deo caſtitatem vouiſſent, & exhortatur ad eandem. 381.b.
Coniugibus qui communi conſenſu continentiam Deo vouerunt, admodum damnabile eſt, ſi vel opus coniugale appetierint. 455.b.456.a.
A coniugatis non vouenda caſtitas, niſi ex conſenſu, & communi vtriuſque voluntate. 382.a.

*Contritio.*

Contritionis vtilitas atque neceſsitas. 351.b.352.a.
Cordis contritione mundamur à peccatis. 351.b.
In actione pœnitentiæ pro grauioribus delictis, non tam cõſideranda menſura temporis, quàm doloris. 352.a.
Pœnitentes odiſſe debent quod fuerint. 347.b.
Non laborat exonerari peccato, cui non videtur nimium. 347.a.
Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei. 351.b.
Exemplo Petri deflenda peccata. 357.a.
Iugis luctus à pœnitente requiritur. 357.b.

*Corpus.*

Corporis caſtigationes inter opera iuſtitię computãtur. 363.a.
Pœnis corporis, poſt Baptiſmum erudimur & exercemur proficientes in agone iuſtitię. 156.b.
Corporis affictiones ante remiſsionem ſupplicia ſunt peccatorum, poſt remiſsionẽ, certamina exercitationéſque virtutum. Ibidem.
Corporis corruptio, non peccati primi eſt cauſa, ſed pœna. 134.b.
Corpora damnatorum in æternorum ignium tormentis durare poſſe: probatur naturalibus experimentis. 517.b.
Corpora electorum poſt reſurrectionem, ferri poſſe in cœlum, & manere in cœlo. 519.b. & ſequ.
Sicut anima nũc detinetur à corpore in terris, ita corpus poſtmodum ab anima detinebitur in cœlis. 521.a.

*Credere.*

Credere in Chriſtum, Chriſtiani hominis initium eſt. 198.b.
Credere in Chriſtum, ſpem & caritatem complectitur. 201.a.
Credere in Chriſtum, Chriſti opus eſt, quod ipſe in nobis, non ſine nobis operatur. 196.a.
Credere nemo poteſt niſi volens. 184.b.
Credere & operari, vtrunque noſtrum eſt, propter liberum voluntatis arbitrium, & vtrunque Dei, quia ipſe præparat volũtatem. 185.a.
Credere non eſt, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur. Ibid.
Credere Iudæi nõ poterant, quia nolebant. 197.b.
Credimus Euãgelio propter Eccleſiæ auctoritatem. 68.a.
Auguſtinum ad credẽdum quid induxerit. 68.b.69.a.
Credere infantibus, eſt baptizari, non credere, non baptizari. 303.b.

*Crucis ſignum.*

Crucis ſigno fideles inſigniri. 77.b.
Signi crucis vis & vſus multiplex in Sacramentis. 282.a. 491.a.
Crucis ſigno Catechumeni in vtero matris Eccleſiæ concipiuntur. 489.a.b.
Signo crucis rudes catechizari, & fontem Baptiſmi conſecrari ſolitum. 306.b.
Signo Crucis per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. 310.b.
Adhibetur aquæ, oleo, ſacrificio. Ibidem.
Cruce ſignantur panis & calix. 77.b.
Signum crucis frontibus credẽtium adhibetur. 110.b.
Quare imprimatur in fronte. Ib.
Signum noui Teſtamenti, crux in libera fronte. Ibid. & 490.a.
Signum crucis in fronte, tãquam in ſede pudoris ne Chriſti opprobrium Chriſtianus erubeſcat. 491.b.
Crucem tanquam trophæum de hoſte ſuperato Chriſtus poſuit in fronte fidelium. 491.a.
Auguſtinus adhuc puer ſigno crucis ſignabatur, & Chriſti ſale condiebatur. 492.a.

Crucis ſignum à locis ſupplicio-rum tranſitum fecit ad frontes Regum & Imperatorum. 491.a.
Signi crucis prærogatiuæ. 490.a.
Signantur ſigno Dominicæ paſſionis in frontibus populi ad tutelam ſalutis. Ibidem.
Vexillo crucis inſidiis Diaboli occurrendum. 489 b.
Triumphale crucis vexillum ante Chriſtum iudicem ab angelis præferendum. Ibidem.
Crucis ſigno mulier à graui morbo liberata. 490.a.b.

D

*Dæmones.*

Dæmonis infeſtatio, oblato corporis Chriſti ſacrificio, mox ceſſauit. 341 b.
Dæmones eiiciuntur & torquẽtur in memoriis martyrum. 420.b.422.b.
Aduerſus nequitiam dæmonum, optima arma oratio & ieiunium. 434.b.

*Decalogus.*

Decalogus præceptorũ ad Chriſtianos etiam pertinet. 258. b. & ſequ.

*Defuncti.*

Triplex defunctorum ſtatus. 405.b.
Sacrificium altaris, orationum & eleemoſynarum, pro regeneratis defunctis faciendum. 402.b
Supplicationes pro ſpiritibus defunctorum, etiam ſub generali commemoratione, ab Eccleſia ſuſceptæ. 400.b.
Orandum & ſacrificandum eſſe pro defunctis non ſolùm ſcripturæ, ſed etiam vniuerſæ Eccleſiæ auctoritate probatur. Ibidem.
Orationes, ſacrificia, eleemoſynas viuorum prodeſſe defunctis, traditione patrum & vniuerſæ Eccleſiæ conſuetudine probatur. 401.a.
Vniuerſa Eccleſia pro defunctis ſupplicare conſueuit. 403.a.
In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquã in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſię, quę in hac cõſuetudine claret auctoritas &c. 400 b.
Memoria defunctorum, & orationibus & oblationibus commendanda. Ibidem.
Commemoratio defunctorũ ad altare. 341.b.
Fidelibus notum eſt, quo loco martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur. 421.a.
In Sacrificio cõmemorantur defuncti, & pro illis oratur atque offertur ſacrificium. 401.a.
Defunctorum animas martyribus cõmendare prodeſt. 403.a.
Pro quibuſdam defunctis, Eccleſiæ vel piorum hominum preces exaudiuntur. 400.b.
Pro quibus defunctis vtiliter oretur. 395.b.
Cùm Sacrificia ſiue altaris ſiue quarũcunque eleemoſynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valdè malis propitiationes ſunt. 402.a.
Nec damnati nec beati, ſed qui inter hos medii ſunt, pietate viuentium releuari poſſunt. 403.b.404.a.
Sine fide per dilectionem operante, eiúſque Sacramentis hinc diſcedẽtes, viuorum ſuffragiis non iuuantur. 401.a.
Pro defunctis non orandum, & non offerendum ſacrificium, Aẽriana hæreſis eſt. 400.b.
Defuncti iam purgati, quanuis cum ſuis corporibus nondum ſunt, iam tamen eorum animæ regnãt cum Chriſto. 408.b. 409.a.
Defunctorum animas ad viuos quandoque mitti, diuina ſcriptura teſtatur. 404.b.

*Deus.*

Deum eſſe, vniuerſa proclamat natura. 1.a.
Deus omnipotens. 4 a.b. Omnipotens non eſſet, ſi mori, aut falli poſſet. Ibidem. 159.
Deum omnipotẽtem eſſe, etiam pagani fatentur. 4.b.5.a.
Omnia ſua prouidentia regit. 5.a.b.
Dei attributa. 2.b.& ſequ.
De Deo nihil ſecundùm accidens dicitur, ſed aut ſecũdùm ſubſtantiam, aut ſecundùm relationem. 14.b.
Deus ſubſtantialiter eſt vbique. 6.b.
Deus cui ſola latria debetur, eſt ipſa Trinitas. 13.b.14.a.
Deus non ideò triplex quia trinus. 11.a.b.
Deum paſſum vel crucifixum rectè dicimus. 32.b.
Deus neque excitator neque ſuaſor eſt mali, neque ad illud impellit. 167.b.
Deteſtanda eorum opinio qui Deum peccati faciunt auctorem. Ibidem.a.
Dei præſcientia non tollit liberum voluntatis arbitrium. 164.b.& ſequ.
Deus in nobis opera facit, non tamen ſine nobis cooperantibus. 196.a.
Deus non eſſet cooperator, ſi homo nõ eſſet operator. 195.b.
Deus quomodo hominem adiuuet ad iuſtitiã operandã. 239 a.
Impoſsibile imperare nõ poteſt, quia iuſtus eſt. 251.b.
Non ęqualiter habitat, in quibus habitat. 209.b.
Quia iuſtus eſt, non poteſt non coronare bona opera. 264.a.
Diuinæ poteſtatis eſt, iudicium damnationis, hominibus debitum mutare, & indebitam prædeſtinationis gratiam prærogare. 214.a.
Cur non tres Dii, aut tres eſſentiæ in diuinis, ſicut tres perſonæ. 12.a.

*Diabolus.*

Diabolus per liberum arbitrium in veritate non ſtetit. 139 a.
Diabolus neminem cogit peccare. 221.a.
Diaboli filij ſunt, qui alios, ab Eccleſia ſeducendo, interficiunt. 54.b.

*Diaconus.*

In Diaconi ordinatione cærimoniæ. 363.b.
Diaconus non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. Ibidem.
In ordinando Diacono ætas requiſita. 495.b.

Diaconi dalmaticis veſtiebãtur & alba tempore oblationis. Ibidem.

*Dierum obſeruatio.*

Diem Dominicum & Paſcha ſolenniter celebramus, aliáſque Chriſtianas feſtiuitates. 500 b.
Dierum obſeruatio qualis à Paulo condemnetur. Ibidem.

*Dies Dominicus.*

Dies Dominicus videtur propriè ad Dominum pertinere. 497.b.
Dies Dominicus Chriſtianis propter Chriſti reſurrectionẽ ſolennis. Ibidem. Aeternã ſpiritus & corporis requiem præfigurat. Ibidem
Diem Dominicum, Apoſtoli religioſa ſolennitate habendum ſanxerunt. 498.a.
Diebus Dominicis & feſtis à terreno negocio vacare, Chriſtianis mandatum, vt rebus diuinis operã dare poſsint. Ibidẽ.

*Diuortium.*

Sanctitas Sacramẽti facit, ne diuortium à coniugibus fiat. 379.a.b.380.a.
Per diuortium non aboletur cõfœderatio nuptialis, propter rationem Sacramenti. 378.a.
Sicut excõmunicatus Sacramentum regenerationis nõ amittit, etſi nunquam reconcilietur Deo: ita vxor propter fornicationem dimiſſa, non caret vinculo coniugali, ante mortẽ mariti. 383.b.385.b.
*Vide* Repudium.

*Donatiſta.*

Donatiſtæ Eccleſiam de toto orbe periiſſe, ex ſcripturis probare nitebantur. 110.b. Damnabant vitam Monaſticam. 111.a.
Rebaptizabant. 291.a.
Donatiſtæ inter ſe diuiſi. 111.b. & diſcordes. 96.a.
Donatiſtarum crudelitas. 111.a.
Donatiſtæ Epiſcopos Catholicos comparabant cum Phariſæis. 110. b.
Supplicium de Donatiſtis Imperiali decreto ſumptum. 117.a.
Donatiſtæ propriis baſilicis iuſſu Imperiali priuantur. 123.b.
Donatiſtæ, cùm viuerent vt latrones, mori ſe iactabant vt martyres. 130 a.
Donatiſtarum cantilenæ. 487.a.

E.

*Eccleſia.*

Eccleſia Catholica, ſola eſt Corpus Chriſti. 41.a 330 b.
Eccleſia virgo. ** b.
Anathema erit, quiſquis annunciauerit Eccleſiam præter cõmunionem omnium gentium. 47.a.
Eccleſia vniuerſalis eſt, loco & tempore. 41 b.
Eccleſiam Catholicam eſſe, veteris & noui Teſtamẽti Scripturis probatur. 47.b 48.49. per totum. 526.b 527.a
Eccleſia ciuitas eſt ſupra montem poſita, vitis fructifera, longè latéque diffuſa. 41.b.
Lucerna ſupra candelabrum poſita. 44.b. Abſcõdi & ignorari non poteſt. 44.a. non eſt inuiſibilis aut mathematica Eccleſia. 44 a.b & ſeq.
Eccleſia ſicuti viſibilis, ita & mortalis dici poteſt. 46.a.
Fulguri comparatur. 50.a. & paradiſo 54 b.
Eccleſia quare tabernaculum in ſole poſitum. 526.b.
Eccleſia formata ex latere Chriſti in cruce pendentis, ſicut Eua formata eſt ex latere Adã dormientis. 276.b.
Totum poſsidet, quod à viro ſuo accepit in dote. 43. a. in nullo claudicat. 180.a.
Sola Eccleſia Catholica veritatem habet, & in pane ſuo, & in lacte ſuo. ** b.
Eccleſiæ vnitas per inconſutilem Chriſti tunicam deſignatur. 42.b.
Non eſt particeps diuinæ charitatis qui hoſtis eſt vnitatis. 330.a.
Eccleſiæ vnitatem non tenenti, neque quantæcunque eleemoſynæ, neque ſanguis pro Chriſti nomine effuſus, prodeſſe poſſunt. 119.a.
Extra Eccleſiam laudabiliter viuere, nihil prodeſt. 55.a.
Qui præter Eccleſiam eſt, nec cum Deo eſt. 54.b. Chriſtum quoque caput habere non poteſt. Ibidem.
Nec habebit Deum patrẽ, qui Eccleſiã noluerit habere matrem. Ibidem.
Si Chriſtum ipſum tenetis, ipſam Eccleſiam quare non tenetis? 528.b.
Plus Eccleſiæ matri quàm ei que ſecundùm carnem nos genuit debemus. 481.b.
Diaboli filij ſunt, qui ab Eccleſia homines ſeducunt. 54.b.
Extra Eccleſiam non eſt ſalus. 41.a 54.a.
Neminem viuificat Spiritus ſanctus extra Eccleſiam. 42.a.
Extra Eccleſiam qui ſunt, clamare poſſunt, exaudiri non poſſunt. 44.b.
Eccleſiæ ſententia in excommunicando & reconciliandis hominibus, rata habetur in cœlo. 60.b.
Penes Eccleſiam eſt poteſtas dimittendi peccata. 58.b.
Eccleſia tenet omnem ſui ſponſi poteſtatem. 54.b Habet claues vitæ & inferorum. 58.b. Perire non poteſt. 50. b. 57.a.b. expugnari non poteſt. 61.a.
Eccleſia eſt prædeſtinata colũna & firmamentum veritatis. 56. b. Quam nec ſolutus vtique diabolus, Antichriſti tempore, ſit ſeducturus. 508 a.
Eccleſia per ſucceſsiones Epiſcoporum conſeruatur atque per orbem diffunditur. 56. a. 61 a & perſeuerat. 56.a.236.a.
Eccleſia in quibus gentibus non eſt, oportet vt ſit. 510.b.
Portę inferorum non pręualebunt aduerſus Eccleſiam. 61. a.
Eccleſia Catholica nititur ſcripturis & traditionibus, cùm vniuerſalibus tùm particularibus. 78.a.
Eccleſię regula ſanctorúmque Patrum doctrina, firma permanet. 73.a.
Cypriani de Eccleſia Catholica teſtimonium. 43.a.

Eccleſię vniuerſalis conſenſio, tutam reddit doctrinā. 91 a.
Eccleſia de obſcuris fidei quęſtionibus conſulenda. 55.b.
Eccleſię cōſenſus iudicat de intelligētia ſcripturę. 68 a b.& ſe.
Eccleſia quod ſemper tenuit, hoc vſque in finem perſeueranter cuſtodit. 299.b.
Ex ſola Eccleſia Catholica veritas perſpicitur. 54 a.
In vna Catholica Eccleſia, vera hoſtia redemptoris immolatur. 330.a.
Eccleſię auctoritas Auguſtinum mouet vt Euangelio credat. 56 a.
Eccleſię auctoritas in baptizandis paruulis. 77 b 300. in non reſcindendo baptiſmate hereticorum. 290.b. 292.a.
Extra Eccleſiam ſacramentū ſuſcipiens, cùm in ipſa ſuſcipere poſsit, peccat. 278.b.
Eccleſiæ conſuetudo plenario Concilio confirmata, quanti ſit roboris. 92.a
Eccleſia iudicat de ſcripturis canonicis ex traditiōe 55.b.56 a. 68.b. 75.a. b. ſimiliter & de apocryphis. 56.a 6 .b.
Eccleſia, in qua eſt ſedes Apoſtolica, per Epiſcoporum ſucceſsiones, auctoritatis obtinuit culmen. 525 b
In Eccleſia ſunt grana & palcę. 51 a. 52 a
Eccleſiam militantē ex iis tantū cōſtare qui ſine peccato ſunt, hereſis eſt Iouiniani. 348. a. & poſtea Pelagij. Ibidem
Eccleſia toto orbe diffuſa, clamat, Dimitte nobis debita noſtra 51.a.
Eccleſia quando ſine macula & ruga futura ſit. Ibidem.
Eccleſia non ſolùm inuitat, ſed etiam cogit ad bonum. 121.b
Nec hereticus nec ſchiſmaticus ad Eccleſiam Catholicā pertinet. 109.b.
Penes Eccleſiam ius eſt cogendi hereticos ad ſanam fidem. 131.b.132.a.
Eccleſia poteſtatem hereticos compellendi ad fidem, diuinitus accepit. 59.b.
Cur ergò non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filij coëgerunt alios, vt perirent? Ibidem.
Eccleſia hereticos ad fidem cogendo, Chriſtum Dominum imitatur. 59.a.
Eccleſia quare minus vſa ſit hac cogendi poteſtate in initio. 121. b.
Quem Eccleſia vniuerſa in conſecranda Euchariſtia agendi ſeruat ordinem, ab Apoſtolo eſt inſtitutus. 342.a.b.
Eccleſia aliud docet, aliud ſuſtinet. 417.b.

*Eccleſiaſtica.*

Eccleſiaſticarum inſtitutionum, quaſdam in ſcriptis, quaſdam Apoſtolica traditione, quaſdā conſuetudine roboratas accepimus. 77.a.
Eccleſiaſtica poteſtas, in Epiſcoporum ac Sacerdotum eſt officiis. 39.b.
Cùm Eccleſiaſticę poteſtatis traditione, ſimul Spiritus ſanct9 ad vſum illius poteſtatis, tribuitur. 364.a.b.
Per Eccleſiaſticam diſciplinam quidam à Sacramēto cœleſtis panis ſeparantur. 328.a.
Eccleſiaſtica Hierarchia ex Epiſcopis, Presbyteris, aliiſque miniſtris Eccleſiæ conſtans. 363.b
Habet Eccleſiaſtica diſciplina, vt ad altare fiat ſanctorū Martyrum & aliorū defunctorum commemoratio. 421.a

*Eleemoſyna.*

Eleemoſynis propitiādus Deus de peccatis. 357.a
Credendum quòd omnes Eleemoſynæ Eccleſiæ, & orationes & opera iuſtitiæ pœnitentibus ſubueniant. 271.b.358.a
Eleemoſynæ curandis peccatorum vulnerib9 ſalutaria remedia. 228.a
Eleemoſynis expiantur peccata. 230.a. b
Eleemoſynæ, opera iuſtitiæ. 263.a
Eleemoſynis æternum meritum comparatur. 264.a
Pro amore vitæ ęternæ, dāda eſt eleemoſyna. 435.b
Eleemoſynæ pro defunctis erogatæ, non carent ſuo premio apud Deum. 492.b
Quare eleemoſynarum tantùm facturus ſit Dominus in iudicio mentionem. 516.b

*Energumeni.*

Poteſtas in Energumenos ordinatione confertur. 364.a

*Enoch & Elias.*

Enoch & Elias qualem vitā viuant in paradiſo. 134.b
Enoch & Elias vt mortis debitū ſoluant, creduntur redituri ad hanc vitam. 509.a.b
Iudæi per Eliā Antichriſti tempore credituri. 513.b
Per Eliam Thesbiten. 509.a. qui ſine vxore fuiſſe creditur. ibi.
Hoc erit in ſecundo aduentu Elias, quod in primo Ioānes. 509.b
Martyrium Enoch & Eliæ. 507.b

*Epiſcopus.*

Epiſcopi, Apoſtolorum Domini vices in Eccleſia gerunt. 369.b
Nicæno Concilio cautum eſt, ne in vna ciuitate duo ſint Epiſcopi. 368.a
Epiſcopi à Presbyteris diſtinguuntur. 363.b
Epiſcopatus presbyterio maior. 368.a.b.& presbyteri Epiſcopis inferiores. 367.b
Epiſcopi orāt pro populo. 30.b
Epiſcopi iudicāt cauſas ſuorum presbyterorum & diaconorū. 372.a
In altiori loco poſiti Epiſcopi, tanquā populi cuſtodes. 369 b
In populari Presbyterorum vel Epiſcoporum deſignatiōe, occulta perditorum conſpiratio & ſeditioſa audacia. 373.b
Sine primatis conſenſu, olim nō ordinabatur Epiſcopus. ibi.a
Epiſcopus, à tribus vt minimum Epiſcopis ordinādus. 372.b
In Epiſcopi ordinatione cerimoniæ. 363.b
In Eccleſiæ Epiſcopum, digamus conſecrari non poteſt. 374.b
Epiſcopi olim, etiam laicorum cauſas & lites dirimebāt. 371.a
Epiſcoporum eſt etiam, corripere ſubditos. 370.a. degradare, excommunicare, & reliquas coërcitiones Eccleſiaſticas, cùm res poſtulat, adhibere. ibidem.
Epiſcopalis iudicij damnatione,

nulla pœna in Eccleſia maior. ibidem.b
Refugientes ſui Epiſcopi regulare iudicium, ad cõmunionẽ à nullo vſquam Epiſcopo, aut Presbytero,ſuſcipiendi. 371.b
Epiſcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernenda. 359.b
Epiſcopi & Presbyteri oblationem conſecrant. 366.b
Ordinatio Presbyterorũ ad Epiſcopum ſpectat. 367.b
Epiſcopi à ſecularibus minimè iudicandi. 371.b.372.a
Epiſcoporum cauſæ ad ſuperiores Epiſcopos vel ad Concilia referendæ. 371.b
Qui Primas erat, inuiſebat Eccleſias inferiorum Epiſcoporum. 367.b
Ad Primates Epiſcopos pertinet prouincialia Concilia cõuocare. 93.a
Epiſcopus Oſtienſis Romanum ordinat Pontificem. 372.b

### *Epiſtola.*

Epiſtola ad Hebræos Canonica eſt & Paulina. 63.b 64.a
Epiſtola Iacobi vna,Ioãnis tres, Iudæ vna,canonicę ſunt. ibid.

### *Eſſentia.*

Eſſentia in diuinis, nõ eſt minor in ſingulis perſonis, quàm in tota Trinitate. 10.a
Eſſentiæ tres aut tres Dii cur dici non poſsint, ſicut tres perſonæ dicuntur. 11.b

### *Euangelium.*

Euangelii nomine, quàm varia comprehendantur. 234.b
Euangelizare Chriſtum eſt, non tantùm docere quæ credenda, ſed etiam quæ Chriſtiano homini facienda ſunt. 233.b
In Euangelio præcepta vitæ maiora, quàm in veteri lege. 235.b
Euangelio credendum propter auctoritatem Eccleſiæ. 56.a
Euangelica fides, ſpes & caritas faciũt homines liberos. 240.a
Euangelica gratia & in veteris Teſtamenti Patribus fuit. 249.a.b. & ſeq.

### *Euchariſtia.*

Non omnis panis, ſed accipiens benedictionem, fit corpus Chriſti. 325.a
Euchariſtiam nõ eſſe idem cum pane benedicto aut agape. 315.a
Frequentatus admodum loquendi modus eſt, apud Auguſtinum: Sacramentum, quod fideles nouerunt,quod non omnes nouerunt &c. 325.b.326.a
In locis abditis præſentem in Euchariſtia Deum, habebant Chriſtiani. 326.a
Euchariſtiæ ſacramentum prece myſtica conſecratur, operante inuiſibiliter Spiritu Dei. 315.b
Noſter panis & calix, certa conſecratione fit myſticus nobis, non naſcitur. 316.a
Euchariſtia conſtat viſibili elementorum ſpecie & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine. 314.a
Subſtantia panis efficitur caro Chriſti, & vinum Chriſti ſanguis. 324.b
Poſt conſecrationis verba, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. ibidem.
Ante conſecrationem panis & vinum eſt, quod natura formauit: poſt conſecrationem verò, caro & ſanguis Chriſti eſt,quod benedictio conſecrauit. Ibidem.
Voluit Dominus panem & vinũ in myſterio, verè carnem ſuam & ſanguinem ſuum, conſecratione Spiritus ſancti,potentialiter creari. 324 b.
In Euchariſtia precium noſtrum ſanguis Chriſti eſt. 312 b.
Corpus & ſanguis Chriſti,cibus & potus, Sacramentum fidelium. Ibidem. panis vitæ qui de cœlo deſcendit. 313.b
Sanguis Chriſti Apoſtolis datus, & commẽdatus antequam funderetur in cruce. 314.a
Dominus dedit nobis manducãdum corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem bibere. 313.a
Non dat in carne & ſanguine ſuo Chriſtus niſi quod eſt. Ibid.
Chriſtus præparauit ſeruis ſuis cibum ſeipſum. 313.b
Ipſam carnem, quã de carne Mariæ accepit, & in qua hîc ambulauit,nobis Chriſtus ad mãducandum ad ſalutem dedit. 317.b
Chriſtum agnum quotidiè immolamus,comedimus,eiúſque ſanguinem bibimus. 314.b
Chriſtum, vultu mutatum edimus. Ibidem.
Carnem Chriſti manducandam bibendúmque ſanguinem, fideli corde & ore ſuſcipimus. 312 b.partem de corpore agni immaculati. 334 b
Sanguinem Chriſti Iudęi bibere potuerunt credentes, quem fuderant ſæuientes. 313.a
Fuderunt precium ſuum, vt biberent precium ſuum. 313.b
Niſi eſſet humilis Chriſtus, nec manducaretur nec biberetur. 314.b
Paſcha Chriſtianorum in corpore & ſanguine Domini. 314.a
Per partes manducatur Chriſtus in Sacramento, & manet integer totus in cœlo. 332.a
Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, Hoc eſt corpus meum. 315.b
Sacramentum corporis Chriſti, ſecundùm quendam modum corpus Chriſti eſſe, quomodo ſit intelligendum. 320.b
In Sacramento altaris aliud videtur, aliud intelligitur. 321.b 329.b
Corpus Chriſti non viſibili carnis ſpecie, ſed in Sacramento edimus. 318.a
Caro vocatur quod non capit caro. 329.b
Corpus Chriſti in Sacramento & veritas & figura eſt. 329.b
Euchariſtię panis ſubſtantialis, animę ſubſtãtiam fulcit. 324.b
Medicina eſt, cœleſte & venerabile Sacramentum. 327.a
In Euchariſtia vita datur, ſalus datur, indignè tamen accipiẽtibus fit venenum. 328.a.b
Euchariſtia etiã cùm indignè ſumitur, vita dicitur. 328.b
Ex altari diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum contrarium nobis. 341.a
In Sacramento Euchariſtiæ res ipſę inuiſibiles honorandę. 326.b
Corpus Chriſti certatim hono-

randum in Euchariſtia. 319.b
Euchariſtiæ ſingularis debita veneratio. 320.a
Euchariſtia veneratione ſingulariter debita à cæteris cibis diſcernenda. 328.a
Quomodo rectè aliquãdo dictus ſit Chriſtus, ſignum ſui corporis dediſſe, quando corpus ſuũ dedit. 322.a. & ſeq.
Quo ſenſu accipiẽdum ſit, quod Auguſtinus ait, Chriſtus ſanguinis ſui figuram diſcipulis tradidit. 323.a.b
Euchariſtia panis quotidianus. 326.b 327.a
Omnibus diebus Dominicis cõmunicãdum ſuadeo & hortor. 327.b
Non eſſe ſatis credere, vt quis dignè percipiat Euchariſtiã. 328.a
Qualis præparatio requiratur ab accedentibus ad Euchariſtiam. 327.b
Peccata per confeſsionem & veram pœnitentiam abluenda, ante communionem. 327.b. & per pœnitentiam, Sacerdotis iudicio, peccator reconciliandus. 328.b
Mutet vitam, qui vult accipere vitam. 328.b
Ante Euchariſtiæ ſumptionem, coniugati aliquot dies continere debent. 329.a
Euchariſtia, ſacramentum pietatis, ſignum vnitatis, vinculum caritatis. 330.a
Carnem & ſanguinem Chriſti in Sacramento & multi mali comedunt. 316.b
Indignè ſumens Sacramentum, nõ efficit, vt quia nõ ad ſalutẽ accipit, nihil acceperit. 330.b
Ex vna re ſancta Iudas ſumebat iudicium, Petrus ſalutẽ. ibid.
Sacramẽtum de altari, cum fidelibus accipiunt etiam hæretici, ſed non ſibi vtile. 316.a
Propter panem & calicem gẽtiles nos Cererem & Bacchum colere calumniabãtur. ibid.
Euchariſtiæ communio duplex, Sacramentalis & ſpiritualis. 331.a
Sub altera tantùm ſpecie diſcipuli in Emaus ſumunt Euchariſtiam. ibidem b
Non videmus Chriſtum in carne, & tamen eius carnem manducamus. 331.b
Euchariſtia linteolo nitido conuoluta, & in arca domi aſſeruata. ibidem.
Morituro infunditur Euchariſtia ſub altera tantùm ſpecie. ibi.
Nauigaturis in Africam dari ſolitam Euchariſtiam ſub ſpecie panis tantùm. 332.a
Euchariſtiæ ſacramẽtum in vniuerſa Chriſti Eccleſia à ieiunis accipitur, Spiritu ſãcto ita dictante. 79.a. 345.b
In calice vino aqua miſcenda, exemplo & traditione Chriſti. 343.a. & quare. Ibidem.

### Ευλογία.

Ευλογία panis benedictus. 315 a

### *Excommunicatio.*

Excommunicationis vſus in Eccleſia. 134.a. 128.a
Excommunicationis neceſsitas. 370.b
Antiſtitis iudicio debet quiſque ab altari remoueri ad agendã pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. 327.a



Excommunicatur Bonifacius quòd hominem vi rapuiſſet ex loco ſacro. 494 a.b.
Excommunicationes & degradationes ſecundùm præceptũ Apoſtolicum in Eccleſia fiunt. 60 a b.
Excommunicationis ſententia in hæreticos à Romano Pontifice lata. 90 a.
Excommunicationis vinculum quàm ſit graue. 58 a.
Excommunicatio vindicta ſpiritualis. 129 b.
Excommunicatio id agit in Eccleſia, quod olim interfectio. 60 b.
Excommunicatio ſpiritalẽ pœnam infligit & animas obligat. Ibidem.
Excommunicatus Satanæ traditur. Ibidem.
In Eccleſia nulla eſt grauior pœna, ea damnatione, quam Epiſcopale facit iudicium. 370 b.

### *Exorciſta.*

Exorciſtæ ordinatio. 364 a.

### *Exorciſmus & Exſufflatio.*

Exorciſmi & exſufflationes, rerum occultarum ſacrata ſigna. 307 a.
Exorciſmum & exſufflationem baptizandorum in vniuerſo mundo ſancta Eccleſia vniformiter agit. 306 b.
Exorciſmis & exſufflationibus clericorum, ſpiritus immundus à baptizandis abigitur. Ib.
Poteſtas contraria & diabolica in paruulis exorcizatur & exſufflatur. 307 a b.
Exſufflatur in paruulis opus diaboli, non quod ipſi ſunt, ſed quod in ipſis eſt. Ibidem.
Non ob aliud per Eccleſiam toto orbe diffuſam exſufflantur infantes, niſi vt ab eis princeps mundi mittatur foras. 307.a.
Exorcizari & exſufflari paruulos, antiquiſsima Eccleſiæ traditio eſt. 307 a b.
Exorciſmi, orationes, cantica ſpiritualia, exſufflationes, cilicium, inclinatio ceruicum, humilitas pedum, eſcæ ſunt quæ reficiunt catechumenos, adhuc exiſtentes in vtero matris Eccleſiæ. 308 b.
Exorciſmis & exſufflationibus contradicentes, toto orbe terrarum ſunt exſufflandi. 307 b.
Ex exorciſmis Eccleſiæ, colligit Auguſtinus peccatum originale ineſſe paruulis 136 b.
Exorciſmorum liber. 364 a.

### *Extrema vnctio.*

Extrema vnctio. 361 b. 362 a.
Extremæ vnctionis miniſter, Presbyter vel Epiſcopus. 362 a.

## F

### *Fatum.*

Fatum refellitur per geminorum ſexus, ſtudia, fortunam & profeſsionẽ vitæ diuerſam. 162.b & ſeq. refellitur etiam ex ſegetibus & herbis, quarum ſors tam inæqualis eſt. Ibidem.
Iniuſtus eſſet Deus ſi fatum eſſet. 6 a.

### *Feſtum.*

Diebus feſtis beneficiorum Dei memoriam ſacramus. 498 a.

Feſta Sanctorum quomodo celebranda. 226.a.414 a. 419.a.b.
Feſtis præſertim diebus orationis penſum Deo reddendum. 499 b.
Feſtum innocentium.406.a.Petri & Pauli, Laurentij, Stephani, &c. 419.b.

*Fides.*

Fides quid ſit. 178.a.b.
Fides comprehendit æterna ac temporalia. 180.a. præterita, præſentia & futura.Ibidẽ.68.a ſua & aliena. 180.a.
Fidei vtilitas atque neceſsitas. 191. b. 192.a. *b. 180.b. & ſequ.
Fides Chriſtianorum à fide dæmonum diſcernenda. 187.a. 201.a.
Fides, alia eſt operans per timorem, alia per amorem. 186.b.
Sana fides, certa & tuta regula intelligendi ſcripturas. 67.b.
Sana fides poſita in non transferendis patrum terminis. 98.b.
Fides mediatoris ad ſalutem neceſſaria.29.b.30.a.181.b.182 a.
Fides circa Eccleſiæ claues neceſſaria. 356.a.
Per fidem & antiqui iuſti in veteri teſtamento ſaluati. 29.b. 198 b.199.a.& ſequ.
Fides ædificij ſpiritualis fundamentum. 198.a.
Fides fundamentum pœnitentię. 346 b.initiũ bonæ vitæ. 198.a. primitiæ ſpiritus noſtri. 198.b radix boni operis. 253.b.
Fides donum Dei. 183.a.b.
Fides prima datur, ex qua impetrentur cætera. 184. b.
Fides in hominis poteſtate eſt, ſiquidem quiſque cùm credit volens credit. 185.a.
A fide incipiunt, quęcunque ſunt bona merita. 183.b.
Fide ſanamur vt intelligamus ampliora. 181.a.
Fides meretur gratiam benè operandi.193.a.etiam ipſa, opus in ſcripturis dicitur. 184 b.
Fides orando impetrat, quod lex imperat. 251.a.
Abſque fide bene operari, eſt extra viam currere. 253.b
Fides intentionem dirigit, intentio bonum opus facit. Ibidem.
Fides ſalubris & Euangelica eſt, quæ per dilectionem operatur. 200.b
Fidem non facit vtilem niſi caritas. 186.b.
Fides ſine operibus, radix ſterilis & arida eſt. 253.b.
Sine charitate fides poteſt eſſe, ſed non & prodeſſe. 187 b.
Fides ſine dilectione inanis eſt. 258 a.
Fides per charitatem operans, etiam charitas dicitur. Ibidem.
Fide titubante, etiam charitas ipſa langueſcit. 185.b.
Sola fide neminem ſaluari, Scripturis probatur.223.a.b.& ſeq. 200.a.
Si fides ſola ad ſalutem ſufficit, ſine cauſa Deus mandata dedit. 224.a.
Præter fidem, ſpes, iuſtitiæ amor, atque odiũ peccati neceſſaria ad iuſtificationem. 347.b.
Si per ſolam fidem homines ſaluarentur, multa in Scripturis falſa eſſent. 224.b.
Fidem habentes, ſi in peccato mortali decedunt, æterno igne cruciandi ſunt. 225.a.
Dogma de ſola fide, quando cœperit. 256.b.
Qui ſola fide hominẽ iuſtificari docent, duces cæci ſunt. Ibidẽ.
Fides ſine Baptiſmo ad ſalutem non prodeſt. 286.b.
Sola fide hominem ſaluari, Eunomiana hæreſis eſt. 256.a.b
Ex fide viuere, eſt bona opera ex fide exercere. 263.a.190. a.b.
Fides vnius, alteri prodeſſe poteſt ad ſalutem. 302.a.
Fides vna eſt, quæ omnes ſaluos facit. 199.b.
Per fidem Chriſti venturi, antiqui iuſti membra fuerũt Chriſti. Ibidem.
Eadem illorum fides, quæ & noſtra eſt. 29.b.190.b.& ſeq.
Fides Patriarcharum atque Prophetarum vnum Deum prædicat Trinitatem. 9.b.
Sacramenta variata, fides in nouo & veteri Teſtamento eadem. 199.b.

*Fideles.*

Fideles non ſunt niſi libero voluntatis arbitrio, & opitulante gratia Dei. 157.b.
Fideles multi ſine crimine, nemo tamen ſine peccato. 221.a.
Fideles norunt, quemadmodum Chriſti carnem manducent. 325.a.b.

*Filius.*

Filius Patri cõſubſtantialis. 8.a.b 75.b.nec tempore, nec gradu, nec poteſtate Patre inferior. 10.a.Alius à Patre eſt, non autem aliud. 18.a.
Filius æqualis Patri, non ſecundùm quod ad patrem dicitur, ſed ſecundùm ſubſtantiã & ſecũdùm quod ad ſe dicitur.15.a
Filius quomodo coæuus ſit Patri, exemplis declaratur. 19.b.
Scripturæ quæ dicuntur de filio ſecundùm formam ſerui. 13.a.
Filius ſolus ex virgine natus & crucifixus. 16.b.
Non putatiuè, ſed verè paſſus eſt ſecundùm humanitatem. 33.a

*Finis.*

Finis mundi antè venturus non eſt, quàm Euangelium regni in vniuerſo orbe prædicetur, 511.a.

Fornicatio *Vide* Concubina.

G.

*Gehenna.*

Gehennæ timor bonus & vtilis. 202.b.
Gehennæ timor retrahit à peccando. 203.b.
Gehennę ignis corporeus.517.b.

*Gratia.*

Gratia dat merita, non meritis datur.192.b.265.a.non eſt niſi gratuita. 192.b.& ſequ.
Gratia quia gratis datur, & non quaſi merces poſt diſcuſsionẽ meritorum redditur. 173.b.
Gratia etiam fidem ipſam præuenit. 193 b.194.a
Gratia propriè dicta inſpiratio dilectionis eſt. 245.b.
Gratia donum eſt in homines effuſum, ad concupiſcentias tentationéſque ſuperandas. 174.a.
Gratia noui Teſtamenti, per quã ſcribuntur leges Dei in cordib⁹ hominũ.173.b.174 a.& in

veteris Teſtamẽti Sãctis fuit. 249.b
Gratia latenter infunditur etiam paruulis. 173.b
Gratia perfectè innouat hominẽ ab omnibus peccatis, non tamen ab omnibus malis. 152 a
Gratiæ neceſsitas.193 b.194.a. Sine gratia nihil boni fieri poteſt, quod pertineat ad veram iuſtitiam.172.a. Sine gratia nihil pietatis atque iuſtitiæ in bono opere habere poſſumus. 171.b
Ad conſentiendum Euangelicæ prædicationi opus eſt gratia. ibidem. ad eligendum item & rectè cogitandum bonũ, quod ad ſalutem vitæ æternæ pertinet. Ibidem.
Gratiam non conſiſtere in ſola peccatorũ remiſsione.205.a.b
Gratia animam ſanat, inſpirat fidem atque timorem Dei, impartitur affectum orationis, infundit charitatem &c. 205.b
Datur vt legem implere poſsimus. 238.b.239.a
Accepta gratia, incipiunt bona eſſe merita noſtra. 265.a
Gratia præcedit meritum, non cõtrà. Ibidem.
Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. 193.a
Gratia facit hominem eſſe, non ſub lege, ſed cum lege, vel in lege, vt adimpleat eam charitate. 157.a
Gratia prima, qua vocamur ad rectè viuendum, non ſufficit. 175 a.
Gratiam iam acceptã iuſtus quãdoque ſuo in malum libero amittit arbitrio. 217.b
Gratia ſubſequens & præcedens 174.a. vtraque homini neceſſaria. 177.b

*Gratia & voluntas.*

Gratia non tollit voluntatẽ.176.a
Gratia & voluntas præueniunt fidem, obediẽtiam, caritatem. 194.a
Gratia non ſic aſſerenda, vt liberum arbitrium auferre velle videamur. 164.b
Ante gratiam non eſt nobis liberum arbitrium vt non peccemus, ſed tamen vt peccare nolimus. 172 a
Per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas vera arbitrij. 175 b.
Gratia nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. 178 a.
Gratia efficit vt velimus & poſſimus rectè viuere. 172 a.
Per gratiam Dei augetur voluntas, vt mãdata Dei poſsit implere. 176 a.
Gratia liberũ domat arbitrium, ne per incongruas vagetur voluntates. 176 b.177 a.
Gratia ſuſcipitur à miſericorde patre: pręmium gratiæ, à iuſto iudice. 267.a
Nec gratia ſine libero arbitrio nec liberum arbitrium ſine gratia, facit hominẽ habere beatam vitam. 177.

*Gratias agamus.*

Gratias agamus 344 b.

*Gregorius Nazianzenus.*

Gregorii Nazianzeni laus. 100 a.

H

*Halleluia.*

Halleluia omnes decantant Hebraicè,

braicè,



braicè, nullúſque in ſuam linguam transferre audet. 486.b

*Hæreſes.*

Hæreſes ex praua ſcripturarum intelligentia gigni. 65.b. dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè. Ibidem.
Hæreſes & ſchiſmata, ſarmenta ſunt areſcentia, de Eccleſia tanquam de radice præciſa. 61.a. Singulæ propriis nominibus appellantur. 17 a b.18.a
Quibus de cauſis hæreſes eſſe à Deo permittantur. 112 b. & ſequ.
Hæreſes Catholicorum ſocordiam excitant, vt & clarius multa intelligant, & inſtãtius prædicent. 113 a.b
Ad damnandas hæreſes non ſemper ſynodis opus. 103.a
A Pontifice Romano anathematizandæ ſunt, etiamſi auctor earundem ad ſaniorem mentem fuerit reuerſus. 94.a
Hæreſes legibus opprimendæ, non minus atque ſtupra vel homicidia. 127.b
Hæreſes in populo Chriſtiano liberas eſſe iuſsit apoſtata Iulianus. 123.a
Hæreſis omnium prima circa Euchariſtiam. 180 b
Hæretica doctrina cenſetur etiam ea, quæ contra præcepta Eccleſiæ eſt. 436.a

*Hæretici.*

Hęreticus quis propriè habẽdus ſit. 108.a.b
Inter hęreticum & hęretico credentem quid interſit. 108. a. quid à Shiſmatico differat. 108.b.109.a.& ſequ.
Hęreticus propter hoc ſolum quòd hæreticus eſt, regnum Dei non poſsidebit. 108.b
Hęretici pernicioſè habent Eccleſię Sacramenta. 278.à 329.b
Sacramenta & ſcripturas tenent ad ſpeciem, non ad ſalutem. 47 a.
Malo voto ſcripturas legẽtes, coguntur eas malè intelligere. 66.a.b
Carnaliter interpretando ſcripturas, venenatas inde ſententias emittunt. 66.a
Hęreticorum proprius mos, torquere ſcripturas. 114 a.b
Diabolum in torquendis ſcripturis imitantur. 67.a.
Scripturas ſibi ſectari videntur, cùm ſuos ſectantur errores. 65.b.
Hęretici ſibi ipſis regula veritatis ſunt.74.b. nec ſe ſcripturis, ſed ſcripturas ſibi ſubiiciunt. 114 b.
Hęreticis atque Catholicis ſcripturę communes, Eccleſia non communis. 526.b
Id agunt vt omnis è medio tollatur ſcripturę auctoritas.114.b
Sub paucis ſymboli Apoſtolici verbis, ſua venena occultant. 76.b.
Idololatris comparantur. 115.a
Hęretici rem omniũ manifeſtiſſimam Eccleſiam, non vident. 109.b.
Partem tenẽt, totum relinquunt. 42.a.109.b. negant in Eccleſia Catholica Spiritum ſanctum eſſe. 38.b
Sceleratè ſe ab Eccleſia catholi-

ca ſeparant. 53.b
Eccleſiam non habent. 493 a
Cõſciſſa Eccleſiæ vnitate, & ſcripturas & Patres malè interpretando peruertunt. 107.b
Hæretici ob quinque cauſas in errore manent. 126.a
Hæretici nõ ſunt in Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti 55.a.b 109.b 329.b
De ſpiritu Chriſti non viuit, niſi corpus Chriſti. 330.a
Hæreticorum vox eſt, apoſtataſſe & periiſſe Eccleſiã. 57.b.110.b
Hæretici ordinem ſibi ſine origine vendicantes, corpus ſine capite ſunt. 85 a
Cathedra hæreticorum, cathedra peſtilentiæ. Ibidem.
Hæreticus occultus, foris eſt animo, licet corpore ſit in Eccleſia. 108.b
Hæreticorum congregatio omnis, concubina eſt in dominam inſoleſcens. 43.a
Hæretici illuſtrant Eccleſiæ doctrinam, cùm eam ſubuertere moliuntur. 113.a & ſeq. & vt inimici eam exercent. 108.a
Hæretici fruſtra circumlatrãtes, grauitate conciliorum, & miraculorũ maieſtate dãnati. 525.b
Sanctorum Patrum iudicio conuicti, quò confugiant non habent.i 102.a
In multitudine carnalium & imperitorum hominum confidunt. 66 a
Libertatem promittunt, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. 255.a
Blaſphemant Apoſtolicam cathedram. 110.a.b
Coniugis Chriſti ſuæque matris viſcera infamant. 103.a
Damnãt vitam Monaſticã. 111.a
Duces belli clericos habẽt. 110.b
Sanctimoniales ſibi tanquam matrimonio copulant. 111.a
A traditionibus appellant ad ſcripturam. 111.b
Hæretici monachis cur inſultẽt 470.b. & ſequ.
Hæretici ſemper inter ſe diuiſi. 111. b. 112. a. præcurſores ſunt Antichriſti. 116.a.b
Hæretici alienati ab Eccleſia matre catholica, ſacrilega diſcordia pereunt. 526.b
Hæreticæ fraudes. 94.b.95.a
Dominium temporale, quod Eccleſiæ iniuſtè adimũt, ſibi inſolenter aſcribunt. 125.a
Sanſonis vulpibus, draconibus, atque perdicibus comparantur. 115.b 116.a.
Per Cham filium Noë ſignificantur. 113.b
Hæretici per Dathan & Abiron deſignati. 525.a
Hæreſiarcharũ pertinacia, & propagãdi nominis libido. 69.a
Sanctorum Patrum conſenſione confoſsi, adhuc tamen obſtinatione cæcantur. 103.a
Hæreſiarcha & deſertor fidei, peior eſt quàm qui eam nũquam tenuit. 329.b
Hæretici reſurgent ad damnationem. 56.b
Hæreticis reſipiſcentibus, manus cur imponantur. 493.b

*Hæretici quomodo coërcendi.*

Heretici cogendi ad veritatem & fidem. 58.b.59.a.b
Cur expediat hæreticos cogi ad vnitatẽ Eccleſię. 125.b.126.a.b
Hereticos iure poſſe puniri, ex ſcripturis probatur. 131 a
Heretici ad Conciliũ, iuſsis imperialibus venire coacti. 95.b
Iidem in legitimo iudicio conuicti, pro lupis habendi & coërcendi. Ibidem.
Theodoſius imperator terrendo & coërcendo Donatiſtas compellit redire ad Eccleſiã. 120.b
Heretice ciuitates timore legum ad Catholicam vnitatem conuerſę. 131 b
Hereticos, bonis que Eccleſiarũ nomine poſsident, iure priuari poſſe. 124. & ſequ.
Ab hereticis poſſeſſa, Domini imperio, facta ſunt Eccleſię Catholicę. 124.b
Heretici etiam à ſe conſtructas baſilicas, Imperialibus legibus prohibentur poſsidere. 123.b mittuntur in exilium. 128.a. & merito criminum & ordine poteſtatum iuſtè patiuntur. 117.a ſupplicio afficiũtur iuſſu Conſtantini. 117.a
Heretici cùm ſempiternas mortes faciant, temporales ſe perpeti conqueruntur. 130.b
Luctuoſiori morte alios in anima afficiunt, quàm ipſi in corpore afficiuntur. 117.a.b
Hereticos decem libris auri mulctãdos eſſe, lex Theoloſij. 122.b
Hereticorum furorem, Apoſtolico exemplo, brachio ſeculari reprimi poſſe. 96.b
Hereticos, martyres eſſe non poſſe. 117.a. & ſeq. iiſdem ad ſalutẽ nihil prodeſſe pſeudomartyriũ 119.b.120. a

*Hieronymus.*

Hieronymus ſic in Eccleſia laborauit, vt eruditionem Catholicam multis & neceſſariis literis adiuuerit. 104.a
Hieronymi liber in Danielẽ, diligenter eruditéque conſcriptus. 506.b

*Hiſtoria.*

Hiſtoriarum cognitio vtilis ad intelligendas ſcripturas. 71.a

*Homo.*

Homo ſecũdùm rationalẽ mẽtẽ factus ad imaginẽ Dei. 207.a
Homo naturalem innocẽtiam in Adę preuaricatione perdidit. 136.b
Homo poteſt nihil illicitum appetere. 261. a. peccati deſideriis non obedire. 262.a
In homine cauſa eſt, ſi non adiuuatur à Deo. 197.a
Homo ſeipſum, qualis poſtea futurus ſit, non videt. 214.a
Homo de ſua cõuerſatione minimè ſecurus, quãdiu viuit. 214.b

*Homouſion.*

Homouſion ſcriptum non inuenitur, & tamen creditur. 75.b

*Honor.*

In honorem Sacramenti placuit Spiritui ſancto, vt in os hominis ante reliquos cibos, Dominicum intraret corpus. 345.b
Qui honorat martyres, Chriſtũ honorat. 414.b

*Hymni & Pſalmi.*

Hymni & Pſalmi canuntur in Eccleſ. exẽplo & precepto Domini eiúſque Apoſtolorũ. 79 b
Hymni canebãtur ante oblationẽ, ſiue cũ diſtribueretur populo quod fuiſſet oblatum. 486.b
Hymni & Pſalmi, quãdo & quare more Orientaliũ, in Occidẽte frequentari cœperint. 487 a
D. Athanaſius ſic recitari pſalmos iubebat, vt pronunciari

potius quàm cani viderentur. Ibidem.
Hymnos & Pſalmos canendi in Eccleſia vſus ex ſcripturis defendi poteſt. Ibidem.
Hymni & orationes veſpertinæ. 497.b 423.b
Hymnos laudéſque Dei de Eccleſia deperiiſſe propter immanitatem Vuandalorum, dolet Auguſtinus. 487.b.

I.

*Iacobus Apoſtolus.*

Iacobi epiſtola canonica. 63.b. 64.a.
Iacobus Pauli interpres in materia de iuſtificatione. 252.b
Iacobus Apoſtolus ſcribens fidem ſine operibus mortuã eſſe, voluit corrigere eos, qui malè intellexerant Paulum 253.b
Iacobus Apoſtolus etiam dæmonibus comparat eos, qui dicũt fidem ſine operibus valere ad ſalutem. 257.b
Iacobus vehemẽter infeſtus iis, qui ſine operibus fidem valere volunt. Ibidem.

*Idololatria.*

Idololatræ qui dicantur. 36.a.
Idololatria punita quondam à Chriſtianis Imperatoribus. 117.b.

*Idolothyta.*

Ab idolothytis abſtinendum eſſe. 447 a
Nicolaitarum hæreſis, ab idolothytis non abſtinere. Ibidem.

*Ieiunium.*

Ieiunium in Euãgelicis & Apoſtolicis literis præceptum. 434.a.
Sponſo ablato ieiunandum eſſe. 442.a.
Chriſtus ſuo exemplo docuit tentationis tempore nobis eſſe ieiunandum. 434.b
Ieiunium Ioannis Baptiſtę. 436.b
Aliud eſt ieiunium, aliud temperantia. 432.b 433.a
Non ieiunare, non ſemper eſt malum: non eſſe temperãtem, ſemper eſt malum Ibidem.
Ieiunantes ſemel reficere corpus per diem. 433.a
Ieiunium & oratio ad Dei cultũ pertinent. 434.b
Vtilitas ieiuniorũ. 434.b 435.a.b 437.a.b. 438.a.
Ieiunium valet ad opem diuinã & veniam peccatorum impetrandam. 435.a
Ieiunium & oratio, arma ſunt aduerſus improbas cogitationes & tentationes. 434.b 436.a.b
Ieiunio propitiatur Deus pro peccatis. 434 a
Ieiuniis curantur vulnera peccatorum. 436.a.b. 437 a
Ieiunium reducit hominem ad paradiſum. 436.b
Ieiunio mens purior & aptior redditur ad res diuinas percipiendas & faciendas. 442.b
Tunc erũt Deo accepta ieiunia, ſi operibus ſanctis fuerit expiata conſcientia. 438 a
Tempore Heſter periculum à Iudaico populo propulſatũ per ieiunia Ibidem.
Niniuitæ ſe & ciuitatem ieiuniis liberarunt. Ibidem.
Quidã dæmones niſi ieiuniis & orationibus eiici non poſſunt. 436 b
Ieiunium Moſis & Eliæ meritorium. Ibidem.
Ieiunium aut abſtinentiam nihil prodeſſe, hæreſis Iouiniani eſt. 348 a. 444.b
Ieiunium publicè indicebatur. 435.b
Ieiunia ſolennia Chriſtianorum, circa diem Paſchæ, atque ſtatis ſimiliter aliis temporibus. 433.b
Ieiuniorum diuerſæ in diuerſis locis obſeruationes, varietate veſtis filiæ regis ſignificatæ. 438 b 439.a
Ieiunandum ſecundùm morem Eccleſiæ in qua verſamur. 438.b
Feria quarta & ſexta olim maximè ieiunabat Eccleſia. 439.a. b. & quare. Ibidem.
Romana plebs quarta & ſexta feria & Sabbato ieiunare ſolita. 433.b
Aërius hęreticus noluit ſtatuta ſolenniter ieiunia celebrari, ſed ieiunare quemque quando voluiſſet. 435.b
Die Dominico ieiunare, ſcandalum erat. 440.a
Ieiunia votiua. Ibidem.
Ieiunia triduana. 433.b
Multi in monaſteriis quinquies in hebdomada ieiunabant. 433 b
Exemplum memorabile cuiuſdam, qui totos dies. 40. continenter ieiunauit. 440 a

*Ignis.*

Ignis poſt mortem, alius æternus, alius purgatorius. 396.b
Igne tranſitorio non purgamur à mortalibus culpis. 222 b
Ignis ęternus pro diuerſitate meritorum, aliis erit grauior, aliis leuior. 171.
Ignis inferorum corporeus. 517.b
Minis ęterni ignis prohibentur homines à malo, & inuitantur ad bonum. 519 b

*Imago.*

Imago Dei in homine per peccatum deformata. 133 b
Imaginis Chriſti crucifixi vſus. 489 a
Preces ad imaginem Crucifixi factas, & honorem illi exhibitum, ad prototypon referri. Ibidem.
Imagines Chriſti & Apoſtolorum in primitiua Eccleſia. 84.a

*Imperator.*

Imperatoribus Chriſtianis Eccleſiæ tutela commiſſa. 121.a
Imperatores contra hęreticos leges proponunt. 57.b
Imperatorum edicta aduerſus hęreticos Donatiſtas. 122.b 123 a
Imperatores teſtamenta hęreticorum valere noluerunt. 123 b
Imperatores audiunt & ſequuntur Apoſtolicę ſedis iudicium. 128.b
Imperialium timore legum, multę ciuitates factę Catholicę. 126.a.b 127 a.

*Impœnitentia.*

Impœnitentia vſque ad mortem, peccatum in Spiritum ſanctum, quod nunquam remittitur. 232.b.233 a
Infantes *quære* Paruuli.

*Inferi.*

Inferos ſub terra eſſe. 393 a

*Infidelitas.*

Infidelitas non ſola excludit à regno Dei. 223. a. b. & ſequ. neque ſola peccatorum mortale eſt. Ibidem.
Infidelitas dæmonibus peiores & tardiores facit. 258.a

*Inuocatio Sanctorum.*

Inuocantur in ſacris literis etiã homines defuncti. 415.b.
Iob Sanctos vel Angelos inuocat. Ibidem.
Inuocantur Sancti in morem litaniarum. 416.a
Inuocat Auguſtinus D. Cyprianum. Ibidem b
Inuocatio ſanctorum martyrum, miraculis confirmata. Ibidem.
Florentius quidam viginti martyres clara voce vt veſtiretur orauit, & per miraculum impetrauit. 416 b
Intercedite & orate conſtanter atque indeſinenter pro nobis miſeris, &c. 417.a
Inuocatur B. Virgo. 416.a
Humilis quiſque cuique Sanctorum ſe commendat & dicit: Memor mei eſto. 417.b
Sanctis, tanquam patronis, mortui commendandi. 415.b

*Iudas.*

Iudas Euchariſtiam, ſicut cæteri Apoſtoli, accepit. 280.b 331.a
Malè accipiendo Euchariſtiam, locum in ſe Diabolo præbuit. 330.b.
Ex vna re ſancta Iudas ſibi ſumebat iudicium, Petrus ſalutem. Ibidem.
Iudam permiſit Dominus accipere precium noſtrum. 313.b
Iudas Chriſti bonum corpus malè accepit. 330.b

*Iudicium.*

Iudicium erit ex eo quòd homo ſuam, nõ Dei executus eſt voluntatem. 167.b
In errore eſt, qui putat non iudicari hominem ſecundùm opera ſua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio. 515.b
Iudicabitur quiſque ex iis quæ geſsit, non ex iis quæ geſturus erat, ſi fortè ſuperuixiſſet. 215.b
Dies iudicij dirimet carnales per ignem ſaluandos, & carnales in igne damnandos. 404.b
Ad iudicium non veniunt, nec Pagani, nec Hæretici, nec Iudæi. 515.b.516.a

*Iuſtificatio.*

Iuſtificare eſt, ex impio iuſtum facere. 207.a
Iuſtificari gratis quid ſit. 192.b
Aliud eſt iuſtificari, aliud iuſtificari apud Deum. 170.b
Iuſtificantur fideles per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritualis. 173.b
Ad iuſtificationem cooperari liberum hominis arbitrium, è ſcripturis probatur. 195. b & ſequen.
Iuſtificatio non fit ſine hominis voluntate. 196.a.b
Hominis eſt per ſeipſum aliquid agere in iuſtificatione. 195.a. conſenſione aliquid agere. 163. b. adiungere voluntatem ſuam Deo. Ibidem. pulſanti & ad oſtium præſtolanti aperire. 164. a. eligere vias mãdatorũ Dei. Ibidem. parare locum Deo, nõ Diabolo. 164. b. acquieſcere ſalutiferæ inſpirationi. 197. a. accipere quod Deus dat. 163.a.b.
Si nihil agit aut operatur homo, Deus adiutor aut cooperator eius eſſe non poteſt. 164.b
In iuſtificatione homo agitur & agit. 195.a.b
Conſentire vel diſſentire vocationi Dei, propriæ voluntatis eſt. 197.b
Iuſtificatio non quaſi dormientibus fit, aut nihil conantibus. 196.b
Qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te: qui fecit neſcientem iuſtificat volentem. Ibidem.
In iuſtificatione hominis, quid diuinæ gratiæ, & quid libero debeatur arbitrio. 197.a
Quomodo ex operibus & ſine operibus iuſtificatus Abraham. 204.a 252.b
Iuſtificari hominem per fidem quomodo intelligendum. 204. a & ſequ. 200. a b. 201 a. 223. b & ſequ.
Iuſtificationis gratia, in aliis maior, in aliis minor. 209.a.b
Augenda eſt atque perficienda. 196.b
Iuſtificatorum iuſtitia creſcit, quando proficiunt. 211.a
Iuſtificatus ſecuritatem perſeuerandi ſibi promittere non debet. 214.b
Iuſtificatus qui ſtatim moritur, ſine conſequentibus ſaluatur operibus. 204.a
Iuſtificatus, in malam vitam, ſua voluntate, relaſpus, non poteſt dicere, ſe non accepiſſe gratiam. 287.a

*Iuſtitia.*

Iuſtitiæ originali retinendæ non ſufficiebat liberum arbitrium. 167.a
Iuſtitiam diuinitus nobis dari. 191.b
Iuſtitia Dei homo iuſtificari dicitur, non qua Deus iuſtus eſt, ſed quam dat homini Deus. 206. a. qua induit hominem, quando iuſtificat impium. Ibidem b
Iuſtitia Dei dicitur, quæ ex Deo eſt, cuius largitate homini donatur. 207.a
Iuſtitia, interioris hominis pulchritudo. 206. b. initium habet à fide. 257.b.258.a
Iuſtitia Dei non eſt in homine abſque eius voluntate. 196.b
Iuſtitia in aliis maior in aliis minor eſt. 209.a.b
Iuſtitia huic vitæ competens, etſi imperfecta, non tamen culpabilis cenſenda. 261.a
Iuſtitia in quibuſdam, pro huius vitæ capacitate, perfecta dicitur. 190.a.263.b
Iuſtitiæ perfectio poſsibilis, etiã in hac vita. 195.b
Iuſtitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemoſyna & oratio. 263.a
Iuſtitia hominis, in caſtigatione corporis, orationibus, eleemoſynis atque aliis operibus miſericordiæ. Ibidem.
Quantavis iuſtitia quis ſit prędi tus, timere debet ne quid in ſe lateat, quod Dei ſit culpandum iudicio. 214.a.b.215.a
Iuſtitia ex lege, & iuſtitia ex

Deo, quomodo differant. 238.b

Iuſtitia Cornelii non illi proderat, antequàm coniungeretur Eccleſię, ad capeſcendum regnum cœlorum. 170.a.b.

Iuſtitia legis temporale habet premium. 170.b

*Iuſtus.*

Iuſti habent ſua merita. 263.b. & ſequen.

Non quiuis iuſtus, continuo eſt & prędeſtinatus. 215.b

Iuſti de ſua perſeuerantia incerti. 214.a.214.b.215.a.b

Iuſti diuerſa ratione filii Dei, & mali dicuntur. 212.a

Iuſtè viuere quidam incipiunt, qui poſtea tamen cadunt. 213.b

Saul aliquando iuſtus, poſtea reprobus. 216.a

Similiter Salomon prius bonus, poſtea malus. 217.b

Iuſtus eſſe deſinit, qui accepta fide malè viuit. 252 b

Iuſti quandiu hîc viuunt, filii Dei ſunt, & filii ſeculi: quatenus filii Dei, non peccant, ſed quatenus filii ſeculi. 210.b

Iuſti quare procreent filios infectos peccato. 212.b

Quomodo iuſti legitimè vtantur lege. 203.b

Iuſti per peccatum ſubduntur Diabolo. 135. b. & acceptam gratiam amittunt. 217.b

Iuſtos nullum habere peccatum, Pelagianorum hereſis. 348.a

K

κύριε ἐλέησον.

Κύριε ἐλέησον etiam in diuinis vſurpatum officiis. 345.a

L

*Lapſi.*

Lapſis, pœnitentiam ſupereſſe. 215.b

Lapſis neceſſaria humilitas maioris pœnitentię, ad delenda grauiora peccata. 231.a

*Vide* Pœnitentia & Confeſſio.

*Latria.*

Latria propriè ſoli Deo debetur. 36.a.b.37.a.417.b.

Latria quędam propriè diuinitati debita ſeruitus, vt eſt oblatio ſacrificii. 340.b

Quęcunque ad latriam pertinēt, non ſanctis, ſed Deo ab hominibus conſtituuntur. 414.b. 415.a

Latria etiam Spiritui ſancto debetur. 36.b

*Lector.*

In Lectoris ordinatione cerimoniæ. 364.a

Lectores coguntur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. 468 b

*Lex.*

Lex ęterna, voluntas Dei. 218.b

Lex à gratia diſtinguitur. 239 a.b

Lex Chriſti, mandatum dilectionis. 236.b.

Lex Chriſti, Euangelium Chriſti. 234.b

Lex noua quinquageſimo die poſt reſurrectionem Chriſti in tabulis cordis ſcripta. 234.b 239.a 259.a.

Lex noua miniſtratio ſpiritus & iuſtitiæ dicitur. 235.a.

Legis Chriſti inchoatio ſub Moſe pædagogo facta. Ibidem.

Lex factorum & lex fidei quomodo differant. 239.a.

Lex fidei in homine ſcripta, charitas eſt. 207 b.

Lex ſtatuitur per fidē, quia quod iubet lex, efficit fides. 189 b.

Quod lex operum imperat, hoc lex fidei credendo impetrat. 189.a.

Lex fidei in Euangelicis & Apoſtolicis ſcriptis etiā iubet non concupiſcere. Ibidem.

Lex adducit ad fidem, fides impetrat charitatem, charitas implet legem 189 a. Lex data, vt gratia quæreretur: gratia data, vt lex impleretur. 238.b 245 a.

Lex cum gratia, iam non eo modo lex appellatur, ſicut ſumpta per ſeipſam, cū occidit. 246.a.

Lex vetus, Chriſti lex eſt, cū impletur charitate. 248.b.

Sub lege eſſe, quid ſit. 242 b. 243.a.b.

Legis tempore Sancti non erant ſub lege, ſed ſub gratia. 249.b.

Lex quomodo etiam iuſtis poſita ſit. 254.a.

Legis cor in decem præceptis agnoſcitur. 258.b.

Lex non impletur ſine libero arbitrio. 175.a.b.

Legis cærimoniæ abrogatæ, non morū aut fidei præcepta. 241 b

Leges ab Imperatoribus latæ cōtra hæreticos. 123.a.b.124.a.

Lex auraria & teſtamentaria contra hæreticos. 96.a.b.123.a.b.

Lex, ne Donatiſtarū hæreſis eſſe ſineretur impunè. 122.b.

*Libertas Chriſtiana.*

Libertas Chriſtiana in eis etiam eſſe poteſt, qui Dominis temporalibus ſeruiunt. 256.a.

Non repugnat legibus & ciuilibus inſtitutis, quibus pax terrena cōſeruatur, aut quæritur. 254.b. nec in eo poſita eſt, vt liceat quicquid libet. Ibidem.

Liberat ſuos Chriſtus non à barbaris, aut à corporis captiuitate, ſed à Diabolo & omni iniquitate. 255.b.

Liberati à peccato, ſerui efficimur charitatis & iuſtitiæ. Ibidē

Liberaliter Deo ſeruit, qui libera voluntate ſeruit. 157.a.

*Liberum arbitrium.*

Liberum arbitrium omnis mali cauſa. 158.a b.

In Adamo ante lapſum quale fuerit. 166.a.b

Adæ peccato non periit. 158.b. manet ad quęrendam ſalutem. 197.a. vulneratum peccato viuit in homine. 176.b.

Libertas habendi plenam cū immortalitate iuſtitiā periit per peccatum Adæ, non autem liberū hominis arbitriū. 158.b.

Liberum arbitrium ſcripturis noui & veteris Teſtamēti aſtruitur. 159.b.160.a.

Libertas arbitrij ad rectè faciendum data, non autem ad peccandum. 157.b.158.a.

Liberum arbitrium ſi non dediſſet homini Deus, iudicium puniēdi nullū iuſtū eſſet, nec meritū rectè faciēdi. 157.a.158 a b

Liberū arbitriū ſine gratia valet in operibus vitæ preſentis, tam

bonis quàm malis, non tamen in iis quę ad Deum pertinent. 171.b.
Libero ſublato arbitrio, quæ cõſequerentur abſurda. 157.a.
Faciunt naufragium, qui liberum tollunt arbitrium. 500 a.
Liberum arbitriũ non tollit Auguſtinus, cùm gratiã Dei prædicat. 175.b.176.a.
Liberũ arbitriũ à gratia iuuatur. 176.a.b. nõ ideo tollitur quia iuuatur, ſed ideo iuuatur quia non tollitur. 157.b.
Per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur. 175. a. b. 189. b. per prędicationem gratiæ nequaquã deſtruitur. 175.a,b. ſic adiuuatur à gratia, vt faciat quod iubetur. 176.a
Liberũ arbitriũ non negat Apoſtolus, cùm dicit: Deum operari in nobis & velle & operari, pro bona voluntate. 175.a. ſed neque Cyprian⁹, etſi Deo totum tribuit, quod rectè viuimus. 172 b.
Liberum arbitriũ nulli neceſsitati ſubiicitur, quæ adimat libertatem. 159. a. b. nulli fato ſubiacet. 162.a.b. 163.a.
Liberum arbitrium in anima eſt, vt ſeruiat Deo voluntate, non neceſsitate. 157.a.
Liberum arbitrium, ſiue in vitam bonam ſiue malã, fides ſana Catholica non negat. 161.a.
Et in peccatis & in rectè factis, liberum homo habet arbitrium. 158.a. 159 b.221.a.
Libero arbitrio benè vel malè viuitur. 162.b.
Conſenſio ad malum vel ad bonum, non niſi à libera voluntate eſt. 163 b.
Libera voluntate fit conſuetudo peccandi. 157.a.
Libero arbitrio peccat, quiſquis peccat. 161.b.
Non conſentire Diabolo, Deus in hominis voluit eſſe poteſtate. 163.a.
Per liberum arbitrium, rationalis creatura creatorem ſuum contumaci inobedientia deſerit, & peccatis ſe inuoluit. 158.b.
Liberum arbitrium ad malũ ſufficit ſibi, ad bonum nõ niſi adiuuetur à Deo 166.b 158 b. valet ad opera bona ſi diuinitus adiuuetur. 168.a.
Arbitrio voluntatis venimus ad Chriſtum, ſed non niſi gratia eius adiuti. 172.a.
Conſentire vel diſſentire Dei vocationi, propriæ voluntatis eſt. 197.b.
In libero arbitrio habet homo, vt credat liberè & accipiat gratiam. 157.b. Vt ſalutiferæ inſpirationi acquieſcat. 197.a.
Per liberum arbitrium ſubdit ſe ſanandum optimo medico Deo. 157.a.
Mutare in melius voluntatem, in hominis poteſtate eſt. 196.a.
Sine libera voluntate, nõ poteſt homo rectè viuere 157 b.
Per liberũ arbitriũ, iuſtitiæ dilectio: per iuſtitiæ dilectionem, legis operatio. 175.b.
Voluntas hominis tantò eſt liberior, quantò gratię ſubiectior. 168.b.
Liberũ arbitriũ in iuſtificatione & agitur à Deo, & cum eo aliquid agit. 195.b.
Liberum arbitrium in iuſtificatione aliquid agere, ſcripturis probatur. 163 a b 195.b 196.a.
Veteres libero arbitrio, ſecundum propriæ voluntatis merita iudicium reportabunt 515.b.
Liberum arbitrium, qui nugatoriis rationibus labefactare conantur, cæci ſunt. 158 a.
Liberũ arbitrium quiſquis negat, Catholicus non eſt. 160.b.
Liberam eſſe hominis voluntatẽ, negabant Manichæi. 162 a.

*Linguarum peritia.*

Linguarum, Græcæ & Hebraicæ vtilitas in interpretandis ſcripturis. 70 a.

*Lymbus Patrum.*

Lymbus Patrũ. 33.b.34.a.b 135.a.

M.

*Machabæi.*

Machabęorũ libri canonici ſunt. 63 b 64.a.

*Mali.*

Mali in Eccleſia bonis permixti, vſque ad cõſummationem ſeculi. 52.b.
Mali ad Eccleſiam pertinẽt, ſicut ad aream paleæ quandiu trituratur. 50.b.51.a.52.a.
Mali, etiam in veteri Teſtamẽto, iiſdem Sacerdotibus & ſacrificiis vſi cum bonis. 51 b 52.b.
Malos in Eccleſia bonis miſceri, ſcripturis probatur. 52 b 52.a.
In omni ſocietate hominũ ſemper malos fuiſſe bonis permixtos, è ſcripturis deducitur. 484 b.
Mali ad bonum cogendi. 59.a.
Etiam mali, miniſtri eſſe poſſunt ac diſpẽſatores verbi & Sacramenti. 366.a. per malos miniſtros quomodo operetur Spiritus ſanctus. 279.b.& ſeq.

*Mandatum.*

Mandata Dei à ſingulis obſeruari poſſe. 252 a.
Mandatum charitatis quomodo nouum dicatur. 236.b.

*Manichæi.*

Manichæus Spiritũ ſanctũ, ſuum genium appellabat. 39.a.
Manichæi ſcripturas noui Teſtamenti nõ integras recipiebãt, vet⁹ planè reſpuebãt 62.b.63.a
Manichæi inter ſe diuiſi. 112.a.
Manichæorum electi manus imponebant, tãquam ſi clerici eſſent, vel Epiſcopi. 366.a.
Manichæorũ inſaniſsima doctrina de animarũ metempſychoſi, & ciborũ delectu. 445.b.446 a

*Manus impoſitio.*

Manus impoſitio. 311.b 492.a.
Manus imponendi morẽ, in ſuis præpoſitis, etiam nunc ſeruat Eccleſia. 312.a.
Per impoſitionem manus inuiſibiliter & latenter datur Spiritus ſanctus. 310 a 311.b.
Per manus impoſitionẽ dare Spiritum ſanctum, ad ſolos Epiſcopos pertinet. 312 a.
Manus impoſitio ſupra pœnitentes, in eorundem reconciliatione. 359.b.369 a.493.b.
Propter charitatis donũ, reſipiſcentibus hæreticis imponitur manus. Ibidem.
Per man⁹ impoſitionẽ Timothe⁹ laicorũ numero exẽptus. 365.b.
Manus impoſitio in catechumenos. 493 b.

*Maria virgo.*

Mariã perpetuam virginẽ fuiſſe, credimus abſque expreſſo ver

bo Dei. 75.b.
Poſt partum virginem non fuiſſe, Heluidiana hæreſis. Ibidem.
Mariæ plus gratiæ, quàm cæteris Sanctis collatum propter filiũ. 229.a.
Mariȩ virginitas Deo dicata, antequam ex ea Chriſtus conciperetur. 459.a.
Maria virginitatẽ vouit: & quare. Ibidem.
Maria virginitatem Deo dicauit, cùm adhuc, quid eſſet conceptura, neſciret, ſtatuens virgo permanere. Ibidem.
S. Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes. 416.a.

*Martyr.*

Memoriæ martyrum, ſepulchra, & oratoria. 420.b.
Martyrum memoriæ quare honorandæ. 340.b.
Quare apud martyrũ memorias altaria conſtruantur. 415.a.
Obſequia religioſorum in martyrum locis. Ibidem.
Honoramus memorias martyrũ tanquã Sanctorũ Dei. 414.b
Torquentur dæmones apud Sanctorum martyrum memorias. 420.b. 422.b. & diuerſa miracula fiunt. 495. a.
Colimus martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, ſed illos tantò deuotius, quantò ſecurius poſt incerta omnia ſuperata. 340.b.
Martyrũ nomina ſuo loco & ordine in ſacrificio nominantur. 341.a. 421.a.
Martyrum cultus. 417.b.
Martyrum cultum, à paganis & hæreticis, idololatriã eſſe appellatam. 418.b. 419.a.
Quid reſpondendum iis, qui cultum martyrum idololatriam vocant. 415 a.
Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolennitate cõcelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur. Ibidẽ.
Qui honorat martyres, honorat & Chriſtum. 414.b.
Quotieſcunque Sanctorũ martyria celebramus, toties laudes ſaluatoris edicimus. 431.b.
Sacrificare Deo in memoriis martyrum, frequentiſsimum olim Chriſtianis. 418.a.
Martyrum in ſacrificio commemoratio fit, non ſicut aliorum defunctorũ, vt pro eis oretur, ſed magis vt orent ipſi pro nobis. 402.a.b.
Ad altare cõmemoratio martyrũ fit, vt pro nobis orẽt. 420.b
Sancti martyres angelis ſanctis cœleſti honore ſociati. 415.a.
Martyres omnes qui cum Chriſto ſunt, interpellant pro nobis. 413.b.
Orationibus ſanctorum martyrũ propitiatur Deus peccatis populi ſui. Ibidem.
Certum eſt per martyres nos adiuuari. 421.b.
Iniuria eſt orare pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendari. 421.a.
Martyrem non facit pœnã, ſed cauſa. 118.b. 123.b
Martyrium extra Eccleſiã nihil prodeſt. 119.b. inter paganos ab hæreticis ſuſceptum, prodeſſe poteſt ad æterna ſupplicia tolerabilius ſubeunda. 171.a.
Martyrium ſupplet locum baptiſmi. 285.b. 286.a

*Mathematici.*

Mathematici, qui actiones humanas ſubiiciunt fato, reprehenduntur. 163 a
Mathematici dum peccatorum cauſas aſtris tribuunt, Deum ipſum aſtrorum auctorem accuſant. 220.b

*Matrimonium.*

Matrimonium in Eccleſia inſolubile propter ſignificationẽ Chriſti & Eccleſiæ. 379.a. 383.b
Ratio Sacramenti, inter ſteriles cõiugium facit manere. 376.b 379.a.b. 380.a
Vxorem propter ſterilitatem dimittere non licet. 278.a
Neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito, alteri coniugantur. 283.b
Mœchatur, qui aliam duxerit, relicta propter fornicationem priori. 385.a
Niſi actus matrimonialis aliquãdo peccatum eſſet, non expiaretur igne, nec illud Apoſtolus ſecundùm veniam concederet. 391.a
Qui matrimonio iunguntur, non cauſa prolis ſed libidinis, tabulas matrimoniales fallunt. 390.b
Manichæorum hæreſis eſt, vxores habere non ad procreandam prolem, ſed ad ſatiandam libidinem. 391.b
In cõiungendis matrimonio perſonis, quare habenda fuerit ratio graduum cognationis. 389 b. 390 a.b
Reprehenduntur ethnicorum leges, quæ permittebant matrimonium inter fratrem & ſororem. 390.a
Conſobrinorum etiam prohibita iam olim coniugia. 390.b
Non licere vni viro plures eodem tempore habere vxores. 378.a. ex ſacra ſcriptura probatur. b
Vagi concubitus auctorem, Simonem magum eſſe. 388.a
Confirmatam deinde hæreſin à Saturnino eiúſque ſequacibus. Ibidem.
Nicolaitæ, à Nicolao vno ex ſeptem diaconis, & ipſi vſum indifferentem fœminarum habuere. ibidem. & b

*Vide* Diuortium & Repudium.

*Mediator.*

Abſque Mediatoris fide nemo vnquam ſalutem eſt conſecutus. 29.b. 198.b.
Mediator Chriſtus. 30.b. per quid ſit mediator. 29.a
Mediatrix eſt humana diuinitas & diuina humanitas Chriſti. ibidem.
Nec in bona conuerſatione, neque in vnius Dei cultu poteſt eſſe ſalus abſque mediatore Chriſto. 29.b
Mediatores Sancti. 30.b
Mediatrix Maria. 31.a
Mediatores Apoſtoli & Prophetæ. 31.a b
Mediator Sacerdos. 355.a

*Melchiſedech.*

Melchiſedech figura ſacerdotij Chriſti. 336 b. 337. a. b

*Mendacium.*

Mendacium officioſum, pecca-

tum veniale eſt. 221.b

*Merces.*

Merces vitæ æternæ iis tantummodo datur, à quibus hîc mercedis meritum comparatur. 264.a
Mercedis debitor Apoſtolo, Deus. 265.b.266 a.b
Mercedem negare non poteſt Deus inſpecto opere 265.b
Noluit Deus qualemcunque etiã Romanorũ virtutem, ſua mercede fruſtrari. 269.a
Merces Sanctorum, vita æterna. 269.b
Merces & corona à Deo, bonum autem opus ab homine, adiuuante Deo. 265 b
Mercedem reddendo, Deus iuſtus eſt. 266.a

*Meritum.*

Merita incipiunt à gratia. 204.b 264.b. & ſeq.
Meritum, etiam ante peccatum, nullũ fuiſſet ſine gratia. 265 a
Meritum ex qualitate vitæ habetur. 254 a
Meritum bonum habet homo, cũ gratiæ Dei, bona in ſe operanti, cooperator exiſtit. 263 b
Meritum acquirit homo, adiutus à Deo. 167.a
Meritum iuſtorum futuram vitam reſpicit. 263.b
Meritum bonũ coronabit Deus, quando iudicabitur mundus. 264.a
Meritis præcedentibus tanquam præmium æterna vita retribuitur. ibidem.
Merita & præmia inæqualia in domo Dei. 270.a
Merita diſparia, virginum, viduarum, & coniugatorũ. 269.b
Merita diſparia, & honores Sanctorum diſpares, ſignificantur in Euangelio per multas manſiones. 270.a.b
Meritorum diuerſitate fulgent iuſti in cælo, alius magis, alius minus. 270.b
Meritorum in futura vita diſtantiam tollere, Iouiniani error eſt. ibidem
Meritis aliorum iuuari quoſdam ad miſericordiam & beatitudinem conſequendam. 171.b 172 a
Omne meritum in hac vita comparatur. 393.b.394.a
Meritis Sanctorum ſociari, vtile. 171.a b
Meritis eorũ quos diligit Deus, releuari poſſumus. 171.b

*Miracula ad reliquias & memorias Sanctorũ.*

Ad reliquias S. Stephani cæca mulier illuminata. 424.a
Lucillus Epiſcopus vectatione reliquiarum S. Stephani, à fiſtula ſanatus. 424.a
Eucharius tactu reliquiarum S. Stephani, à veteri morbo calculi liberatus. Ibidem
Idem Eucharius tactu tunicæ, ex memoria S Stephani allatæ, à morte ſuſcitatus. ibidem
Tres podagrici per eũdem martyrem, ad eius reliquias ſanati. 424.b
Puer rota currus obtritus, in memoria S. Stephani poſitus, reuixit, & illæſus apparuit. Ibidem.
Mortuus infantulus & ſuper memoriã S. Stephani à patre ſuo collocatus, ad vitam rediit. 425.a
Præſtigiæ admirabili ratione per S. Stephanum diſſolutæ. 425.b
Palladia quædam orando ad S. Stephanum, à grauiſsimo morbo liberata. 415.b
Multitudo miraculorum magna olim in Africa, apud reliquias S. Stephani. 425.a
Cæcus ad corpora martyrũ Prothaſij & Geruaſij Mediolani, Auguſtino præſente, illuminatus, & expulſus dæmon. 423.b
Fur animo peierandi ad memoriam ſanctorum veniens, ibi compulſus eſt furtum cõfiteri, & ablatum reddere. 430.a
Apud memoriam Sãctorum, dæmones mirabiliter, quæ nollent, confitentur. Ibidem.
Paulus quidã à membrorum tremore ad reliquias S. Stephani liberatus. 426.a
Simile miraculum factum & in puella quadam. 428.b
Inuocat pia mulier S. Stephanũ, confidens B. protomartyrem noſſe & videre ſuam afflictionem, & impetrat defuncto filio vitam. 429.a
Ad glorioſi martyris Laurentij memoriam, quidam membrorum tremore liberatus. 427.a
Plurima miracula Auguſtini tempore facta. 430.b
Deus miracula facit, orãtibus aut cooperãtibꝰ martyribꝰ. 431.b
Miracula quæ ad reliquias martyrũ fiunt, Chriſti fidem prædicant. 415.b. 422.a. 431.a. reſurrectionem cõfirmant. 431.a
In quibuſdã locis maiora operari Deũ miracula. 427.b. 430.a
Quare in quibuſdam locis quædam miracula fiãt, quæ in aliis non fiant, occultum Dei conſilium eſt. Ibidem.
Quemadmodum nõ omnes ſancti, dum hîc viuerent, habuerunt omnia dona, ita nec poſt mortem in omnibus ipſorum memoriis quælibet fiunt miracula. 430 b
Libellos miraculorũ olim in populo ab Epiſcopis euulgari ſolitos. 425.a
Exemplar libelli dati à Paulo quodã, atq; à B. Auguſtino ad populũ recitati. 426.b. 427.a.b
Sanctimonialis defuncta, cùm operiretur tunica ex memoria S. Stephani allata, ad vitam reuocata eſt. 424.b
Baſsi cuiuſdam filia ſimili miraculo per S. Stephanum à morte ad vitam reuocata. ibidem
Mortuus quidam oleo eiuſdem protomartyris vnctus, ad vitã reuocatus. 425.a
Flores ex altari S. Stephani allati, & ad caput ægrotãtis poſiti, infidelem conuerterunt ad fidem. 424.b
Per lapidem qui iectus fuerat in S. Stephanum, ac deinde in honore habitus Anconæ, facta miracula. 428.a.b
S. Felix Martyr Nolanis, cùm à barbaris oppugnarentur, manifeſtè apparuit, & auxilio fuit. 421.b
Quomodo appareant ſancti, in propria, an in angelorum perſona, incertum eſt. 423.a
Per diuinã potentiã martyres viuorum rebus interſunt. 421.b
Miracula publicanda ad ædificationem Eccleſiæ. 490.b

*Miſſa.*

Nomen Miſſæ ab Auguſtino &

Carthaginenſibus Conciliis vſurpatum. 341.b.342.a

*Monachus & Monaſteria.*

Propoſitum Monachorum ſanctum & bonum. 485.a
Monachorum vita in cœnobiis. 476.b
Hæretici iam olim Catholicis & Auguſtino inſultarunt, de nomine & inſtituto monachorum. 471.b.472.a
Hæreticis quare diſpliceat nomen monachorum. 470.b
Monaſteria fuerunt in primitiua Eccleſia. 471.a
Monaſteria, religionis veritate firmantur. ibidem.
Canticum illud: Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum, monaſteria peperit. 471 a.b
Monachorum inſtitutum ex filiis Prophetarum, & ex Apoſtolis originem accepit. 471.a
Terna monachorum milia ſub vno patre. 473.a
Auguſtini Monachi, & ipſi poſtmodum monaſteria multa inſtituerunt. 475.b
Monacho renunciandum omnibus quæ poſſidet, etiam propriis parentibus. 481.a.b
Monachus libertatem ſeculi, Chriſti ſeruitute commutat. 478.b
Per votum religionis, ſecularis omnis relinquitur ſpes, & vitę communis inſtituta capiūtur. 483.a
Quid ſit relinquere omnia & Chriſtum ſequi. 479 b
Abſtinentia à carnibus, vino, aliiſque cibis in monaſteriis. 473 a
In religione quanuis non ſit perfecta ſecuritas, tutiores tamen ſumus quàm in ſeculo. 483.a
Qui in religione pereunt, nauibus aſsimilantur quæ collidūtur in portu. 476.b
Quiſquis è monaſterio receſſerit, non talis habetur, qualis ille qui non intrauit. 483.a
Monachi ſanctum propoſitū votúmque deſerentes, rei fiunt voti non redditi. 476.b
Vt his qui in monaſteriis profecerunt, vix vlli meliores, ſic apoſtatis vix vlli deteriores. 484.b
Diſcedentes vel expulſi de monaſteriis, ad clericatum non admittendi. 484.a

*Monialis.*

Monialium laus. 473.b
Ad moniales nullus viris, niſi vſque ad veſtibulum, acceſſus. ibidem.
Iuuenis ſanctimoniales indiſciplinatas, nunquid ideo ſanctimonium reprehendendū eſt? 484.b. 485.a
Nunquid propter virgines malas, damnaturi ſumus ſanctas & corpore & ſpiritu? 485.a
Sanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur. 483.a
Sanctimonialiū veſtimenta, apta ſint profeſsioni. 496.a
*Vide* Virginitas.

*Monica.*

Monica moriens, memoriam ſui ad altare fieri deſiderauit. 335.a.401.b
Sacrificium precij noſtri pro defuncta Monica, Auguſtini matre, antequàm ſepeliretur oblatum. 401.a





*Mors.*

Mors non naturæ conditio, ſed pœna peccati eſt. 138.b 139.a
Mors hominis multiplex. 133.b
Mors tam animæ quàm corporis ex peccato Adæ eſt. 133.b & ſeq.

N.

*Natura humana.*

Naturæ duæ in vna verbi perſona non ſunt confuſæ, ſed inſeparabiliter in ſua ſingulæ proprietate permanent. 26.a
Secundùm humanam naturam, non eſt Chriſtus vbique. 27.a 28.b.35.a
Humana natura, hæres peccati primorum parentum. 136 a
Per peccatum Adæ ſecundùm corpus & animam in deterius eſt mutata. 136.a.133.a
Quod in Adamo fuit pœnale, id in naſcentibus ex eo hominibus, factum eſt naturale. 137 b
Humana natura ſine peccato, Deo adiuuante, eſſe poteſt. 261.a.b.262.a.b

*Nicænum Concilium.*

Nicæni Concilij Symbolum ab Auguſtino probatur. ***.b
Canones Nicæni Concilij, vt Epiſcopi grauioribus in cauſis accuſati, liberè ad Apoſtolicam ſedem appellent. 87.a.b
Concilio Nicæno cautum, ne in vna ciuitate duo ſint Epiſcopi. 368.a

*Nuptiæ.*

In Eccleſia, nuptiæ quoddam Sacramentum gerunt. 379.a
Nuptiæ fidelium à nuptiis ethnicorum Sacramenti ſanctitate diſcernuntur. 379.b
Vſque adeò fœdus nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat. 379.a
Cōcupiſcentiam carnis, in vſum iuſtitiæ conuertunt fidelium nuptiæ. 376.a
Bonum nuptiarum ad libidinem minimè referendum. Ibidem
Nuptialia bona ſunt tria, proles, fides, Sacramentum. 376.b. 379.a.380.a
Sancti Dei homines, quare nuptias neglexerint. 465.a
Nuptias damnare Tatianorum hereſis. 377.a. ſimiliter & Priſcillianiſtarum. ibidem.b
Secūdas nuptias damnabāt olim Cataphryges & Cathari cum Nouatianis. 349.a.377.b
Secundas nuptias minimè damnandas eſſe. 376.b.377.b
Polygamia in nouo Teſtamento damnatur. 378.a.b. & quę in veteri Teſtamento fuit, defenditur Ibidem.
Quare nunc non liceat plures ſimul vxores habere, cùm id tamen licuerit in veteri Teſtamento. 378.b
Nec in vxorem poſtea ducendam, cōcubinam habere licet. 382.b
Nuptiæ quales futuræ fuiſſent in paradiſo, ſi Adam non peccaſſet. 132.b.133.a.149.b

O.

*Obduratio.*

Obdurat Deus deſerendo, non adiuuando. 197.b

*Obedientia.*

Obedientia monachorum & auctoritas Abbatum. 473.a

Obedientia nulla eſſe poteſt ſine libero arbitrio. 157.b

*Oblatio & offerre.*

Chriſtiani, peracti in cruce ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. 334.a

Oblatio Euchariſtiæ ab aliarum rerũ oblatione diuerſa. 342.b

Sancti altaris oblatio offertur & vouetur Deo. 335.b

Oblatio Euchariſtiæ ante eius diſtributionem. 336.a

Oblationem ad altare, per Sacerdotem laici faciũt Deo 335 b

Non humana præſumptione, ſed auctoritate diuina aliud nunc offertur ſacrificium, atque offerebatur olim. 333 a

Simul cum oblatione veri corporis & ſanguinis Chriſti, myſticum corpus, quod eſt Eccleſia, offertur. 334 b

Alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi Sabbatho tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico. 327.b

Diaconi offerẽdi Euchariſtiam poteſtatem nõ habent, ſed ſoli Epiſcopi & presbyteri. 335.b

Melchiſedech panem & vinum obtulit Deo. 337.b 338.a

Tradidit Dominus in ſacrificio offerendum panem & vinum aquæ mixtum. 338.b

Hymni ante & poſt Euchariſtiæ oblationem decantati. 336 a

Oblatio pro ſpiritibus dormientium. 401.b.

Oblationes, orationes, erogationes, adiuuant ſpiritus defunctorum. 401.a. 493.a

*Oleum benedictum.*

Oleo S. Stephani vnctus mortuus redixit. 425.a

Oleum benedictũ, in infirmitate petendum ab Eccleſia. 361 b

Oleum baptizatorũ. 307.b.308.a

*Opera.*

Sine aliquibus bonis operibus difficillimè vita cuiuſlibet, etiam peſsimi hominis inuenitur. 170.a

Opera bona fidei coniungenda. 188 a b

Bene operari ſine fide, eſt extra viam currere. 253 b

Opera bona ſine fide Catholica neminẽ ſaluant. **.b. ***.a

Cùm dixit Apoſtolus, non ex operibus, non euacuauit opera bona, cùm dicat: Deũ reddere vnicuiq; ſecũdùm opera eius. 188.a. opus legis duplex. 251.b

Opera bona neceſſaria ſunt ad ſalutem. 252 b 253.a.b

Opera bona ad ſalutem non eſſe neceſſaria, non minus eſt contra Paulum, quàm bonis operibus, quæ viribus humanis fiũt, extolli. 267.b

In omni opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrij, id eſt, operatur Deus, cooperatur homo. 161.a

Opera bona, intellige meritoria, gratiam ſequuntur, non autem præcedunt. 188.b. ſequuntur iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum. 200.a

Operum præteritorũ merito ad iuſtificationem nõ peruenitur, benè tamen operari debet iuſtificatus. 252.b.253.a

Opera bona & nos facimus, & Deus facit vt faciamus. 184.b

Operanti Deo homines cooperãtur. 177.b.195.b 196.a.214.b

Ex operib⁹ liberi arbitrij bonis, homines Dei iuſtificati ſunt, iuſtificantur & iuſtificabuntur in Chriſto. 200.b

Iuſtificationem fidei opera bona conſequi debent, ſi homo ſuperuixerit. 204..a.b

Opus quod qui fecerit viuet in eo, nõ fit niſi à iuſtificato 251.b

Opera miſericordiæ ſalubria remedia contra reatum & vincula peccatorum à Domino ordinata. 229.b

Opus bonũ in ſola Eccleſia fructuoſum. 54.a

Bene operantium citò exauditur oratio. 436.a

Opus bonum propter vitã æternam ritè fieri. 267.a

Opus bonum ab homine, Deo iuuante, merces autem & corona à Deo. 265.b

Opera bona non fruſtrantur ſua mercede. 268.b

Operibus bonis quomodò vita æterna debita reddatur, cùm ab Apoſtolo gratia vocetur. 265.a.267.a.b 268.a

Opera pietatis quæ communiter in Eccleſia fiunt, pœnitentibus proſunt ad ſuam cõuerſionem. 271 b

Opera ſupererogationis. 457.a.b.458.a. 260.a

Omnia facta bona neceſſe eſt honorari in iudicio Ieſu Chriſti. 257 a

*Oratio.*

Oratio, donum Dei. 194.b

Oratione Dominica delentur quotidiana peccata. 229.b. 231.a

Oratio leuib⁹ peccatis delendis ſufficit. 231.a

Vis orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas, ieiunium, & eleemoſynam. 436.a

Oramus pro infidelibus, non ſolùm volentibus, verùm etiam repugnantibus. 173.a

Quare per interualla vocali oratione oremus ad Deum. 499.b

Orationes publicæ ad altare pro fidelibus. 345.b.346.a

Pro infirmis, pro carnalibus, pro Eccleſia & Epõ eius. 346.a

Pro variis rebus Deo publicè à Sacerdotibus, tãquam legatione pro Eccleſia fungentibus, ſupplicari. 342.a. idq; ad altare. 345.b. 346.a. fructus publicarum precationum. 342.a

Precationes ante & poſt conſecrationem habitæ, etiam temporibus Apoſtolorum. 342 b

Antiſtes clara voce in Eccleſia deprecatur. 487 a

Communis oratio voce Diaconi indicitur. ibidem

Orare verſus Oriẽtem, Apoſtolica traditio. 77.b

Quare Chriſtiani orarint olim verſi ad Orientem. 488.b

Orat Auguſtinus pro defuncta matre ſua Monica. 401.b

Leuatio manuum inter orandum. 488.b

Tunſio pectoris. 488.a

Externis geſtib⁹ in oratione homo ſeipſum excitat ad feruorẽ & humilitatem. 486.a

Tertia, ſexta, & nona. Ibidem.b

Orationes quorundam, in Domino quieſcẽtium, exauditas, docet experientia. 410.b

Orationib⁹ martyrum propitiatur De⁹ populi peccatis. 413.b
Orationem conſecuta ſæpe ſunt miracula. 415.b

*Ordo.*

Ordinationem ſacrã, Sacramentũ eſſe, nemo dubitat. 263.a
Ordo Sacramentum eſt, ſicut Baptiſmus, nec in Catholica reiterari poteſt. 362.b
Hæretici ad Eccleſiam redeuntes, non ſunt iterum ordinãdi, ſi legitimè antea ordinati fuerint. ibidem.
Semel ordinati, deinceps ordinationis ſuæ Sacramẽtum gerunt & retinent. 363.a
Sacramentum ordinis manet in remotis, aliqua ſua culpa, ab officio clericis. 362.b
Sicut baptizatus ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amittit, ſic etiam ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non amittit. 263.a
Ordo, Sacramentum dandi Baptiſmi. 362.b.363.a
In ordinatione dari Spiritum ſanctũ. 39.b.40.a.364.a & ſeq.
Cum traditione ordinis ſacri, ſimul Spiritus ſanctus infunditur. 364.a.b.365.a
Per miniſterium ordinantis, trãſfunditur gratia. 365.b
Spiritus ſanct⁹ miniſterium ficti miniſtri non deſerit, quo per eum ſalutem operatur aliorũ. 365 a
Spiritus gratiarum, legitimam ordinationem ſequitur, non dignitatem perſonæ. Ibidem.b
Qui ſanctæ conuerſationis eſt, non ex eo ſacerdotiũ ſibi vendicare debet. 365.a
Poteſtas ordinis nõ omnibus pariter Chriſtianis communis. 364.b
Manus impoſitio in ſacramento ordinis. 362.b
Semel ordinatis manus iterum non imponitur. ibidẽ.& 363.a
Ordinis miniſtri ſunt Epiſcopi. 363.b. 364.a
In ordinandis ætas etiam olim ſpectata. 375.b
Impedimenta ordinationis. ibidem.

*Oſtiarius.*

Oſtiarij ordinatio. 364.a

P

*Panis.*

Panis & calix noſter non naſcitur nobis, ſed certa conſecratione myſticus fit. 316.a
Panis, benedictionem accipiens, fit corpus Chriſti. 325.a

*Paradiſus.*

Paradiſi nomine ſæpenumero cœlum intelligi. 407.b

*Paruuli.*

Paruulos naſci, non propriè ſed originaliter, peccatores. 141.b
Non voluntate, ſed origine reos teneri. 295 a
Pro paruulis Chriſtus mortuus non eſſet, ſi peccatum originale non haberent. 149.b
Sine baptiſmo viuificari nõ poſſe. 294.b
Trahere peccatum originale, quod in baptiſmo remittitur, 294.b
Paruulis ꝑpter originalis peccati pœnã, neceſſariũ eſſe mediatoris Sacramẽtũ 296.b.& ſeq. 297 b. & gratia remiſsionis peccatorum.141.b.mox natos, eſſe baptizandos. 299.b
Recẽtes ab veteris matrum baptizandos eſſe.294 b.299.b 300.a non tamen niſi extra matris vterum. 300.a
Neceſsitas baptizandi paruulos, miraculo probatur. 429.a
Paruulos baptizandi auctoritas, per Dominum & Apoſtolos Eccleſiæ tradita. 295.a
In remiſsionem peccatorum eos veraciter baptizari.294.b.non in adoptionem filiorum tantùm. 295.a
Fruſtra baptizarentur paruuli, niſi peccato originali naſcerentur obnoxij. 296.a
Paruuli, tantùm originali peccacato in baptiſmo moriuntur, adulti autem iis inſuper quæ malè viuendo, originali addiderunt. 283.a
Verbis eorũ, à quibus portãtur, reſpondent ſeſe renunciare cõtrariæ poteſtati. 307.a.b
Antiquitus tradito & retento Eccleſiæ ritu, cũ exorcizantur & Diabolo ſe renunciare reſpondent, demonſtratur, à Diaboli eos dominatione liberari. 307.b
Paruulos erui à poteſtate tenebrarum & trãsferri in regnum Dei, Pelagiani negãt.157.b nec propter vitam æternam, ſed propter regnum cælorum baptizari eos affirmant. 297.b
Paruulis abſque proprio actu fidei vel pœnitentiæ, ſufficit ad ſalutem baptiſmus. 286.a
Iiſdem ſufficit, aliorum corde credere, & aliena lingua fidem profiteri. 299.b
Cur potius paruulo quàm adulto fides aliena prodeſſe poſsit. 302.a
Paruulo caritas Eccleſiæ prodeſt ad percipiendum ſpiritum ſanctum. 271. b. & eorum fides à quibus conſecrandus offertur. 302.a.b
Paruuli aliorum interrogatione & reſponſione, conſecrantur & purgantur. 302.b.349 b
Paruuli in numero credẽtium habendi. 303.a.b
Fide parentum fideles vocantur & credunt. 77.b.303.b
Ad verba aliena ſanãtur, quia ad factum alienum vulnerantur. 298.b
Paruuli baptizati, ex Eccleſiaſtica regula & conſuetudine, fideles vocantur. 303.a.b
Paruulis, vt fideles dicãtur, acquiritur per virtutem Sacramenti. 303 b
Non fides ſed fidei Sacramentũ, paruulum facit fidelem. 303.a
In paruulis baptizatis habitare Spiritum ſanctum. 298.a
Paruuli cùm poſt Baptiſmum careant peccato, luunt pœnas ex peccato relictas. 360 b
Paruuli per Baptiſmum ſpiritualiter participes fiunt corporis & ſanguinis Chriſti. 316.b
Gratiã acceptam in baptiſmate, niſi propria iniquitate, cum ætatis acceſſu tam malus euaſerit, amittere non poteſt. 287.a 350.a
Paruulus ante vſum rationis emigrans ex hac vita, per Sacramentum ſaluatur.303.b.& à ſententia damnationis planè liber in æternum manet cum Chriſto. 299.a

Paruulis ad ſalutem non ſatis eſt naſci à parẽtibus regeneratis. 300.b.& ſequ.
Non baptizati paruuli, in damnatione omnium leuiſsima futuri ſunt. 298.a
Paruuli exſufflantur ante baptiſmum. 306.b. 307. a. exorcizantur. Ibidem & 136.b.
Exorciſmus paruulorũ, antiquiſſima Eccleſiæ traditio. 98.b
Baptiſmus, vnctio, impoſitio manuum paruulis, etiam olim adhibita. 427.a

*Paſcha.*

Patrum concilia certum tempus celebrãdo Paſchatis feſto præfixerunt. 498.a
Ad obſeruationem Paſchatis, lunæ curſus adhibetur. 72.a
Ante tranſgreſſum æſtiualis æquinoctii & quartædecimæ lunæ perfectionem, non celebratur. 498.a
Paſcha Chriſtianorum in corpore & ſanguine Domini. 275.b
Cum mœrore quadrageſimam, cum lætitia Paſcha celebramus. 497.a
Cur inter Paſcha & Pentecoſten relaxentur ieiunia, & ſtando preces fiant, & Halleluia cantetur. 496.b.

*Paſſus.*

Non eſt paſſus Pater ſed Filius, paſsionẽ tamen Filii, & Pater & Filius operatus eſt. 16.b
Deum paſſum eſſe qua ratione rectè dicamus. 32.b
Secundùm carnẽ paſſus eſt Chriſtus, non ſecundùm illud, quo Dominus glorię eſt. Ibidem.
Secundùm illud paſſus eſt, quod pati poterat, ſecundùm ſubſtantiam aſſumptam. 33.a
Impaſsibilis eſt Dei filius ſecundùm Deitatem, vt Pater. Ibidem.
Nihil paſſum eſſe Chriſtũ apud inferos. 34.a. & ſeq.

*Pater.*

Pater genuit hoc, quod ipſe eſt. 21.a.b
Pater volens genuit Filium. 22.b
Pater ingenitus creditur, etſi ſcriptum in ſanctis paginis non inueniatur. 75.b

*Pater & Filius.*

Pater & Filius relationem ſignificant, non naturam. 22.a
Pater & Filius vnum principium Spiritus ſancti. 38.a
Genitum & ingenitum de Patre & Filio non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundùm relationem. 14.a.& ſequ.
De patre, prima in diuinis perſona, antiquorum errores. 18.a

*Patres.*

Patrum auctoritas magna in interpretandis ſcripturis. 69.a.b
A patribus petẽdam eſſe ſcripturę interpretationem. 101.a
Patrum vna in re conſenſus, quãtum pondus habeat. 100.b.103.a.105.b
Patres Occidẽtales ſufficere debent, nato in Occidenti Chriſtiano. 100.a.
Sancti Patres quare incorrupti iudices in controuerſiis poſterorum. 102.a 104.a
Quanta iniuria inferatur patribus, quando eorum fides hæretico furore cõſcinditur. 99.a.
Sancti Patres ea dicunt, vt ſe per eos veritas ipſa loqui teſtetur. 98.a
Patrũ fides, nõ ſecus ac ipſũ Euãgelium defendendum. 104.b
Patrum auctoritate hæreſes opprimendas eſſe atque conterendas. 98.a.& ſeq.
Patrum ſcripta, ſicut & ſcripturas, in alienum ſenſum heretici peruertunt. 107.b
Credendum ſanctis & vera dicentibus, & mira facientibus. 431.b
Si vllus in hereticis vel Dei timor eſſet, vel hominũ pudor, cùm ſe premi cernunt ſanctorũ Patrum teſtimoniis, erubeſcere deberent & veritati cedere. 98.b
Sanctos Doctores lumina ciuitatis Dei, nõ hoſtiliter inſectari ſed fideliter ſectari conuenit. 99.a
A quibus didicimus Chriſto eſſe credendum, ab eis quid Chriſtus dicat au velit, diſcamus oportet. 69.a
Catholicorum Patrum auctoritate infirmata, nec Euangelio credi poteſt. 68.b
Sancti Patres non ſolùm filii, ſed & Patres Eccleſię. 100.b
Sancti Patres poſt Apoſtolos, plãtatores ſunt, rigatores, ędificatores, paſtores, & nutritores Eccleſię. 104.b
Sanctorum Patrum ſententia prophanis hereticorum nouitatibus anteponenda. 103.a

*Paulus.*

Paulus Apoſtolus ab omni concubitu continebat. 470.b
Paulus Deum debitorem tenet. 265.b
Paulus poteſtate coërcendi vſus. 370.b
Paulus, Petri in martyrio Romæ comes. 83.b
Paulus & Iacobus dilucidè conciliãtur in materia iuſtificationis. 253.a.b

*Paupertas.*

Paupertatis votum ab Apoſtolis factum. 471.b 472.a
Paupere manducante de bonis tuis, prandet Chriſtus, qui ſe in paupere eſurire teſtatur. 437.a
Pauperibus erogandum, quod nobis ieiunio detrahimus. Ibidẽ.

*Peccatum.*

Peccati definitiones. 218.a.b. 219.a
Peccatum non eſſe niſi prauum liberę voluntatis aſſenſum, cũ inclinamur ad ea, quę iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere. 179.b
Peccati nomine, perperam facti actus, non ſubſtantia aliqua exprimitur. 219.a
Peccatorũ multiplex diſcrimen. 225.b.& ſequ.
Peccata vel ſunt infirmitatis, vel malitię, vel imperitię. 221.a
Peccata alia leuiora, alia grauiora 222.b.223.a. quędam mortalia, quędam autẽ venialia. 221.a.b & ſequ.
Peccata mortifera. 348.b

Peccatum veniale à flagitiis & facinoribus differt. 221.b
Peccata minuta, etſi animam non occidūt, deformāt tamen. & ab amplexibus cæleſtis ſponſi retardant. 399 b
Peccata venialia à vita æterna iuſtum non impediunt. 170.a
Peccata mortalia excludunt hominem à regno Dei. 108.b
Peccatorum aliquot mortalium & venialium enumeratio. 222.b 223.a
Peccatum eſt ex libero voluntatis arbitrio. 219.a
A peccatis abſtinere homini liberum. 218.b
Peccatum nullum eſt in eo, quod caueri non poteſt. 262.a
Peccatum iniuſtè vindicatur, niſi à voluntate fiat. 118.b
Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium eſt. 162.a
Non peccat, qui non propria voluntate peccat. 157.a.219.b. 220.a.b
Peccatum ignorantiæ, etiam ipſum voluntarium eſt. 220.a.b
Peccata damnanda non eſſent, ſi homo libero careret arbitrio. 158.a
Peccatum impletur conſenſione. 220.a
Peccare nemo cogitur. Ibidem.
Peccare poſſunt etiam homines ſpiritales. 218.a.& filii Dei. 212.a
Quare dicat Apoſtolus ſe venundatum ſub peccato. 211 b
Peccati reatus nullus cōtrahitur, ſi deſideriis vitioſis non conſentitur. 283 a
Sine peccato hominem eſſe poſſe in hac vita. 261.a.b.262.b
Sine peccato neminem in hac vita eſſe poſſe affirmans, & libero noſtro arbitrio, & Dei virtuti ac miſericordiæ derogat. 262.b
Peccata eſſe, quæcunque ab infidelibus fiunt, quo ſenſu verum ſit. 170 b.171.a
Quomodo ad peccandum non adiuuemur à Deo, ſed tantùm ad bene operandum, ſimilitudine edocetur. 262.b
Quibus modis Deus hominem armet contra peccatum. 146.b. 147.a
Quantò quiſque grauius peccauerit, tantò grauiora in inferno ſupplicia luet. 270.b.271 a b
Contracta poſt Baptiſmum peccata, non regeneratione auferenda, ſed alia ratione ſananda ſunt. 287.a.350.a
Vt liberemur à peccato, non ſatis eſt à peccato deſiſtere. 153.b
Peccatorum remedia tria, eleemoſyna, ieiuniū, & oratio. 229.b
Peccata ieiuniis, eleemoſynis, orationibus, in hac vita redimenda. 399.b.400.a
Peccatum quod ante mortem bonis operibus expiatum non fuerit, poſt mortem igne purgatorio expiandum. 399.b
Peccata tribus modis dimittuntur in Eccleſia: in baptiſmate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ. 231.a.350.a
Peccata quædam dimitti in futuro ſeculo per ignem purgatorionis. 396 a
Peccatorum remiſsio nulla eſt extra Catholicam Eccleſiam. 58.b.231b.& ſeq.
Peccata publica publicè corripienda. 60.a
Quædam etiam peccata excommunicatione plectenda. 348.a. 350.a.b
Poſt peccata remiſſa, interior homo indies renouandus eſt. 210 b
Peccatis remiſsis quare concupiſcentia carnis, mors & aliæ pœnæ, in homine relinquantur. 155 b.& ſequen. 284.a.b
Peccata eſſe paria, & non poſſe hominem peccare poſt Baptiſmum, Iouiniani hæreſis eſt. 348.a
Animorum motus non temerè inter peccata recenſendi. 219.b

*Peccatum originale.*

Peccatum originale in Adamo, eiúſque effectus. 132.b.& ſequentibus.
In originali malo duo ſunt, peccatum, atque ſupplicium. 138.b
Peccatum originale ſimul cum multiplici pœna exinde ſecuta, ab Adamo in poſteros eſſe tranſmiſſum. 135.b.& ſequen. íſque propagatione, non imitatione. 143.a.& ſequ.
Peccato originali omnem hominem naſci obnoxium, ſcripturis confirmatur. 139.a & ſequentibus.
Peccatum originale paruulis ineſſe, colligit Auguſtinus ex Eccleſiæ exorciſmo. 136.b
Peccatum originale verè peccatum & mortem animæ eſſe. 140.b.& ſequ.
Peccatum originale qua ratione noſtrum, & pariter alienum dicatur. 142.b.144.b.145.a
Quomodo iuſtè filiis Adæ imputetur. 146.b.& ſequ.
Quomodo voluntarium. 220 a.
Peccatum originale ſufficit homini ad cōdemnationē. 143 a
Non tollitur niſi regeneratione. 302.a. originali culpa remiſſa, languor adhuc quidam relinquitur. 150.b
Peccatum originale negarūt Pelagiani. 295.b
De peccato originali ſententia diui Ambroſii. 145.b
*Vide ſuprà* Adæ peccatum.

*Pelagius.*

Pelagius confitebatur gratiam Dei commodam, non tamen neceſſariam ad mandatorum Dei obſeruationem. 172.a.b
Pelagiani docebant hominē primùm per naturam, inde per legem ſaluum factum, poſtremò ſaluari per Chriſtum. 199.a Negabant peccatum originale. 140.a. ſanctos Patres cęcos dicebant. 102.b
Pelagiana hæreſis articulis comprehenſa & explicata. 169.a.b. Damnata eſt à Romanis pontificibus, cooperantibus conſiliis Africanis. 89.b.90.a
Pelagius à Romano Pontifice excommunicationis vinculis ligatus. 88.b

*Peregrinatio.*

Peregrinatio ad loca ſancta ab Auguſtino quibuſdam iniuncta. 430.a

*Perfectus.*

Perfectus Viator eſſe aliquis poteſt in hac vita. 210.b
Perfecti ex multorum annorum labore, in vltimo vitæ prolapſi, perierunt. 2[illegible].b

Perfecti in Eccleſia qui pro Chriſto omnia ſua vendunt, diſtinguuntur ab iis qui ſolùm ſeruant mandata. 477.b.478.a
Mandata legis, ab excellentiori via perfectionis, à Chriſto eſſe diſtincta. 477.b
Perfectorum Chriſtianorum ſingularis continentia, cõtra Manichæos defenditur. 472.b
Perfecti ſedebunt ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſraël. 514.a

*Perſecutio.*

In perſecutione non tàm pœna conſideranda, quàm cauſa. 119.a
Perſecutiones optima intentione fieri poſſe. Ibidem.

*Perſeuerantia.*

Perſeuerantia eſt donum Dei 216.a.b.217.a ſcripturis probatur. Ibidem.
Perſeuerantia ſitne cuiquam donata ante finem vitæ, incertum eſt. 217.b
Perſeueraturi non perſeueraturis miſcentur, vt diſcamus cum timore & tremore viam iuſtam ingredi. 214.b
De perſeuerantiæ dono, quandiu viuit, omnis homo incertus. 216.a
Perſeuerantiæ donum quomodo ſancti accipiant in hac vita. Ibidem.b
Perſeuerantia Sanctorum in cœlo. 217.b
Perſeuerantia in malo, peccatum in Spiritum ſanctum eſt, quod neque in hoc ſeculo remittitur, neque in futuro. 232.b. 233.a

*Perſona.*

Perſonæ in diuinis tres ſunt, quãuis Scriptura expreſſè id non dicat. 12.a
Perſonarum diſtinctio, & eſſentiæ ſiue naturæ vnitas in diuinis, exemplis declaratur. 13.a
In qualibet perſona tanta eſt eſſentia diuina, quanta in tota Trinitate. 10.a
Perſona non eſt pars diuinitatis. 9.a
Tres perſonæ rectè dicuntur, etiamſi non tres omnipotentes, tres boni, tres magni. 12.b
In perſona Chriſti duæ naturæ, non confuſæ, ſed vnitæ, ſuas retinent proprietates. 26.a.& ſequen.
Perſona Chriſti ex tribus eſt Deo, anima, carne. 25.b
*Vide infrà* Trinitas.

*Petrus.*

Chriſtus conſtituit Petrum caput Apoſtolorum. 80.b
In Petro quis honoratur niſi Chriſtus? 414.b
In Petro poſt Saluatorem omnes continentur. 80.b
Petrus prepoſitus Apoſtolorum. Ibidem. Eccleſiæ fundamentum. 82.a. caput Eccleſiæ, membrorum omnium vertex immobilis, fidei fundamentum. Ibidem.
Petrus perſonam vnitatis gerit. 350.b
Quis neſciat primum omnium Apoſtolorum eſſe beatiſsimũ Petrum? 81.a
Petrus Apoſtolatus principatum tenet, abundantiori gratia primus Apoſtolus. Ibidem.
In Petro primatus Apoſtolorum excellenti gratia præeminet. 81.b
Petrus diſtat à Cypriano cathedrarum gratia. 81.a
Petri Apoſtoli primatus cuilibet Epiſcopatui præferendus. Ibidem.
Petrus petra à Domino appellatus. 81.b. 82.a. Petrus Eccleſiarum petra. 81.b. Petrus petra ſupra quam ædificatur Eccleſia. Ibidem.
Supra fundamentum Petri, Eccleſiaſtici ędificij altitudo cõſurgit. 81.b
Catalogus patrum affirmantium Petrum eſſe petram, ſupra quã Dominus fundauit Eccleſiam. 83.a
Petrus propter primatum, perſonam geſtat Eccleſiæ. 81.a
Petrus primus atque præcipuus Apoſtolorum, quare permiſſus ſit negare Dominũ. 81.a.b.82.a
Petrus ſedit in cathedra Romanę Eccleſię. 83.b
Petri ac Romanorum Pontificum Petro ſuccedentium ſedes, petra eſt quam non vincunt ſuperbę inferorum portę. 84.b
Imperator ſubmiſſo diademate, ad Petri ſepulchrũ ſupplicat. 414.a
Ferrum & cathena, qua vinctus fuit Petrus, in honore ſunt apud omnes Eccleſias. 413.b
Petrus Romę cum Simone Mago pugnat. 83.b
Petrus primus Apoſtolorum martyrio Romę coronatus. Ibidem.
Petri Epiſtolę duę, canonicę ſunt. 63.b.64.a

*Petrus & Paulus.*

Petrus & Paulus Eccleſiarũ principes. 84. vno die, vno loco, ſub vno tyranno paſsi ſunt. 83.b
Petri & Pauli merita propter eũdem paſsionis diem pariter Romę celebrantur. 84.a
Petri & Pauli imagines cum imagine Chriſti depictę. Ibid.

*Philoſophia.*

Philoſophię cognitio vtilis. 72.b
Philoſophorum doctrina Patres tàm Greci quàm Latini plurimum vſi. 73.a

*Pœna.*

Pœna remanens poſt impetratam culpę veniam, & emendatio eſt, & medicina. 360.a
Dauid poſt condonatam culpam, pœnam ſubiuit. 359.b
Quare Dauid poſt acceptam veniam peccatorum, adhuc pœnas luerit. 360.a
Productior eſt pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, ſi cũ illa finiretur & pœna. 360.b. adducit & alias plures rationes. Ibidem.
Pœnam & meritum pœnę ſecum trahit quicunque naſcitur. 283.a
Multorum peccatorum pœnę reſeruantur in poſterum. 360.b
*Vide* Purgatorium.

*Pœnitentia.*

Pœnitentia quid ſit. 312.a
Pœnitentia eſt pœnitenda non admittere, & admiſſa deflere. 357.b
Pœnitentia ſine fide eſt inutilis.

346.b.347.a
Pœnitentiæ neceſsitas atque vtilitas,etiam ante Baptiſmum. Ibidem.& ſequ.350.a
Pœnitentia, ſublato libero arbitrio,tollitur. 157.a
Nulla barbaries negare audet pœnitentiam eſſe neceſſariam peccatori. 347.b
Nouam vitam inchoare non poteſt,quem veteris nondum pœnitet. 347.a.b
A pœnitentia ſoli paruuli immunes,quia carent libero arbitrio. 349.b
Perimit ſeipſum peccator, qui ad pœnitentiæ remedia non recurrit. 347.b
Pœnitens Eccleſiæ clauibus ſoluendus, vt ſit ſolutus in cœlo. 348.b
Agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia: Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoſcit quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolueritis in terra ſoluta erunt & in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? 354.b
Fruſtrat Euangelium Dei, qui ſine Sacramentali pœnitentia, remiſsionem peccatorum ſibi promittit. Ibidem.
Tres actiones pœnitentiæ vſitatæ in Eccleſia. 349.b.
Ad pœnitentiam luctuoſam & lamentabilem qui cogendi. 221.a
Sunt quos peccare non pudet,agere pœnitentiam pudet. 352.b
Per fructus pœnitentiæ baptizatis adhibetur ſpes veniæ. 349.b
Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus. 349.a
In actione pœnitentiæ non tam menſura temporis quàm doloris attenditur. 224.a
Pœnitentia nemini deneganda. 348.b
Pœnitentiam Cathari denegabant.349.a. & Nouatiani. Ibidem.
Locus humillimæ pœnitentiæ,tãtùm ſemel cõcedebatur in Eccleſia. 359.a
Pœnitentiæ tempora, rectè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt. 231.b.359.b
Statutæ pœnitentibus leges. Ibidem.
Pœnitentia data à Sacerdote, perficienda. 359.a
Pro peccatis mortalibus, maior pœnitentiæ ſeueritas à peccatore ſuſcipienda. 350.a
Condonatio pœnitentiæ penes Epiſcopum. 494.b
Pœnitentia quare olim publica. 358 a.b
Pro peccato quod aliis fuit ſcandalo,publica olim pœnitentia, antiſtitum iudicio, imponebatur. 359.a
Pœnitentia publica Theodoſij Imperatoris. 358.a
Pœnitens per manus impoſitionem reconciliandus. 359.b
De agentibus pœnitentiam in exitu vitæ,an veram agant pœnitentiam, dubitat Auguſtinus. 361.a
Magnum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati. 353.a b.
Quæ Baptiſmatis in non baptizato, ea in pœnitente reconciliationis neceſsitas eſt. 353.b.
Pœnitentiæ Sacramentum, peccatori neceſſarium ante mortem. 341.b.
Pœnitentia extra Catholicã Eccleſiam nihil prodeſt. 232.a.
*Vide* Confeſsio & Satisfactio.



*Præcepta.*

Præcepta diuina homini nõ prodeſſent,niſi haberet liberũ voluntatis arbitrium. 159.b.162.a.
Præcepta Dominica ſine gratia impleri non poſſunt. 167.a. & niſi charitate faciente. 170.a.
Præceptorum obſeruatio in libero arbitrio conſtituta eſt,nõ tamẽ ſine adiutorio Dei.172.b
Præceptum idem,timentibus lex eſt,amantibus gratia eſt.243.a.
Præcepta Dei leuia ſunt,quando charitate implentur.250.b. nõ eſſe ad obſeruandum impoſsibilia. Ibidem & ſeq.
Duo præcepta charitatis, ipſa ſunt decem. 259.a.
Præcepta vtriuſque teſtamenti eadem: promiſſa atque Sacramenta non eadem. 242.a.
Præcepta moralia veteris legis etiam nũc obſeruanda. Ibidẽ.
Præcepta decalogi Chriſtianis præcipiũtur,magis etiã, quàm olim Iudęis. 238.a.
Eadẽ obſeruatu neceſſaria eſſe. 252. a. b. 253. b. 254. a. 259. b. & ſeq.
Præcepta Decalogi tria prima ad dilectionem Dei,cętera ad dilectionem proximi referũtur. 226.b.
Quædam pręcepta Teſtamento nouo propria, non reperiũtur in veteri. 236.a.
Pręcepta iuſtitiæ maiora ſunt in noua lege, quàm in veteri. 235. b.
Præcepta diſtinguuntur à conſiliis. 244.b. 260.b. 457.a. 477.a b.
Omnes debemus vouere pręcepta. 477.a.b.

*Prædeſtinatio.*

Prædeſtinatio fit apud Deum in occulto, iuſtificatio autem & glorificatio in nobis fiunt. 206.b.
Prędeſtinatio qua Deus conſtituit homini donũ aliquod ſupra naturam tribuere, non impedit,quo minus homo liberè præſtet ea quę ad illud bonum obtinendum vel conſeruandũ pertinent. 165.b.
An de prędeſtinatorum numero ſit,nemo fidelium ſine ſpeciali reuelatione, noſſe poteſt in hac vita. 213.b & ſeq.
Prædeſtinatum eſſe ſe,cur nemo certò ſcire poſsit. Ibidem.

*Præmium.*

Pręmium non datur niſi ex eo, quod propria voluntate rectè facimus. 158.b.
Pręmium virtutibus datur, ęterna vita. 266.b.

*Præſcientia.*

Pręſcientia Dei neminem cogit ad malũ.165.a.b.neque eſt cauſa peccatorum.167.b.nõ aufert humanę voluntati ſuam libertatem. 164.b.& ſequ.
Quomodo leges,obiurgationes, laudes,vituperia,pręmia, ſupplicia,preces,cum diuina conſtent pręſcientia. 166 a.
Pręſciuit Deus mala Iudę, non prędeſtinauit. 167.b.

*Prouidentia.*

Prouidentia Dei etiam infima quæque gubernat. 5.a.b.
Prouidentiæ diuinæ operatio duplex. 5.b.
Non tantùm cauſæ naturales, ſed etiam liberæ voluntates Dei prouidentia reguntur. Ibidem.
Prouidentia diuina factum eſt, vt ſcripturæ eſſent difficiles & obſcuræ. 65.a.

*Presbyter.*

In Presbyteri ordinatione cærimoniæ. 363.b.
Presbyter ordinatione fit, non ætate. Ibidem.
Presbyteri conſecrationis ſuæ memores eſſe debent. 368.b.
Presbyter differt ab Epiſcopo. 368.a.
Aërius Presbyter, cùm Epiſcop' ordinari non potuiſſet, hæreſin excogitauit, Presbyterium non differre ab Epiſcopatu. 369.a.
Anathema Presbytero, qui extra communionē vnius Eccleſiæ, Sacrificiū Deo offert. 368.b.
Presbyteri in abſoluendo pœnitente auctoritas, ab Epiſcopo. 369.a.
Presbyter Epiſcopo ſe corripienti ſubiectus eſſe debet. 368.b.

*Purgatorium.*

Quorundam defunctorum ſpiritus ante iudicij diem temporariis pœnis purgandi. 396.a.
Temporales pœnas alij in hac vita tantùm, alij poſt mortem, alij & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium nouiſsimum ſuſtinent. 398.a.
Duplex ignis poſt hanc vitam, æternus & emendatorius. 396.b.
Purgatoria pœna quæ eſt poſt hanc vitam ab ęterna pœna diſtinguitur. 395.a.
Quæ peccata per ignem purgatorium expientur. 395.b.
Ignis purgatorij quanta ſit acerbitas. 360.a 395 b.
Ignis purgatorij grauior omnibus pœnis huius vitæ. 395.a b.
Pro qualitate eorum quę expiāda ſunt, pœna purgatoria longiori tempore vel breuiori ſuſtinenda. 395.b.
Purgatorius ignis per præſentis vitę bona opera à nobis amouendus. 395.a 399 b.
Purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculum diſtulit fructum conuerſionis. 360.a.
Paruuli qui ante vſum rationis moriuntur, à purgatorio igne ſunt liberi. 399.a.
Ante vltimum iudicium pœnæ purgatorię futurę. 405.b.
Purgatorię quorundam in die iudicij pœnę. 404.b.405.a b.
Platonicorum error, nullas eſſe pœnas poſt mortem, niſi purgatorias. 397.b.

Q.

*Quadrageſima.*

Eccleſia, pręcipuam ieiuniorum obſeruationem, quadrageſimā vocat. 444.a.
Quadrageſimale ieiunium in lege, Prophetis & Euangelio præceptum. 440.b.441.b.
Quadrageſima, exemplo Moſis, Helię, atque Chriſti conſecrata. Ibidem.
Quadrageſima vtilis ad ſanandum peccatum, & augendam iuſtitiam. 443.b.
In quadrageſima non ieiunare, peccatum 441 a.
Peccat qui alterum prouocat ad non ieiunandū tempore Quadrageſimę. Ibidem.
Totam quadrageſimam non obſeruare, ſacrilegium eſt: ex parte autem violare, peccatū. Ibidem.
Quia non poſſumus Chriſtum imitari totos.40. dies ab omni cibo abſtinendo, ſaltem faciamus quantum poſſumus. 442.b.
Quadrageſimę obſeruatio, Chriſtianum à gentili, hereticum à fideli, malum à bono ſeparat. 444 b.
Quadrageſima cum ciborū delectu obſeruata. 450.b.451.a.
In quadrageſima abſtinebatur olim à lauacris, vino & carnibus. 445 a.& ſeq.
In quadrageſima ferè omnes non à carnibus tantùm, ſed etiam à quibuſdam terrę fructibus abſtinebant. 445.a.
Quadrageſimę ieiunium ante paſcha. 433.b.
Quadrageſima, quare diei Dominicę paſsionis coniungenda. 441.b.442.a.
Ieiunium ante Paſcha ab omnibus obſeruatum, ad ſignificandum luctum diſcipulorum, quem habuerūt ex morte Saluatoris. 439.b.
Quadrageſimale ieiunium quid ſignificet. 71.a. numerus quadragenarius. 71.b.
Quadrageſimę diebus, huius vitę mœror ſignificatur. 276.a.

*Quæſtio.*

Quiſquis falli metuit obſcuritate quęſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat. 55.b.
Quęſtiones de fide ad ſedem Apoſtolicam eſſe referendas, non humana, ſed diuina decretum eſt ſententia. 86.a.b.

*Quinquaginta.*

Quinquaginta dierum à feſto reſurrectionis vſque ad Penteceſten myſterium. 496.b.
Dies quinquageſimus, etiam in veteri lege commendatus. Ibidem.

R.

*Reconciliatio.*

Reconciliatio in articulo mortis. 359.b.

*Regeneratio.*

Regeneratio ſpiritalis, omni homini neceſſaria. 149.a.

*Regeneratus.*

Regeneratus iterum labi poſſe in peccata. 287.a.& ſeq.
Regeneratus ſeduci poteſt à diabolo. 214.a.

*Reliquiæ.*

Sanctorum corpora, veluti Chriſti membra, honoranda. 423.a.
Ad ſepulchra martyrũ facta mirabilia. 496.a.
Reliquię S. Stephani honoratę. 423.a. miracula ad reliquias eiuſdem. 424.a b. 425.a b. 426.a b.
Terra ſancta Hieroſolymis allata, quanto olim etiam in honore ſit habita. 432.a.b.
Paralyticus vectus ad locum vbi modicum terrę ſanctę repoſitum erat, ſanatus eſt. 432.b.
Vbi portio terrę ſanctę defoſſa fuerat, ibi exſtructum eſt Sacellum. Ibidem.

*Remiſsio peccatorum.*

Remiſsio peccatorum per columbę gemitus datur, quicunque baptizet. 281.a.
Peccatum in Spiritum ſanctũ eſt, negare poteſtatem Eccleſiaſticam remittendi peccata. 364.a. 232.a.
Remittuntur à ſacerdotibus peccata, etiamſi Spiritum ſanctum inhabitantem ipſi aliquando non habent. 232 a.

*Renouatio.*

Renouatio interioris hominis. 210.a.b.
Renouatio duplex: vna quę in momento fit per remiſsionem peccatorũ, altera perfectę conuerſionis & ſanitatis, quę fit de die in diem. 210.a.
Renouatio inchoatur in Baptiſmo, in aliis deinde tardiùs, in aliis verò citius perficitur. Ibidem.

*Repudium.*

Quo conſilio permiſſus olim Iudęis libellus repudij. 386 b.
A ſapientibus tãtum legis, libellus repudij cur conſcriptus. Ibidem.
Propter ſanctitatem Sacramenti nefas eſt, repudio etiam intercedente, alteri nubere. 379.a b 380.a 383 a 385.a.

*Roma.*

Roma caput ſuperſtitionis, Petri & Pauli martyrio facta eſt caput ſanctitatis. 83.b. 84.a.
Romam Pelagius acciendus, vt vel abſoluatur ibi, vel damnetur. 88.a.

*Romanus Pontifex.*

Romanus Pontifex cæteris Epiſcopis altius pręſidet, & celſiori pręeminet faſtigio. 85.b.
Romani Pontificis auctoritas in hęreſibus opprimendis. 89.b. iiſdémque toto orbe perſequendis. 88.a. & ſeq.
Auctoritas eius è ſcripturis deprompta. 85.b.
Antiqua traditio eſt, in difficilibus controuerſiis religionis, recurrere ad Romanã & Apoſtolicam ſedem, atque ab eadẽ reſponſa petere. 86 a.
Quęſtiones de fide ad ſedẽ Apoſtolicam eſſe referendas, non humana, ſed diuina decretum eſt ſententia. 86.a b.
Romanus Pontifex Innocentius, non potuit Africanis conciliis reſpondere, niſi quod antiquitus Apoſtolica ſedes & Romana tenet Eccleſia. 100.a.
Canones Niceni concilii de appellatione Epiſcoporum ad Romanum Pontificem. 87.a.b.
Romani Pontifices per Orientẽ pariter & occidentem hęreticos Pelagianos perſequuntur. 89.b.



89.b. excõmunicant Celeſtiũ & Pelagium. Ibidem.
Romanus Pontifex iudicat de Synodo Palæſtina. 89 a. Carthaginenſi & Mileuitana. 87. a b. 89.b.
Patres qui in conciliis erant, ſua decreta à Romano Pontifice cõfirmari voluiſſe. 93.b. & ſeq.
Romani Pontificis in Africanos Epiſcopos auctoritas. 85.a.b. 86.b.
Eiuſdem mandato Synodus, cui & Auguſtinꝰ interfuit, in Mauritania coacta. 90.b.
Ad Romanum Pontificem Epiſcoporum appellationes. 87.b. 88.a.
In damnandis Pelagianis, iudiciũ Apoſtolicę ſedis Imperator Honorius ſequitur, & contra eoſdẽ leges promulgat. 128.b.
Conſtantinus non auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, Epiſcopis atque imprimis Melchiadi Romano Põtifici, eam finiendam delegauit. 129.a.
Conſtantinus non audet à Melchiade latam aduerſus Donatum ſententiã reuocare. Ibidẽ.
Romanorum Põtificum à Petro vſque ad Auguſtini tempora catalogus. 84 a b.
Succeſsio eorundem, petra eſt, quam non vincunt inferorum portæ. 84.b.
Succeſsio Pontificum Romanorum, Auguſtinum tenet in Eccleſia Catholica. Ibidem.
*Vide* Petrus.

S.

*Sacerdos.*

Sacerdos noui Teſtamẽti Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo menſam inſtituit. 338.a.b.
Sacerdotes & Leuitas in nouo Teſtamẽto futuros per Iſaiam promiſit Deus. 365 b.
Sacerdotis eſt baptizare, reconciliare, & dominicum corpus erogare. 353 b.
Sacerdos in Sacramẽto pœnitẽtiæ, mediator ad Deum, & iudex. 355.a.
Sacerdoti penetralia conſcientiæ aperienda. Ibidem.
Sacerdotis iudicio pœnitens reconciliandus. 359 b.
Sacerdotis iudicio peccator ſe ſubdere debet. 356.b.
Sacerdos qualiter inſtructus eſſe debeat, & qualiter ſe gerere in audienda confeſsione. 355.a.
Sacerdos quantumuis malus exauditur à Deo, quando deprecatur ſuper aquam Baptiſmi, ſuper oleũ, ſuper Euchariſtiã, ſuper capita eorum, quibus manus imponitur. 276.a.
Sacerdotes boni & mali etiã in veteri Teſtamento 51.b.
Sacerdotibus in ordinatione vnguntur manus. 368.b.
Sacerdotio honorantur apud Pepuzianos, etiã mulieres. 366.a.
In eligendis ſacerdotibus nõ carnis tribus, vt in veteri Teſtamento, ſed cuiuſque ſanctitas penſatur. 365.b.
*Vide* Presbyter.

*Sacramentum.*

Sacramenta ſunt viſibilia quædam rerum diuinarum ſignacula. 273.a. in quibus res ipſæ inuiſibiles honorandæ. Ibidẽ.
Sacramenta nouæ legis, virtute maiora quàm Sacramenta veteris legis. 275.a.
Sacramenta nouæ legis dant ſa-

lutem, Sacramẽta veteris legis promittebãt Saluatorẽ. Ibidẽ.
Sacramenta nouæ legis ipſe Dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina. 274.a.
Sacramentum à re & virtute Sacramẽti diſtinguitur. 273.a b. 277.a b & ſeq.
Res Sacramenti præceſsit Sacramentum in Cornelio 273.a.
Nec tamen ideo ſuperfluũ iudicatum eſt Sacramentũ 275.a.
Sacramenta, ſub vno Deo, Chriſtiani populi ſocietatem continent. 274.a.
Sacramẽti magna vis. 273 b.
Sacramenta Eccleſiæ de latere Chriſti in cruce pendẽtis profluxerunt. 276.b.
Sacramentorum vis contempta, ſacrilegos facit. 274 b.
Contemptor viſibilis Sacramẽti, inuiſibiliter ſanctificari nullo modo poteſt. 275.a. Sacramentorum neceſsitas. 274.b.
Abſque Sacramẽtis & Chriſtiana Eccleſię inſtitutione, nemo fit Chriſtianus. Ibidem.
Sacramentorũ participatione incorporamur Eccleſiæ 274.b. & membris Chriſti. Ibidem.
Sacramentorũ armis pugnandũ aduerſus diabolum. 308.b.
Sacramenta, etſi indignè tractantibus obſint, proſunt tamẽ per eos dignè ſumentibus. 280.a.
Sacramẽtũ idẽ eſt, ſiue dignè, ſiue indignè tractetur. 281.a.
Sacramenta per ſeipſa, vera & ſancta ſunt, etiam cùm à malo miniſtro adminiſtrãtur. 281.b.
Sacramentis & verbis ſuis adeſt Deus, per qualeſlibet miniſtrẽtur. 310.a.
Sacramenti ſanctitas, nec ab immundis pollui poteſt. 276.a.
Sacramentis nihil obſunt mores hominũ, quò vel illa non ſint, vel minus ſancta ſint Ibidem.
Etiam homicidæ verbis Sacramenta ſanctificantur. 312.a.
Sacramenti virtus cũ aqua, quæ per lapideum canalem fluit, & cũ luce, quæ per immũda loca tranſit, comparatur. 280.a.
Sacramẽta Eccleſiæ bonis & malis communia. 51 b 53 a.
Sacramento diuina virtus aſsiſtit ſiue ad ſalutem benè vtentiũ, ſiue ad perniciem malè vtentium. 282 b.
Sacramenti virtus non ſemper vnà cum Sacramento accipitur. 277 a.
Sacramenti res omni homini datur ad vitam, nulli ad exitium. Ibidem b.
Sacramenta in bonis permanent ad præmium, in malis verò ad iudicium. 276.b.
Sacramenta eadem ſunt apud hæreticos & in Eccleſia, ſicut & ſcriptura. 278 b.
Sacramenta vbicunque ſunt, vera ſunt. 262.b.
Sacramenta Eccleſię & apud hæreticos ſancta ſunt. 289.b.
Sacramẽtorũ hęretici participes eſſe poſſunt, ſed ad iudiciũ. 55.b
Sacramenta intra Eccleſiam ſuſcipienda. 278 b.
Extra Eccleſiam accipi poſſunt, prodeſſe non poſſunt. Ibidem.
Sacramentis quibuſdã characterem imprimi, quæ iterare ſacrilegiũ ſit 279 a. & ſeq.
Sacramentum pro Sacrificio aliquando ſumitur. 320 b.
In Sacramentorũ celebratione creaturis vtimur, aqua, pane, vi



no, oleo. 500.a.
*Sacrificium Miſſæ.*
In omni loco offertur Sacrificiũ Chriſtianorum Deo Iſraël. 337.a. 341.a.
Chriſtus nouum ſacerdotium & nouũ ſacrificiũ initiauit. 338.b.
In nouo Teſtamento panis, hoſtia & ſacrificium Chriſtianorum. 335.a.
Altare eſt in nouo Teſtamẽto & ſacrificium 334.b.
Mirabile & cœleſte ſacrificium omni reuerentia & deuotione dignum. 338.b.
Vnum, verũ & ſingulare ſacrificiũ, quod fideles ſciũt. 340.a.
Sacrificium noui Teſtamenti ad cultum latriæ pertinet, & ſoli debetur Deo. 338.b.
In Euchariſtia Chriſtus non ſolũ per oẽs Paſchę ſolennitates, ſed omni die immolatur 334.b
Eccleſia immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium laudis. 336 a.
Sacrificiũ Melchiſedech à Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarum. 336.b.
Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificiũ ſecundũ ordinem Melchiſedech. 338.a.
Sacrificium conficitur, Sacramẽto & re Sacramenti. 314.a.
Sacrificium panis & vini, ſancta Eccleſia Catholica per vniuerſum orbem Deo offerre non ceſſat. 333 b.
In ara Deo ſacrificium celebratur, & offeruntur hoſtiæ. 333 b.
Euchariſtia in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, offertur & datur. 336.a.
Sacrificium Eccleſiæ, corpus Sacerdotis Chriſti. 334 b.
Sacrificium ſanctum Sanctorum, corpus Chriſti eſt. Ibidem a.
Sacrificium viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſignum. 332.a.
Sacrificium viſibile in nouo Teſtamento negare hæreſis Manichæorum eſt. 333 a.
Templo, Sacerdote, Sacrificio, Deus verus rectè colitur. 322.b
Sacrificium viſibile ſicut & inuiſibile ſoli Deo offerendum. Ibidem.
Templum, ſacerdotem, & ſacrificiũ Deo vero deberi, etiã dæmones agnoſcunt. Ibidem.
Dæmon ſibi ſacrificiũ non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret. 333.a.
Sacrę literę non culpant paganos quòd conſtruant templa, & inſtituant Sacerdotia, & faciãt ſacrificia, ſed quòd hæc idolis & dęmoniis exhibeant. 332.b. 334 a.
Hæc cùm exhibentur Deo ſecũdum eius inſpirationẽ atque doctrinã, vera religio eſt. 332.b
Quando viſibile Sacrificiũ Deo offertur, pro ſuis viribus adiuuant angeli Ibidem.
Summo veròque Miſſę ſacrificio, cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt. 335.a.
Veteribus abrogatis, aliud Deus ſacrificiũ pręcepit, quod huic tempori aptum eſſet. 338.b.
Mutatio ſacrificiorum & Sacramentorum à Prophetis prędicta. 333.a.
Vmbris veterum Sacrificiorũ ſignificabatur ſingulare ac verũ ſacrificium, quod nunc offert Iſraël ſecundùm ſpiritũ 335.a. 336.b. 339.a.b 340.a.

Non humana præſumptione,ſed diuina auctoritate aliud nunc q̃ olim,offertur ſacrificiũ.333.a.
In veteribus ſacrificiis, quid nobis eſſet donandũ figuratè ſignificabatur:in hoc autem ſacrificio,quid nobis iam donatũ ſit,euidẽter oſtẽditur. 333.b.
Eccleſia, offertur per Chriſtum Deo,& viciſsim Chriſtus per Eccleſiam in quotidiano Eccleſiæ ſacrificio. 335.a.
In altaribus ſacrificatur Deo à ſacerdote Dei. 341.a.
Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorũ viuẽtium releuari,cùm pro illis ſacrificiũ mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. 401.b.
Sacrificia altaris pro non valdè malis propitiationes ſunt.339.a
Proſunt vt aut plena ſit remiſsio peccatorum,aut damnatio leuior. Ibidem.
Sacrificium altaris Euchariſticũ & propitiatorium. 402.a.
Per ſacrificium Miſſæ vera ſit remiſsio peccatorum. 339.a.
In Eccleſia offertur Sacrificium pro dimittẽdis peccatis.339.a.b
Eccleſia per nouiſsimum purgata iudiciũ,nullum pro peccatis erit Sacrificium. 405.a.
Sacrificium Eccleſiæ pro abſolutione noſtra mortem vnigeniti filij ſemper imitatur.321.a.
Similitudo eius eſt, quod in cruce peractum eſt. 337 b.
Per ſacrificium corporis & ſanguinis Domini,in domo Heſperij cuiuſdam celebratũ, dæmones fugati. 341.b.
Sacrificium vnum atque idẽ tale cuique fit,quali corde ad accipiendum acceſſerit. 330.b.
In ſacrificio Miſſæ,martyrum & aliorum defunctorum,commemoratio fit. 402.a.
In memoriis martyrum frequentiſsimè ſacrificamus, eo ritu, quo ſibi ſacrificari in nouo Teſtamẽto Deus pręcepit. 338.b.
Miſſæ ſacrificium pro defunctis. 341.a.b.
Precatur Auguſtinus, ad altare, ſuorum parentum defunctorũ memoriam fieri. 341.b.
Pro cõmendãda depoſitione corporis S.Auguſtini ſacrificium Deo oblatum. 341.a.
Facere memoriã pro defunctis ad altare Apoſtolica traditio eſt. 341.b.
Sacrificium corporis & ſanguinis Chriſti pro non baptizatis nullo modo offerendũ 336.a.
Obſecrationes Sacerdotales in Miſſa,ab Apoſtolis traditę.342.a
Miſſarũ ordinẽ vt in Catholica Eccleſia obſeruatur,ab Apoſtolo Paulo inſtitutum. 79.a.
Canon Miſſę,oratio dominica,& orationes à Conciliis approbatę, in ſacrificio recitantur. 345.a. vel approbatę à metropolitanis. 494.a.

*Sancti.*

Sancti martyres Dei gloriã nũc cõtemplantur,ſtantes in conſpectu agni. 406.a.
Sancti omnia bona plenè habent in viſione Dei. 407.a.
Sancti ſunt in gloria ęternitatis & inuocãtibus ſe potẽter ſubueniunt. Ibidem.
Sancti ſunt in loco ſuis meritis congruo. 421.b.
Habent ſancti ante reſurrectionem ſingulas ſtolas,quia in ſola anima æternis beatitudinibus perfruuntur. 406.a
Antiquos Sanctos, locis quibuſdam à tormẽtis impiorum remotiſsimis, ſed apud inferos fuiſſe vſq; ad deſcenſum Chriſti. 410.a
Sanctorum animę ab angelis ſanctis in placidis ſedibus conſtituuntur. ibidem.
Diſtinguũtur in cœlo, gradibus & meritis,electi Dei. 382.a
Hermes Trimegiſtus nõ alio nomine ſanctos martyres quàm mortuos appellat. 420.b
Sanctorũ meritis nos conſociari, & precibus adiuuari. 340.a
Sancti martyres orant pro nobis. 30.b.414.a.498.b.413.b
Sancti pro nobis obtinent ea quę petimus. 419.b
Sancti ſecuri de ſe,ſolliciti de nobis. 416.b. Sunt noſtri mediatores. 31.a.b
Sancti martyres abſque vlla dubitatione pro nobis intercedunt. 416.b
Sancti deſiderata nobis à Deo impetrant. 413.b
Sperat Auguſtinus ſe adiutum iri orationibus D. Cypriani. 416.b
Sancti poſt mortem magis exaudiuntur, & plus poſſunt, quàm cùm eſſent in viuis. 413.b
Sanctorum orationibus, aut amouentur aut temperãtur Eccleſię perſecutiones. 414.a
Sanctorum interceſsione liberamur à peccatis,& ab æterna dãnatione. Ibidem.
A B.Petro,Martino,aliiſq; Sanctis,iam in Domino quieſcentib⁹, exauditas eſſe multorum preces. 410.b
Sancti in Deo exaudiunt humanas preces. ibidem.
In nomine Chriſti beneficia nobis impetrant. 429.b
Orationes S.Stephani multa nobis impetrant. ibidem.etſi non planè omnia, propter vitium noſtrum. ibidem.
Commendemus ergò nos orationibus S.Stephani. 413 b
Defuncti, Sanctis,quorum in baſilicis ſepulti ſunt, tãquam patronis, oratione commendandi. 403.a.b
Sancti ad videndas res noſtras, oculis corporeis minimè indigent. 411.a
Sanctos in Deo cognoſcere,etiã longè abſentia. Ibidem
Quot modis cognoſcere poſſũt, quæ hîc geruntur. 411.b
Inuentio S.Stephani quàm glorioſa fuerit. 429.b
Corpora Sanctorum martyrum Geruaſij & Prothaſij multos annos incorrupta. ibidem
Ambroſio reuelata ſunt,& ab eodem cum honore tranſlata: in qua tranſlatione, & obſeſsi à demonibus fuere liberati, & cæcus quidam Mediolanenſis viſum recepit.ibid.&430.b.
Feſta, anniuerſarij dies & natalitia martyrum. 182.b.419.a.b
Natalitia Sanctorũ quare & quomodo celebrãda. 414.a.419.b
Sanctorum Baſilicæ. 420.a
Sãcti quidam ſedebunt ſuper ſedes duodecim iudicãtes cum Chriſto &c. 513.b.& ſeq.
Sedebũt attendere qui fecerunt miſericordiam. 514.b

*Sanctificatio.*

Sanctificationis nomen multi-

pliciter in ſcriptura ſumitur. 301.a

*Satisfactio.*

Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniā, niſi qualemcunque, etſi longè minorem, quàm debeat, ſoluerit pœnam. 357.a
Satisfactio pro peccatis non negligenda. ibidem
Confeſsionem curatio ſequi debet, & vulnerum medicina. 358.a
Per ſatisfactionem pœnitentiæ prouidere ſibi quiſque debet locū in Chriſti corpore. 358.a
Non ſufficit mores in melius cōmutare, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo p pœnitentiæ dolorem. 357.a
Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit. In ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tātùm, ſed opera quæruntur. Ibidem.b
Satisfactio pœnitentiæ eſt cauſas peccatorum excidere, nec earum ſuggeſtionib⁹ aditum indulgere. ibidem
Satisfactio fit per pœnitentiam publicam vel priuatam. ibid.
Multum ſatisfactiōis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum quæ commiſit, nuncio Dei denegauit. 353.a
Satisfactionis modus à præpoſitis ſacrorū præſcriptus, à pœnitente obſeruandus. 359.a
Occulta ſatisfactio fit per ieiunia, eleemoſynas, vigilias & ſacras orationes. Ibidem.

*Schiſma.*

Schiſma ad hæreſin gradus eſt. 50.b

*Scriptura ſacra.*

Scripturę canon. 63 b.64.a
Scripturæ canonicæ ab Eccleſia canonizatæ & approbatæ. 61.a & ſeq.
Auctoritas earū ex Eccleſiarum ſucceſsione. 75.a
In veteri Teſtamēto à Sacerdotibus in templo ſeruabantur. Ibidem.
Scriptores canonicorum librorum nulla in re erraſſe credendi. 64.b
Scriptura ſacra non eſt expoſita vulgo. 101.a
Scripturæ, Dei prouidentia difficiles ſunt & obſcuræ. 65.a
In Scripturis ſacris obſcuritas vtilis. ibidem
Iiſdem ſine magiſtro vacandum non eſſe. ibidem.& 69.b
Earundem interpretatio à Patribus petenda. 101.a
Praua ſcripturarum intelligentia pernicioſa dogmata parit. 107 b
Eiuſdem ſcripturæ ſenſus multiplex. 67.b.& ſeq.
Expoſitiones ſcripturarū diuerſæ, ad vnam Catholicæ fidei concordiam reuocādæ. 452.b
Vbi ſcriptura certi nihil ſtatuit, mos populi Dei, vel maiorum inſtituta, pro lege ſunt tenenda. 77 b
Scripturarum retinetur veritas cùm id [illegible], quod vniuerſæ placet Eccleſiæ, quāuis in eis ſcriptum non ſit. 55.b
In ſcripturis multa tacentur breuitatis ergò, quæ traditionis ſerie ſcimus implenda. 78.b
Scripturas hæretici vertunt ad ſua phantaſmata. 47.a
Scriptura malè interpretata, arcus hæreticorum. 114.b
Ex ſcriptura nō intellecta, hæreſes gigni. 65 b.66.a
*Vide ſuprà* Hæreticus & Hæreſes.

*Sepultura.*

Sepultura mortuorum. 492.b
Moderatè lugeri poſſunt mortui. 493 a
Propter fidem reſurrectionis, corpora mortuorum in honore habenda. 492.b
Curam ſepeliendi mortuos, & ſepulchra moderatis ſumptib⁹ conſtruendi, inter bona opera ſcripturæ deputāt. 401.a.493.a
Tobias ſepeliēdo mortuos, Deū promeruit. 492.b
Iuſtorum & fideliū corpora, præ ceteris in honore habenda. Ibidem.

*Seruitus.*

Seruitus corporalis quatenus licita Chriſtianis. 265.b.266.a

*Spes.*

Sperantur futura, creduntur etiā præterita. 166.a.b
Spem gerit bona conſcientia. 185.b.186.a

*Spiritus ſanctus.*

Spiritus ſanctus à Patre & Filio nō factus, nec natus, ſed Deus procedens. 8.b
Spiritum ſanctum procedere à Patre & à Filio. 8.b 37.b 38.a
Patri & Filio æqualem eſſe, natura, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia. 10.a.b
Spiritui ſancto latriam deberi. 13 b.36.b.37.a
Spiritum ſanctum adorandum eſſe: procedere & à Filio, eidémque conſubſtātialem eſſe, abſque expreſſa ſcriptura creditur. 75.b
Spiritus ſanct⁹ nemini datur extra Eccleſiam. 39.b.42.b
Quod anima in corpore, id eſt Spiritus ſanctus in Eccleſia. 40.a
Spiritusſanctus maximū donum, quod humilibus datur. 173 b
Spiritus ſanctus nō ſequitur, ſed facit merita. 29.b
Spiritus ſanctus & in veteris Teſtamenti Sanctis fuit. 250.a
Adiutor & largitor virtutis. Ibidem.
Spiritum ſanctum ante reſurrectionem Chriſti habebāt Apoſtoli minus, qui dandus erat amplius. 209.a.b. magis & minus percipitur, & datus additur. Ibidem
Quomodo per bonos & malos miniſtros in Eccleſia operetur. 279.b
Spiritus ſanctus, quāuis mali miniſtri deſit ſaluti, miniſterium tamen eius non deſerit. ibid.

*Sponſus & ſponſa.*

Sponſus & ſpōſa à ſacerdote benedicendi. 492.a
Sponſæ & ſponſi antequam conuenirent, Deo dedicauerunt ſuam virginitatem. 479.b

*Subdiaconus.*

In Subdiaconi ordinatione cerimoniæ. 363.b

*Subſtantia.*

Subſtantiæ nomen aliquādo pro perſona in Auguſtini libris ſumitur. 12.b
Tres ſubſtantias in diuinis nō dicimus, ſed tres perſonas. 16.a
Tres ſubſtantiæ in diuinis quo ſenſu concedendæ, quóue negandæ. 12 a

Subſtantiæ vnitas, tres prohibet dicere Deos. ibidem
Quæ ſubſtantiam Dei abſolutè ſignificāt, in ſingulari numero ſemper enuntianda. ibidem.

*Surſum corda.*

Surſum corda. 344.a

*Symbolum.*

Symbolum Apoſtolicum, Athanaſianum, & Nicænū. ***.a.b
Symbolum integrum habere aliquis poteſt,&nō rectè de aliquo ſymboli articulo credere. 289.a
Symbolum Apoſtolicum, memoriæ ab omnibus fidelibus mandabatur. 77.a

T.

*Te Deum laudamus.*

Canticum Te Deum laudamus primò decantatum in Baptiſmo Auguſtini. 487.b

*Templum.*

Templum manufactum interioris noſtri tēpli imago. 494.a
Templorum conſecratio. 493.b & ſeq.
Feſtiuitas dedicationis templi. 494.a
Templa reliquiis martyrum honorata. 493.b
*Vide* Baſilicæ.

*Teſtamentum.*

Teſtamenti veteris cum nouo conſonantia. 237.a.b
Teſtamenti veteris ac noui differentia. 239 a
In vtroque Teſtamento coërcitio & inſtructio, timor & amor. 238.a
Teſtamentum vetus non eſt euacuatū, ſed velamen eius. 237.b

*Timor.*

Timor duplex, ſeruilis & caſtus. 201.b
Timor gehennæ bonus & vtilis. 202.b
Per timorem continet ſe impius à peccato, & fit conſuetudo iuſtitiæ. Ibidem.
Timenda ſeueritas Dei, etiam in nouo Teſtamento. 240.b. 241.a
Per timorem pœnæ quam Deus minatur, bona vita retinetur. 202.a
Timor gehennæ retrahit à peccato. 203.b
Salubriter quatit corda mortalium. ibidem
Timor non vanitate, ſed caritate de bona mente pellendus. 202 a
Timore ædificāda caritas. 203 a
Timor ſeruus caritatis, caritati ſubſequuturæ locum præparat. 203.a.b
Timor initium caritatis, & mortificationis. 303.a. Comes eſt caritatis. 215 a. perducit ad caritatem. 202.b
Si nullus timor, nō eſt quà intret caritas. 203.b
Timor introducit caritatem, ſicut ſeta introducit filum. ibid.
Timendum eſſe omnibus, etiam iis qui bene currunt, propter prædeſtinationis ſecretū. 213.b
In pœnitentia timorem carnificē Auguſtinus exigit. 328.a
Meliores ſūt quos dirigit amor, ſed plures quos corrigit timor. 132.a

*Traditio.*

Traditio Apoſtolica fons, vnde in noſtra tempora canales deriuandi. 73.a
Traditio Apoſtolica eſſe creditur ſi quid per vniuerſam cuſtoditur Eccleſiam. 76.a.78.a quódque ab initio vniuerſa obſeruauit Eccleſia. 78.a
Traditio Apoſtolica ex Eccleſiarum conſuetudine, & Epiſcoporum ſibi ſuccedentium ſerie pendet. 73.b
Multa quę nec in Scripturis, nec in Conciliis habentur, quia tamē vniuerſa ſeruat Eccleſia, ab Apoſtolis tradita credūtur 76.a
Eccleſiæ regula ſanctáque Patrū traditio atque iudicia, in perpetuum firma ſolidáque permaneant. 73.a.b
Traditione Apoſtolicę ſedis & cæterarum Eccleſiarum ſuperatur Pelagius. 99.b
Traditione, ipſa canonica ſcriptura approbatur. 73.b.74.b & ſeq.
Diſputare contra vniuerſalem Eccleſiæ traditionem, inſolentiſsimę inſanię eſt. 80.a
Traditio docet homouſion, Patrē ingenitum, Spiritū ſanctū adorādū & à Filio procedere, eidémque cōſubſtantialē eſſe, etſi nuſquam id expreſsè Scriptura affirmet. 75.b
Paſsio, Reſurrectio, Aſcenſio Domini & Aduentus Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate ex traditione celebrantur. 77.a
Traditionum aliquot Apoſtolicarum enumeratio, ex dictis Baſilii. 77.b
Traditio de benedicendo fonte Baptiſmatis, oleo vnctionis, & ter vngendis iis qui baptizantur, déque abrenunciatione eorundem. 308.a
Traditio antiquiſsima Eccleſiæ, exorcizari & exſufflari paruulos, vt in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum transferātur. 307 a b
Traditione didicimus, hæreticos non rebaptizandos, baptizandos autem paruulos. 76.a
Traditione accepimus & ſymbolum Apoſtolorum. 76.b
Dominica traditione, calix aqua mixtus, in ſacrificio offerēdus. 343.a
Traditio particularis quatenus approbanda vel ſectanda. 76 a
Traditionis ſerie multa implenda ſcimus, quę in Scripturis breuitatis cauſa tacentur. 78.b

*Trinitas.*

De Trinitate, fides eadem eſt Apoſtolorum, quę olim Patriarcharum. 9.b
Trinitas in diuinis eſt, propter perſonarum proprietates: & vnitas, propter inſeparabilem diuinitatem. 8.a
Trinitas perſonarum exemplis declaratur. 13.a
Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnus Deus. 9.a.& ſequ.
Trinitas vera non eſſet, ſi vna eadémque perſona diceretur Pater & Filius, & Spiritus ſanctus. 9.b.
Summa Catholicę confeſsionis de Trinitate. 9 a
In Trinitate quomodo eſt vel nō eſt numerus. 11.b nulla in Trinitate temporum interualla. 38.a
Trinitatis opera inſeparabilia in extremis. 16.a.& ſequ.

Ad totam Trinitatem pertinet quicquid in Scriptura de ſolo affirmatur Deo. 23.a.b
Non tota Trinitas, ſed ſolus Filius ex virgine natus & crucifixus. 16.b
Trinitarii noui tres Deos in Eccleſiam inuehunt. 17.b
Quid differant à veteribus Arrianis. Ibidem
Arrianorum circa quæſtionem de Trinitate cauilli. 14.a
Antiquorum hæreſes & errores circa Trinitatem. 18.a
*Vide ſuprà* Perſona.

V.

*Vaſa ſacra.*

Vaſa ſacra in vſum diuinorum myſteriorum. 343.b.& ſequ.

*Veritas.*

Veritas non eſt niſi in Eccleſia. 56.a.b
Occultari veritas ad tempus poteſt, vinci non poteſt. 528.a

*Vidua profeſſa.*

Viduæ ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ ſe deuouēt Domino, abiecta veſte laicali. 461.a 496.b
Viduis voto caſtitatis obſtrictis, nubere minimè licet. 456.a
Viduas obſtrictas voto, ſi nubere velint, habere damnationem. 460.b.461.a

*Virginitas.*

Olim non pauciores ferè virgines in Eccleſia, quàm coniugatæ. 463.b
Qui ſeipſos propter regnū Dei caſtrauerunt, aliquid amplius quàm cæteri in regno cęlorū habituri ſunt. 452.b
Virgines piæ, magnum aliquid præ cęteris habebunt in cælo. 452.a.270 b
Plus facit quàm facere iubetur, qui conſilium virginitatis amplectitur. 458.a
Hortatur ſanctimoniales vt exemplo pariter & ſermone virgines alias prouocent ad obſeruationem caſtitatis. 465.b
Laus virginitatis & viduitatis. 458.a.b
Virginalis integritas, angelica portio. 452.a
Catholici antiſtites certatim olim ad profitendam virginitatem virgines incitabant. 463.b
Thecla verbis Pauli ad colēdam perpetuam virginitatem accenſa. Ibidem.
Perpetua virginitas vel continētia poſt experta connubia, rectè vouetur. 456.b
Deo dicata virginitas prædicanda. 458.a
Continentiæ Deo cōſecratæ maior merces, quàm caſtitatis cōiugalis. 452.a
Qui virginitatem Deo vouent, ampliorem gradum honoris & ſanctitatis tenēt in Eccleſia. 458.a
Quæcunque vouerint virginitatem & non reddiderint, æterno igne damnari. 460.b
Sanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur. 461.a
Velatio ſacrarum virginū. 459.a. 496.a.& conſecratio. 369.a
Virgines non niſi ab Epiſcopis conſecrantur. 311.a
Virginum monaſteria. 495.b.
Virginum cuſtodia. Ibidem.

*Vita æterna.*

Vita æterna tāquam merces redditur viuenti ex fide. 190.a.
Vita æterna, ſimul & gratia eſt & merces. 266.b. 267.a.
Vitam æternam bonis operibus reddi aptiſsimè ſcriptura dicit. 267.a.

*Vnctio.*

Vnctio ad Chriſtianos pertinet. 308.a.
Vnguntur omnes in baptiſmate. 307.b.& ſeq.
Vnguēto viſibili baptizatos vngit Eccleſia. 311.a.
Ex vnctionis Sacramēto, & Chriſti & Chriſtianorum nomen deſcendit. 307.b.
Vnctio ſpiritalis, ipſe Spiritus ſanctus eſt, cuius Sacramentū eſt in vnctione viſibili. 310.
Externa vnctio internę vnctionis ſignum. 361 b
Vnctio in Eccleſia animæ ſanitatem confert. Ibidem.
Vnctione omnis Chriſtianus ſanctificatur. 311.a
Vnctione Dauid, regale ſacerdotium pręfigurabatur Eccleſię. 351.a
Vnctionem in Saule, etiam ſceleratiſsimo, veneratꝰ eſt Dauid. 366.b
Saul non habebat innocētiam, & tamen habebat vnctionis ſanctitatem. 367.a
Propter ſacroſanctam vnctionē, & honorauit Dauid Saulem viuum, & vindicauit occiſum, & quia panniculum ex eius veſte pręſcidit, percuſſo corde trepidauit. 366 b
Vnguntur manus in ſacra ordinatione. 368.b
Voluntas quid ſit. 220 b
Voluntatis motus culpandus non eſſet, niſi eſſet idem voluntarius. 159.b
Voluntas quia in noſtra poteſtate eſt, libera eſt. 159.a.b
Volūtas noſtra libertatem habet ad pręſentis vitę opera, tam bona, quā mala efficienda. 171.b
Voluntates noſtras ſub neceſsitate non eſſe, etiam ſtoici docuerunt. 159.a
Voluntas hominis niſi libera eſſet, peccata non eſſent. 157 a
Conſenſio voluntatis facit peccatum. 154.a.b.155.a.156.a 220.a
Non eſſet peccatum aut rectè factum, quod non fieret voluntate. 158.a
Si homo voluntatem liberam nō haberet, & pœna iniuſta eſſet & pręmium. Ibidem.
Voluntas mala à Deo non eſt. 167.a. ſed neque à diabolo ſemper incitatur. 161.b
In voluptate habet vnuſquiſque, aut eligere quę bona ſunt, aut quę mala. 161.a
Volūtas bona pręcedit multa Dei dona, non tamen omnia. 178.a
Voluntate credimus, diligimus, ſperamus, ſed quæ præparatur à Deo. 193.b
Voluntas qua piè rectéque viui-

tur, ſub neceſsitate non eſt. 159 a
Voluntas hominis niſi Dei gratia liberata, ad bene piéque viuendum non ſufficit, valet tamen ad peccandum. 158.b
Voluntatis noſtrę eſt, conſentire vel diſſentire] vocationi Dei. 197 b
Voluntates Deo cooperantur. ibidem.
Volũtarius defectus ſolus eſt culpabilis. 218.b

*Votum.*

Voueri poteſt quicquid eſt licitum & pertinet ad melioris vitę profectum.459.b.
Licita per votum redduntur illicita. 457.b
Voti libertate obſtringimur ad licita cauenda. Ibidem.
Votum paupertatis. 457.a votum monaſticum. 477.a
Votum fidei coniugalis, caſtitatis vidualis,& continentiæ virginalis. 477.a
Poſt voti profeſsionem, frænandum & vincendum eſt quodlibet,quia iam non licet. 456.a
Pręceptum Domini eſt pręſtare quod voueris. Ibidem,b
Quę rectiſsimè vouentur, cùm homines vouerunt, nulla ratione rumpenda. Ibidem.
Cõtinentia rectè vouetur, etiam poſt experta connubia. Ibidẽ.
Per votum caſtitatis facilius concupiſcentia frenatur. 455.b
Omni vouenti Deo & reddenti quod vouit,reddet Deus cæleſtia præmia quę ꝓmiſit. 381.a.b
459.b
Vota perpetuę continentię reddenda, non propter præſens ſeculum, ſed propter regnum cælorum. 459.b
Continentibus ex voto, non ſolùm non capeſcere nuptias,ſed etiamſi nõ nubatur,nubere velle damnabile eſt. 462.a
Vouere caſtitatem conſilij eſt, poſt votum verò caſtitatem ſeruare,neceſsitatis. 456.a
Nuptiæ quæ ante votum caſtitatis licebant, poſt votum non licent. Ibidem,b
Iam vouiſti, iam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere nõ licet.382.a
Quia tenetur apud Deum ſponſio tua,non te ad magnam iuſtitiã inuito,ſed á magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris,ſi non feceris quod vouiſti,qualis manſiſſes,ſi nihil tale vouiſſes. Ibidem.
Fœlix eſt neceſsitas quę in meliora compellit. 455.b
Poſt votum caſtitatis nubentes aut nupturientes, damnationẽ habere. 460.b.
Poſt votum caſtitatis nubẽtium, peccatum eſt grauius, quàm adulterorum.456.a.& quare. Ib.
Iis qui continentiam vouerunt admodum damnabile eſt vel appetere opus coniugale.376.b
Non debet animus putare ſe minus idoneum ad reddendum, ne piger ſit ad vouẽdum. 471.b

*Xenodochium.*

Xenodochia & monaſteria in primitiua Eccl. fuiſſe. 470.b.471.a

Omnia quæ leguntur in Scripturis ſanctis, ad inſtructionem & ſalutem noſtram intentè oportet audire. Maximè tamen memoriæ commendanda ſunt, quæ aduerſus hæreticos valent plurimùm. Quorum inſidiæ infirmiores quoſque & negligentiores circumuenire non ceſſant. *Tom. IX. Tract. II. in Epiſt. Ioannis.*

# INDEX SACRARVM SCRIPTVRARVM,

## QVIBVS AD CATHOLICAE *doctrinæ confirmationem, præſertim aduerſus noſtri temporis hæreſes, in his libris vtitur Auguſtinus.*

Quæ ipſis Scripturis paſſim, ſed diuerſo typo adiuncta ſunt, verba plerunque ſunt Auguſtini, Lectori vſum ipſarum breuiter indicantia. in citandis porrò ex veteri Teſtamento teſtimoniis, tranſlationem ferè ſeptuaginta interpretum ſecutus videtur.

## EX VETERI TESTAMENTO.

### *Geneſis.*

*Cap.*1. Et ſint in ſignis & temporibus & diebus & in annis. 500.b
*Ibid.* Nudi erant & non confundebantur. 376 b
2. Qua die ederitis, morte moriemini. 134.a. 446.b
6. Arca Noë trecentorũ cubitorum erat in longitudine, & in latitudine quinquaginta, & in altitudine triginta.169.b
*Ibid.* Deorſum, cœnacula & triſtega facies in ea. 452.a. *Applicat ad triplicem hominum in Eccleſia ſtatum Coniugum, Viduarum & Virginum.*
7. Facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 443.b. *Accommodat ad Quadrageſimã.*
15. Cùm autem ſol iam erat ad occaſum, flamma facta eſt, & ecce, fornax fumibunda, & lampades ignis, &c. 404.b. *de Purgatorio.*
17. Infans qui octauo die circunciſus non fuerit, diſperibit anima illa de populo ſuo. 296.a. *Eandem docet eſſe neceſsitatem in baptizandis paruulis.*
19. Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. 476.a. *Interpretatur de Apoſtatis monachis.*
22. Modò enim cognoui quia times Deum. 213.a. *Id eſt, cognoſcere te feci. Contra hæreticos, qui omnimo-*

*dam cuique credenti ſecuritatem de obtenta Dei gratia & conſequendæ vitæ æternæ promittunt.*

**Ibid.** In ſemine tuo benedicētur omnes gentes. 43.a. *Has promiſſiones tenenti, ſi tibi angelus de cœlo diceret: Dimitte Chriſtianitatem orbis terræ, & tene partis Donati, anathema eſſe deberet, quia te à toto præcidere & in partem contrudere conaretur, & alienare à promiſſis Dei.* 45.b. 48.a. 510.a

23. Adorauit Abraham coram Domino & populo terræ. 414.b 418.a

23. & 25 Sepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelūca duplici. 492b. *Antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, &c.*

25. & 49. Appoſitus eſt ad populum ſuum. 393.b

**Ibid.** Accepto pane & lentis edulio, edit & bibit, &c. 446.b

28. Vnxit Iacob lapidem. 311.a. *Figura Chriſmatis.*

47. Non ſepelias me in AEgypto. 492 b

48. Et inuocabitur in his nomē meum, & nomen patrum meorum. 415.b *Pro inuocatione Sanctorum.*

49. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita &c. 502.a. *Antichriſtum colligit ex hoc loco, naſciturum de tribu Dan.*

**Ibid.** Ibi ſepelierunt eum & Saram vxorem eius. 493.a. *Cura ſepeliendi & ſepulchra conſtruendi, in Scripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt.*

50. Tranſierūt quadraginta dies. Iſte quippe mos erat cadauerum conditorum. 444.a

### *Exodi.*

*Cap.* 12. Et ſument de ſanguine eius ac ponent ſuper vtrunque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum. 491.b. *Crucis ſigno in fronte hodie, tanquam in poſte ſignandus es.*

*Ibid.* In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras. 54.a. 330.a. *De ſacrificio, quod niſi in vna Catholica immolatur Eccleſia.*

*Ibid* Et ſpoliauerūt AEgyptios. 73.a. *Gentilium ſcriptis, quæ etiam liberales diſciplinas, vſui veritatis aptas, continent, Chriſtiani tanquam Ægypti ſpoliis ritè vtuntur.*

20. Omne opus non facietis in eo. 499.b. *Docet diebus feſtis à ſecularibus rebus & actionibus vacandum.*

*Ibid.* Non concupiſces. 243.b. *Quod fatemur certè Chriſtianos debere obſeruare, atque Euangelica maximè illuſtratione prædicari.* 251.b. *Non concupiſces, & cætera mandata, iudaizantes ſibi tribuebant, tanquam ea per ſemetipſos operantes, quæ vt poſſit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Ieſu Chriſti.* 454.a.

*Ibid.* Non loquatur ad nos Deus ne quando moriamur. 237.b

24. Fuit ibi quadraginta diebus, &c. 436.a 440.b. *Accommodat ad Quadrageſimam.*

26. Facies & operimentum aliud tecto, de pellibus arietum rubricatis. 413.b. *Significantur his martyres ſancti.*

32. Sine me, & iratus conteram eos. 171.a. *Admonemur, cùm peccata noſtra nos grauant ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.*

33. Eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram, & videbis poſteriora mea. 54.a. *Petra, Eccleſia, ex qua ſola veritas perſpicitur.*

*Ibid.* Miſereor cuius miſerebor, & miſericordiam præſtabo cui miſericors ero. 175.a.

40. Poſuit altare Moſes, & adoleuit ſuper eo, &c. 334.b. *Huic altari aliud ſucceſſit, ſicut ſucceſſit agnus agno, & ſanguini ſanguis.*

### *Leuitici.*

*Cap.* 11. Hæc ſunt animalia quæ comedere debetis, &c. 447.b.

21. Ego Dominus qui ſanctifico eum 273.b. *Per Sacramēta & miniſterium ſacerdotis.*

### *Numeri.*

*Cap.* 11. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes. 446.a

21. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. 328.a

25. Et perfodit ambos ſimul (Phinees.) 370.b. *Quod vtique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt faciendum in hoc tempore.*

### *Deuteronomii.*

*Cap.* 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. 13.b. 37.a. 418 a. *Non dictum eſt, Dominum Deum tuum ſolum adorabis, ſicut dictum eſt, ſoli ſeruies, quod eſt græcè* λατρεύσεις.

12. Attende tibi, ne offeras holocauſtomata in omni loco &c. 41.b. *Holocauſtomata offerenda ſunt in Eccleſia.*

13. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis eum. 213.a. *Vt ſcire vos faciat. Contra eos qui ſola fide, & iuſtos ſe, & prædeſtinatos etiam eſſe iactitant.*

### *Iudicium.*

*Cap.* 15. Cepit trecentas vulpeculas, caudáſque earum iūxit ad caudas, &c. 115.b. *Vulpeculis hiſce hæretici comparantur, qui cauda, hoc eſt, vanitate conſentiunt, in capite tamen, hoc eſt, in errore diſcrepant.*

### *Primo Regum.*

*Cap.* 2. Ipſe iudicabit extrema terræ. 394.a

*Ibid.* Veſtitus erat Ephod. 495.b

*Semuel veſtitus Ephod, cũ Sacerdos non eſſet: ſicut hodie Diaconi Dalmaticis induuntur, cum non ſint Epiſcopi.*

21. Et ferebatur in manibus ſuis. 315.b. *Chriſtus nempe, cum diceret, hoc eſt corpus meum.*

*Ibid.* Mutauit vultũ ſuum. 338.a. *Quãdo ſub ſpecie panis ſe in Sacramento manducandum dedit.*

24. Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hãc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittã manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. 366.b. *Non habebat Saul innocentiam, ſed vnctionis ſanctitatem. Vnde Epiſcopis & Sacerdotibus etiã malis, propter Sacramenti honorem & vnctionis ſanctitatem, obtemperandum eſſe.*

28. Samuelem mihi ſuſcita. 421. a. *Colligitur ex hoc loco ſanctos poſt mortem ad viuos aliquando venire, & humanis rebus intereſſe poſſe: ſicut S. Felix Nolanis cũ à barbaris oppugnarentur interfuit.*

## *Secundo Regum.*

*Cap.* 7. Intrauit Rex Dauid & ſedit ante Dominum. 495.b

19. Dominus quoque trãſtulit peccatũ tuum 359.b *Peccati veniam Dauid meruit, & tamen conſecuta ſunt, quæ per Prophetã Deus fuerat comminatus.*

## *Tertio Regum.*

*Cap.* 19. Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad mõtem Dei Oreb. 440.b. *Accommodat ad Quadrageſimam Chriſtianorum.*

## *Quarto Regum.*

*Cap.* 2. Spiritus qui eſt in in te duplex ſit in me. 209. a., b. *Niſi ab alio magis & ab alio minus Spiritus ſanctus haberetur & ex ſanctis alii aliis eſſent ſanctiores, non diceret Eliſæus: Spiritus qui eſt in te, duplex ſit in me.*

*Ibid.* Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrunque & aſcendit Elias per turbinẽ in cœlum. 509. a. *Dicit ideo raptum vt redeat ante extremum iudicii diem, & conuertat cor Patrum in filios, hoc eſt, Iudæos ad fidem Chriſti.*

5. Nónne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? 410. b. *Quanto magis in corpore ſpirituali videbũt ſancti omnia etiam vnde ſunt corpore abſentes.*

## *Tobiæ.*

*Cap.* 2. & 12. Mediis noctibus ſepeliebat ea. 492.b. *Tobias, teſte Angelo, ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe commẽdatur.*

4. Fili, eleemoſynæ, non ſinunt ire in tenebras. 230.b

12. Ego obtuli memoriam orationis veſtræ. 412. a. *Miniſterium angelorum in neceſſitatibus hominum.*

## *Heſter.*

*Cap.* 4. Non comederis & non biberis tribus diebus & tribus noctibus. 438. a. *Iudaicus populus cùm in periculo poſitus eſſet, ieiuniis ſuffragantibus liberatus eſt.*

## *Iob.*

*Cap.* 1. Offerebat holocauſta per ſingulos dies 227. a. *Accõmodat ad ſacrificium Teſtamẽti noui, in quo eleuatio Domini & remiſſio peccatorũ ſignificatur.*

7. Tẽtatio eſt vita hominis ſuper terram. 214 b. *Non igitur præſumendum eſt de perſeuerantia dono, quandiu viuimus.*

14. Quis enim erit mũdus à ſorde, ne vnus quidem, etiamſi vnius diei fuerit vita eius ſuper terram. 283. a. 296. a. *Pro peccato originali.*

29. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. 415.b. *Angelos videtur poſtulare, aut certè ſanctos.*

31. Si erubui in conſpectu populi confiteri peccata mea 358. a. *Accommodat ad publicã pœnitentiã Theodoſii Imperatoris.*

## *Pſalmo.*

2. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem terminos terræ. 43. a. *Pro Catholica Eccleſia.* 44. a. 48. b.

*Ibid.* Seruite Domino in timore 131 a. *Quomodo reges ſeruiũt Domino in timore niſi, ea quæ cõtra iuſſa Domini fiũt, religioſa ſeueritate prohibẽdo atque plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia rex.*

*Ibid.* Et exultate ei cum tremore. 130. b. *Quare cum tremore? quia qui ſtare ſe putat, videat ne cadat. Item* 215. a. *Probat variis ſcripturis ad nouum quoque Teſtamentum pertinere, ſeruire Domino cum timore, & exultare ei cum tremore.*

3 Et exaudiuit me de monte ſancto ſuo. 44. b. 45. a. *Mons iſte Eccleſia Catholica eſt, extra quam clamare poſſumus, exaudiri non poſſumus.*

7. Et parauit in eo vaſa mortis. 66 a *Vaſa mortis à Domino parata, ſunt hæretici, qui malo voto legentes Scripturam, malè coguntur eandem intelligere.*

9. Et omnium inimicorum ſuorum dominabitur. 502. b. *de Antichriſto.*

10. Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra. 66. a. *Arcus hæreticorum ſcriptura, quoniã carnaliter eã interpretando, venenatas inde ſagittas emittunt.*

15. Quoniam non derelinques animam meã in inferno 33. a. b *Chriſtum deſcendiſſe ad inferos Apoſtolica doctrina prædicat.*

18. In omnem terram exiuit ſonus eorum. 45. a 511 a. *Pro Eccleſia Catholica.*

*Ibid.* In ſole poſuit tabernaculum ſuũ. 45. b. *Eccleſiã ſuã poſuit nõ in nocte, ſed in manifeſtatione & in die.*

*Ibid.* Delicta quis intelligit? 213. a. *Contra vanam & temerariã ſecuritatem.*

21. Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ. 49. a. *Pro Eccleſia Catholica.*

Ibid. Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. 319. b. *Manducauerunt & adorauerunt corpus Domini in Euchariſtia.*

25. Et cum facinoroſis non introibo 366. b. *Neque tamen alias ab iiſdem facinoroſis Eccleſiam facit.*

26. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. 164. a. *Si nihil agis quomodo ille adiuuat? adiuuari non poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur.* 195 b

31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. 208. b. *Peccata nō dicuntur tecta, quaſi ibi ſint, & viuant.*

33. In Domino laudabitur anima mea 431 b. *De animabus martyrum.*

34. In ieiunio humiliabam animam meam. 438. a. *Iuſti ac Prophetæ quando à Deo aliquid impetrare volebant, ieiunio ſe humiliabant.*

35. Iuſtitia tua ſicut montes Dei. 325. b *præceptis, quæ in noua lege maiora ſunt.*

37. Curam geram pro peccato meo. 357. a. *Fiant eleemoſynæ, redimantur peccata, &c. hoc eſt, curam geram pro peccato meo.*

39. Sacrificium & oblationē noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. 339. b. *Quia pro omnibus illis ſacrificiis & oblationibus, corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur.* 340. a

44. In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. 438 b. *Ieiuniorum diuerſæ in diuerſis locis obſeruationes, varietate veſtis ſignificatæ.*

Ibid. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. 45. a. 369. b. *Pro Apoſtolis, Epiſcopi principes ſuper omnem terram conſtituti.*

47. In ciuitate Dei noſtri, in mōte ſancto eius. 44. b. *De viſibili Eccleſia.*

Ibid. Deus fundauit eam in æternum. 57. b *De Eccleſia.*

49. Vocauit terram à ſolis ortu vſque ad occaſum. 49. a. *Pro Eccleſia Catholica.*

Ibid. Ignis in conſpectu eius ardebit. 519. b.

Ibid. Aduocabit cœlum ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. 514. a. *& ſequentibus. Cœlum omnes ſanctos perfectos, aduocabit eos ſurſum ſeſſuros, ſecum iudicaturos.*

Ibid. Sacrificium laudis glorificabit me. 339. b. *Huius ſacrificij caro & ſanguis, poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoria celebratur.*

50. Et delictum meum ante me eſt ſemper. 351. b. *Aſcende tribunal mentis, eſto ibi iudex, torqueat te timor, erumpat confeſſio. Quod erat poſt te, fiat ante te & puniatur à te, &c.*

Ibid. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. 283. a. *Pro peccato originali.*

Ibid. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. 213. a

Ibid. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, &c. 351. b. 352. a.

54. Quoniam in multis erant mecum. 273. a

57. Errauerunt à ventre 56. a. *In ventre Eccleſiæ veritas manet. Quiſquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt vt falſa loquatur.*

60. A finibus terræ ad te clamaui, dum angeretur cor meum, in petra exaltaſti me. 55. b *De Eccleſia.*

67. Congregatio taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur hi qui probati ſunt argento. 110. a. 113. a. *Pulchrè interpretatur tauros hæreticos, vaccas ſeductiles animas: qui probati ſunt argento, veros ſenſus ſcripturarum.*

71. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ. 49 a. 510. a. b. *De Eccleſia Catholica.*

Ibid. Adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes ſeruiēt illi. 49. a. 128. b. *Etiam leges ferendo aduerſus hæreticos.*

72 Velut iumentum factus ſum apud te. 176 b

75. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. 181 b *De continentia, quā poſt votū deberi dicit. Item* 454 b 456. b 483. a.

78. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. 163. a. *Qui adiuuatur, etiam per ſeipſum aliquid agit.*

83. Gratiam & gloriā dabit Dominus. 266 a

85. Omnes gentes quotquot feciſti venient & adorabunt coram te Domine 510. b. *Nōdum id impletum.*

87. Inter mortuos liber. 19. d. *De anima Chriſti apud inferos.*

94. Nolite obdurare corda veſtra. 195. a. *Ne putetur, nihil ibi facere homines per liberum arbitrium.*

98. Adorate ſcabellū pedum eius, quoniam ſanctum eſt. 32. a. 319. a. *Scabellum pedum eius, caro orta de terra. Nemo carnem Chriſti manducat, niſi prius adorauerit.*

101. In conueniendo populos in vnum & reges vt ſeruiant Domino. 57. b. *Imperatores contra hæreticos leges proponūt: ibi impletum eſt, & regna vt ſeruiant Domino.*

Ibid Exiguitatē dierū meorū nūcia mihi. 57. a. *Loquitur Eccleſia: Contra hæreticos qui Eccleſiā periiſſe & apoſtataſſe contēdunt.*

102. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis & ſanat omnes languores tuos 210. a. *Sanatur poſt baptiſmum languoris quotidianis acceſſibus ad innouationem interioris hominis.*

103. Pertranſeunt omnes beſtiæ ſyluæ, & catuli leonū rugientes vt quærant eſcā ſibi 218. a. *Neque iuſtificatus à prioribus peccatis, quaſi de plena ſecuritate ſe iactet in hac vita.*

107. Et ſuper omnem terram gloria eius 42. a. *Pro Catholica Eccleſia.*

109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. 234. b *Ex Sion miſſam legem Chriſti, fatētur Pagani & Iudæi. Lex Chriſti, Euangelium eſt.*

Ibid. Iurauit Dñs & nō pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinē Melchiſedech. 333. b. 334. a.

336.b. *Sacerdotium Chriſti in oblatione panis & vini.*

115. Precioſa in cõſpectu Domini mors ſanctorum eius. 429 b. *Precioſas eſſe memorias martyrum ſanctorum, propter miracula quæ in ipſis fiunt.*

118. Legem pone mihi Domine. 254. a. *De Euangelica lege.*

*Ibid.* Confige clauis à timore tuo carnes meas. 201. a. *Vtroque timore caro crucifigẽda, primùm quidem ſeruili, quem caritas foras mittit: deinde verò & timore caſto qui permanet in ſeculum ſeculi.*

132. Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. 470. b. *De monachis viuentibus in monaſteriis. Item* 471. a. b. *Iſtud canticum monaſteria peperit, ad hunc ſonum excitati ſunt fratres: iſte verſus fuit tuba ipſorum, ſonuit per orbem terrarum.*

*Ibid.* Quod deſcendit in orã veſtimenti eius. 477 b *Vnguentũ præcipuum quod deſcẽdit in orã veſtimenti Aarõ, ſingularis gratia, quã accipiunt qui Apoſtolico exẽplo omnia ſua vẽdunt & diſtribuunt pauperibus.*

## *Prouerbiorum.*

*Cap* 1. Initium ſapiẽtiæ timor Domini. 203. a. b. *Quia timor quaſi locum præparat caritati: ſi nullus timor eſt, nõ eſt quà intret caritas, quæ eſt hominis iuſtitia.*

4 Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, non declines in dextram, neque in ſiniſtram. 161 a. *Pro libero arbitrio.*

8. Præparatur voluntas a Domino. 176. a. *Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed præparatur voluntas à Domino: ſicut certum eſt nos facere cùm facimus, &c.*

9. Venite manducate de panibus meis, & bibite vinum quod miſcui vobis. 338. a *In vino & panibus apparet ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

20. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor. 213. a. *Quãtalibet iuſtitia ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inueniatur eſſe culpandum.*

23. Tu quidem percutis eum virga, animam autẽ eius liberabis à morte. 572. *Cõcluditur ex eo, malam hæreticorum voluntatem per magiſtratus ad bonum aliquando cogendam eſſe.*

## *Eccleſiaſtæ.*

*Cap.* 2. Nõ eſt bonum homini niſi quod mãducabit & bibet. 338. a. *De corpore & ſanguine quod Sacerdos ipſe mediator Teſtamenti noui exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

## *Canticorum.*

*Cap.* 2. Sicut lilium in medio ſpinarũ, ita proxima mea in medio filiarum. 53. a. *De bonorũ & malorũ in Eccleſia commixtione.*

5. Soror mea ſponſa. 54. b. *Sponſa Chriſti Eccleſia. Vnde Aug. Nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem.*

6. Vna eſt columba mea. 124. b. *De vnitate Eccleſiæ.*

## *Sapientiæ.*

*Cap* 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. 365. a. *Ficti miniſtri ſaluti deeſt, eius tamen in adminiſtrandis Sacramẽtis miniſterium non deſerit.* 279. b.

4. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectũ eius. 216. a. 217 a. 394. a.

8. Nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det. 454 a. b.

10. Hæc illum, qui primus factus eſt, patrem orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus cuſtodiuit & eduxit illũ à delicto ſuo &c. 135. b. *Interpretatur de Adamo apud inferos per Chriſtum ſoluto.*

## *Eccleſiaſtici.*

*Cap.* 3. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te, ne ſcrutatus fueris 423 a. *Contra eos qui curioſius ſcrutantur quomodo poſt mortem appareant ſancti, & miracula faciant.*

*Ibid.* Sicut aqua exſtinguit ignẽ, ita eleemoſyna exſtinguit peccatum. 230. b.

7. Vindicta carnis impij, ignis & vermis. 519. a. *De igne corporeo inferni.*

10. Secundum principem populi, ſic & miniſtri eius. 367. a.

11. Ante mortem ne laudes hominem quenquam. 393. b *Contra illos qui affirmant ſemel iuſtificatos, deinceps labi non poſſe.*

15. Et reliquit illum in manu cõſilij ſui. 135 a. *Quid eſt, reliquit illum in manu conſilij ſui, niſi dimiſit eum in poſſibilitate liberi arbitrij ſui?* 166 a.

*Ibid.* Si volueris, conſeruabis mandata. 176. a. *Qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat.*

18. Poſt concupiſcentias tuas nõ eas. 154. b. *Ire poſt concupiſcentias reũ facit, non aũt habere.*

21. De præteritis deprecare Dominum, vt tibi dimittantur. 357. a. *Non dixit tantùm, vt abſtineatis à peccatis*

29. Include eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa pro te deprecabitur Dominum. 230. b.

46 Et exaltauit vocem eius de terra in prophetia &c. 421. a. *Samuel etiam poſt mortem hîc legitur prophetaſſe & apparuiſſe Saul: apparere igitur aliquando poſſunt ſancti poſt mortem.*

## *Iſaiæ.*

Cap. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. 213. b. *Additam ait conditionem, ne quis præſumat ſe iam in numero prædeſtinatorum eſſe.*

2. Ex Sion prodiet lex. 234. b. *Lex ſecunda, quæ Teſtamentum nouum dicitur.*

4. Et ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu iudicij & ſpiritu combuſtionis. 405. a *De igne Purgatorio.*

6. Excæcauit Deus oculos eorum, & indurauit cor eorum. 197. a. *Deſerendo, non adiuuando.*

11. Repleta eſt vniuerſa terra, vt cognoſcant Dominum. 48. b. *Pro Eccleſia Catholica.*

49. Et erunt reges educatores veſtri &c. Ibidem.

52. Recedite, recedite, exite inde, & immundũ nolite tangere. 366. b. *A moribus ma-*

*lorum recedite, non ab Eccleſiæ Sacramentis, quæ tam bonis quàm malis ſunt communia.*

54. Et qui eruit te, ipſe Deus Iſraël vniuerſæ terræ vocabitur. 49. b. *Hic euidentiſſimum Dei opus, humanum dicitis eſſe figmentum, nec vos reſpicitis, quòd ab iſta Eccleſia, quã ſe promiſit Deus in vniuerſa terra eſſe facturum, nullo modo ſeparareminí, niſi hominem ſequeremini*

56. Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomẽ melius à filiis & filiab⁹ &c. 452 b. *De iis dicitur qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnũ cælorum.*

*Ibid.* Nomen æternum dabo eis. 457 b *Quid tergiuerſaris impia cæcitas? quid temporalem tantummodo vtilitatẽ promittis continentibus ſanctis? nomen æternum dabo eis.*

61. In terra ſua duplicia poſſidebunt 405 a *Habẽt ſancti ante reſurrectionem ſingulas ſtolas, quia in ſola anima adhuc æternis beatitudinib⁹ perfruũtur: poſtea accepturi ſunt binas.*

66. Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & Leuitas. 365. b. *De Sacerdotibus & Leuitis noui Teſtamenti.*

*Ibid.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorũ nõ exſtinguetur. 518 b. *Ego facilius exiſtimo, vt ad corpus dicã vtrunque pertinere, quàm neutrum.*

*Ieremiæ.*

*Cap* 8. A Dan auditus eſt fremitus equorum. 502. a. *De Antichriſto qui naſcetur ex tribu Dan.*

17. Maledictus qui ſpem ſuã ponit in homine. 367 a. *Contra eos qui propter hominum vitia, ab Eccleſia ſe ſeparant.*

*Ibid.* Sedes gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra. 47. b. *De viſibili Eccleſia.*

31 Conſummabo ſuper domum Iſraël & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum. 238 b. *Teſtamentum nouum, propter nouitatem ſpiritus.*

*Ibid.* Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorũ ſcribam eas. 259 b 260. a *Quia præcepta duarũ Tabularũ etiã nunc obſeruare præcipimur.*

35. Non bibemus vinũ, quia Ionadab filius Rechab, pater noſter præcepit nobis dicẽs: Non bibetis. &c. 473. a. *Pro obedientia religioſa.*

*Ezechielis.*

*Cap.* 9. Vade per mediam Hieruſalẽ, & notabis ſignũ ſuper frontem virorũ &c. 489. b.

*Ibid* Nolite miſereri ſeniorib⁹, iuuenes, virgines, paruulos, & mulieres interficite vſq; ad internecionem, omnem autẽ ſuper quẽ ſignũ ſcriptũ eſt in fronte, ne tetigeritis. Ibidẽ *De ſigno crucis quod fideles portant in fronte.*

16. Et protuliſti de vaſis gloriæ tuæ, de auro meo & argento meo &c. 47. a. *De hæreticis qui ad imagines phantaſmatũ ſuorũ conuertunt omnia Sacramẽta, & verba librorũ ſanctorũ.*

18. Proiicite à vobis oẽs impietates veſtras quas impiè egiſtis in me, & facite vobis cor nouũ & ſpiritũ nouũ. 195 a. *Pro libero arbitrio.*

24. Pone illam ſuper prunas vacuam, donec concaleſcat æs eius. 395. b *De purgatorio.*

33. Vita viuet & non morietur. 359 b *Non tamẽ promittimus, quòd euadet omnem pœnam.*

*Danielis.*

*Cap.* 2. Creuit lapis iſte, & factus eſt mons magnus ſuper omnem terrã. 45. a. b. *Cæci ſunt, qui tam magnum montem non vident. De viſibili Catholica Eccleſia.*

3. Edictum Nabuchodonoſor ne quis blaſphemaret Deũ verum Sidrac, Miſac, & Abdenago. 118. a 120. b. 130. b. *Pro legibus imperatorũ aduerſus hæreticos, qui ſempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur.*

4 Conſiliũ meũ audi rex, & peccata tua eleemoſynis redime. 230. b.

*Ibid.* Et tradẽtur in manu eius vſque ad tempus & tẽpora & dimidiũ temporis. 507. a. *De perſecutione Antichriſti.*

7. Et fluuius igneus currebat ante eum. 195. a. *De purgatorio.*

10. Panem deſiderabilẽ non comedi, & caro & vinum non introierũt in os meũ. 436. b.

12. Et à tempore quo ablatũ fuerit iuge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem dies mille ducẽti nonaginta. 507. a. b 508. a. *De temporibus Antichriſti.*

*Oſee.*

*Cap.* 13. Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus ô inferne. 34 a. *Ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit, non occidit funditus, ſed momordit infernum.*

*Ionæ.*

*Cap.* 3. Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. 435. a. 444. a. *Accommodat ad tempus Quadrageſimæ.*

*Ibid.* Crediderunt Niniuitæ in Dominum & prædicauerũt ieiunium. 438. a. *Niniuitæ cũ euerſionis ſuæ præſcriptũ diem audiſſent, ieiunio indicto euadere meruerunt.*

*Ibid.* Quis nouit ſi Deus flectat in melius ſententiã ſuam, & miſeretur? 213. a *Incertum erat, cùm dicitur, Quis nouit? ad hoc incertum Niniuitæ egerunt pœnitentiam.*

*Habacuc.*

*Cap.* 2. Iuſtus ex fide viuit. 190 a. *Aliud eſt ex fide viuere, aliud fidem habere.*

3. In medio duûm animalium cognoſceris. 66. b *Duo animalia ſignificant duo Teſtamenta, medium eorũ, eſt intellectus interior & ſpiritualis, non autem litera quæ occidit.*

*Sophoniæ.*

*Cap.* 2. Et adorabunt eum vnuſquiſque de loco ſuo, omnes inſulæ gentium. 510. b. *Pro Eccleſia Catholica.*

*Zachariæ.*

*Cap.* 12. Videbunt in quem pupugerunt. 512 b. 513. a. *Etiam mali humanam Chriſti formam videbunt in iudicio.*

*Malachiæ.*

*Cap.* 1. Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Domin⁹ omnipotens, & hoſtiam non accipiam de manibus veſtris. 336. b. *Abolitum ſacrificium*

*Iudæorum ſignat, poſteaquàm in omni loco ſacrificium Chriſtianorum offerri cœpit, quod eſt ſecundùm ordinẽ Melchiſedech.*

*Ibid.* Quia ab ortu ſolis vſque ad occaſum glorificatum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo & hoſtia pura. Ibidem, & 337. a. *Ecce quod eſt ſecundùm ordinẽ Melchiſedech.*

3. Ipſe ingredietur quaſi ignis conflatorij, & quaſi herba lauantiũ &c. 405. a. *De Purgatorio.*

*Ibid.* Et emundabit filios Leui & fundet eos ſicut aurum & argentum &c 405. a. b.

4. Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris, qui cõuertet cor patris ad filium. 509. a. *Iudæos ad fidem Chriſti.*

### *Secundo Machabæorũ.*

*Cap. 7.* Singulos eorum hortabatur voce patria fortiter repleta ſapientia &c. 481. a. *De matre Macchabæorum hiſtoria accõmodata cõtra eas matres, quæ liberos ſuos auocant à monaſtica religione.*

12. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare. 400. b. *Sed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur, orandum eſſe pro defunctis, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac cõſuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad altare funduntur, locum ſuum habet etiã cõmẽdatio mortuorũ.*

## EX NOVO TEſtamento.

### *Matthæi.*

*Cap. 1.* Noli timere accipere cõiugẽ tuã. 388. b. 389. a. *Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum.*

3. Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre 436. b. *Negat per locuſtas ſignificari piſces, id quod tamen à ſectariis quibuſdam audacter docetur.*

*Ibid.* Facite fructus dignos pœnitentiæ. 347. a. *Pœnitentiam non ſterilem eſſe, ſed dignè fructificare debere.* 349. b.

*Ibid.* Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. 457. a. *Non ſicut de virginitatis conſilio dicitur: Qui poteſt capere capiat, ita & de operibus iuſtitiæ. Item.* 277. d. *Hæc ſententia euidenter oſtendit, quia non ſolum malum feciſſe, ſed etiam bonũ non egiſſe damnabile erit.*

*Ibid.* Permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum &c. 52. a. 53. a. *Docet in fine ſeculi primùm, ſeparandos bonos à malis.*

4. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum 349. b. *De pœnitẽtia quæ in adultis ante baptiſmum neceſſaria eſt.*

*Ibid.* Et cũ ieiunaſſet quadraginta diebus & noctibus &c. 438. a. 440 b. *Quadrageſima.*

*Ibid.* Si filius Dei es, mitte te deorſum, Scriptum eſt enim &c. 67. a *Hæretici in citãdis Scripturis, diabolum imitantur.*

5. Cùm vidiſſet Ieſus turbas multas, acceſsit in montem &c. 235. b. *Si quæritur quid ſignificet mons, bene intelligitur ſignificare maiora præcepta iuſtitiæ, quia minora erant quæ Iudæis data ſunt.*

*Ibid.* Beati pauperes ſpiritu. 479. a. *De paupertate anachoretarum.* Ibidem

*Ibid* Beati miſericordes, quoniã ipſi miſericordiam conſequentur. 357. a *Pro operibus ſatisfactionis.*

*Ibid.* Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. 117. b. *Pro iuſtitia pati nõ poſſunt, qui Eccleſiam diuiſerunt.* 118. b. 119 a. b. *& ſeq. Vbi ſana fides, vel vbi caritas non eſt, nõ poteſt eſſe iuſtitia.*

*Ibid.* Non poteſt ciuitas abſcõdi ſuper montem poſita &c. 41. b 42. a. b. *De Eccleſia quòd ſit viſibilis, & quæ à nemine ignorari poſsit, vel abſcondi.*

*Ibid.* Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio. 44. b. 45. a. b. *Eccleſia eſt lucerna quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata. Quid amplius dicturus ſum quàm cæcos, qui cõtra lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt?*

*Ibid.* Nõ veni ſoluere legem, ſed adimplere. 245. b. 246. a. 247. b. 248. a. b. 258. b. *Illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur & obſeruanda ſunt: Non occides, non mœchaberis &c.*

*Ibid.* Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. 287 b. *Sine iuſtitia & operibus bonis, Baptiſmus neminem adultum perducit ad regnum cœlorum.*

*Ibid.* Eſto cõſentiens cum aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo. 236. b. *Per aduerſarium intelligit legem, cui per caritatem obtemperandum eſt.*

*Ibid.* Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij. 386. a. b. *Exprobratio diuortij magis, quàm approbatio, apparet*

*Ibid.* Qui dimittit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari 379. a. *Vſque adeò fœdus illud nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat.*

6. Cauete iuſtitiam veſtram facere coram hominibus, vt videamini ab eis. 263. a. *Quam iuſtitiam? Cùm ergo facis eleemoſynam, inquit. Ergo eleemoſynas opera eſſe iuſtitiæ ſignificans. Iterum eodem loco. Non eſt in exequutione iuſtitiæ exequutus, niſi tria iſta, ieiunium, eleemoſynas & orationem. Ieiunio ſcilicet vniuerſam corporis caſtigationem ſignificans.*

*Ibid* Amen dico vobis perceperunt mercedem ſuam 269. a *Quare iuſti ſua mercede hîc fruſtrari videantur, cùm hypocritæ mercede non fraudentur.*

*Ibid* Sanctificetur nomen tuum. 216. b

*Ibid.* Panem noſtrum quotidianum. 324.a.327.a

*Ibid.* Dimitte nobis debita noſtra. 228.b. 348.a.350.b. *Contra præſumentes de accepta iuſtitia.*

*Ibid.* Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit. 181.b

7. Nolite ſanctum dare canib⁹. 330.a. *Hoſtia redemptoris, quæ in vna Catholica immolatur Eccleſia, foras efferri prohibetur.*

*Ibid.* Ex operibus eorum cognoſcetis eos. 110.b

*Ibid.* Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. 253.a. 348.b. *Contra ſolifidianos.*

*Ibid.* Omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto &c. 253.a. *Non ergo ſufficit ſolùm credere.*

8. Oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum. 334.a. *Videtur approbare ſacrificium, quod per Moſen præceptum eſt, cùm id non receperit Eccleſia. Quod ideo iuſſiſſe intelligi poteſt, quia nondum eſſe cœperat ſacrificium ſanctum ſanctorũ, quod corpus eius eſt.*

9. Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. 434.a. 442.a. *Pro ieiunio Chriſtianorum.*

10. Timete eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. 241.a

11. Lex & Prophetę vſque ad Ioannem. 241.b. *Non de tota lege dictum eſt, ſed de cærimonialibus & præfigurantibus aliquid in Chriſto.*

*Ibid.* Ipſe eſt Elias. 509.b. *Quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc Elias erit ad ſecundũ aduentum.*

12. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum. 161.a. *Habet vnuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala.*

*Ibid.* Prius alligauerit fortem, & tũc domum illius diripiet. 306.b. 307 a. *De Exorciſmo, quo primùm alligatur diabolus.* 508. b

*Ibid.* Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur. 232.b.333.a. *Spiritus blaſphemiæ, ſpiritus impœnitentiæ vſque ad finem vitæ.*

*Ibid.* Qui dixerit verbum in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo neque in futuro. 396 a. *Colligit ex hoc loco, quædam remitti peccata in ſeculo futuro, eſt ergo purgatorium.*

*Ibid.* Quæ mihi mater, aut qui fratres? 481.b. *Contra carnalem affectum parentum.*

13. Et facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò triceſimum. 452.a.b. *Virginitas centeſimum, vidualis caſtitas ſexageſimum, nuptiæ triceſimum.*

15. Non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit. 448 b. *Catholici, non reiiciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ & fraternæ caritati inuigilant.*

16. Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam. 81 b. 82 a. b. *Petrus fundamentum Eccleſiæ.*

*Ibid.* Et portæ inferorum non preualebunt aduerſus eam. 61 a. *Pugnare Eccleſia poteſt, expugnari non poteſt.*

*Ibid* Tibi dabo claues regni cœlorum &c 350.b

*Ibid* Filius hominis venturus eſt in gloria cum angelis ſuis, & tũc reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. 160. b. *Quomodo vnicuiq; ſecundùm opera ſua reddetur in die iudicij, niſi liberũ eſſet arbitriũ?* 263 b. *item* 315 b *Non dixit quod reddet vnicuique ſecundùm miſericordiam ſuam, ſed ſecundùm opera ſua* 516 a. *Non dixit ſecundùm fidẽ ſuam, ſed vnicuiq; ſecũdùm opera ſua.*

17. Apparuerunt illis Moſes & Elias cum eo loquentes. 421.b. *Probat ex perſona Moſis, qui Deuter. 34. mortuus legitur: ſanctos poſt mortem, viuentium rebus propriæ interdũ perſona intereſſe.*

*Ibid.* Hoc genus non eiicitur niſi per orationem & ieiunium. 436 b. *Ieiunij & oratiõis virt⁹.*

18. Corripe eum inter te & ipſum ſolum. 348.a

*Ibid.* Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tãquam Ethnicus & Publicanus. 58.a. *Grauius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur.*

*Ibid.* Quæ ligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cœlis. 58 a. *Alligatur homo amarius & infælicius, Eccleſiæ clauib⁹, quàm quibuſlibet grauiſſimis ferreis vel adamantinis nexib⁹.*

*Ibid.* Quæ ſolueritis ſuper terrã, erũt ſoluta & in cœlis. 58.b. 353.b. *Agite pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia. Nemo ſibi dicat, Occulte ago, apud Deũ ago, nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago Ergò ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergò ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus euãgelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus nobis quod ille negat?* Itẽ 355.b. 356 b

19. Quod Deus cõiunxit homo non ſeparet. 380. a. *Colligit ex hoc loco Aug. matrimonium in Eccleſia contractum, propter ſignificationem matrimonij inter Chriſtum & Eccleſiam, Sacramentũ eſſe, & ſola morte alterutrius coniugis diſſolui.*

*Ibid.* Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ex cauſa fornicationis, & alteram duxerit, mœchatur. 384 b. & ſeq. *Contra eos, qui adultera vxore dimiſſa, alteram ducunt.*

*Ibid.* Non omnes capiũt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. 453. b. *Quibus nõ eſt datũ, aut nolũt, aut nõ implẽt quod volũt.*

*Ibid.* Qui ſeipſos caſtrauerũt ꝓpter regnũ cœlorũ. 466 b. 452.b *Veritas dicit, eos qui pio propoſito ab vxore ducẽdæ ſe cõtinuerit, caſtrare ſeipſos propter regnũ cœlorũ: & cõtra, humana vanitas impia temeritate cõtẽdit, eos qui hoc faciũt, ĩ regno cœlorũ*

*amplius quicquam cæteris non habere?* 458 b

Ibid. Qui poteſt capere capiat. *Conſilium datur vt virginitas conſeruetur, præceptum datur vt iuſtitia cuſtodiatur. In præceptis non dicitur, Qui poteſt capere capiat, ſed omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur &c*

Ibid. Quid faciam vt vitam æternam conſequar? 477 b. *Non ei reſpondit, Si vis ad vitam venire, vade, vende omnia quæ habes: ſed, Si vis ad vitam venire, ſerua mãdata. Magiſter bonus mandata legis ab iſta excellentiore perfectione diſtinxit.*

Ibid. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. 224 a 253 b. 516.b *Non video cur Dominus dixerit: Si vis venire ad vitam ſerua mandata, & commemorauit ea quæ ad bonos mores pertinent, ſi etiam his nõ ſeruatis, ad vitam veniri poteſt per ſolam fidem, quæ ſine operibus mortua eſt.*

Ibid. Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. 474.a. *Sequi Chriſtum eſt, non iungi vxoribus, non habere proprias ſedes quibus deligarentur, ſed ire in vitam quandam communem. Ibidem.b. Gratia ipſius adiuuante ſic feci, & ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor.*

Ibid. Ecce nos dimiſimus omnia & ſecuti ſumus te. 472 a. *Hoc votum Apoſtololi potentiſſimi vouerant.* 474.a

Ibid. Sedebitis ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſraël. 513.b. *De Apoſtolis, & Apoſtolico exemplo, vouentibus paupertatem.* 514.b

20. Acceperunt ſingulos denarios 270.a *Denarius ſignificat vitam æternam, quæ eſt merces omnium: Stella tamen à ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum.*

22. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. 197. b. *Vtique qui vocantem non contempſerunt, ſed credendo ſequuti ſunt, volentes autem ſine dubio crediderunt* 287 a

Ibid. In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. 244.a. *Quicquid aliud diuinitus præceptum eſt, in his duobus habet finem, & ad hæc duo referendum eſt.* 247.a

23. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite &c 84.b 110.a.b. 281.b. 367.a. *De obedientia debita Epiſcopis, etiam malis.*

Ibid. Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terram. 482.a. *Affectum carnalem erga parẽtes reprehendit.*

Ibid. Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui circumitis mare & terram facere vnum proſelytum, cùm autem feceritis, facitis eum filium gehennæ, duplo quàm vos. 288 b. *Filios gehennæ faciunt, qui bona opera à baptizatis non requirunt.*

24 Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 510.b

Ibid. Et prædicabitur Euangeliũ hoc in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. 50 a 511.a.b. *Ante igitur non veniet.*

Ibid. Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic. 42.b. *Vellent eum oſtendere in parte, qui emit totum & poſſidet totum* 47. b. 48 a *Si Chriſti Eccleſia, canonicarum ſcripturarum diuinis & certiſſimis teſtimoniis, in omnibus gentibus deſignata eſt: quicquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt: Ecce hîc eſt Chriſtus, nolite credere.* 47.b *Partes enim oſtendunt dicentes: Ecce hîc, ecce illic, cùm illa ciuitas ſuper montem ſit, &c.* 50.a 57.b 505.b

Ibid. Sicut fulgur exit ab Oriente, & peruenit vſque od Occidentem, ita erit & aduentus filii hominis. 49. b *Ad manifeſtationem claritatémque Eccleſiæ pertinet fulguris nomen. Conſtituta ergo auctoritate Eccleſiæ per orbem terrarum clara atque manifeſta, conſequenter diſcipulos admonet atque omnes fideles, ne ſchiſmaticis atque hæreticis credant.*

Ibid. Sol obſcurabitur & luna nõ dabit lumen ſuum. 506.b

Ibid. Mittet enim angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis. 517.b. *Pro Catholica Eccleſia.*

25. Ite maledicti in ignem æternum. 158.a. *Eis dicitur, qui Dei miſericordiam per liberum arbitrium reſpuerunt. Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ, eis qui per liberum arbitrium, fidem eius ſuſceperunt, peccata ſua confeſſi ſunt, pœnitentiam egerunt &c. Item* 224. a. *Non quia in Chriſtum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt, damnati increpantur.*

Ibid. Eſuriui enim & nõ dediſtis mihi mãducare. 250 b. 266.a *Hinc intelligi datur quãtum valeant eleemoſynæ ad priora delenda peccata.*

Ibid. Domine quãdo te vidimus eſurientem &c. 516.b *Crediderant in eum, ſed bona operari nõ curauerant, tanquam de ipſa fide mortua ad vitam perueniretur æternam.*

26. Mittens hęc vnguẽtum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit. 492 b

Ibid. Hoc eſt corpus meum. 315.b *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis quando commẽdans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum.* 321.a.b

Ibid. Hic eſt ſanguis meus qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. 314.a *Sanguis Chriſti ſic in Sacramento datus eſt & commendatus priuſquam effunderetur, vt diceretur, Hic eſt ſanguis meus.*

Ibid. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. 34. b. *Triſtis vſque ad mortem, propter affectũ ſuſceptæ carnis, non poſt mortẽ, cùm beatitudinem ſpondet ſocietas Deitatis. Facit hoc contra eos qui aſſerunt Chriſti animam apud inferos aliquid paſſam eſſe.*

Ibid. Videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei &c. 35. a. *Secundùm humanam naturam, in qua & apparebit in iudicio. Secundùm hanc*

*non eſt Chriſtus vbique.*

*Marci.*

Cap.1. Predicans baptiſmum Pœnitētiæ in remiſsionem peccatorum 294.a. *Vt à Ioāne baptizatis in ſpe remitterentur peccata, re ipſa verò in Domini Baptiſmo id fieret.*

10. Qui dimiſerit vxorem ſuam &c. 381.a. *Non dimittit, qui pari cum ea cōſenſu, Deo caſtitatem ſeruat.* 383 a. 385 b *Si propter fornicationem dimiſerit, etiam ipſe ſic maneat.*

13. Si quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus aut illic. 50.b. *Significat terrarum partes aut prouinciarum.*

14. Cùm autem illi manducarent, accepit Ieſus panem & benedixit. 345. b. *Nunquid propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quod à ieiunis Eucharistiæ ſacramentum ſemper accipitur?*

*Lucæ.*

Cap.1. Et erit præcurſor altiſsimi in ſpiritu & virtute Eliæ. 509 b. *In ſpiritu et virtute Eliæ, quia quod erat Ioannes in primo aduentu Chriſti, hoc Elias erit in ſecundo.*

Ibid. Quomodo fiet iſtud, quoniā virum non cognoſco? 459 a *Colligit ex his verbis votū virginitatis à beatiſsima virgine factum eſſe, antequàm ex ea Chriſtus conciperetur.*

Ibid. Exultauit in gaudio infans in vtero. 302 b. *Exultauit dixit, non credidit, in gaudio, nō in fide: aduerſus eos qui infantes actum fidei proprium habere, ex hoc Euangelii loco contendunt.*

2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 197 b

6. Date & dabitur vobis, menſuram bonam & confertam & coagitatā & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrū. 372.b *Non diceret: Dabunt in ſinum veſtrum, niſi quia per aliorum merita, mercedem cæleſtem recipere merebuntur.*

Ibid. Vt quid dicitis mihi Domine, Domine, & non facitis quæ dico vobis? 253.a.516.a *Nihil prodeſt verbis proferre fidē, & factis deſerere veritatem.*

8. Non permiſit intrare ſecum quenquam niſi Petrum & Iacobum &c. 358.b. *Accommodat ad ſecretam confeſſionem.*

10. Tolerabilius erit Sodomis quàm vobis in die iudicii. 171.a 297.b. *Colligit ex hoc Euangelii loco, fore in ipſo igne æterno pro diſparibus pōderibus peccatorum, diſparia tormenta pœnarum.*

Ibid. Qui vos honorat me honorat, & qui vos ſpernit me ſpernit 414 b *Pro honore qui martyribus Chriſti, martyrūmque memoriis impenditur.*

Ibid Et quodcunque ſupererogaueris, dum rediero reddam tibi. 260 b. 457.b *Quæ licita ſunt, & non præſcripto legis, ſed conſilio charitatis tractantur, hæc ſunt quæ amplius erogātur ſaucio, tantò gratiora, quantò magis indebita.*

Ibid. Optimam partē elegit Maria. 452. a. *Ergo vnum opus bonum altero melius eſſe poteſt.*

11. Aſſumet ſeptē alios nequiores. 205.b

Ibid. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. 230 a.

12. Sint lumbi veſtri præcincti. 467.a. *De caſtitate clericorum.*

13. Manducauimus coram te & bibimus &c. Neſcio vos. 331.a. *Quid dementius quàm Sacramentis Domini communicare, & membra eius toto orbe diffuſa nolle cognoſcere?*

Ibid. Ecce eiicio dæmonia & ſanitates perficio hodie & cras, & tertio die conſummor. 210.b *De iuſtificationis incremento.*

14. Si quis venit ad me & non odit patrē ſuum & matrem ſuam. &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus. 480.a.b

Ibid. Exi in vias & ſepes, & compelle intrare &c. 59.b. 121. b *Quapropter ſi poteſtate, quā per religionem ac fidem regum diuino munere accepit Eccleſia, hi qui inueniuntur in viis et ſepibus, id eſt, in hæreſibus & ſchiſmatibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, ſed quò coguntur attendant.*

15. Adducite vitulum ſaginatum. 336.a *Vitulus ille in corpore & ſanguine Domini offertur Patri, & paſcit totam domum.*

16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula 171.b 172 a & ſequ. 514. b. *Sācti ſunt, qui ſuis meritis adiuuando, in æterna tabernacula recipiunt.*

Ibid Omnis qui dimittit vxorem ſuam & alteram ducit, mœchatur. 383.a. 385.b. *Si propter fornicationē dimiſerit, etiā ipſe ſic maneat.*

Ibid. Sed & canes veniebāt & lingebant vlcera eius. 484. a. *Canes ſunt hi qui libenter detrectant Epiſcopis & presbyteris.*

Ibid. Contigit autem mori inopem illum & ferri ab Angelis in ſinum Abrahæ. 404 b. *Poſſunt igitur angeli & viuorū & mortuorum intereſſe locis.*

Ibid. Eleuans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormētis, vidit Abraham à longè, & Lazarū in ſinu eius. 392.b 393.a. *Colligit ex hoc loco particulare cuiuſque hominis in hora mortis iudicium.*

Ibid. Memento fili, quia percepiſti bona in vita tua, Lazarus autem mala. 404.a *Sciebat ergo, tot annos antè defunctus Abraham, quæ apud viuos geſta fuerant vel indicante Lazaro, vel angelo referente, vel ſpiritu Dei reuelante: vel ipſo à mortuis ad viuos veniente.*

17. Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. 355.a. b. *Sunt qui ſufficere ſibi autumant ad ſalutem, ſi ſoli Deo confiteantur crimina, &c.*

Ibid. Memētote vxoris Loth. 476. a. 482. b. *Vxori Loth apoſtatæ comparantur, qui & ipſi reſpiciunt retro, & vertuntur in ſtatuas ſalis.*

18. Oportet ſemper orare & non deficere. 499. b. *Fide, ſpe, & caritate ſemper oramus: ſed ideo per certa interualla temporum & horarum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, &c.*

Ibid. Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? 53.a. *Non ait, non inueniet fidem*

*in terra, cùm fides deficere omnino non poſſit, ſed putas inueniet*

Ibid. Percutiebat pectus ſuum. 428. a. *Percutiunt & Antiſtites & omnis populus ad altare.*

21. Areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione. 506. b. *De Antichriſti perſecutione, quæ ſuperueniet vniuerſo orbi.*

22. Hoc facite in meam commemorationem. 337. b. 338. a. b. *Chriſtus nouo Eccleſiæ populo nouum ſacerdotium & nouum ſacrificium initiauit, vt illud quod Melchiſedech obtulit Deo iam per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri.*

Ibid. Et reſpexit Dominus Petrũ. 194 b

23. Petiit corpus Ieſu, & depoſitũ inuoluit ſindone &c. 492 b *Laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus Chriſti honorificè tegendũ ſepeliendũmque curarunt.*

24. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum in fractione panis. 331. b. *Hic panis corpus Chriſti fuit.* 325. a. *nõ omnis panis, ſed accipiẽs benedictionem Chriſti fit corpus Chriſti.*

Ibid. Prędicari in nomine eiꝰ pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. 43. a. *Ibidem. Eccleſia totum mundum poſſidet, quem à viro ſuo accepit in dote. Cognoſcatur vna, ſancta & vera regina Catholica.* 44 a. 47. a *Anathema quiſquis annunciauerit Eccleſiam præter communionem omnium gẽtium.* 49. b 54 b. 511. b

## Ioannis.

Cap. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 196. a. *In poteſtate quippe hominis eſt, mutare in melius voluntatem, quæ poteſtas illi datur à Deo.*

Ibid Gratia pro gratia. 265. a. *Id eſt, pro his meritis, quæ contulit gratia.*

Ibid. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſũ Chriſtum facta eſt. 241. b. *Gratia ſcilicet, vt data indulgentia peccatorũ, quod præceptum erat, ex Dei dono cuſtodiretur: Veritas autem, vt ablata obſeruatione vmbrarum, quod promiſſum erat, ex Dei fide præſentaretur.* 243. a. 246. a. 247. b. 249. a 259. b

2. Ieſus non ſe credebat eis. 325. a. *Ieſus non ſe credit Catechumenis, qui Euchariſtiam non accipiunt.*

3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non inbit in regnum cęlorum 301. b *Quantumuis ex parentibus regeneratis natus.* 286. a

Ibid. Qui autem incredulus eſt filio, ira Dei manet ſuper eũ. 297 a

5. Pater non iudicat quenquam ſed omne iudicium dedit filio. 512. a

Ibid. Ego veni in nomine Patris mei & non ſuſcepiſtis me, alius veniet in nomine ſuo, hunc ſuſcipietis. 501. b. *De Antichriſto.*

6. Verba vitę eternę habes. 313. a

Ibid. Hoc eſt opus Dei vt credatis in eũ quẽ miſit ille. 184. b *Fides inter opera computatur.*

Ibid. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit, vt ſi quis manduducauerit ex ipſo, non moriatur. 277. a. *Quod pertinet ad virtutem Sacramenti non quod pertinet ad viſibile Sacramentum. Qui manducat intus non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.*

Ibid. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mũdi vita. 329. b *Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro quod non capit caro, & ideò magis non capit caro, quia vocatur caro. Quomodo magnũ erit, Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita, niſi vera ſit caro?*

Ibid. Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. 318 b.

Ibid. Caro mea verè eſt cibus. 324. b. 325. b

Ibid. Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. 317 a. b. 318 a. b. *Caro non prodeſt quicquam, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur.*

Ibid. Verba vitæ æternæ habes. 313. a. *Vitam enim æternam habes in miniſtratione corporis & ſanguinis tui. Ipſa vita æterna tu es, & non das in carne & ſanguine tuo niſi quod es.*

7. Qui à ſemetipſo loquitur gloriam propriam quærit. 501. b. *De Antichriſto.*

8. Si vos filius liberauerit, tũc verè liberi eritis. 158. b. 251. a 255. b *Pro libero arbitrio.*

Ibid. Homicida fuit ab initio. 54. b. *Cum hoc homicida diabolo, nos tãquam diaboli filios comparat, qui homines ab Eccleſia ſeducendo interficiunt, ſicut ille ſeducendo primos parentes è paradiſo.*

11. Lazare veni foras. 353. b. *Ipſum confiteri, ab occulto eſt procedere, ſed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ inquit? Quæ ſolueritis in terra erũt ſoluta in cælo.* 355 b

Ibid. Soluite, & ſinite abire. 355. b. 356. a *De abſolutione Sacerdotali*

Ibid. Sed cùm eſſet princeps ſacerdotum anni illius prophetauit. 365. b. *Per hoc oſtenditur ſpiritum gratiarum non perſonam ſequi aut digni aut indigni, ſed ordinationẽ traditionis.*

12. Qui amat animam ſuam perdet eam. 480. b. *Quanto magis amans parentes?*

Ibid. Propterea non poterant credere. 197. a. *Quare autem non poterant credere, ſi à me quæratur, citò reſpõdeo, quia nolebant.*

Ibid. Nunc princeps huius mũdi eiicietur foras. 306. b. *Accommodat ad exorciſmum ante baptiſma.*

13. Qui lotus eſt, non habet neceſſitatem iterum lauandi. 291. a. *Facit hoc contra Anabaptiſtas.*

Ibid. Et poſt buccellam introiuit in eum Satanas. 328. b. *Salutem medicus dedit, ſed indignè accipiendo ad perniciem accepit.*

Ibid. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem. 236. a. b *Nonne iam erat hoc mandatum in antiqua lege, vbi ſcriptum*

*eſt, Diligẽs proximum tuum tanquam teipſum? Ideo nouum, quia exuto vetere, induit nos hominem nouum. Innouat quippe obedientem iſta dilectio.* 248. a

14. In domo Patris mei manſiones multę ſunt. 270. a. *Multæ manſiones diuerſas meritorum in vna vita æterna ſignificant dignitates.*

*Ibid.* Si diligitis me, mãdata mea ſeruate, & ego rogabo Patrẽ & aliũ paracletũ dabit vobis. 209. a. *De augmento iuſtitiæ.*

*Ibid* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. 236. a. 280. b. *Hanc pacem hæretici nefandæ diſſenſione violant.* 331. a

15. Si manſeritis in me &c 213 b *Similia multa dicuntur, nimirum conditionaliter, in ſcripturis, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt timeant, dum occultum eſt quò perueniant.*

20. Inſufflauit & dixit: Accipite Spiritum ſanctum &c. 231. b 364 b *Eccleſiaſtica, iis verbis, poteſtas, collata eſſe intelligitur Inſpiratio ergò hæc, gratia quædã eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis.*

*Actuum.*

*Cap.* 1. Sic veniet, quemadmodũ vidiſtis eum aſcendentem in cęlum 35. a. *In humana forma veniet, ſecundùm quam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauẽdum eſt enim, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Contra Vbiquetarios* 512. a. 513. a.

2. Solutis doloribus inferni iuxta quod impoſsibile erat teneri illum ab eo. 33 b. *Quis ergo niſi infidelis negauerit fuiſſe apud inferos Chriſtum? Ibid. Solutis doloribus inferni, non in omnibus, ſed in quibuſdam accipi poteſt, quos dignos illa liberatione iudicauit.*

*Ibid.* Non derelinques animam meam in inferno 33. a. b. *De deſcenſu Chriſti ad inferos, ſecundùm animam.*

*Ibid.* Agite pœnitentiam & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. 304. b, 347. b. 349 a. 350. b *Pœnitentia requiritur ab adultis ante baptiſmum.*

4. Et erant illis omnia communia. 471. a. 476 a. 477. a. 478 a 483. a. *Pro communi clericorum atque monachorum vita.*

5. Nónne manens tibi manebat & venũdatum in tua erat poteſtate? 460. a. b. *Accõmodat ad eos qui virginitatem Deo vouerunt, & recuſant reddere.*

*Ibid.* Et ponebant infirmos ſuos, vt vmbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos. 413. b. *Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Loquitur de miraculis martyrum.*

8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. 350. b 357. a *Pœnitentia poſt acceptum baptiſmum.*

*Ibid.* Aperiens autem Philippus os ſuum &c. euangelizauit illi Ieſum. 78. b. *Hoc eſt Euãgelizare Ieſum, non tantùm dicere quæ credenda ſunt de Chriſto, ſed etiã quæ obſeruanda ei, qui accedet ad compagem corporis Chriſti.*



9. Saule Saule quid me perſequeris? 59. a. b. *Mirum eſt, quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus qui ſolo verbo vocati ſunt, in Euangelio laborauit. Cur non cogeret Eccleſia perditos filios hæreticos vt redirent, ſi perditi filii coegerunt alios vt perirent?*

10. Acceptę ſunt eleemoſynę tuæ, & exauditę ſunt orationes tuę 170. a. b. *Non debemus improbare iuſtitiam hominis, quæ prius eſſe cœpit quàm coniungeretur Eccleſiæ: quæ neque ſi improbaretur, dixiſſet Angelus ei, Acceptæ ſunt, &c.*

*Ibid.* Et iuſsit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. 274. b. 275. a. 286. a. *Non eſt ſuperflua iudicata viſibilis ſanctificatio, quam inuiſibilis præceſſerat. Contemptor viſibilis Sacramenti, inuiſibiliter ſanctificari non poteſt.*

15. Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos fieri, quemadmodum & illi. 199. a. *Contra Pelagianos, qui patres veteris Teſtamenti per legem ſaluos factos ſine gratia, dicunt.*

*Ibid.* Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum & à ſanguine & à fornicatione. 225. a. *Mandatum Apoſtolicum.*

25. Cęſarem appello. 120. b. *Romanas etiam leges implorare minimè dubitauit. Vbi ſatis oſtendit, quid facere deberent poſtea Chriſti diſpenſatores, quando Imperatores Chriſtianos, periclitante Eccleſia, reperirent. Accommodat deinde ad factum Theodoſii, qui Donatiſtas contra Chriſtum Chriſti ſigna portantes ad vnitatem Catholicam terrendo & coercendo redegit.*

*Ad Romanos.*

*Cap.* 1. Ad obediẽdum fidei in omnibus gentibus. 44 a *Pro Catholica Eccleſia.*

2. Reddet vnicuique ſecũdùm opera eius. 267. a b. *Apertiſſimè hic ſcriptura dicit, quòd vita æterna bonis operibus redditur.* 516 a *& ſeqq.*

*Ibid.* Gloria autem, honor & pax omni operanti bonum, Iudęo primum & Gręco. 515. b. *Boni ſecundùm ſuæ bonæ voluntatis merita præmium conſequentur.*

*Ibid.* Non enim auditores legis iuſti ſũt apud Deũ, ſed factores legis iuſtificabũtur. 246. b *Contra ſolifidianos.*

3. Manifeſtata eſt iuſtitia Dei. 206. b. *Iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cùm iuſtificat impium.*

*Ibid.* Iuſtificati gratis per gratiã ipſius. 196. a. *Non quòd ſine voluntate noſtra fiat, ſed voluntas noſtra oſtenditur infirma per legem, vt ſanet gratia voluntatem & ſanata voluntas impleat legem.* 192. b. *Gratis iuſtificatur homo, id eſt, nullis ſuorum operum præcedentibus meritis.*

*Ibid.* Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. 257. a. *Putauerunt quidam eum dicere, ſufficere homini fidem, etiamſi malè*

*viuat & bona opera non habeat, quod abſit vt ſentiret vas electionis, &c.* 200 a. *Non hoc agit Apoſtol⁹, vt præcepta ac pro feſſa fide, opera iuſtitiæ contemnantur.* 193. a. *Sed propterea hoc dixit, ne quaſi de operibus tuis præſumere videreris, & merito operum tuorum accepiſſe fidei gratiã.* 188. a. 198. a 204. a et ſe.

Ibid. Legẽ euacuamus per fidem? *Abſit.* 188. b

4. Credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides ad iuſtitiã. 196. a. *In hoc opere facimus opera Chriſti, quia & ipſum credere in Chriſto opus eſt Chriſti, quod ille operatur in nobis, non vtique ſine nobis.*

Ibid. Ex fide iuſtificatus eſt Abrahã. 183. b *Sed ſi ſidẽ opera nõ præceſſerant, tamen ſecuta ſunt.*

Ibid. Signum acccepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei. 351 a. *Circumciſio olim pro Baptiſmo.*

5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctum &c. 205. b. 207. b. 311. b. *Per impoſitionem manuũ in Sacramẽto cõfirmationis. Itẽ.* 330. b. *Non eſt particeps charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis. Charitas diffuſa in cordibus noſtris, lex eſt noui Teſtamenti.*

Ibid. Cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. 140. b. 141. a. *Eleganter ex hoc loco concludit, peccatum originale, verè mortẽ animæ eſſe.*

Ibid Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum &c. 145. a. & ſeq 294 b. *Pro peccato originali.*

Ibid. Per vnius delictum intrauit mors in omnes homines ad condemnationem. 294. b.

Ibid. Lex ſubintrauit vt abũdaret delictum, vbi autem abundauit delictum, ſuperabũdauit & gratia. 141. a. 200. a

6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. 141. a *Peccatum originale mors animæ.*

Ibid. Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum. 309. b

Ibid. Liberati à peccato, ſerui autem facti Deo. 255. b. *Erit voluntas tua libera, ſi fuerit pia, eris liber, ſi fueris ſeruus, liber peccati, ſeruus iuſtitiæ.*

Ibid. Gratia Dei vita ęterna. 257. b 267. a. b. *& ſequ.*

7. Liberati ſumus à lege mortis. 243. a. *Per viuificantem ſpiritum, qui legem bonam implet.*

Ibid. Mortui eſtis legi. 243. a. *Mortui legi, vt minatur & terret, non vt per gratiam impletur.*

Ibid. Scimus quoniã lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum. 211. b. *Carnalis quia corp⁹ nondum habebat ſpirituale, ſicut poterat dicere: ego autem mortalis ſum.*

Ibid. Venundatus ſub peccato. 211. b. *In prima ſcilicet, tranſgreßione præcepti, vt haberet corpus corruptibile, quod aggrauat animam.*

Ibid. Non enim quod volo hoc ago, ſed quod nolo hoc facio &c. 157. b. *Cauendum ne quis arbitretur his verbis auferri nobis liberum arbitrium, quod nõ itta eſt. Nũc enim homo deſcribitur ſub lege poſitus ante gratiã. In libero autem arbitrio habet vt credat liberè, et accipiat gratiam, &c.*

Ibid. Iam non ego operor illud, ſed quod in me habitat peccatum. 152 a. b. *Peccatum hìc cõcupiſcentiã appellari, quia peccato facta ſit, & conſentientem ad peccatum trahat, cõcipiatque peccatum.* 161. b. 262. a.

Ibid. Scio quia nõ habitat in carne mea bonum, &c. 104. b. *Gemitus eſt Sanctorum contra carnales cõcupiſcentias dimicãtium, nec tamen conſentiẽtium.*

8. Nulla ergò condemnatio eſt nunc his qui ſunt in Chriſto Ieſu. 155. a. *Satis oſtendit condemnationem non eſſe, ſi exiſtant deſideria carnalia, ſed ſi eis ad peccandum obediatur.*

Ibid. Qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecũdùm ſpiritum. 245. a. *In his impletur iuſtitia legis.*

Ibid. Prudentia carnis inimicitia eſt in Deum, legi enim Dei non eſt ſubiecta. 159. a

Ibid. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. 195. a. b. *Dicit mihi aliquis, Ergò agimur, non agimus? Reſpondeo, Imò & agis & ageris. Et tunc benè agis, ſi à bono agaris.*

Ibid. Primitias ſpiritus habentes. 210. b *. 211. b. 212. b

Ibid. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 174 b. 195. b. *Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.*

9. Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. 177. b. *Non tollit liberum arbitrium, ſed non ſufficere dicit velle noſtrum, niſi adiuuet Deus.* 193. b. 197. b.

10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. 251. b. *Id eſt, qui per Spiritum incorporatus, factúſque eſt membrum eius. Poteſt quiſque, illo incremẽtum intrinſecus dante, operari iuſtitiam.*

Ibid. Iuſtitia quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. 251. b. *Opus, quod qui fecerit viuet in eo, à iuſtificato ſit.*

Ibid. Corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſsio ad ſalutem. **. a.

11. Noli altum ſapere ſed time. 202. b. *Ama Dei bonitatem, ſed time ſeueritatem.*

12. Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini, &c. 206 a. b. 244 b. *Vbi reformamur, ne conformemur huic ſeculo, ibi conformamur filio Dei.*

Ibid. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. 214. b. *Ideo quippe non perſeueraturi perſeueraturis prouidentiſſima Dei voluntate miſcentur, ne regenerati & piè viuere incipientes, ſecuri alta ſapiamus.*

13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 127. b.

Ibid. Dei eſt vindex in iram eius qui malè agit &c. 117. a. *De ſupliciis hæreticor.* 129. b. 130. a

Ibid. Qui diligit proximum legem impleuit. 247. b. 248. a.

Ibid. Plenitudo legis caritas 246. a. b. *& ſequen. Caritas ideo plenitudo, non quòd legem abrõget, ſed quod impleat, & conſummet legem.*

14 Omnia quidem munda ſunt,

ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat 445.b 446 a.b.448.a.

*Ibid.* Bonum eſt fratres non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur. 448.b. *Pro delectu ciborum.*

15. Ab Hieruſalem in circumitu, &c. 444 a. *Per totam Aſiam vſque ad Illyricum Euangelium prædicauit, Eccleſias conſtituit atque fundauit: Quid autem euidentius apparere poteſt, quàm cùm in eius Epiſtolis nomina etiã regionũ vel ciuitatum inuenimus? ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, &c. Pro viſibili Eccleſia.*

*Prima ad Corinthios.*

*Cap.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. 288.b.

3. Lac vobis potum dedi, nõ eſcã: 56.b. *Veritatem ſola habet Eccleſia, & in lacte ſuo & in pane ſuo.*

*Ibid.* Neque qui plãtat eſt aliquid, neque qui rigat. 280 a. 366 a. *Ad miniſtrãdum & diſpenſandũ verbũ ac Sacramentũ, eſt aliquid Dei miniſter, nõ ad mũdãdũ & iuſtificandum ſua virtute.*

*Ibid.* Cooperatores quidem Dei ſumus. 164. a. *Vult ſiquidem Deus, vt eum oremus, & vt ei aduenienti & præſtolanti ad oſtiũ, aperiamus ſinum voluntatis noſtræ & ei conſentiamus.*

*Ibid.* Ligna, fœnum, ſtipulam, &c. 208 b. *Venialia peccata.*

*Ibid.* Vniuſcuiuſque opus, quale ſit ignis probabit. 397 a *De purgatorio*

*Ibid.* Si cuius opus arſerit detrimentum patietur: ipſe autẽ ſaluus erit, ſic tamẽ quaſi per ignem. 395. a. b. 399 a. *Illo trãſitorio igne nõ capitalia, ſed minuta peccata purgantur. Item* 223. b. 224. b.

4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 498. b. *Propterea feſta Sanctorum celebrantur in Eccleſia.*

*Ibid.* Nolite ante tempus quicquam iudicare. 228 a

5. Congregatis vobis & ſpiritu meo, tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, &c. 348 a. *Peccata grauia excommunicatione plectẽda.*

*Ibid.* Auferte malum ex vobis ipſis. 60. b. *Excommunicando videlicet. Hoc enim nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.*

6. Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis ſeruiẽtes, &c. neque rapaces regnum Dei poſsidebunt. 223. b. 224. a 225. a. b. *Contra ſolifidianos.*

*Ibid.* Quiſquis hæret Domino, vnus ſpiritus eſt. 173. b. *Per occultam ſcilicet gratiæ ſpiritualis communicationem.*

7. Bonum eſt homini mulierem non tangere. 260. b. *Vnum eſt ex his quæ non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur.*

*Ibid.* Niſi fortè ex conſenſu ad tẽpus, vt vacetis orationi. 468. b. *Antiſtitem puriorem eſſe cæteris oportet, eſt enim Vicarius Dei, vt quod cæteris licet, illi non liceat: quia neceſſe habet quotidiè Chriſti vicem agere, aut orare ꝓ populo, aut offerre, aut tingere.*

*Ibid.* Hoc autem dico ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. 222. a. 391 a. b.

*Ibid.* Vellẽ oẽs eſſe ſicut meipſũ. 464. b. 470. a. b. *Quia vtique ipſe ab omni cõcubitu cõtinebat.*

*Ibid.* Vnuſquiſque proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autẽ ſic. 209 b. *Interpretatur locũ pro inæqualitate gratiæ, quæ communicatur iuſtificatis.*

*Ibid.* Melius eſt enim nubere, quàm vri. 464 b.

*Ibid.* Quæ ſe non continent, nubant 456. a. *De virginibus quæ votum non habent.* 461. b. *Antequam continentiam profiteãtur, antequam Deo voueant, quod niſi reddant, iure damnantur.* 464. b. 465. a.

*Ibid.* Præcipio non ego ſed Dominus, mulierem à viro ſuo nõ diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. 383 a. b. *Quomodo autem viro poſsit eſſe licẽtia ducendæ alterius, ſi adulteram reliquerit, cùm mulieri non ſit nubendi alteri, ſi adulterum reliquerit non video.*

*Ibid.* Et vir vxorem ne dimittat. 260 b. 383. b. *Quare non addidit, excepta cauſa fornicationis? intelligi vult, vt ſi dimiſerit, quod cauſa fornicationis permittitur, maneat ſine vxore, aut reconcilietur vxori.*

*Ibid.* Sanctificatus eſt vir infidelis, per mulierẽ fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelẽ, alioquin filii veſtri immũdi eſſent. 274. b. 301. b. *Non vniuſmodi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum & orationem manus impoſitionis, puto ſanctificari, &c. Cõcludit non ſufficere ſanctificationem, de qua Apoſtolus hoc in loco, ad ſalutem.*

*Ibid.* De virginibus præceptum Domini non habeo, cõſiliũ autem do. 260. a. b. 457. a. *Aliud eſt conſiliũ, aliud præceptũ. Conſilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, pœnam euadere nõ poterit.*

*Ibid.* Reliquum eſt, vt qui habent vxores, quaſi non habentes ſint. 381. a *Pari conſenſu, ſi fieri poteſt, caſtitatem ſeruent.*

*Ibid.* Virgo cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. 376. b. *Liberius atque plenius quàm in coniugio. Vnde eis qui ſiue coniugati, ſiue à coniugio liberi, continentiam Deo vouerũt, admodum damnabile eſt, ſi vel illi coniugale opus voluerint appetere, vel illi repetere.*

*Ibid.* Non vt laqueum vobis iniiciam. 457. b. *Id eſt, nõ vt vos cogam, ſed ad id quod honeſtum eſt, vos horter.*

*Ibid.* Non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, vt ſeruet virginem ſuam. 454. a. 457. a. *Poteſtatem voluntatis oſtendit.*

*Ibid.* Mulier alligata eſt legi, quãto tẽpore vir eius viuit. 383. a. *Si propter fornicationem vir eam dimittit, etiam ipſe ſic maneat.* 384 a. *Hæc alligatio facit, vt aliis coniungi ſine adulterina copulatione, etiam intercedente fornicatione, non poſsit.* 386 a.

*Ibid.* Beatior autem erit ſi ſic permãſerit. 460. b. *Neſcio quæ*

*caſtimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod & virgo quælibet. Aliquid mali voluit? mali planè. Quare? quia iam vouerat Domino Deo ſuo.*

8. Et peribit infirmus tua ſcientia frater, propter quē Chriſtus mortuus eſt. 446.b. *In ipſum Chriſtum peccat, qui comedendo idolothyta fratrem ſuum ſcandalizat.*

9. Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi. 469.b. *De ſanctæ conuerſationis mulieribus, quæ ſicut Chriſtum, ita & Apoſtolos leguntur ſequutæ.*

*Ibid.* Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpēſatio mihi credita eſt. 279.b.365.a *Id eſt, illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum.*

10. Qui videtur ſtare, videat ne cadat. 214.b. *Vtile eſt omnibus, vel penè omnibus propter humilitatem, vt quales futuri ſint, ſcire non poſſint.*

*Ibid.* Vnus panis & vnum corpus multi ſumus. 329.b.335 b.

*Ibid.* Quæ immolāt gētes, dæmoniis immolāt. 333 a 334.a. *Abutebātur hoc loco Manichæi ad tollendum viſibile ſacrificium.*

*Ibid.* Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum. 447.a.

*Ibid.* Omnia mihi licita ſunt, ſed non omnia expediunt. 449.a

*Ibid.* Omne quod in macello venit manducate, &c. 448.a

11. Si quis autem vult contētioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. 478.b. *Pro tonſura monachorum.*

*Ibid.* Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiāt inter vos. 66 a *Hæreticorū errore, filij Catholicæ Eccleſiæ, tanquā quibuſdam ſpinis, à ſomno excitantur.*

*Ibid.* Nunquid domos non habetis ad manducandum? 345.b.

*Ibid.* Probet autē ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. 327.b *Quando corpus Domini accipere debemus, antea ad cōfeſſionē & pœnitētiam debemus recurrere.*

*Ibid.* Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. 316.b.327 a. 328.b.330.b.353 b

*Ibid.* Si enim nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. 328.a. *Aſcēdat homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animæ cōfitentis, per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente ſententia proferatur.* 350.a. 360.b. *De ſatiſfactionis pœna.*

*Ibid.* Cætera cùm venero diſponam. 79.a. *De cærimoniis* 342. b *Intelligi datur, illum agendi ordinem, quem vniuerſum per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe. Loquitur de ordine qui ſeruatur in ſacrificio Miſſæ.*

12. Nunquid omnes gratiam habent curationum? 430.b.495 a. *Ita nec in omnibus memoriis Sanctorum miracula Deus fieri voluit, qui diuidit propria vnicuique prout vult.*

13. Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. 183.a. *Vnum dixit ſi illud defuerit, fruſtra ſunt alia.* 200.b. 223.b.

*Ibid.* Etſi tradidero corpus meū ita vt ardeam, charitatē autem non habeam, nihil mihi prodeſt. 118.a. *Ecce venitur ad paſſionem (loquitur de pſeudomartyrio hæreticorum) ecce venitur & ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporū incenſionem, & tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt.* 119.b. 171.a.

*Ibid.* Ex parte enim ſcimus, & ex parte prophetamus, cùm autem perfectum eſt &c. 411.a. *Probat ex hoc loco ſanctos perfectius intelligere res noſtras in cœlo, quàm intellexerunt olim in terra.*

*Ibid.* Maior horū charitas. 185.b. 186 a.

14. Prophetæ autem duo vel tres loquantur, & cæteri examinent. 106.b. *Debere vnūquēque nō pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat pertinaciter congredi, ſed ſi quid melius & vtilius extiterit libenter amplecti.*

15. Gratia Dei ſum id quod ſum. 175.a *Hæc eſt prima miſericordia, quam liberæ voluntatis opera conſequuntur.*

*Ibid.* Plus omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. 175.a.

*Ibid.* Siue ergo ego ſiue illi, ſic prædicamus & ſic credidiſtis. 234.a.

*Ibid.* Sicut in Adam omnes moriūtur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. 297.b. *Elucet neminem ire in mortē, niſi per Adam, neminē ire in vitā æternā, niſi per Chriſtū.* 199.b

*Ibid.* Cùm Deus erit omnia in omnibus. 411.a. *Quòd Sancti intelligant res noſtras in cœlo.*

*Ibid.* Alia eſt gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtellarū: Stella enim à ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum. 269.b.270.a. *Hæc ſunt merita diuerſa Sanctorum.*

## *Secunda ad Corinthios.*

*Cap.* 3. Manifeſtati quoniam eſtis Epiſtola Chriſti, miniſtrata per nos, ſcripta non atramēto. 207.b. *Lex fidei in ipſo homine, vt cum Deus intrinſecus iuſtificet.*

*Ibid.* Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibꝰ. 235 a *Lex ſcilicet noui Teſtamenti ſcripta eſt, quæ eſt charitas.* 246 a.

*Ibid.* Non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis. 172.a. 173.a.

*Ibid.* Litera occidit ſpiritus autē viuificat. 66.b.239.b.245.a. 246.a.

*Ibid* Cùm autem tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. 237.b. *Non Teſtamentum vetus in Chriſto euacuatur, ſed velamen eius.*

*Ibid.* Habentes eundem ſpiritum fidei & nos credimus, propter quod & loquimur. 199 a b.

4. Exterior noſter homo corrūpitur, ſed interior renouatur de die in diem. 210. a. b. 211 a.212.a b. *Quotidianis acceſſibus poſt baptiſmum iuſtus renouatur de die in diem, donec ex perfecto viatore fiat itineris peruentor.*

*Ibid.* Etenim quod eſt ad præſens temporale, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 269 a. *Venalis eſt æterna vita, venalis requies.*

5. Qui dedit nobis pignus ſpiritus, vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo. 208.a. *Hæc eſt illa iuſtitia Dei, nō qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos ab eo iuſti facti.*

*Ibid.* Vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſsit, ſiue bonum, ſiue malū. 393. b. 403.a. *Non facere hæc contra purgatorium, in quo viuentium merita mortuis communicantur, oſtendit.*

*Ibid.* Vnus pro omnibus mortuus eſt. 296. b. *Pro peccato originali.*

6. Quaſi nihil habentes & omnia poſsidentes. 474.a *Colligitur etiam ex eo votum Apoſtolorū.*

9. Qui parcè ſeminat, parcè & metet. 266. b. *Quid autem potentius quàm vt regnum cœlorū non ſolùm Zachæus emat dimidio rerum ſuarum, ſed & vidua duobus minutis?*

10. Parati vlciſci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia veſtra. 59.a. *Confirmat ex hoc loco dogma de puniendis hæreticis.*

12 Quoniam raptus eſt in paradiſum. 407.a.b. *In paradiſum paradiſorū, vbi ipſam Dei ſubſtantiam verbúmque Deū videre valuerit, vbi ſunt animæ beatorum.* 407.b.

*Ibid.* Virtus in infirmitate perficitur. 284.a.

*Ibid.* Ne lugeā multos ex iis qui antè peccauerunt, & nō egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione. 349 a. 350.b. *Fornicatio ita graue peccatum, vt excommunicatione fuerit plectendum.*

*Galatas.*

*Cap.* 1. Licet nos aut angelus de cœlo vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. ** b. 42.b. 47 a. 56.b. *De Eccleſiaſtica traditione.*

3. Lex præuaricationis gratia poſita eſt. 235.a.

*Ibid.* Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtū induiſtis. 296.b.

4. Dies obſeruatis & annos & tēpora &c. 222.b. 500.a. *Eos inculpat qui dicunt, Non proficiſcar quia poſterus dies eſt, aut quia luna ſic fertur &c.* 500.b.

*Ibid.* Non ſumus ancillæ filij ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus liberauit. 254 b.

5. Fides quæ per dilectionē operatur. 186.b. 187.a.b 200.b. 201.a. 225.a. 398. b. *Contra fidem mortuam.* 245.b. *Factum eſt homini facile in nouo Teſtamento, quod in veteri difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur.* 254 a. 257.a. 258.a.

*Ibid.* Abſcindantur qui vos conturbāt. 90.a. *Abſint atriis Domini, careant officio paſtorali.*

*Ibid.* Vos in libertatē vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatē in occaſionem detis carnis. 255.a b. *Non ergo dicat Chriſtianus, liber ſum, faciam quod volo: ſi iſta voluntate peccatum facis, ſeruus es peccati.*

*Ibid.* Omnis lex in vno ſermone impleta eſt. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. 248.b.

*Ibid* Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. 137.a. *In hominibus bonis, non in malis, qui ſpiritū Dei non habent, contra quem caro concupiſcat.* 158. b *Putant hic homines liberum voluntatis arbitrium negare Apoſtolū nos habere. Nec intelligunt hoc eis dictum ſi gratiam fidei conceptam tenere nolunt, per quā ſolā poſſunt ſpiritu ambulare & cōcupiſcentias carnis nō perficere.*

*Ibid.* Si Spiritu ducimini non eſtis ſub lege. 242.b.

*Ibid.* Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ &c. 348.b. *Non ſolam infidelitatem eſſe peccatum.*

*Ibid.* Prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt. 223.a.b. 224.a 350.a.

6. Intendēs teipſum, ne & tu tenteris. 218.a.

*Ibid.* Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legē Chriſti. 236. a.b. *Lex Chriſti, mandatum dilectionis.*

*Ibid.* Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat in omnibꝰ bonis. 272. b. *Etiā in propriis meritis.*

*Ibid.* Mihi autē abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. 491.a.

*Epheſios.*

*Cap.* 2. Eramus natura filij iræ. 295.b. 297.a. *Pro peccato originali.*

*Ibid.* Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc nō ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus 267.b. 268.b. *Operibus tanquam tuis, ex teipſo tibi exiſtentibus.*

*Ibid.* Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in bonis operibꝰ &c. 195 b. 267.b. *Quid ergo, nos benè non operamur? Imò operamur, verum ipſo in nobis operāte.*

4. Vna fides, vnum Baptiſma, vnꝰ Deus & pater omniū. 292.a. *Contra anabaptiſmum.*

*Ibid.* Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouū hominem, qui ſecundum Deū creatus eſt. 207 a. *Spiritu mētis noſtræ renouamur, ſecūdùm quā ad imaginē Dei facti ſumꝰ.*

5. Sicut Chriſtꝰ caput eſt Eccleſiæ. 41. b. 42. a. *De Eccleſia quæ vniuerſalis ſit & tempore & loco. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus ſanctus.*

*Ibid.* Vt eam ſanctificaret, mundans eā lauacro aquę in verbo vitæ. 273.b. *Lauatio nequaquam fluxu & labili tribueretur elemento, niſi adderetur, in verbo.*

*Ibid.* Aptauit ſibi Eccleſiam non habentē maculam aut rugā. 51.a. 351.a 399.b.

*Ibid.* Sacramētū hoc magnū eſt, ego autē dico in Chriſto & in Eccleſia. 380. b. *Deducit ex hac ſcriptura, in nuptiis Sacramentum eſſe.*

6. Serui obedite Dominis carnalibus. 256. a. *Contigit tibi vt Chriſtianus efficereris, & haberes Dominum hominem, nō ideo Chriſtianus factus es, vt dedigneris ſeruire.*

*Ibid.* Pax fratribus & charitas cũ magna fide. 257.b.

*Philippenſes.*

*Cap.1.* Certus ſum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet vſque in diẽ Ieſu Chriſti. 174.b. *Vt velimus, ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur.*

*Ibid.* Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. 407 a. *Inde incipit requies, quæ nõ interrumpitur reſurrectione, ſed clarificatur.*

2. Cum timore & tremore veſtrã ipſorum ſalutem operamini 175. a. *Quando iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium.* 214.b *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle, nos operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.*

3. Non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed eam quę ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt. 206.b.

*Coloſſenſes.*

*Cap.1.* Sicut & in omni mũdo eſt fructificans & creſcẽs. 511.a.

*Ibid.* Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. 41 a.b. *Vnde vtique manifeſtum eſt eum qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianã ſalutem habere non poſſe.*

3. Mortificate mẽbra veſtra quæ ſunt ſuper terram. 212.b. *Baptizatis dicitur.*

*Ibid.* Exuere veterem hominem & induere nouum. 211.a. *Intrinſecus exuimus veterem hominem, & induimus nouum.*

*Ibid.* Renouari in interiori homine, ſecũdùm imaginem eius, qui creauit &c. 209. b. *In quantum quiſque ſpiritualia ſapit, qui iam ſapit, in tantum renouatur.*

*Prima ad Theſſalonicenſes.*

*Cap.5.* Corripite inquietos. 60. a.

*Ibid.* Sine intermiſſione orate. 499 b. *Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis noſipſos admoneamus.*

*Secunda ad Theſſalonicenſes.*

*Cap.2.* Niſi venerit primùm refuga &c. 503. b. *Nulli dubium eſt de Antichriſto eum iſta dixiſſe.*

*Ibid.* Et reuelatus fuerit homo peccati. 501.a.502.b.

*Ibid.* Et extollitur ſupra omne quod dicitur Deꝰ, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat &c. 501.b.502.b. 504.a.

*Ibid.* Iam enim myſterium operatur iniquitatis. 504.a.b.

*Ibid.* Tantum qui modò tenet teneat donec de medio fiat. 504.b.

*Ibid.* Interficiet eum ſpiritu oris ſui. 503.a.

*Ibid.* Cuius præſentia ſecundùm operationem Satanę in omni virtute & ſignis & prodigiis mendaciis &c. 504.b. 505 a.

*Ibid.* Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. 505.a. *Permiſſiuè, per diabolum.*



3. Si quis non obaudit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & nolite commiſceri cum eo. 60.a. *Hunc notate corripiẽdo, degradando, excommunicando, cæteriſque coercitionibus licitis.*

*Ibid.* Non vt inimicum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem 370.a

*Prima ad Timotheum.*

*Cap.1.* Finis præcepti caritas. 244 b. 246 b. *Nolite putare conſumptionem ſed conſummationem: finis quo perficiuntur præcepta, non quo cõſumuntur. Finem præcepti dixit non quo quaſi pereant præcepta, ſed quo perficiantur & conſummẽtur, non conſumantur.*

*Ibid.* De corde puro & conſcientia bona & fide non ficta. 244.b. *Caritas inchoata, inchoata iuſtitia eſt, caritas prouecta, prouecta iuſtitia eſt, caritas magna, magna iuſtitia eſt, caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.* 269 a. *Spes bona ex bona conſcientia naſcitur, ideo conſcientiam poſuit pro ſpe.*

*Ibid.* Lex iuſto nõ eſt poſita. 254 a. *Eo modo non ponitur iuſto, quo eſt poſita populo contumaci in tabulis lapideis: ſed benè in mẽte & in cordibus.*

*Ibid.* Quos tradidi Satanę. 60.b. *Satanæ traditur, qui ab Eccleſia excommunicatur.*

2. Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus &c. 342.b. *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia in ſacrificio Miſſæ*

*Ibid.* Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum &c. 199.a

3. Vnius vxoris virum. 374.a. *Acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus vel Paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt.*

*Ibid.* Columna & firmamentum veritatis 56.b

4. In nouiſſimis temporibꝰ diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum &c. prohibentes nubere &c. 334.a. 464.a. *Ille prohibet nubere qui hoc malum eſſe dicit, nõ qui huic bono aliud melius anteponit.*

*Ibid* Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. 446.a.448.a. 449.b.450.a.b. & ſeq. *Crede Dei ſeruos, qui à carnibus abſtinent, non tanquam immũda, quæ à Deo facta ſunt, reſpuere, ſed à fortiori cibo & potu ſola caſtigatione corporis abſtinere.*

*Ibid.* Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt. 449. b. *A carnibus & vino duas ob cauſas ſe innumerabiles monachi continent, vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter ſuam libertatem.*

*Ibid.* Noli negligere gratiã quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum

presbyterij. 364 a. *Gratia quædam eſt quæ per traditionẽ infunditur ordinatis.* 365 b. *Oſtendit quòd Timotheus non fuerit laicus.*

5. Cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt. 462 a. *In virginali & viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur, quæ expetita & electa, & voti debito oblata, iam non ſolùm capeſſere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur, nubere velle, damnabile eſt.*

Ibid. Habentes dãnationem, quoniam primam fidem irritã fecerunt. 456. b. *De iis qui continentiam vouent & poſtea volunt nubere.* 460. a. *In eo quod primò vouerant, non ſteterunt.* 460 b. *Quid eſt, primam fidem irritam fecerunt? vouerunt & non reddiderunt.* 461. a. 462. a. b. *Quoniam fidẽ caſtitatis quam Domino vouerunt, irritam facere auſa ſunt.* 461. b. *Primam fidẽ irritam fecerunt, id eſt, voluntatem ad nuptias à propoſito continentiæ deflexerunt.*

Ibid. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe. 461. b. *Nuptiarũ bonum, Apoſtolica ſobrietate & auctoritate commẽdat, non procreandi officium eis, quæ cõtinentiæ bonum capiunt, tanquam ad obſequelam legis imponit.*

Ibid. Contine teipſum. 454. a. *Pro libero arbitrio.*

Ibid. Modico vino vtere &c. 449 b

## *Secunda ad Timotheum.*

Cap. 1. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris. 201. b. *Cauere debemus ne nos arbitremur non accepiſſe ſpiritum timoris, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum &c.*

2. Nouit Dominus qui ſunt eiꝰ. 214. a. *Diuinæ poteſtatis eſt, iudicium in nobis debitum mutare, damnationis, & gratiam prædeſtinationis indebitam prærogare.*

Ibid. In domo autem magna non ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia &c. 53 b. *De bonis & malis in Eccleſia*

3. Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. 289. b. *Hæretici formam pietatis habent in Sacramentis, virtutem autem Sacramenti non habent.*

4. De cætero mihi ſupereſt corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. 265. b. *Iuſtus iudex operè inſpecto mercedem negare non poteſt.*

## *Ad Titum.*

Cap. 1. Si quis ſine crimine eſt. 221. a. *Diſtinguit crimen à peccato.*

Ibid. Omnia munda mũdis. 447. b 448. a. 449 b. 450. a. *Serui Dei in eo quòd à carnibus & vino abſtinẽt, non tanquam res immundas refugiunt, ſed mũdioris vitæ inſtituta ſectantur.*

3. Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis. 285. b.

## *Ad Hebræos.*

Cap 2. In miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. 412. b 413. a *Angelorum erga homines miniſterium fuſiſsimè declaratur.*

6. Non iterum iacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibꝰ & fidei in Deũ, lauacri, doctrinæ, impoſitionis manus &c. 290. a. *Iſta omnia in baptiſmo traduntur, quæ D Paulus negat eſſe repetẽda, vtique in conſecrandis fidelibus.* 304 b. *ante baptiſmum requiri pœnitentiam in adultis.*

Ibid. Impoſsibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt &c. rurſus renouari ad pœnitentiam. 349. a. *Per pœnitẽtiam baptiſmi.*

11. Fides eſt ſperantium ſubſtantia, & conuictio rerum quæ non videntur &c. 178. b. 179. a. *Contra vanam fiduciam hæreticorum.*

Ibid. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. 181. b.

13. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. 450. a. *Serui Dei, in eo quod coniugia non habent, nõ nuptiarum bonum crimen eſſe exiſtimant, ſed continentiam iugem, bonis nuptiis meliorem eſſe non dubitant.*

## *Iacobi.*

Cap. 1. Vnuſquiſque tẽtatur à cõcupiſcẽtia ſua, abſtractus & illectus, dein concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, 154. b. *Partus à pariente diſcernitur.*

2. Superexaltat autem miſericordia iudicio. 230. a. *De operibus miſericordiæ, quæ remedia ſunt peccatorum.* 271. b. *In iis, qui cum propriis non poſsint, ſaluantur tamen meritis ſanctorum.*

Ibid. Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? 257. b. *Quouſque igitur falluntur qui fide mortua ſibi vitam perpetuam pollicentur?*

Ibid Et dæmones credunt, & cõtremiſcunt. 200. b. 257. b. *Confitebantur dæmones quod non credebant homines. Diſcernenda autẽ eſt fides dæmonum à fide Sanctorum.*

Ibid. Vis ſcire ô homo, quia fides ſine operibus mortua eſt. 204. a. *Locus iſte huius epiſtolæ, Paulum, quomodo ſit intelligendus exponit. Ideóque magis Abraæ vtitur exemplo, quo etiam Paulus vſus eſt, vt probaret hominem iuſtificari ſine operibus legis. Cùm enim bona opera D. Iacobus commemorat Abraæ, quæ eius fidẽ comitata ſunt ſatis oſtendit, Paulum Apoſtolum non ita per Abraam docere, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, vt ſi quis crediderit, non ad eũ pertineat bene operari: ſed ad hoc potius, vt nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur ſe perueniſſe ad donum iuſtificationis, quæ eſt in fide.*

3. In multis offendimus omnes. 222 b

4. Superbis Deus reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiã. 149. b.

*De humiliter confitentibus ſua peccata*

*Ibid* Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis. 261.a

5. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo &c. 361.b. 362 a. *De extrema vnctione.*

*Ibid.* Oratio fidei ſaluabit infirmum. 361.b

*Ibid.* Cõfitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini. 352.b. *Deus noſter quia pius eſt & miſericors, vult vt ea confiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro.* 355.a

### *Prima Petri.*

*Cap.2.* Liberi, non ſicut velamẽtum malitiæ habentes libertatem. 254.b. 255.a

3. Sic & vos ſimili forma Baptiſma ſaluos fecit, nõ carnis depoſitio ſordium, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio. 156.d. *Ne ſibi ſufficere putarent viſibile Sacramẽtum, & perditè viuerent, ſubiecit, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio.*

4. Caritas cooperit multitudinem peccatorum. 250.a

### *Secunda Petri.*

*Cap.2.* Hi ſunt fontes ſicci & nebulæ à turbine exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruata eſt. 255.a. *De hæreticis.*

*Ibid.* Canis reuerſus ad vomitum ſuum 482 b. 483.b. *De Apoſtatis monachis.*

3. In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant. &c. 224. b. *Dogma de fide iuſtificante apud D. Paulum.*

### *Prima Ioannis.*

*Cap.1.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus & veritas in nobis nõ eſt. 212.a. 229 a.b

2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESVM Chriſtum. 30.b. *Sed dicet aliquis: Ergo ſancti nõ petũt pro nobis? Ergo Epiſcopi vel Præpoſiti non petunt pro populo? Orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo, oramus pro vobis fratres, ſed & vos orate pro nobis. Inuicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.*

*Ibid.* Ipſe eſt propitiatio peccatorum noſtrorum, non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi. 42. b. *Ecce habes Eccleſiam per totum mundum, noli ſequi falſos iuſtificatores, & veros præcipitatores.*

*Ibid.* Omne quod eſt in mundo, cõcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. 309 a. *Hæ ſunt pompæ diaboli, quibus in Baptiſmo iubemur renunciare.*

*Ibid.* Antichriſti multi facti ſunt. 504.b. *Omnes qui de Eccleſia exierunt.*

*Ibid.* Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. 110.a. 215.b. 508 a

3. Omnis qui habet hanc ſpem in ipſo, caſtificat ſemetipſum. 163.b. *Quando teipſum caſtificas, agis aliquid voluntate.*

*Ibid.* Qui natus eſt ex Deo, non peccat. 209.b. 221.b. *Sed ea conditione peccat, qua adhuc eſt filius ſeculi.*

4. Qui diligit, ex Deo natus eſt. 247.b

*Ibid.* Timor non eſt in caritate. 203.b. *Timor quaſi locum præparat caritati. Timor quo gehẽnam times continet te, & ſic volentem peccare, non ſinit. Fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore iuſtitiæ.*

*Ibid.* Caritas foras mittit timorem. 201 b. 202.b. 203.b. *Timorem hominum, non Dei, timorem tẽporalium malorum, non diuini in fine iudicij. Perfecta caritas quæ perfectam iuſtitiam facit, foras mittit hunc timorem, quantum illa creſcit, tantum iſte decreſcit. Maior caritas, minor timor, minor caritas, maior timor. Si autem nullus timor, non eſt qua intret caritas.*

5. Præcepta eius grauia nõ ſunt. 250.b. *Quomodo enim eſt graue, cùm ſit dilectionis mandatum? aut enim quiſque non diligit, & graue eſt: aut diligit, & graue eſſe non poteſt.*

### *Iudæ.*

*Cap.1.* Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritũ non habentes. 109.a. *Schiſmatici, qui non in filiis Eccleſiæ paruulis, ſed in mortuis & perditis computandi ſunt.*

### *Apocalypſeos.*

*Cap.2.* Memento vnde excideris, & age pœnitentiam 348.b

6. Vidi animas interfectorum ſub ara Dei. 334.b. *Probat ex hoc loco & in nouo Teſtamento aram eſſe: & per conſequens cætera, quæ ad ſacrificandum in ara requirũtur.* 407 a *Explicat quare dicantur animæ clamare ſub ara Dei, cùm ipſorũ animæ in paradiſo ſint.*

*Ibid.* Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. 406.a. *Habet ante reſurrectionem ſancti ſingulas ſtolas, quia in ſola anima adhuc æternis beatitudinibus perfruuntur: poſtea accepturi ſunt binas &c.*

7. Stabant ante thronum in conſpectu agni. 406.a. *De ſanctis ante reſurrectionem.*

9. Solue quatuor angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. 507.a. *Ad Euphraten pertinẽt, quicunque res confuſione dignas exercent.*

*Ibid.* Parati in horam & diem & menſem & annum, vt occiderẽt tertiam partem hominum. 507 a. *De perſecutione Antichriſti.*

12. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum. 509.a. *Mulier, Eccleſia: alæ duæ aquilæ magnæ, Enoch & Elias.*

*Ibid.* Et adiuuit terra mulierem, & aperuit os ſuum & abſorbuit flumen quod miſit draco &c. 414.a. *Aqua emiſſa*

*ex ore draconis, exercitus Antichriſti.*
13. Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos. 507.b. *Tempus nouiſſimæ perſecutionis.*
14. Et habebant nomen eius & patris eius ſcriptum in frõtibus ſuis. 490.a. *De ſigno crucis.*
*Ibid.* Sequuntur agnum quocunque vadit. 409.b. *Sancti ſcilicet, etiam ante ſuam reſurrectionem.*
*Ibid.* Beati mortui qui in Domino moriuntur &c. 407.a.
20. Vt non ſeducerẽtur gentes, donec finiantur mille anni. 507.b.
*Ibid.* Poſt hæc oportet eum ſolui breui tempore 507.b
*Ibid.* Vidi ſedes & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt. 356.b. *Iudicium nullum melius accipiẽdum videtur, quàm id quod dictum eſt: Quæ ligaueritis in terra &c.*
*Ibid.* Regnauerunt cum Ieſu mille annis 402 b. *Animæ ſcilicet, martyrum, nondum ſibi corporibus redditis.* 405.b.
*Ibid.* Et cùm finiti fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de cuſtodia ſua, & exibit ad ſeducendas nationes, quæ ſunt in quatuor angulis terræ &c. 505.b. 506.a. *De perſecutione Antichriſti, quòd ea per totum orbem futura ſit.*
*Ibid.* Et aſcenderunt ſuper terræ latitudinem, & cinxerũt caſtra Sanctorum, & dilectam ciuitatem. 506.a.
22. Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum. 418.a *Talis apparuerat angelus, vt pro Deo poſſet adorari.*
*Ibid.* Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidꝰ ſordeſcat adhuc 484 b *Quomodo difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt.*

*OMNES hæretici Scripturas ſibi videntur ſectari, cùm ſuos potius ſectentur errores, ac per hoc non quòd eas contemnant, ſed quòd eas non intelligant, hæretici ſunt. Tom. II. Epiſt. CCXXII. ad Conſentium.*

# VINCENTIVS LIRINENSIS IN AVREO illo ſuo, aduerſus prophanas omnium hæreſeωn nouationes, libello.

ILle eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuſpiam auctoritatem, nõ amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus, & ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolùm ſibi tenendum credendúmque decernit: quicquid verò ab aliquo deinceps vno (*veluti Lutero vel Caluino*) præter omnes vel contra omnes ſanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potius intelligat pertinere, B. Apoſtoli Pauli eruditus eloquiis, Oportet, inquit, hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.

*Vixit circa tempora D. Auguſtini, ſub Theodoſio & Valẽtiniano.*

*Quis verus & germanꝰ Catholicus.*

*1. Cor. 11.*

Hîc fortaſſe aliquis interroget, an & hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimoniis vtantur? Vtuntur planè, & vehementer quidem: nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis vo-

*Hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimoniis vehemẽter vti ſolẽ-*

lumina: per Moſi, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euãgelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos: ſiue priuatim, ſiue publicè: ſiue in ſermonibus, ſiue libris: ſiue in conuiuiis, ſiue in plateis: nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarúmque peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris Teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. Sed tantò magis cauendi & pertimeſcẽdi ſunt, quantò occultius ſub diuinæ legis vmbraculis latitant.

*Hæretici qua fraude ſuos fœtores, cœleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergant.*

Sciunt enim fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque iccirco eos cœleſtis eloquij, velut quodam aromate aſpergunt: vt ille qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciũt quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt: vt incauta ætas cùm dulcedinẽ præſenſerit, amaritudinem nõ reformidet. Quod etiam his curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos, medicaminum vocabulis præcolorãt: vt nemo ferè vbi ſupra ſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum. Idem denique & Saluator clamabat: Attendite vobis à Pſeudoprophetis, qui veniũt ad vos in veſtitu ouium, ab intus autem ſunt lupi rapaces.

*Matth. 7.*

*Veſtit⁹ ouiũ, Prophetarũ, & Apoſtolorum ſunt proloquia.*

Quid eſt autem veſtitus ouium, niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia, quæ iidem, ouili quadam ſynceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tanquam vellera quædam texuerunt? Qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti, quaquà poſſunt dilacerant?

*Lupi rapaces, ſenſus ſunt hæreticorum, qui Eccleſiam ſemper infeſtant.*

Tales erant hi quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecunda ad Corinthios dicens: Nam eiuſmodi, inquit, Pſeudoapoſtoli, operarij ſubdoli, transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti, & nõ mirum. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis, qui ſcit omnino nullam eſſe ad fallẽdum faciliorem viam, quam vt vbi nefarii erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum prætendatur auctoritas.

*2. Cor. 11.*

*Diabolus ſacræ legis exemplis, ipſũ Dominum maieſtatis appetiuit.*

*Matth. 4.*

Sed dicet aliquis: Vnde probatur quod ſacræ legis exemplis diabolus vti ſoleat? Legat Euangelia in quibus ſcribitur: Tunc aſſumpſit eum diabolus, id eſt, Dominum Saluatorem, & ſtatuit illum ſupra pinnam templi, & dixit ei: Si filius Dei es mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim quòd angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quid hic (*Diabolus*) faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominum maieſtatis ſcripturarum teſtimoniis appetiuit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Quare? Scriptum eſt enim, inquit. Magnopere nobis doctrina loci iſti⁹ attẽdẽda atque retinenda eſt, vt tanto Euangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica ſeu prophetica verba proferre contra Catholicam fidem videremus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam ſicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra mẽbris loquũ-

tur:membra ſcilicet diaboli membris Chriſti: perfidi fidelib⁹:ſacrilegi religioſis:hæretici poſtremò Catholicis. Sed quid tandem dicit? Si inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, Filius eſſe vis Dei & hæreditatem regni cæleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Ac ſi quis interroget quempiam hęreticorum ſibi talia perſuadentem. Vnde probas, vnde doces quòd Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalem & antiquã fidem dimittere debeã? Statim ille: Scriptũ eſt enim. Et continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis ex arce Catholica in hæreſeos baratrum infœlix anima præcipitetur. Iam verò illis quæ ſequuntur promiſſionibus miro modo incautos homines hæretici decipere conſueuerunt. Audent etenim polliceri & docere quòd in Eccleſia ſua, id eſt, in communionis ſuæ conuẽticulo magna & ſpecialis ac planè perſonalis quædã ſit Dei gratia, adeò vt ſine vllo labore, ſine vllo ſtudio, ſine vlla induſtria, etiamſi nec quærant, nec petant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuũ pertinent, tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt angelicis euecti manibus, id eſt, angelica protectione ſeruati, nunquam poſsint offendere ad lapidem pedem ſuum, id eſt, nunquam ſcandalizari.

*Quid ſit: mitte te deorſum.*

*Antiquiſſima hæreticorũ conſuetudo, vt incautis hominibus, in ſua Eccleſia, ſpecialem Dei gratiã, adeóque vitam æternã ſine vllo labore vel ſtudio certiſſimè polliceãtur.*

Sed dicit aliquis: Si diuinis eloquiis, ſentẽtiis, promiſsionibus & diabolus & diſcipuli eius vtuntur, quorum alij ſunt Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetæ, & Pſeudomagiſtri, & omnes ex toto hæretici, quid facient Catholici homines & matris Eccleſiæ filij? quonam modo in ſcripturis ſanctis veritatem à falſitate diſcernent? Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt vt diuinum canonem ſecundùm vniuerſalis Eccleſiæ traditiones & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur: in qua item (*interpretatione*) Catholicæ Apoſtolicæque Eccleſiæ ſequantur neceſſe eſt vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Et ſi quando pars (*vt Lutheri vel Caluini*) contra vniuerſitatem, nouitas cõtra vetuſtatem, vnius vel paucorum errantium diſſenſio contra omnium vel certè multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellauerit, præferant partis corruptioni, vniuerſitatis integritatem: in qua eadem vniuerſitate, nouitatis prophanitati, antiquitatis religionẽ: itémque in ipſa vetuſtate, vnius ſiue paucisſimorũ temeritati, primùm omnium generalia, ſi qua ſunt, vniuerſalis Concilij decreta præponat: Tunc deinde, ſi id minus eſt, ſequantur quod proximum eſt, multorum atque magnorum conſentientes ſibi ſententias Magiſtrorum, qui in fide & Communione Catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes & permanentes vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fœliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes vel plures vno eodémque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeueranter, velut quodam ſibi conſentiente magiſtrorum concilio, acci-

*Quonã modo Eccleſiæ filij in ſcripturis ſanctis veritatẽ à falſitate diſcernent.*

piendo,tenendo,tradendo firmauerint, id pro
indubitato , certo ratóque habeatur . Quibus
adiuuante Domino fideliter, ſobriè, ſolici-
téque obſeruatis,non magna difficulta-
te noxios quoſque exurgẽtium
hæreticorum deprehen-
demus errores.